St. Albert's College Library

THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

St. Albert's College Library

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS.

TOMUS QUARTUS.

DE PECCATIS. DE GRATIA. DE JUSTIFICATIONE ET MERITO.
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS. DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUSSY.

1853.

BX
1751
A1
T49
v.4
1853

TRACTATUS

DE PECCATIS, GRATIA JUSTIFICATIONE ET MERITO

AUCTORE R. P. HENRICO KILBER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

12514

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
DE
PECCATIS, GRATIA, MERITO
ET JUSTIFICATIONE.

Quæstionibus de Conscientia et Legibus rite subnectuntur Disputationes de Peccato et Merito ; et quidem 1ª. de Peccatis generatim, 2ª. de Peccato personali, 3ª. de Peccato originali, 4ª. de Gratia universim, 5ª. de Gratia actuali, 6ª. de Gratia habituali seu justificante. In his D. Thomæ in 1. 2. a Q. 71. vestigiis inhæremus, præprimis autem Dogmatum curam habituri, in argumento, quod non a Scholasticis duntaxat, sed et a Patribus, Summis Pontificibus, atque Conciliis frequenter versatum fuit.

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
GTU
LIBRARY
1982

DISPUTATIO I.

DE PECCATIS GENERATIM.

CAPUT I.

DE NATURA ET AFFECTIONIBUS PECCATI.

—

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT PECCATUM?

1. *Nota.* Varia est peccati, etiam theologice spectati, acceptio in Sacris litteris, eaque sæpius tropica et impropria : 1°. Pro *pœna peccati;* Lev. 20. dicitur : *Portabunt ambo peccatum suum, sine liberis morientur.* 2. Mach. 12. *Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* 2°. Pro *effectu* peccati præteriti, et *causa* novi ; ad Rom. 7. *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum;* de quo Trident. Sess. 5. in decreto de pecc. orig. ait : *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* 3°. Pro *materia,* in qua vel circa quam peccatur ; sic vitulus aureus peccatum a Moyse dicitur Deut. 9. *Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est vitulum, arripiens igne combussi.* 4°. Pro *hostia* et *sacrificio* pro peccatis oblato ; sic Oseæ 4. v. 8. dicitur : *Peccata populi mei comedent* Sacerdotes. Et 2. ad Cor. 5. de Christo : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* 5°. Et proprie pro *defectu morali,* seu *inordinatione voluntatis,* quæ homini sit impedimento, quominus ad finem ultimum seu beatitudinem pervenire possit. De hoc

2. *Dico I.* Peccatum est actus moralis regulæ morum difformis.

Expl. Dicitur 1°. *actus* non tantum physicus, sed etiam interpretative talis, qualis dicitur omissio ; quia, ut ait D. Th. hic q. 71. a. 6. ad 1. *Affirmatio et negatio,* id est, actus et omissio, *reducuntur ad idem genus.* 2°. *Moralis;* per quod intelliguntur omnia requisita, videlicet libertas et advertentia ad regulam morum, actus humani. 3°. *Difformis regulæ morum;* hoc est, repugnans mensuræ ac normæ, ex qua rectitudo et bonitas actuum humanorum habetur.

Prob. Hæc definitio convenit omni et soli peccato; ut singula percurrenti apertum fiet: tum quia satis clara est, si, quid et quænam regula morum sit, intelligatur: denique quia ex ea facile reliqua peccati prædicata deducuntur.

Conf. Peccatum *naturæ,* præeunte Philosopho L. 2. Phys. c. 8. recte definitur defectus substantiæ creatæ a communi naturæ ordine ac veluti lege: similiter peccatum *artis* dicitur defectus a regulis artis; ergo et peccatum *moris* vel *morale* recte definitur defectus liber a regula morum, hoc est, actus moralis regulæ morum difformis.

3. *Dico II.* Peccatum sub diverso respectu varie dividitur; et quidem

1°. Ratione suæ entitatis in peccatum *commissionis* et *omissionis. Primum* habetur, si fiat positive, quod prohibetur: *secundum,* si non fiat quod jubetur.

2°. Ratione status in *actuale* et *habituale.* Illud est, quod actu exercetur: hoc est, quod, licet actu non exerceatur, sed præteritum sit, perseverat tamen moraliter seu in æstimatione prudenti, quamdiu non remittitur.

3°. Ratione subjecti *in personale* et *originale.* Prius est, quod propria cujusque voluntate contrahitur: posterius, quod ab ortu nobis congenitum in voluntate Adami contractum est.

4°. Ratione effectus et pœnæ in *mortale* et *veniale,* quorum illud mortem animæ seu damnationem æternam affert: non item secundum, cujus venia facilior est.

5°. Ratione regulæ morum, aut considerationis ad eamdem in *philosophicum* et *theologicum. A Theologis enim,* ait D. Th. hic q. 71. a. 6. ad 5um. *consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum: a Philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi.* Unde peccatum pure philosophicum dicitur actus humanus disconveniens soli naturæ rationali et rectæ rationi: theologicum est transgressio libera legis divinæ, hoc est, æternæ. Reliquæ peccati divisiones habentur in Theol. Mor.

4. *Observa.* Convenit inter Theologos

1°. Omne peccatum disconvenire naturæ rationali; cum Psal. 48. *jumentis insipientibus,* 2. Petr. 2. fœdissimis pecoribus peccatores fieri similes dicantur: unde S. Aug. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 18. peccatum vocat *hominis deordinationem* ac *perversitatem;* et L. 3. de lib. arb. c. 14. n. 41. contra naturam esse enuntiat, quem D. Th. hic q. 71. a. 2. sequitur. Accedit ratio; cum enim recta ratio dictet honestum amandum, inhonestum fugiendum esse; sequitur, peccatum naturæ rationali repugnare.

2°. Peccatum grave (de veniali infra) esse transgressionem seu violationem legis æternæ: nam 1. Joann. 3. alibique peccatum dicitur *iniquitas*, græce ἀνομία, seu *deviatio a lege,* et Psal. 118. peccatores vocantur *prævaricantes.* Quod clarius explicant S. Ambros. L. de Parad. c. 8. n. 39. dicens: *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ et cœlestium inobedientia præceptorum?* et S. August. L. 22. contra Faustum c. 27. sic describens peccatum: *Factum vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem;* quam definitionem S. Th. hic q. 71. a. 6. probat, et ratio confirmat. Nullum siquidem est malum, quod non prohibeatur a lege æterna: lex etiam nulla violatur,

quin hoc ipso violetur lex æterna, ut argumentum Apostoli convincit, dum sub initium ad Rom. 13. ait : *Non est potestas, nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

ARTICULUS II.

AN OMNE PECCATUM SIT FORMALIS OFFENSA DEI?

5. *Nota I.* Ad rationem offensæ bina requiruntur : 1um. Ut actio, qua alter offenditur, illi displiceat ; nemo enim proprie offenditur per id, quod sibi placet, vel certe non displicet, aut quod non curat. 2um. Ut actio ejusmodi aliquo etiam modo sit contra alterum, sic, ut is juste de ea conqueri, aut ægre eam ferre possit; hinc licet furtum v. g. Titii e rebus Sempronii factum mihi displiceat, eo tamen proprie offendi non dicor, si nulla id ratione mihi damnosum accidat.

Offensa autem alia dicitur *materialis,* alia *formalis.* Materialis est, si quis actione sua præbeat alteri causam displicentiæ rationabilis, quin tamen sciverit aut cogitaverit fore, ut illi id displiceat. Formalis, prout opposita materiali, est, si quis id agat sciens ac prudens, aut advertens ad jus, quod alter habet, ne quid fiat vel omittatur. Dixi : *formalis, prout opposita materiali* ; nam de offensa Dei formali, ut opposita virtuali, implicitæ ac interpretativæ, non agitur in præsenti materia. Hoc sensu enim accepta tantum tribuitur peccato, quod directe et immediate Deum respicit, ut blasphemia, infidelitas etc.

6. *Nota II.* Omni actu malo in re gravi Deus offenditur *materialiter* : ex eo enim, quod peccatum sit legis divinæ violatio, sequitur, justam de eo oriri displicentiam in Deo tanquam auctore legum. An vero peccatum etiam grave sit *formalis* quoque offensa Dei, disputatur præsertim ab iis, qui pro regula morum assignant naturam rationalem, et permittunt ad breve saltem tempus ignorantiam Dei inculpabilem. His enim suppositis dicunt dari peccatum mere philosophicum, seu solum repugnans rectæ rationi, ac demum duntaxat *materialiter,* non autem *formaliter* offendens; si nempe quis invincibiliter Deum ignorans, aut inculpabiliter ad legem æternam non advertens committat actionem rectæ rationi graviter repugnantem. Contra hos

7. *Dico.* Omne peccatum rectæ rationi graviter difforme, est etiam *formalis* offensa Dei.

Prob. Ita est de essentia peccati gravis, esse contra legem, ut malitia peccati non habeatur nisi ex oppositione ad legem ; sic enim Paul. ad Rom. 4. v. 15. *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et Aug. conc. 25. in Psal. 118. n. 1. *Nullum est utique sine prævaricatione peccatum : nulla est autem prævaricatio sine lege ; nullum est igitur nisi in lege peccatum.* Quibus similia habet L. 1. de lib. arb. et L. 2. de pecc. merit. c. 16. n. 23. Ergo et omne peccatum grave essentialiter est saltem implicite formalis contemptus, et consequenter formalis offensa Legislatoris, juxta illud : *Qui offendit legem, offendit Regem.* Atqui ex una parte Deus est Legislator, qui vel ipse tulit legem, vel alteri

cuicumque legi vim obligandi dedit : ex altera parte supponitur peccanti per dictamen rationis esse intimatum, quod actio sit lege prohibita, quia agnoscitur peccatum; ergo qui advertens, actionem esse peccaminosam et prohibitam, operatur, hoc ipso formaliter agit contra Deum tanquam Legislatorem, eumque offendit.

Conf. Eo ipso, quod peccatum attingatur explicite ut disconveniens naturæ rationali et contrarium rectæ rationi, attingitur implicite ut illicitum, atque adeo ut prohibitum et nullatenus committendum; ergo attingitur implicite ut oppositum divinæ voluntati illud prohibenti, et ut contemptivum prohibitionis ac offensa Dei. *Prob. conseq.* Quoties peccatum apparet ut prohibitum ita, ut nullatenus liceat, apparet ut prohibitum ab ea voluntate, quæ illud unice sic prohibere potest, ut nullatenus liceat, creaturis quibuscumque aliud suadentibus vel præcipientibus. Ergo quotiescumque peccatum apparet ut omnino prohibitum, etiam apparet oppositum voluntati divinæ, quæ una illud hac ratione prohibere potuit; ergo apparet ut contemptus divinæ legis et offensa Dei.

8. *Obj. I.* Actus ille Dei, quo Deus judicat et præcipit aliquid agendum vel omittendum, non est *liber;* alioqui potuisset blasphemiam v. g. nec judicare illicitam nec prohibere : neque potest dici *necessarius;* quia peccatum alias jam antecedenter ad legem esset intrinsece malum. Quod enim Deus necessario judicat esse malum, et ut tale prohibet, non est malum, quia judicatur et prohibetur ut malum; sed judicatur et prohibetur ut malum, quia tale in se et intrinsece est.

R. *N.* 2am. *part. Rationem D.* Antecedenter ad legem peccatum esset intrinsece malum fundamentaliter *C.* formaliter *N.* Peccatum *formaliter* tale, est contra legem; *fundamentaliter* tale, est contra fundamentum aut rationem legis. Sicut autem non habetur lex, licet intelligatur ratio legis, utpote quia vis obligandi non stat in legis ratione, sed in superioris voluntate; ita nec est malum vel peccatum *formaliter,* quod non est contra formalem legem obligantem. Jam vero sive fundamentum, quod exigat intrinsece malum prohiberi a Deo, statuatur in oppositione cum essentia vel perfectione quadam divina, sive in oppositione cum divinis ideis; in neutro vis obligandi formaliter habetur, et in primo nequidem ratio dirigendi apparet.

Inst. 1. Antequam Deus ab æterno spectetur judicare, actum charitatis esse moraliter bonum, hic jam intelligitur esse moraliter bonus; ergo a contrario, in priori quam Deus judicet actum blasphemiæ esse malum, ille jam est in se malus. *Confirm.* Bonitas moralis, quæ virginitati aliisque consiliis Evangelicis inest, habetur, quin ulla de iis lex existat; ergo et malitia peccati potest saltem haberi sine formali oppositione ad legem.

R. *D.* Jam est moraliter bonus fundamentaliter *C.* formaliter *N.* Licet ad omnem bonitatem moralem non requiratur semper lex *absolute* obligans, quia humanæ fragilitati intolerabile eveniret, obligari ad bonum quodcumque; ut tamen ea formaliter habeatur, adesse oportet vel legem imperantem, vel voluntatem divinam suadentem, aut alio modo impellentem, cum hæc una sit principium *formaliter* directivum et universalis regula actuum humanorum.

Ad Conf. D, A. Bonitas moralis, quæ in consiliis invenitur, habetur, quin

existat de iis ulla lex absolute obligans *C.* conditionate obligans *N.* Suadetur quidem virginitas, non præcipitur; non acquiritur tamen major perfectio aut præmium propositum, nisi suscipiatur hoc consilium : qui vero *consilium* amplectuntur, iis certus id exequendi modus servandus est; ex quo duplici capite in actibus etiam ex consilio duntaxat bonis elucet obligatio conditionata, quæ voluntatem superioris respicit.

Inst. 2. Deus non necessario prohibet omne intrinsece malum : sicut non necessario amat omne bonum creatum; ergo malum et peccatum non est necessario contra legem prohibentem. *Conf.* 1. Deus potest dispensare in præceptis naturalibus secundæ Tabulæ; ergo potest etiam ea præcepta non imponere; ergo nec intrinsece mala his præceptis contraria prohibere. 2° Possibile est peccatum impunibile; sec hoc non est contra legem. Nam sicut quod est contra legem, pœnæ subjacet : sic quod non est punibile, contra legem non est; ergo.

R. 1°. *D.* 1am. *p. Ant.* Deus non prohibet necessario necessitate absoluta *C.* ex hypothesi, quod creaturas rationales produxerit *N.* Quoad 2am. *partem,* si de amore æstimationis loquatur, *omitto* : si de amore desiderii sermo sit, *concedo* equidem, sed

R. 2°. *N. paritatem.* Quamvis Deus, ex supposito existentiæ creaturarum, eas necessario ordinet ad suam gloriam; non tamen ad eum spectat, ut omne prorsus extrinsecum bonum sibi procuret, maxime, quod eminenter ac virtualiter bona omnia contineat in sua essentia. Sed cum Deus sit essentialiter sanctus, et gubernator optimus; essentialiter spectat ad ipsum, ut prohibeat, et subditos rationales avertat ab eo, quod intrinsece et fundamentaliter malum est.

Ad Conf. 1am. *N. A.* Deus proprie dispensare nequit in lege naturali, sed in actionibus circa objecta, suo dominio subdita, addere duntaxat vel demere circumstantiam, ex qua id, quod alias malum foret, jam non amplius tale sit; vid. Tr. de Legibus.

Ad 2am. *Omitto M.* quam P. Anton. Mayr probabilius falsam esse contendit, *N. min.*; et *ejus prob. D.* Peccatum contra legem subjacet pœnæ, nisi supponat liberam Dei determinationem ad non puniendum *C.* si supponat, uti foret in hypothesi a quibusdam hic gratis formata *N.*

Inst. 3. Ad Rom. 2. 12. dicitur: *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; ergo sine lege peccatum habetur. *Conf.* S. Thom. Lect. 2. in c. 7. ad Rom. ait : *Sine lege poterat quidem peccatum cognosci secundum quod habet rationem inhonesti, id est, contra rationem existens; non autem secundum quod importat offensam Dei*; ergo.

R. *D. Cons.* Habetur peccatum sine lege Judæis tradita, de qua hic loquitur Apostolus *C.* sine omni lege, naturali vel divina *N.* S. Paul. v. 14. sic pergit : *Cum enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Inde, licet *lex* sub finem sumatur analogice pro conscientiæ dictamine, sequitur tamen Gentiles non fuisse sine omni lege, atque hinc ad Rom. 2. v. 1. *inexcusabiles* dicuntur : nec etiam caruisse lege æterna; eo quod per dictamen conscientiæ intimabatur illis lex naturalis, quæ legem æternam participat.

Ad Conf. D. et *Expl.* S. Th. Docet hic, quod sine explicita cognitione legis ut divinæ, actionem rationi contrariam non semper cognoscamus sub

conceptu explicito offensæ divinæ *C.* docet, quod actionem rationi repugnantem nec implicite cognoscamus simul esse offensam Dei ac legislatoris cujusdam summi *N.* Aliud certe non voluit, si quidem hic q. 71. a. 2. ad 4. dixit : *Ejusdem rationis est, quod peccatum sit contra ordinem rationis humanæ, et quod sit contra legem æternam.* Omitto, quæ ibidem art. 6. de peccati definitione, et q. 91. art. 2. in 0. de legis æternæ participatione statuit.

Inst. 4. Qui agit contra conscientiam invincibiliter erroneam, qua putat se obligari ad mentiendum, peccat : sed enim non agit contra legem divinam ; quia Deus per legem suam mendacium non præcipit ; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D.* Deus non præcipit mendacium directe et per se *C.* indirecte et per accidens *N.* Præcipit Deus, ne agamus contra id ad quod nos existimamus esse ab ipso obligatos ; quia ita agere esset virtualiter negligere et postponere voluntatem Dei. Hinc ad Rom. 14. 23. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi ergo per errorem invincibilem quis putat se obligari ad mentiendum, Deus indirecte et per accidens præcipere mendacium dici potest.

9. *Obj. II. Bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem,* inquit S. Th. 1. 2. q. 18. art. 5. ; ergo essentialis ratio peccati non est oppositio contra legem, sed rationem. *Conf. Vitium enim,* ait S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 14. n. 4. *non aliunde malum est, nisi quia naturæ adversatur ipsius rei, cujus vitium est ;* ergo.

R. *D. Ant.* Bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem secundum se sumptam *N.* sumptam cum lege Dei, et prout hanc applicat *C.* Quod Angelicus Doctor formalem peccati rationem ab oppositione legis ducat, constat ex hactenus dictis : quod dictamen autem rationis munus regulæ morum non obtineat, nisi secundariæ duntaxat et primariam applicantis, dictum est in Tr. de Act. Hum.

Ad Conf. D. et *Expl.* Ita ut sensus sit : *omne vitium eo ipso, quod vitium sit, contra naturam esse,* ut eod. Libro c. 13. n. 38. loquitur *C.* alio sensu, et legem æternam excludente *N.* Sane eadem loquendi formula in nostram sententiam habetur L. 1. de lib. arb. *Nihil malum, nisi quia lege æterna prohibitum.* Et. L. 3. cap. 15. n. 1. *Deus conditor omnium naturarum etiam in earum vitiis laudandus est ; cum et hoc ab illo habeant quod naturæ sunt, et in tantum vitiosæ sint, in quantum ab ejus qua factæ sunt arte discedunt.* In quem locum S. Thom. q. 71. a. 2. ad 4. ait : *Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, sicut ars ad artificiatum.*

Inst. 1. Actus bonus haberi potest a sola conformitate cum natura rationali, ut sequitur ex propositione inter damnatas ab Alex. VIII. nona : *Revera peccat qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu ;* ergo et actus malus a sola difformitate.

R. *N. Ant.* Damnata propositio, ut ait Dominic. Viva, utroque pede claudicat, tum in eo, quod explicite asserit, tum in eo, quod videtur implicite supponere. Apertus sensus propositionis a *Baianis* et *Jansenistis* quibusdam assertæ innuit tanquam principium, omnem actionem humanam deliberatam, quæ dilectio Dei non sit, esse peccaminosam, quod non tantum in

Baio a pluribus Pontificibus, sed jam ante in *Calvino* et *Luthero* a Trident. Sess. 14. c. 4. reprobatum fuit.

Quomodo autem ex *damnatione* hujus principii et deductæ ex eo sequelæ inferri potest, actum bonum vel malum haberi unice a conformitate vel difformitate cum natura rationali? Deinde videtur implicite supponere, quod possit objectum aliquod attingi ut disconveniens naturæ rationali, absque ullo ad Deum respectu. Hoc suppositum ex *supradictis* falsissimum est, nec a damnatione propositionis stabilitur.

Inst. 2. Peccatum, ut est offensa Dei, in suo conceptu *formali* involvit talem malitiam, quam non includit, quatenus est contra rectam rationem; nam illud *primo* dicit generalem inobedientiam et virtualem Dei contemptum: *secundo* præfert Deo creaturam. Sed horum neutrum intelligitur in peccato, ut rectæ rationi opposito; ergo. *Conf.* Potest, secundum probabilem, supponi, rectam rationem esse primam regulam morum. Item dissonantia actionis cum natura rationali potest saltem per intellectum præscindi a dissonantia cum lege æterna.

R. *D. M.* Peccatum ut offensa Dei involvit malitiam, quam, ut est contra rectam rationem, non includit explicite *C.* quam non includit implicite *N. M.* et *D. min.* similiter. Quando peccatum cognoscitur ut naturæ rationali disconveniens et illicitum, *implicite* etiam cognoscitur a Deo prohibitum; consequenter imbibit rationem generalis inobedientiæ et virtualis contemptus, atque *implicite* etiam ac virtualiter præfert creaturam Deo, exercite scilicet amando id, quod Deus prohibet, et contemnendo legem æternam ac legislatorem.

Ad Conf. D. Ant. Potest supponi secundum probabilem, et per intellectum præscindi etc. speculative *T.* practice *N.* Qui pro regula morum designant naturam rationalem, quamvis concedant omnia rectæ rationi contraria etiam prohiberi a lege æterna, volunt tamen illam prioritate rationis ante hanc intelligi, atque sic naturam a lege *speculative* præscindi posse. Verum cum intelligi non possit regula actualis, et maxime actualiter in praxi dirigens, nisi ut obligans, quod sine cognitione voluntatis superioris non percipitur; inde fit, ut, quando attingitur aliquid disconveniens naturæ rationali, etiam attingatur contrarium legi et superiori; atque sic illa opinio de regula morum et præcisio intellectus ne *speculative* quidem procedit, multo minus si res ad praxin et actionem consideretur.

10. *Obj. III.* 1°. Omni ætate extiterunt Athei. 2°. Secundum probabilem potest in homine ad breve tempus dari ignorantia Dei. 3°. Status controversiæ præsentis ponitur cum hypothesi; si homo actionem rectæ rationi dissonantem advertens agit, et invincibiliter ignorat Deum, aut de eo non cogitat; ergo.

R. *Ad* 1um. *D.* Omni ætate extiterunt Athei practice tales *C.* speculative tales *N. Atheus practice talis* est, qui Deum exterius negat, et ita perdite vivit, ac si Deus non existeret, quemque vellet non esse, quia eum justum suorum scelerum vindicem intimo conscientiæ suæ sensu formidat. *Speculative talis* dicitur, qui Deum mente etiam et ex animo negat. Talem dari negamus: aut contra lumen rationis agentem sibi ipsi exercite contradicere.

asserimus; cum, quem Deum sub primo ac præcipuo ejus prædicato inficiatur, sub alio, legislatoris scilicet aut legis supremæ, implicite agnoscat.

Ad 2um. *D.* Potest ad breve tempus dari ignorantia Dei in homine, qui et quando moraliter non agit, nec formaliter peccat *C.* quando moraliter agit et peccat *N.* Tunc enim se omnemque creaturam rationalem obligari, sicque supremum legislatorem seu Deum agnoscit.

Ad 3um. *D.* Status controversiæ ponitur cum hypothesi: si homo invincibiliter Deum ignoret omnimode et simpliciter *N.* secundum quid, nempe quoad aliqua prædicata alias prima *C.* Omnimoda ignorantia supponi non debet; quia hæc hypothesis in præsenti quæstione destrueret se ipsam, ut ait Gormaz, et ex dictis constat.

Inst. 1. Reperire est homines in Indiis, aut alibi enutritos in sylvis, qui legem naturæ penitus ignorant. 2. Dantur rudes, qui non agnoscunt sibi aliquid prohibitum, nisi ab hominibus. 3. Gentiles olim, præter Jovem aliosve falsos Deos, verum Numen non cognoverunt: horum autem peccata non possunt dici *formales* offensæ Dei; ergo.

R. *Ad* 1um. *D.* Reperire est homines rationis minus compotes tum ob nullam morum culturam, tum ob ingenii mentisque hebetudinem, et organorum ad animæ functiones ineptitudinem, qui etc. *C.* homines rationis compotes *subd.* qui ignorent legem naturæ quoad aliqua, et conclusiones particulares ac secundarias *C.* qui invincibiliter ignorent legem naturæ quoad omnia, et prima ac universalia principia *N.* Si primi generis homines huc proferas, illos potius ad infantes, vel perpetuo amentes, vel demum ad ipsa bruta pertinere dicimus: si vero rationis compotes statuas; concedes etiam, *signatum* esse super illos *lumen vultus divini*, et eorum *cordibus inscriptam legem* ab Auctore naturæ, cum ratio humana et lex Dei inter se inviolabili nexu colligentur.

Ad 2um. *D.* Dantur rudes, qui non agnoscunt immediate sibi esse prohibitum quidpiam, nisi ab hominibus *C.* mediate *N.* Sicut is, qui aliquid committit immediate a lege ecclesiastica prohibitum, agnoscit idem saltem mediate prohiberi a Deo: sic etiam rudis agnoscens rem ut immediate prohibitam ab homine nullatenus esse licitam, facile et satis agnoscit eamdem, ut mediate prohibitam ab altiori lege.

Ad 3um. Ex eo, quod Gentiles malum putabant, si quid voluntati Jovis alteriusve fictitii Numinis contrarium agebant, agnoscebant profecto agere se contra supremum legislatorem, licet hunc erronee cum Jove confunderent. Idem dicendum est in casu, quo rudis ponitur existimare, quod hominis cujusdam legem nulla omnino ratione violare liceat; quia tunc hominem hunc ipsum sua opinione *implicite* Deum facit.

Inst. 2. Ad offensam *formalem* Dei requiritur vel actualis vel virtualis ac remissa advertentia ad Deum. Sed dantur actiones humanæ etiam deliberatæ contra dictamen rationis absque ulla ejusmodi advertentia, ut ex facta postmodum reflexione constat; ergo. *Conf.* Ut quis bene agat, non est opus, ut ad prædicatum cum Deo convertibile discurrendo pertingat; sed sufficit, quod cogitet æquum v. g. esse, ut alteri præstet, quod sibi fieri vult. Ergo et ad peccandum non opus est illo discursu, quo quis cogitet, hoc esse illicitum et nullatenus perpetrandum, consequenter prohibitum a voluntate superiore.

R. *D. M.* Requiritur actualis vel virtualis, eaque expressa et sub conceptu primario aut formali ad Deum advertentia *N.* actualis vel virtualis, sed confusa duntaxat, implicita ac sub conceptu convertibili *C. M.* sed *N. min.* Postremam enim notitiam a peccante abesse non posse, jam dictum est sæpius : eamdem vero sufficere, patet ex paritate Sacerdotis peccantis contra castitatem, cujus peccatum est sacrilegium ; quia confuse saltem et exercite cognoscit, se esse voto obstrictum. *Nec dicas,* id quidem tenere in eo, qui Deum Deique legem antea cognoverat : non autem, ubi quis horum ignorans fuerit. Nam paritas allata fundatur in implicita et exercita advertentia, quam peccanti adesse, in assertione theseos probatum fuit.

Ad Conf. N. A. Ut quis moraliter bene agat, non sufficit quæcumque cognitio et libertas, sed requiritur advertentia ad regulam morum. Hæc vero est lex æterna Dei ; ergo ut cognoscatur aliquid æquum esse, ad prædicatum cum Deo convertibile pertingi debet.

Inst. 3. Ut rex dicatur *formaliter* offendi a subdito, requiritur illum cognosci ut regem, alioqui non diceretur offensa regia ; ergo et ut Deus dicatur offendi formaliter, debet cognosci ut Deus ; quod non fit ab advertente tantum, se agere contra rectam rationem.

R. *D. A.* Ut rex directe, personaliter et in individuo dicatur formaliter offendi, requiritur etc. *C.* ut rex simpliciter dicatur offendi formaliter *subd.* requiritur, illum directe, immediate et in se cognosci ut regem, seu quod hic numero homo sit rex *N.* saltem mediate, indirecte et in dignitate convertibili cum rege *C.* Esto, quod non omne peccatum dicat formalem offensam Dei directam, seu contra Deum *directe,* personaliter et in se cognitum commissam ; semper tamen est saltem *indirecta,* et cognoscitur contra supremum caput et legislatorem totius reipublicæ rationalis committi, quo nomine et Deus et Dei offensa satis intelligitur.

Inst. 4. Qui occidit hominem, quem putabat esse feram, non committit homicidium formale : *Item* non perpetrat sacrilegium formale, qui furatur rem, quam nescivit esse sacram ; ergo a pari. *Conf.* Qui exercet actionem malam, nesciens illi connexam censuram, hanc nec incurrit, nec formaliter violat legem ecclesiasticam ; ergo similiter.

R. Si, quod fieri omnino potest, in utroque casu *antecedentis* supponatur hominem aut rem sacram nullo prorsus modo cognosci, verum quidem est *antecedens,* sed nulla *paritas ;* suppositum enim consequentis falsum est, nempe quod ne implicite quidem cognoscatur Deus.

Ad Conf. R. 1°. Probas nimium. Sequeretur enim, quod nesciens actioni a lege divina prohibitæ annexum esse reatum culpæ et pœnæ, hunc non incurreret ; cum tamen uterque per se sequatur peccatum, et velit etiam effectum is, qui causam per se sciens prudensque ponit.

R. 2°. *N. Conf.* Peccatum ex se et natura sua non connectitur cum censura, quæ est pœna extraordinaria, sed ex libera duntaxat voluntate superioris Ecclesiastici, qui præterea solum contumacem, et sic directe scientem ac advertentem, ligare intendit. *Dispar ratio* est in nostro casu, ubi rationis dictamen arctissime nectitur cum lege divina, adeoque actio rectæ rationi contraria a violatione hujus legis et legislatoris offensa separari nequit.

Quæres I. *Quidnam circa peccatum pure philosophicum sit constitutum?*

11. *Nota.* Alexander VIII. S. P. An. 1690, 24. Augusti, damnavit hanc inter binas propositiones secundam : *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Occasionem huic damnationi dederunt, ut refert Dominic. Viva in Trutina Theologica, quædam theses publice propositæ An. 1686. a quodam Professore Societatis Divione in Gallia ; in quibus licet hæc thesis, prout jacet, non reperiatur, nihilominus paucis per invidiam mutatis in hanc propositionem una ex eis concinnata fuit ; cum reipsa mens Professoris in *manuscriptis* expressa et verba theseos propositæ sensum longe alium haberent, quam quem proscriptæ propositionis verba faciunt. Censura autem relatæ propositionis fuit, quod sit *scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea.* Quia tamen tres partes, una scilicet de peccato theologico et mortali, duæ de peccato philosophico in exposita propositione continentur, exponendum restat, quamnam censura recitata afficiat. Itaque

12. R. I. Pars una de peccato theologico et morali, quod nempe hoc sit *libera divinæ legis transgressio,* non subjacet censuræ, nec digna est censura nisi forte philosophica diminutionis et insufficientiæ. *Ratio primi ;* quia hæc notio revera convenit peccato theologico et mortali, ut ex huc usque dictis constat, et ex ipsa propositionis damnatione manifestum est. *Ratio secundi ;* quia juxta communiorem, ex eo quod peccatum sit libera legis divinæ transgressio, non habet præcise, quod mortale, sed quod theologicum sit, etiam præscindendo a mortali et veniali.

R. II. Pars 1ª. de peccato philosophico, quod nempe hoc sit *actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi,* scilicet *soli,* etiam non subjacet censuræ, quatenus nomenclaturam illius peccati explicat. *Ratio* est ; quia acceptionem vocis et considerationem recte exponit, et indicatur a D. Thoma, num. 3. relato.

R. III. Pars 2ª. de peccato philosophico, quæ in postremo commate habetur, ut jacet, censuram sustinet et meretur. *Ratio* est ; quia, ut ait La Croix L. 5. num. 58. sic non facit distinctionem inter ignorantiam et inadvertentiam ad Deum vincibilem et invincibilem, et de utraque æqualiter intelligi potest : multo minus indicat aut supponit impossibilem esse ignorantiam Dei invincibilem ; sed potius videtur ansam dare judicandi, eam esse vincibilem, qua posita non est excusatio ab offensa Dei et reatu pœnæ æternæ.

Præterea, ut addit Mayr hic num. 21. abstrahit a sensu conditionato et absoluto, a possibilitate et existentia peccati philosophici, adeoque legenti ingerere potest opinionem, talia peccata frequenter dari posse. Hinc vero recte deducit Viva justitiam condemnationis quoad censuras singulas, et thesis nostra prioris articuli validissime roboratur.

R. IV. Si pars postrema sic limitetur ad sensum mere conditionatum: peccatum philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat *invincibiliter*, vel de eo *nullo modo, nec quidem implicite, inculpabiliter* cogitat, non est *formalis* offensa Dei, etc.; propositio sic limitata illa damnatione non comprehenditur.

Ratio est; tum quia certum est ex propositione inter 31. ab Alex. VIII. damnatas 2ª., invincibilem juris naturæ, adeoque et Dei ignorantiam a peccato formali excusare: tum quia idem Pontifex propositionem de peccato philosophico damnat tanquam *de novo et ex Orco emersam;* propositio autem his limitibus circumscripta pridem ante a multis viris gravissimis fuit tradita, et ipse S. Thomas eam docuisse videtur 2. 2. q. 20. a. 3. in θ. ubi ait: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale*: tum quia ex hypothesi hac mere speculativa, quæ revera non tantum moraliter sed et metaphysice impossibilis a communiori asseritur, nihil eorum sequitur, propter quæ damnatio inflicta fuit. Atque in hoc sensu cum aliis etiam e Societate nostra locutus est ille Professor, ut Viva l. c. ostendit.

Quæres II. *In quo sit formalis malitia peccati.*

13. R. I. Formalis malitia peccati *commissionis* adæquate consistit in positivo, scilicet in libera tendentia actus in objectum prohibitum.

Prob. Talis tendentia positiva formaliter constituit actum in genere moris, non vero in genere boni, ergo *mali*. Videlicet sicut actus fit moraliter *bonus* per hoc, quod fiat scienter et libere a voluntate secundum legem operante; ita fit moraliter *malus* hoc ipso, quod fiat a voluntate libere et scienter operante contra legem.

Si ais: Sancti Patres, cum de peccato loquuntur, aiunt, illud esse *nihil, non ens;* ergo statuunt formale peccati in privativo.

R. 1°. *D. A.* Aiunt esse *nihil* et *non ens,* h. e. negant esse substantiam in sensu Manichæorum *C.* negant esse actum oppositum nihilo *N.* Manichæis quædam substantiæ ex natura sua malæ dicebantur productæ a principio malorum, quod negabant Patres, et hinc etiam negabant, peccata esse substantias.

R. 2°. *D. C.* Ergo statuunt seu explicant peccatum formaliter ac in se ipso per privativum *N.* consecutive et in effectu, scilicet per consequentem peccatum privationem *C.* patet ex eo, quod sancti Patres hic sæpius intelligant privationem gratiæ, ac defectionem a Deo. Sane Patres nunquam attigissent hanc subtilitatem scholasticam, nisi eorum scopus adversus Manichæos juxta datam hactenus explicationem id postulasset.

14. R. II. *Omissio* etiam sola actionis præceptæ est peccatum, et formaliter stat in quasi positivo.

Prob. 1ª. *p.* Omissio etiam sola est legis transgressio: si enim non sit, fieri poterit, ut actio præcepta, urgente præcepto, omittatur sine peccato, id quod latam aperiret portam ad quasvis leges præcipientes negligendas.

Prob. 2ª. *p.* Sola omissio actus, quin et ipsa negatio tendentiæ in objectum imperatum, est tantum materiale seu subjectum peccati, quod ad rationem

peccati formaliter talis determinatur per hoc, quod illa omissio sit, dum voluntas actum posset ponere, et advertit ac scit obligationem hanc ex lege ad ponendum actum; hic autem modus *moraliter, interpretative* et *æquivalenter* positivus est.

ARTICULUS III.

AN OMNIA PECCATA SINT ÆQUALIA.

15. *Nota.* Stoicorum paradoxum, qui teste Tullio in Or. pro Muræn. et Parad. 3. inæqualitatem peccatorum sustulerant, adoptavit præsertim Jovinianus, contra quem L. 2. n. 21. S. Hieron. agens inquit : *De eo autem quod niteris approbare, convitium et homicidium, raca et adulterium, et otiosum sermonem, et impietatem uno supplicio repensari, jam et supra tibi responsum est.* Quamvis vero, sicut hæreticus ille beatitudinis æqualitatem affirmabat, ita etiam hic de asserta duntaxat supplicii æqualitate intelligendus, atque hinc ad quæstionem de peccato mortali infra instituendam rejiciendus videatur; præmittendum tamen hic examen de ipsorum peccatorum nativa inæqualitate judicamus, cum S. Aug. L. de Hæres. c. 82. de Joviniano dicat: *Hic omnia peccata, sicut Stoici Philosophi, paria esse dicebat.*

16. *Dico.* Non omnia peccata sunt æqualia. Est de fide.

Prob. Joan. 19. fit mentio majorum minorumque peccatorum. v. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et Jerem. 7. v. 26. dicitur : *Pejus operati sunt, quam patres eorum.* 1. Joan. 5. fit mentio peccati, quod est et non est ad mortem. v. 16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem : non pro illo dico, ut roget quis.* Fit mentio peccati, quod meretur majorem vel minorem pœnam, quod remittitur, vel non, hoc est, difficillime remittitur, Matth. 5. v. 22. *Qui irascitur fratri suo, reus est judicio : qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio : qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et ib. c. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.*

Conf. Tum quia ex peccatis alia mortalia sunt, alia venialia ; tum quia lumini rationis contradicit, ejusdem esse criminis, nec plus mereri pœnæ homicidium, quam colaphum aut convitium; tum quia quædam multiplici honestati, ut adulterium, aut nobiliori honestati ac virtuti, ut odium Dei, opponuntur.

17. *Obj. Fundamentum Stoicorum* est, quod recta ratio sit instar lineæ, quam æque transiliunt, quicumque peccando illam transiliunt. *Conf.* Peccatum est privatio: sed privatio una non est major altera, v. g. mors morte; ergo.

Fundamentum Joviniani est, quod in Scriptura tantum duo ordines hominum constituantur, bonorum scilicet et malorum, Matth. 25. v. 33. *Statuet oves a dextris suis, hædos autem a sinistris. Conf.* S. Basil. in reg. brev. resp. ad interr. 293. dicit, differentiam majorum et minorum peccatorum nusquam in novo Testamento inveniri.

R. *Ad Fund. Stoïc. D.* Τῷ *æque* appellante peccantes *C.* appellante modum *N.* omnes quidem et singuli, qui transgrediuntur, lineam hanc transeunt, sed non omnes et singuli æqualiter, aliis longius, aliis propius abeuntibus; in quo sicut a centro magis aberrari, sic in moralibus a ratione discedi et peccari potest.

Ad Conf. Omissa M. de qua supr. dictum, cum S. Th. hic q. 73. a. 2. in 0. *D. min.* Privatio simplex et pura non est major vel minor *C.* privatio non simplex nec pura *N.* Per *primam* privationem intelligit S. Doctor illam, cujus oppositum est indivisibile, aut certe per privationem ita tollitur, ut nihil ejus remaneat; talis est mors respectu vitæ vel animæ : per *secundam* intelligit, cujus oppositum est divisibile, aut saltem non totaliter tollitur; qualis est ægritudo respectu sanitatis. Ejusmodi etiam est peccatum, quia forma, qua privat, nempe honestas, non stat in indivisibili, sed est multiplex tum in qualitate tum in quantitate; potestque jam unius jam plurium circumstantiarum defectu peccari.

R. *Ad Fund. Jov.* Hoc nihil impedire, quominus sub utroque illo ordine reperiantur variæ differentiæ. A Christo etiam statuuntur duo ordines servorum, bonorum scilicet et nequam, et tamen Luc. 12. v. 47. ait : *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis : qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.*

Ad Conf. Expl. Dicit hoc monendo, ut homines etiam abstineant a peccatis minoribus, contra ac sentiebant, qui cavebant a peccatis quidem majoribus, minora vero, quasi peccata non forent, amplectebantur *C.* alio sensu, et asserendo peccatorum æqualitatem *N.* Sane alias ad silentium novi Test. provocare non potuisset.

18. *Observa.* S. Thomas plura capita assignat, unde inæqualitas peccatorum repetatur. 1°. Est *objectum,* quod, quo nobilius est, si oppugnatur aut læditur, eo gravius etiam est peccatum. Huc reducitur *nocumentum* ex peccato sequens saltem confuse prævisum : *circumstantiæ morales* : ac etiam *oppositio virtutum,* de quibus S. Doctor in diversis articulis agit. 2°. *Conditio actus,* qui, quo liberior, majore cum advertentia, intensior aut diuturnior est, eo magis Deo displicet. 3°. *Conditio personæ,* tum *quæ* peccat, tum *in quam* peccatur. In priori autem attenditur facilitas resistendi, ingratitudo, specialis repugnantia status cum peccato, scandalum. In posteriori distinguitur Deus, aut persona Deo propinquior : peccans ipse, aut conjunctus cum peccante, persona publica etc. de quibus in Th. Mor. Eadem suppeditabit scitu necessaria de distinctione tum specifica, tum numerica peccatorum.

Quæres : *Sitne peccatum in aliqua ratione infinitum?*

19. R. Peccatum nec quoad malitiam, seu intuitu legis, nec quoad offensam, seu intuitu personæ offensæ, est simpliciter infinitum.

Prob. Forma constituens peccatum in ratione malitiæ vel offensæ est finita, utpote modus, quo actus scienter et libere fit contra legem Dei; ergo ipsa etiam malitia et offensa. *Objectum* quidem infinitum est; at non men-

surat actum, nisi secundum modum *cognitionis,* quæ si nulla est, nullum quoque peccatum est : si minor vel major, minus vel majus peccatum est : ergo si finita est cognitio, etiam finitæ tantum malitiæ peccatum est; alioquin virtutes theologicæ, visio beatifica, et peccata venialia *simpliciter* infinita forent. Adde, hoc ipso quod malitia et offensa possit *augeri*, cum nulla sit determinata peccati malitia omnem intra genus suum possibilem malitiam formaliter vel eminenter continens; nullum peccatum dici posse simpliciter infinitum.

Si ais 1°. Quantitas offensæ desumitur a dignitate offensi. Offensa est vere divina; ergo et infinita. Satisfactio personæ infinitæ est infinita; ergo et offensa personæ infinitæ.

R. Dignitas offensi mensurat offensam secundum modum cognitionis; hæc cum in offensis creaturarum sit duntaxat finita, æquare dignitatem non potest. Ut offensa sit *divina,* sufficit cognosci personam offensam esse divinam; sicut, ut offensa sit regia, satis est cognosci personam offensam esse regem : ut sit *infinita*, debet cognosci dignitas Dei offensi quantum cognoscibilis est. Persona infinita in *satisfactione* influit per se, immediate, et ut principium quod intrinsecum, cum actiones sint suppositorum : persona autem infinita offensa in offensam influit tantum ut objectum extrinsecum, et mediante cognitione, eaque finita. Proin actiones Christi, quamvis in entitate sua finitæ, infiniti tamen valoris sunt, quia Verbum non dignificat merita *ut cognitum.*

Si ais 2°. Sanctitas personæ est forma intrinsece dignificans actus meritorios; ergo et vilitas personæ offendentis intrinsece indignam reddit offensam. Satisfactio condigna pro peccato dari non poterat, nisi a persona infinite digna; ergo peccatum supponitur esse infinitum.

R. *Meritum* tanquam obsequium supernaturale non provenit nisi a principio supernaturali intrinseco; *demeritum* autem, ceu opus naturale morale, præcise provenit a principiis effectivis et directivis moralitatis, inter quæ vilitas personæ non recensetur. *Satisfactio* pro peccato requirebat personam divinam, non propter malitiam peccati infinitam, sed propter æqualitatem personarum, offensæ et satisfacientis, in qua fundatur satisfactio proprie talis.

Si ais 3°. Peccatum excedit omne malum finitum : præponderat omnibus bonis operibus in infinitum multiplicatis : non est prudenter eligibile præ aliis etiam infinitis malis; ergo infinitæ malitiæ est.

R. Peccatum excedit omne malum, quod est extra suum ordinem; et sic infinitum est *secundum quid* et ratione ordinis, quia major offensa non datur, quam divina : non autem excedit omne malum etiam intra suum ordinem, quia semper possibilis est major gradus et intensio malitiæ; et sic nullum est in se ac simpliciter infinitum. Quod præponderet infinitis operibus bonis, inde tantum sequitur, peccatum esse superioris et perfecte *infiniti ordinis,* ad quem non pertingunt ulla creaturæ obsequia, utpote finita. Instantia est in peccato veniali. Non est eligibile præ aliis infinitis malis, ob sui cum divina voluntate, quæ est regula omnis electionis, oppositione; non ob malitiæ infinitudinem.

Si ais 4°. Peccatum aufert a Deo bonum infinitum, scilicet rationem finis

ultimi : privat hominem Deo, bono infinito : meretur pœnam æternam, adeoque infinitam; ergo et ipsum in se infinitum est.

R. Peccatum aufert a Deo rationem finis ultimi *extrinsecam*, qua Deus actu præfertur aliis omnibus : non vero *intrinsecam*, quæ de se est digna, ut omnibus creatis anteponatur; scilicet infinitam Dei excellentiam et bonitatem. Privat hominem Deo, infinito quidem bono, at finite tantum nobis communicabili. Meretur pœnam tantum *extensive* infinitam, cum intensive infinita possibilis non sit; et sic Deus punit quidem infra condignum quoad intensionem, non autem quoad durationem.

CAPUT II.

DE CAUSIS ET EFFECTIBUS PECCATI.

ARTICULUS I.

AN DEUS SIT CAUSA ET AUCTOR PECCATI?

20. *Nota.* Deum peccati causam statuerunt *Simon Magus*, *Cerdon*, *Marcion*, *Manes*, aliique post illum, qui bina omnium principia, aliud bonum, aliud malum, posuere. *Florinus* quidam Seculo II. Deum peccati auctorem aperte blasphemavit, plusquam hæreticus inde a S. Irenæo dictus (in fragm. epist. ad eumd. opp. p. 339). Eum Sec. XVI. secuti sunt *Libertini*; quorum duces præcipui *Coppinus* et *Quintinus*, Sutores Flandri. Negabant hi quidem, peccata quidpiam præter inanem ac falsam opinionem esse; affirmabant tamen, quæ ab hominibus peccata dicuntur, a Deo, solo omnia in omnibus operante, fieri.

Hos duobus libris oppugnavit *Calvinus*, ipse tamen æqualis blasphemiæ reus; peccata enim hominum Deo *volente, definiente, imperante* et *impellente* fieri plurimis in locis suarum Institutionum, Libri de æterna prædestinatione, aliorumque operum scripsit. Unde Bellarm. L. 2. de amiss. Grat. cap. 4. et seqq. demonstrat, a *Calvino* etiam fatendum, vel quod Deus vere peccet, peccatique auctor sit, vel quod peccatum præter inanem falsamque opinionem habeat nihil. Idem docuit olim *Lutherus*, ut patet ex assert. art. 36. et *Melanchton* in Comment. ad cap. 8. epist. ad Rom.

21. *Dico.* Deus non est causa vel auctor ullius peccati. Est de fide.

Prob. Ex Scriptura, quæ disertis verbis negat Deum *facere, velle, imperare peccata,* aut ad ea *incitare*. I. Sap. 11. v. 25. de Deo dicitur : *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Sap. 14. v. 9. autem : *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus*. Ergo Deus non facit impium et impietatem. II. Psal. 5. v. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Ps. 44. v. 8. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem*. III. Eccli. 15. v. 21. *Nemini mandavit impie agere.*

Jerem. 19. v. 5. *Ædificaverunt excelsa Baalim,... quæ non præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* IV. Eccli. 15. v. 11. *Non dixeris, per Deum abest : quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, ille me implanavit : non enim necessarii sunt ei homines impii.* Jac. 1. v. 13. *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat.*

Conf. Scriptura docet, peccatum soli creaturæ proprium esse; Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium.* Joan. 8. v. 44. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Quia mendax est, et pater ejus.* Ergo nullo modo in Deum referri potest.

Prob. Ex Traditione. I. Conciliorum. Arausic. II. (Labb. t. 4. p. 1670.) Can. 23. hæc habet : *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet.* Et Can. 25. *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, illis cum omni detestatione anathema dicimus.* Trident. Sess. 6. Can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeoque ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

II. Patrum testimonia obvia sunt, et in decursu quædam afferentur. Inter eos S. Irenæus integrum opus contra hæresin hanc, teste Eusebio. L. 5. Hist. c. 20. edidit : S. Basilius homiliam, quam inscripsit : *Deus non est Auctor malorum :* S. Aug. Libros *de libero arbitrio* ex eadem potissimum causa etiam scripsit.

Prob. Ex Ratione. Deus causa et auctor peccati dicitur, vel quia ad id hominem moraliter movet : vel quia physice necessitat : vel quia concurrit, cum posset non concurrere : vel quia illud permittit, cum possit impedire.

Sed *primum* est falsum, cum Deus peccatum prohibeat, ab eoque pœnis propositis deterreat; aut si verum foret, nec sanctus esset, nec justus scelerum ultor. Falsum etiam est *secundum*, cum homo libere peccet; sin minus, homo non peccaret. *Tertium* non facit Deum peccati auctorem; tum quia ejus concursus creaturis est debitus : tum quia ex se est indifferens : tum quia ab actione creata logice determinatur, et contra intentionem datur. Neque *quartum* id evincit; quia Deus peccatum impedire non tenetur, et jure non impedit; tum ut debitum causæ universalis impleat : tum ut, quod Aug. Enchir. c. 2. et 11. ait, *etiam de malo benefaciat.*

22. *Obj. I.* Sacra Scriptura pluribus modis Deum declarat auctorem peccati. 1°. Tribuit Deo universim omnia mala. Sic Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Isa. 45. 7. *Ego Dominus... faciens pacem et creans malum.*

R. *D.* Tribuit Deo omnia mala pœnæ *C.* mala culpæ *N.* De *primo* textu autem S. Aug. cont. Adimant. c. 26. ait : *Malum hoc loco, non peccatum, sed pœna intelligenda est.* Idem sensus est textus *secundi,* ut S. Hier. in hunc locum aperte dicit.

2°. Significat Deum velle et decrevisse, ut mala fiant. Sic Genes. 45. *Non vestro consilio,* ait Joseph, *sed Dei voluntate huc missus sum.* Actor 2. *Hunc,*

Christum, *definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis.*

R. *N.* In his et similibus duo spectanda sunt : 1um. voluntas et actio mala fratrum et Judæorum ; hanc Deus præscivit, non tamen voluit aut decrevit : 2um. perpessio hujus mali bona, et secutura inde exaltatio Josephi ac redemptio nostra ; hæc ex præviso malo bona voluit et decrevit Deus elicere. Hinc Gen. 50. v. 20. Joseph ad fratres : *Vos cogitatis,* ait, *de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me,... et salvos faceret multos populos.* Et S. Leo serm. 67. (al. 65.) de pass. Dom. 16. c. 2. *Diversum multumque contrarium est id quod in malignitate Judæorum est præcognitum, et quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi ; nec de uno extitit spiritu atrocitas sceleris et tolerantia Redemptoris.*

3°. Docet Deum creare impios, ut postea in eorum pœnis manifestet suam justitiam. Sic Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Exod. 9. *Idcirco autem posui te,* Pharaonem, *ut ostendam in te fortitudinem meam.* Ubi ad Rom. 9. dicitur : *Excitavi te.* Et ibid. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem missa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam ?*

R. *D.* Docet Deum creare impios formaliter tales, hoc est, quos ipse impios faciat *N.* materialiter tales, hoc est, quos videt ex propria electione impios futuros, *subd.* ita ut decretum, ad justitiam in impiorum suppliciis demonstrandam, præcesserit culpæ prævisionem *N.* ita ut prævisio culpæ antecesserit decretum *C.* Itaque Deus etiam impium, qui sua sponte ad diem malum iturus erat, creavit ad gloriam suam. Sic enim Aug. epist. 106. (al. 186. n. 23.) ad Paulin. : *Quamvis peccata non fecerit, naturas tamen ipsas, quæ per se ipsas sine dubio bonæ sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, et in multis talia quibus esset æterna pœna reddenda, quis nisi Deus creavit ?*

Pharaonem, cujus liberam pervicaciam præviderat, posuit ac conservavit *in regno,* ut interpretatur Rupertus Tuitiens. in hunc locum, ad exercitium patientiæ Israelitarum, et potentiæ suæ manifestationem. *Novit ergo Deus,* inquit Aug. q. 32. in Exod. 1., *bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perfert eos patienter quousque scit oportere ; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum.* Denique sensus allegoriæ de vasis figuli est, homines, qui peccato originali vel etiam actuali damnationem meruerant, alios per misericordiam Dei salvari, alios pro meritis suis per suam justitiam pœna affici.

Ita explicat S. Aug. ep. 105. (al. 194. n. 30.) ad Sixt. *Quamvis Deus faciat vasa iræ in perditionem, ut ostendat iram et demonstret potentiam suam, qua bene etiam utitur malis, et ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ fecit in honorem, non damnabili massæ debitum, sed suæ gratiæ largitate donatum ; tamen in eisdem iræ vasis, propter meritum massæ in contumeliam debitam factis, id est in hominibus propter naturæ quidem bona creatis, sed propter vitia supplicio destinatis, iniquitatem, quam rectissima veritas improbat, damnare novit ipse, non facere.*

4°. Dicit Deum homines ad peccandum incitare et impellere, jam per se, jam per angelos malos. Sic L. 2. Reg. c. 16. *Dominus præcepit ei* (Semei), *ut*

maledicerct David. Ibid. c. 24. *Commovit* (Domini furor) *David... dicentem: vade, numera Israel et Judam.* Et L. 3. c. 22. Deus spiritui malo, qui promiserat se decepturum Achab, ait: *Decipies, et prævalebis. Vade, et fac ita.*

R. *D.* Dicit Deum incitare et impellere proprie, hoc est, physice movendo voluntatem, vel moraliter per verum et proprium mandatum, suasionem aut alium modum impellendo *N.* improprie tantum et tropice *C.* Dicitur autem per tropum tripliciter Deus imperare malum, vel ad illud incitare. *Primo* quatenus permittit diabolum vel hominem male agere, sicut qui fræna equo generoso laxat, aut cani venatico funem solvit, incitare ad cursum aut ad prædam immittere dicitur. Hunc modum tum alibi, tum L. de grat. et lib. arb. c. 23. S. Aug. usurpat: *Quando auditis,* inquit, *dicentem Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam illum, etc... Quem vult, obdurat: in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala ejus merita credite. Secundo,* quatenus non tantum permittit malos male agere, sed deserit etiam eos, contra quos mali agunt. Hujusmodi indicium præbet Aug. epist. 89. (al. 157. n. 5.) dum exponens illud: *Et ne nos inferas in tentationem,* ait: *Intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. Tertio,* quatenus voluntates jam ex se malas ordinat ad unum potius malum, quam aliud; vel *permissive,* impediendo scilicet, ne hoc faciant malum, sinendo autem, ut faciant illud: vel *positive tantum occasionaliter,* immittendo scilicet affectum vel cognitionem bonam, unde malus sumat occasionem judicandi melius esse facere hoc, quam illud malum.

Hunc modum adhibuit Hugo a S. Victore L. 1. de Sacram. Parte 5. c. 29. (opp. t. 3.) *De illo autem modo divinæ moderationis, quo malas etiam voluntates... ad suum arbitrium temperat et inclinat, hoc sentiendum est: ut credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, sed ordinem.* Et infra: *Voluntati malæ vitium est ex ipsa, quo mala est: ordo autem ex Deo est, quo per velle sive ad hoc sive ad illud est... Potest ergo voluntas mala in se corrumpi et resolvi per proprium vitium quod ei aliunde non datur: sed non potest per velle extra se præcipitari, nisi qua ei via aperitur.*

S. Augustinus vero et Theodoretus in illud Psal. 104. v. 25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus;* dicunt Deum id fecisse non pervertendo *Ægyptios,* sed benefaciendo Israelitis, unde illi majoris odii occasionem acceperunt. Atque ex horum uno vel pluribus explicari possunt omnia objecta; de quibus præterea adverte: in *secundo* textu, Deo permittenti adscribi, quod Satan fecisse L. 1. Paralip. c. 21. legitur: in *tertio* autem imperativum modum adhiberi pro significando futuro, secundum usurpatam alibi etiam in Scriptura phrasin. Simili ratione respondetur ad ea, quæ ex L. 2. Reg. cap. 12. de *Absalonis incestu* et aliunde de aliis objiciuntur.

5°. Asserit Deum excæcare et obdurare homines malos; cæcitas autem et duritiès, juxta S. Aug. L. 5. contra Julian. c. 3. n. 8., peccatum, causa et pœna peccati est. Sic Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum.* Et ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.*

R. *D.* Asserit Deum excæcare et obdurare homines positive, hoc est, falsa præjudicia et erroneam conscientiam illis immittendo, quæ est cæcitas mentis, et affectum pravum ac admonitionum divinarum contemptorem voluntati tribuendo, quæ est duritia cordis *N.* negative duntaxat vel per-

missive, scilicet cæcitatem et duritiem non impediendo, hominibus non miserendo, eos deserendo, et uberiora ac congrua auxilia, quæ dare non tenetur, subtrahendo *C.* Constans hæc est interpretatio S. AUGUSTINI. Sic enim ep. 105. (al. 194. n. 14.) ad Sixtum loquitur : *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 15. *Obduratio Dei est nolle misereri; ut non ab illo irrogetur aliquid quo sit homo deterior, sed tantum quo sit melior non irrogetur.* Et Tract. 53. in Joan. n. 6. *Sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando : quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.*

Positiva autem excæcatio et obduratio est ab ipso homine; quod DAVID significavit monendo, dum Ps. 94. v. 8. dixit : *Nolite obdurare corda vestra;* CHRISTUS autem reprehendendo, dum inquit Matth. 13. v. 15. *Incrassatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.*

23. *Obj. II.* S. AUGUSTINUS etiam peccata dicit fieri Deo volente, decernente, faciente et incitante.

R. Etsi hoc doceret, contra dogma fidei nihil probaret, sed deserendus foret. Damnata enim ab Alex. VIII. est hæc propositio 30. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute tenere potest, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.* Sed quam falso hoc a Calvino objiciatur, videamus.

1°. Deus juxta S. AUGUSTINUM vult peccatum; nam *primo,* peccata non fiunt præter Dei voluntatem, nec eo invito, aut otiose spectante, aut imprudente, ut constat ex Enchir. c. 100. *Non fit præter ejus* (Dei) *voluntatem, quod etiam contra ejus voluntatem fit; quia non fieret, si non sineret : nec utique nolens sinit, sed volens;* ergo a Deo volente fit peccatum. *Secundo,* velle permittere includit velle fieri : atqui Deus vult permittere peccatum, ut patet ex textu jam citato; ergo. *Tertio,* Deus vult bonum : sed peccata fieri est quid bonum, ut ait ibid. AUG. c. 96. *Quamvis quæ mala sunt in quantum mala sunt, non sint bona; tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Quarto,* etiam Deus vult peccatum ipsum, licet bona voluntate, nam ibid. c. 101. dicitur : *Aliquando bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult..... et rursus fieri potest ut hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona.*

R. *N. Ass. ad* 1um. *D. C.* Ergo Deo volente permittere, fit peccatum *C.* Deo volente fieri *N.* Deus erga peccata non habet positive velle, quia bonus et justus est : talis autem non esset, si peccata vellet. Nec etiam habet positive nolle, quia omnipotens est : talis autem non foret, si aliquid fieret ipso absolute nolente. Habet tamen negative nolle seu conditionate non velle, quatenus peccatum prohibendo vult aut non fieri peccatum, aut puniri eum, qui peccat. Ex hac itaque ratione, et quia Deus vult permittere ut fiant peccata, apparet, quod peccata non fiant Deo imprudente, aut simpliciter invito, aut præter ejus voluntatem.

Ad 2um. *N. vel D. M.* Velle permittere includit velle fieri, ex parte permittentis *N.* ex parte facientis *C.* Velle permittere mala est velle non impedire, ne fiant mala; quod potest esse bonæ voluntatis, præsertim in Deo, ad quem

spectat non impedire cursum rerum : velle fieri mala autem est malæ voluntatis, quæ vel malo delectatur, vel eo uti vult ad bonum, contra illam regulam : *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Ad 3um. *D. min.* Peccata fieri active est bonum *N.* fieri permissive *subd.* est bonum, quatenus præcise peccata sunt et fiunt *N.* quatenus a Deo ad finem bonum ordinantur, postquam permittente Deo existunt *C.*

Ad 4um. *D.* Vult ipsum peccatum, hoc est, ipsam malitiam actus vel objecti *N.* hoc est, objectum, quod volendo homo peccat *C.* Distinctio patet ex exemplo, quod ibidem subjungitur. Malus filius si vult mori patrem, hoc mala voluntate vult et peccat : si vero etiam Deus hoc velit, vult id bona voluntate, quia præter dominium in vitam habet finem semper bonum in decernenda hominum morte. Hinc autem constat non esse hic intelligendum objectum *intrinsece* malum.

2°. Deus juxta S. Aug. ordinat et decernit mala; sic enim S. Aug. L. de corrept. et grat. cap. 10. n. 27. Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, *Deum Dominumque rerum omnium qui... mala ex bonis exoritura esse præscivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ suæ beneficium, justitiæque judicium.* Et ib. c. 7. n. 14. *Cum audimus : Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ad obtinendum regnum suum, illum ad fundendum sanguinem suum.*

R. *N. Ass. Textus* 1us. plane non probat, cum non dicat Deum decrevisse ut mala ex bonis orirentur, aut ut angeli et homines prius necessario peccarent, et propter peccata punirentur, ut patet. Dum vero *Calvinus* et *Beza* addunt præscientiam a proposito Dei per S. Augustinum nunquam sejungi, falsum dicunt, cum L. de prædest. SS. c. 10. n. 19. scribat : *Prædestinatio sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus... præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.*

Ad text. 2um. *D.* Ita ut eligere ad effundendum sanguinem suum, idem sit ac decernere uti mala voluntate Judæ, quam se permittente futuram in eo prænoverat, ad redemptionem peragendam *C.* ita ut idem sit ac decernere ipsam malam voluntatem *N.* Huic expositioni locum faciunt verba immediate præcedentia : *Ab illo quippe electus est, qui novit bene uti etiam malis, ut et per ejus opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur.*

3°. Deus juxta S. Aug. hominem inclinat ad malum; sic enim L. de grat. et lib. arb. c. 21. *Manifestatur,* inquit, *operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas earum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum.*

R. *D.* Inclinat proprie *N.* improprie et tropice, uno scilicet ex illis num. præced. §. 4. expositis modo *C.* Sub hac autem inclinatione jam adesse in homine propriam malitiam, patet ex verbis eod. L. c. 20. præmissis:

Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum judicio suo justo et occulto inclinavit.

4°. S. Aug. verba Scripturæ explicans, quæ dicunt Deum homines tradere in reprobum sensum, negat id fieri deserendo et per patientiam seu permissionem. Sic enim L. 5. cont. Julian. c. 3. n. 10. scribit : *Sequitur : Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Audis, propter hoc ; et quæris inaniter, quomodo intelligendus sit tradere Deus, multum laborans, ut ostendas eum tradere deserendo.* Item ibid. n. 13. *Quid est autem quod dicis : Cum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi ? Quasi non simul posuit hæc duo idem Apostolus et patientiam et potentiam.*

R. *D.* Negat fieri in sensu *Juliani C.* in sensu suo et nostro *N.* Existimavit *Julianus* nec concupiscentiam nec ullum peccatum esse pœnam alterius peccati, et hinc dicebat Deum non tradere quemquam desideriis suis aut in reprobum sensum, quasi peccatum prius puniat ; sed quia permittit, ut quis in desideriis malis, quibus jam tenebatur, hæreat : unde Deus juxta *Julianum* mere negative se habebat.

S. Augustinus e contra non negavit simpliciter Deum tradere deserendo ; cum præter dicta n. præced. §. 5. hoc ipso in loco n. 12. dicat : *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus a Deo cedit eis atque consentit.* Negavit vero Deum id simpliciter permittere, cum permittat hoc Deus, ut puniat : negavit etiam Deum hic se mere permissive habere, cum Deus deserat subtrahendo suas gratias in pœnam prioris peccati, et sic non tantum permittat, ut quis in desideriis, in quibus jam est, hæreat, sed deserendo sinat, ut quis desideriis malis consentiat. Prius ostendit, dum primo textui subjungit : *Sed quomodolibet tradat ; propter hoc tradidit, propter hoc deseruit,* scilicet ut priora peccata puniat. Posterius, dum ibid. n. 11. addit : *Aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis ; utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit cum judicio divino traditur eis.*

Quod in *textu* 2°. dicitur : *in peccata compulsi ;* verba sunt *Juliani,* quæ dissimulavit Aug., tum quod nollet de traditionis modo hic disputare, sed uni quæstioni insistere, an peccatum sit pœna alterius peccati ? ut patet ex verbis mox relatis ; tum quod alibi satis clare contrarium doceret, nempe Tract. 53. in Joan. n. 4. *Fecerunt peccatum Judæi ; quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet.* Et L. 13. de Trin. c. 13. *Modus..... quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit, aut fieri jusserit ; sed quod tantum permiserit.*

24. *Obj. III.* Qui est causa causæ, est causa causati, ex posita causa secuti et in ea prævisi : atqui Deus est causa multiplicis causæ, ex qua posita sequitur peccatum, et in qua illud etiam ab eo prævidetur ; ergo est causa peccati. *Min. constat,* quia Deus est causa 1°. voluntatis humanæ proclivis ad peccatum : 2°. motuum concupiscentiæ : 3°. cognitionum allicientium ad peccatum.

R. *D. M.* Causa causæ est causa physica causati *C.* causa moralis et intentionalis *subd.* si causa immediata effectus, sit causa per se efficax, aut habeat unum tantum effectum, aut si quidem habeat plures effectus, causa tamen

causæ ex intentione vel complacentia feratur in hos plures effectus *C.* secus *N.* In omnibus autem assignatis aliquid ex his requisitis deficit.

1°. *Voluntas* enim humana *indifferens* est tam ad bonum quam ad malum, nec tam proclivis est ad malum, quam debilis ad bonum, quatenus a rebus inferioribus facile impellitur ad peccatum. *Miseria* autem hujus status provenit partim a privatione doni, quo allicientia ad peccatum impediuntur; in quo non est causa per se peccati : partim a causis extrinsecis vel intrinsecis, quæ tamen causæ efficaces peccati non sunt.

2°. *Concupiscentiæ* motus non sunt ex se mali, sed naturales et inclinantes ad proprium finem, qui de se est licitus, quamvis is in certis circumstantiis, et ejus abusus sit illicitus. Unde quantum ad conditionem hominis spectant, etiam non sunt causa efficax unius tantum effectus, nec per se et efficax causa peccati. Quod autem tales motus non possint ab homine ad libitum rationis frænari, oritur a peccato originali : interdum a vitio progenitorum, aut a culpa personali hominis, qui intemperantia sua eos promovit, aut consuetudinem induxit.

3°. *Cognitio,* cujus causa Deus dici potest, vel est indifferens et composita ex duabus, quarum una retrahit a malo, altera inclinat ad malum, vel tantum proponit objecti delectabilitatem, et præscindit, num sit contra legem : neutra autem est causa per se, multo minus efficax ; cum etiam postrema cognitio sit talis scientia, quam angelus et homo primus acceperunt a Deo, et per quam intellectus cognoscit bonitatem rei physicam. Quin, licet etiam Deus proponeret *cognitionem,* quæ bonitatem tantum apparentem objecti formaliter legi divinæ repugnantis repræsentaret, hæc non esset positio causæ *per se* efficacis peccati, quia propositio ejusmodi relinquit adhuc *indifferentem* voluntatem, et quantum movet ad peccatum, tantum ab eo retrahit ob cognitionem legis adjunctam. Cæterum in his omnibus peccatum, quod Deus dissuadet, prohibet et punit, ab eo non intendi certum est.

Inst. 1. Deus concurrit una actione indivisibili cum creatura ad peccatum ; ergo est causa. *Conf.* Creatura ex suo concursu dicitur causa peccati ; ergo et Deus.

R. *D. A.* Concurrit Deus concursu ex se indifferente, nec immediate libero, sed logice determinato a creatura *C.* concursu immediate libero, et elective ab ipso Deo determinato *N.* Concursus Dei ex se indifferens est ; quia omnipotentia Dei parata est concurrere cum homine tam ad bonum, quam ad malum : non est immediate liber ; quia Deus non ipse actionem eligit aut determinat, sed homini electionem et determinationem relinquit : logice determinatur ab homine ; Deus enim concurrit, quia creatura eligit et agit ; non vero creatura eligit et agit, quia Deus concurrit.

Ad Conf. Disparitas est. Creatura ex propria inclinatione, intentione, electione ac determinatione concurrit vel agit id quod omittere obligatur ; ergo ex omni capite est causa peccati. Concursus Dei est omnino diversus, ut modo dictum : ac præterea tanquam causa universalis Deus eum præbere debet ad potentiam agendi in creaturis complendam, et in liberis potestatem ad utrumque sartam tuendam.

Inst. 2. Licet Deus præbeat concursum indifferentem, tamen est auctor bonorum operum ; ergo a pari. *Conf.* Peccatum subsequens sæpe est pœna peccati prioris : sed Deus est causa hujus pœnæ ; ergo et peccati.

R. *Disparitas est.* Deus enim intendit bona opera et præcipit: ad ea nos hortatur propositis præmiis, et propter hæc consequenda libertate nos donavit: atque ad hæc præter concursum indifferentem gratias confert; ergo recte auctor boni dicitur. Nihil autem ejusmodi Deus facit in ordine ad opus malum, qui illud aversatur, prohibet, et supplicia minatur, si concursum ejus indifferentem ad illud determinaverimus.

Ad Conf. D. M. Peccatum subsequens ratione sui est pœna prioris *N.* ratione adjunctorum *C.* Ratione *sui* peccatum subsequens est actus voluntarius, ergo pœna esse nequit, quæ patienti debet esse involuntaria et a puniente vere infligi: ratione *adjunctorum* antecedenter dicit subtractionem gratiæ et permissionem Dei, consequenter terrores conscientiæ et supplicia, secundum quæ peccatum Deo convenire potest.

Inst. 3. Omnipotentia Dei æque est sancta, ac voluntas; ergo vel omnipotentia Dei non potest producere actum peccaminosum, sicut voluntas non potest velle, vel potest Deus velle, sicut producere peccatum. *Conf.* 1. Vel concurrere ad peccatum est bonum vel malum: si *primum*; ergo Deus potest id positive velle: si *secundum*; nullo modo concurrere potest. *Conf.* 2. Licet etiam Deus vellet peccatum, tamen vel non esset causa peccati; cum hæc sit tantum deficiens, quod prædicatum Deo convenire nequit: vel non peccaret; quia non ageret contra legem, utpote quæ respectu ejus non datur.

R. *N. Cons. Disparitas est.* Versari simpliciter circa peccatum non est malum; cum intellectus etiam divinus possit sine aliqua culpa versari cognitione circa illud: similiter etiam simpliciter physice producere peccatum, malum non est. Sed sicut versari circa peccatum cognoscendo cum aliqua complacentia est malum, sic etiam producere peccatum illud libere eligendo est malum; quod postremum longissime a Deo abest.

Ad Conf. 1am. *N.* 2am. *p.* Non enim omnis actus malus denominat causam omnem malam, sed eam tantum, quæ per se ac libere influit, qualis Deus non est.

Ad Conf. 2am. *N. utr. p.* Deus enim in hoc casu 1. deficeret a dictamine suæ sapientiæ, lege æterna et ultimo fine: 2. licet non ageret contra legem superiorem, ageret tamen contra legem quasi sibi necessariam, nihil indecens ac summæ sanctitati repugnans agendi. Denique, qui hæc objiciunt, nomen quidem peccati, non turpitudinem amoliuntur, faciuntque Deum contra suam voluntatem agere et non agere.

25. *Observa.* Etiam plures *Thomistæ,* apud Annatum negant, Deum ad materiale peccati *physice prædeterminare,* et quidem recte: quia Deus alias peccati auctor evaderet. Nam si homo est auctor malitiæ formalis ex eo, quod sit causa per se ac intentiva actionis physicæ, ex cujus positione novit orituram malitiam moralem, quatenus tendit in bonum vel objectum, quod novit esse prohibitum, licet ipsam malitiam directe non velit aut amet: Deus ad materiale peccati *physice prædeterminans* multo magis auctor malitiæ dicendus foret; cum Deus id faceret primo et plane libere, homo autem prædeterminatus nec primo nec libere.

Neque hic *dicere juvat,* Deum esse indefectibilem, habereque sibi finem optimum propositum: creaturam vero defectibilem, atque ex fine malo ac contra suam obligationem agere, unde malitiam non Deo, sed creaturæ

adscribendam sequatur. Quantumvis enim et hæc sibi certa ac explorata protestatur *Calvinus*, ab Ecclesia tamen, tanquam blasphemiæ in Deum reus, est condemnatus.

ARTICULUS II.

AN REATUS CULPÆ ET REATUS PŒNÆ DISTINGUANTUR?

26. *Nota.* Effectus peccati, prout in ordine ad Deum et peccatorem spectantur, duplicem classem conflant. *Primi* generis est jus duplex, quod ex peccato posito in Deo nascitur : alterum est jus ad inimicitiam et odium contra peccatorem æque ac peccatum, si sit mortale, aut saltem ad displicentiam, si sit veniale : alterum est jus ad infligendam peccatori pœnam, ac vindictam de eo sumendam.

Secundi generis varii assignantur, nempe *aversio et obliquitas* voluntatis remanens per modum habitus post actualem aversionem et deordinationem : *macula,* quæ communiter sumitur pro peccato habituali, a quibusdam autem per privationem nitoris, quo anima antea dicebatur immaculata, explicatur : *privatio gratiæ seu justitiæ infusæ,* si præcessit peccatum mortale ab homine in statu elevationis perpetratum : *dispositio* vel *habitus* a peccato commissionis relictus : *corruptio naturæ,* quæ ex peccato personali orta potissimum sita est in eo, quod per subtractionem auxilii et protectionis divinæ ac habitus vitiosos inclinatio ad bonum minuatur, ad malum augeatur. His vero omissis, de quibus plura dicendi alibi forsan locus erit, superest duplex obligatio sive debitum, juri illi duplici divino correspondens, ex peccato natum, nempe *reatus culpæ,* quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam inimicitiam ac odium vel displicentiam : et *reatus pœnæ,* quæ est condignitas ac meritum ad sustinendam pœnam seu vindictam et supplicium.

De utroque hoc reatu autem controversia est inter Theologos : nonnulli eum volunt tantum *formaliter* esse inter se distinctum et per comparationem ad diversos terminos, realiter vero identificatum, adeoque aboleri secundum ex integro, si primus penitus extinguatur : aut si reatus aliquis pœnæ adhuc remaneat, etiam superesse adhuc reatum aliquem culpæ. Contraria sententia est communior Theologorum, qui volunt reatum culpæ et reatum pœnæ distingui *realiter,* adeo ut separari a se invicem queant, pereunte uno, altero manente.

27. *Dico.* Reatus pœnæ et reatus culpæ inter se realiter distinguuntur.

Prob. Juxta Trid. Sess. 5. Can. 5. *per baptismum remittitur reatus peccati originalis, et tollitur totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.* Ergo tollitur totus reatus culpæ; cum includat etiam actum peccati moraliter perseverantis, utpote qui æque est objectum odii divini, ac ipse peccator. Atqui tamen per baptismum non remittitur *omnis reatus pœnæ*; quia mors corporis, rebellio concupiscentiæ etc., quibus homo etiam baptizatus subjacet, ex S. Scripturæ et Patrum doctrina sunt pœna peccati originalis; ergo.

Item ibid. Sess. 6. c. 14. et Can. 30. dicit, *per justificationis gratiam remitti culpam et reatum æternæ pœnæ, remanere tamen reatum pœnæ tem-*

poralis exsolvendæ in hoc seculo: ergo distinguit realiter inter reatum utrumque. *Denique* Sess. 14. c. 8. et Can. 12. *falsum omnino esse et a Verbo Dei alienum* declarat, *culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur* : et damnat eos, qui dixerint, *totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo*. Ergo reatus culpæ separari potest a reatu pœnæ.

Conf. Jus ad *odium* oritur ex jure personali offensi, et odium per se sumitur ex displicentia personæ : jus vero ad *pœnam* oritur ex potestate judiciali et vindicativa, et pœna sumitur ex amore justitiæ, cautelæ et exempli aliis dandi. *Item* unum jus potest tantum esse in uno subjecto sine altero, uti patet inter homines, ubi offensus sæpe non habet jus ad infligendam pœnam; et licet hanc petere a judice possit, Princeps tamen ex suprema potestate eam potest remittere. Ergo quamvis hæc jura ambo in Deo sint, sunt tamen *distincta*, et Deus æque ac homo utraque possidens, potest cedere unum, altero manente. Ergo etiam debita his juribus correspondentia, reatus scilicet culpæ et reatus pœnæ sunt realiter distincti et separabiles.

28. *Obj. I.* Conc. Tridentinum explicari potest, si dicatur non remitti ubique totam culpam, ubi aliqua adhuc pœna solvenda restat, licet ubi tota culpa remittitur, etiam extingui totum reatum pœnæ concedatur.

R. *N. Ass.* Cum *hac explicatione* conciliari non potest præcipue primus Trid. locus, potestas clavium in sacramento Pœnitentiæ, et communis persuasio fidelium : nec fundamentum grave habetur ejusmodi interpretationis.

Inst. 1. S. Th. p. 3. q. 86. a. 4. postquam in θ. dixisset peccatum continere in se duo, aversionem tanquam formale, cui respondet pœna æterna : conversionem tanquam materiale peccati, cui respondet pœna temporalis; in resp. ad primum subjungit : *Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu pœnæ æternæ. Remanet tamen illud, quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum : pro qua debetur reatus pœnæ temporalis.*

R. Tam hic, quam alio in loco cit. a S. Thom. distingui inter reatum culpæ ac pœnæ, adducto exemplo Davidis, cui post significatam remissionem peccati, denuntiatum est moriturum in pœnam peccati filium; et utrobique hinc concludi : *Punitur ergo aliquis a Deo, etiam postquam ei peccatum dimittitur : et sic reatus pœnæ remanet peccato remoto.* Vel : *Ergo remissa culpa remanet reatus alicujus pœnæ.* Hinc textum explicare licebit *distinguendo.* Remanet illa conversio formaliter in se aut in ratione culpæ *N.* effective seu quoad aliquem effectum, scilicet reatum pœnæ, quatenus restat adhuc quidpiam pro ea solvendum *C.*

Inst. 2. Si dicatur, remisso etiam reatu culpæ et pœnæ, imponi posse a Deo vel Confessario obligationem ad satisfactionem vel satispassionem, quia justitia Dei exigit, ut culpa reordinetur per pœnam, et peccator cum tali onere recipiatur ad gratiam, ut a relapsu absterreatur; hæc obligatio potest adhuc dici reatus pœnæ, quatenus remote oritur e culpa. *Conf.* S. Th. 1. 2. q. 87. a. 6. ad 1. dicit : *Cessante macula non remanet reatus secundum eamdem rationem.*

R. *N. Ass.* Tertius Trid. locus satis clare videtur dicere, totum præcedens debitum ad culpam non semper remitti, quod tamen hic volunt *Scotistæ.* Præterea vel peccatum meretur pœnam æternam et temporalem

simul, aut hanc saltem conditionate, si nempe pœna æterna remittatur : vel non. Si affirmas; quæcumque a Deo vel Confessario imponatur pœna, ea jam ante erat debita, atque hinc antiquum debitum ac reatus præcedens non remittitur totus. Si negas; nulla hujus vitæ afflictio pœna peccati originalis aut personalis dici amplius potest : pœnitentia quælibet erit spontanea duntaxat humiliatio erga offensum Numen : nec ad eam subeundam pœnitens forte tenebitur; de quibus sequelis consulendus Tract. de Pœnitentia.

Ad Conf. D. Cessante macula non remanet reatus secundum eamdem rationem, quatenus non jam est pœna simpliciter, sed satisfactoria *C.* quatenus nequidem satisfactoria pœna est *N.* Verba S. Thomæ ibid. ad 2. hæc sunt : *Dicendum, quod virtuoso non debetur pœna simpliciter : potest tamen deberi pœna ut satisfactoria.* Idem autem hic in 0. pœnam simpliciter vocat eam, quæ alteri tanquam inimico infligitur ex odio, vel acceptatur ab invito; quorum neutrum pœnæ satisfactoriæ congruit.

29. *Obj. II.* Odium idem est ac vindicta seu voluntas infligendi pœnam. Item homo eatenus a Deo habetur odio, quatenus illi ab isto infliguntur mala. Ergo debitum sustinendi odium et debitum luendi pœnam, id est, reatus culpæ et pœnæ, sunt etiam idem.

R. *N. utr. part.* Quamvis odium et ira frequenter usurpentur pro eodem, judice tamen D. Thoma 1. 2. q. 46. a. 6. reipsa inter se multum discrepant. 1°. Enim odium præcise aversionem aut displicentiam indigitat : ira aut vindicta affectum inferendi malum. 2°. Si etiam displicenti gaudeat vel velit inesse malum, abstrahit tamen, unde illud adveniat, et num juste inferatur : ira vult causare malum, et appetit pœnam, hoc est, malum jure debitum. Præterea constat, Deum suos etiam amicos ad probandam eorum fidelitatem malis affligere : unde consequitur, afflictionem omnem odii effectum male existimari.

Inst. S. Aug. alium in peccato non agnoscit, quam pœnæ reatum. Nam L. de Nupt. et Concup. c. 26. ait : *Manent ergo* peccata, *nisi remittantur : sed quomodo manent, si præterita sunt? nisi quia præterierunt actu, manent reatu.* Et L. 6. cont. Julian. c. 16. n. 49. de baptizato : *Omni peccato,* inquit, *caret, non omni malo; quod planius ita dicitur : Omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod aggravat animam?*

R. Equidem reatus antonomastice debitum pœnæ significat, et quatenus quid penitus distinctum a culpa sonat, illi uni convenit. Adeo tamen id S. Aug. hic non asseruit, ut potius contrarium insinuet : unde *N. Ass. et prob.* Hæc siquidem L. 1. de Nupt. c. eod. præmiserat : *Si quisquam, v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur.* Patet autem adulterii reatum esse reatum culpæ. Similiter loco cont. Julian. cit. dicit baptizatum carere *reatu omnium malorum,* negat carere *omnibus malis,* nempe ex culpa originaria debitis, et sic reatu pœnæ; ergo et hic pro more suo contra Pelagianos frequenter usurpato reatus nomine culpam, et nomine mali pœnam intelligit, et utrumque reatum realiter dividit.

30. *Observa.* Dicta maxime reatum pœnæ temporalis afficiunt. De reatu *pœnæ æternæ* inter Theologos convenit, eum in præsenti providentia remitti

semper, ubi a Deo culpæ reatus tollitur. Deus enim culpam non dimittit, nisi per justificantem gratiam constituat hominem sibi amicum, eique jus ad beatitudinem tribuat, cum quo repugnat culpæ æternæ reatus. Disputatur vero, num remissa homini a Deo culpa, pœna æterna infligi de absoluta, ut aiunt, potentia queat? a qua disputatione tamen hic abstinere juvat.

QUÆRES : *Quid et quotuplex sit pœna?*

31. R. I. Pœna est malum voluntati vel saltem naturæ contrarium, ad puniendam culpam illatum. Depromitur ex D. THOMÆ 1. 2. q. 46. a. 6. responsione ad 2. *Est autem de ratione pœnæ, quod sit contraria voluntati, et quod afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur.* Dicitur

1°. *Malum*, nempe respectu ejus qui patitur; cum respectu ejus qui punit, sit bonum, puniente actum justitiæ vindicativæ exercente. Mali autem nomine venit hic quodcumque incommodum, sive per inflictionem mali, ut cruciatus, ignominia etc., sive per ablationem boni alicujus statui convenienti accidat, ut spoliatio honoris, opum, etc.

2°. *Contrarium voluntati*, hoc est inclinationi voluntatis elicitæ, vel naturalis, unde additum est : *vel naturæ*. Hinc pœna etiam dicitur afflictio, quam quis ad satisfaciendum acceptat; quia inclinationi naturali repugnat : Item peccatum quantumvis homini voluntarium, quod Deus in vindictam præcedentis permittit; quia vitiat naturam : Denique amissio gratiæ, licet eam ex ignorantia vel malitia peccator non curet; quia peccatorem reddit infelicem.

3°. *Ad puniendam culpam illatum*; sicut enim culpa infert et meretur pœnam, sic pœna supponit culpam, et propter hanc seu in vindictam pro aliqua culpa infertur.

32. R. II. Pœna 1°. alia est simpliciter pœna, alia satisfactoria, alia medicinalis. *Pœna simpliciter* dicitur, quæ modo allatas conditiones omnes habet, et præterea est effectus culpæ in eo, qui hunc patitur, ac intelligitur inferri ab extrinseco per modum sententiæ vindicativæ. Hinc dolor animi de culpa commissa : merus cruciatus aut pœnalitas, qualis est sectio ægri facta a medico : tormenta a Christo pro nobis tolerata, pœna simpliciter non sunt : neque homo etiam hanc sibi infert, nisi quantum est spontaneus executor vindicis jubentis. *Satisfactoria*, quæ voluntarie suscipitur, et suscipi etiam potest ab eo, qui culpam, ob quam pœna debetur, non commisit. Exemplum extat in Christo, et etiam justis, qui pro aliis satisfacere possunt. *Medicinalis*, quæ non tantum ad vindicandam culpam, sed ad aliud etiam bonum patienti vel aliis procurandum ordinatur. Quin sine culpa etiam infligi eam posse probare videtur testimonium Christi de cæcitatis pœna Joan. 9.

2°. Alia est *vitæ præsentis*, cujus varietatem tristi experientia quotidie discimus : alia *futuræ vitæ*; quæ in purgatorio vel inferno luitur. Postrema subdividitur in pœnam damni ac sensus. *Pœna damni* est privatio visionis Dei beatificæ : *Pœna sensus* vocatur cruciatus ignis et tormentorum sive corpus sive animam affligentium, denominatione a potiori desumpta; quia, quæ hominem cruciant, potissimum sensibus percipiuntur.

DISPUTATIO II.

DE PECCATO PERSONALI.

CAPUT I.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

—

ARTICULUS I.

AN INTER MORTALE ET VENIALE PECCATUM SIT DISCRIMEN?

33. *Nota I.* Ex effectu traxit nomen utrumque peccatum. *Mortale* dicitur, quod mortem animæ, gratia eam seu vita supernaturali privando, affert, et peccantem justo Dei odio pœnaque æterna per se dignum facit. *Veniale,* quod facile veniam meretur ex eo, quod non afferat mortem animæ, nec pœna æterna sit dignum. Propriam hanc ac realem venialis usurpationem esse, Catholici jam universi sentiunt, vocantque hoc *veniale ex natura sua,* ad distinguendum a *veniali ab eventu,* quod dicitur illud, quod condonatur : et a *veniali ex causa,* seu illo, quod aliquo modo venia dignum est, quia ex ignorantia vel passione commissum; ut nonnunquam a sanctis Patribus, præsertim SS. Ambr. et Aug. usurpatum est, qui postremus etiam mortale nomine criminis, veniale nomine peccati in Enchir. c. 64. expressit.

34. *Nota II. Jovinianus* et *Pelagius* omne discrimen negabant; et ille quidem dicebat quæcumque peccata pœna æterna puniri; hic vero quolibet peccato justitiam amitti. Hinc cum negare non posset plures esse justos, homines sine omni prorsus peccato in hac vita vivere posse contendit, ut S. Hier. in Dial. cont. Pelag. et S. Aug. L. de hæres. c. 88. referunt. Similiter docebant quidem *Wicleffus, Lutherus* et *Calvinus,* peccata omnia ex natura rei esse mortalia et pœnam mereri æternam : de facto tamen et in actu secundo penes quosdam, ob conditionem extrinsecam peccantis aut Dei imputantis, esse venialia.

Et *Wicleffus* quidem, teste Waldensi Tom. II. de Sacram. c. 54., peccata reproborum omnia mortalia, electorum non nisi venialia dixit.

Lutherus voluit peccata infidelium esse mortalia, et imputari a Deo ad pœnam æternam, fidelium autem venialia et non imputari, sed condonari, præter incredulitatem seu peccatum infidelitatis; ut ex assertion. omnium Artic., et L. de Captiv. Babyl. ac alibi colligitur.

Calvinus partim convenit cum *Luthero,* dum L. 2. Inst. c. 8. §. 59. et L. 3. c. 4. §. 28. scribit peccata fidelium esse venialia ex Dei misericordia, et non imputari : partim cum *Wicleffo* et *Joviniano,* dum L. 3. Inst. c. 2. §. 11. cum postremo docet fidem esse donum electorum non amissibile, et inde cum priore deducit, peccata electorum esse venialia.

His prope accesserunt Catholici olim nonnulli, nempe *Gerson, Almain.* et *Joannes* Ep. Roffensis, qui affirmabant peccata omnia de se, si districte judicemus, esse mortalia et mereri pœnam æternam; ex benignitate tamen Dei factum, quod quædam peccata censeantur venialia, neque expellant gratiam aut pœna æterna puniantur. *Michaelis Baii,* peccatum veniale ex natura sua negantis, propositionem damnatam infra recitabimus. Ex triplicis hujus erroris refutatione verum et reale discrimen inter peccatum mortale et veniale elucescet.

35. *Dico I.* Dantur quædam peccata proprie venialia, nec omnia sunt mortalia. Est de fide.

Prob. Ex Scriptura. I. Quia dantur peccata, quæ justis ita inhærent, ut propterea non desinant esse justi. Talia sunt, de quibus sermo est Prov. 24. v. 16. *Septies cadet justus, et resurget.* Eccl. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* 1. Joan. 1. v. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Quæ certe de omnibus et de seipsis ab Apostolis dicta referri ad mortalia nequeunt.

II. Quia peccata quædam sunt, quæ non puniuntur æterna pœna. Ejusmodi sunt, propter quæ quis Matth. 5. v. 22. dicitur *reus judicio* aut *concilio,* cum alter dicatur *reus gehennæ.* Item quæ quis 1. ad Cor. 3. v. 12. *superædificat* tanquam *lignum, fœnum et stipulam,* et tamen dicitur *salvus* fore, sed *quasi per ignem.*

III. Quia peccata quædam comparantur rebus levissimis, *festucis* Luc. 6. v. 41. *culicibus* Matth. 23. v. 24. *stipulis et fœno* l. c. ad Cor., cum alia ibidem *trabibus, camelis, œri* conferantur.

Prob. Ex Traditione. I. Conciliorum. Milevit. Can. 7. (Labb. t. 2. p. 1539.) sic loquitur : *Item placuit, ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos : Dimitte nobis debita nostra; ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum : Dimitte mihi debita mea, sed : Dimitte nobis debita nostra, ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit.* Similia extant Can. 6. et 8. Concordat Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est humilis et verax : Dimitte nobis debita nostra.*

II. Patrum. S. Aug. eadem in hæc verba *Dimitte nobis debita nostra,* commentatur, cont. 2. epist. Pelag. ad Bonifacium, L. 1. n. 27. 28., L. 3. n. 15. 16. 17., L. 4. n. 17. 27., Id. Tr. 12. in Joann. n. 14., S. Hieron. in Dial. 2. cont. Pelag. n. 4. ubi utitur sententia Ps. 31. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno: Si sanctus est,* inquit, *quomodo orat pro iniquitate? Si iniquitatem habet, qua ratione sanctus appellatur? Juxta illum videlicet*

modum, qui et in alio loco scribitur: septies cadet justus, et resurget. S. CYPRIAN. L. de orat. Dom. n. 22. et L. de opere et eleemos. n. 3., HILAR. in Ps. 118. Tract. 6. n. 6., GREGOR. NAZIANZ. Orat. 5. (in Julian. 2.) n. 33. et Orat. 43. n. 28., GREGOR. NYSS. de orat. Dom. hom. 5. (opp. t 1. p. 756. C. D.), PAULIN. NOL. ep. 50. (al. 2. in append. n. 6.), FULGENT. L. de Incarn. Filii Dei, n. 39. 40. et seqq., PROSPER AQUIT. in Ps. 103. v. 18. et in Ps. 105. v. 18., GREGOR. M. Dial. L. 4. c. 39. Aliorum Patrum testimonia plurima vide apud SUAREZ hic et BELLARM. de amiss. Gratiæ L. 1. c. 5. et seqq.

Prob. EX RATIONE. I. Mortale tollit vitam animæ per hoc, quod quis malit offendere Deum, quam carere bono concupiscentiæ suæ; sicut vita animæ intelligitur in hoc, quod quis malit carere omni bono creato, quam Deum offendere: et pœna æterna dignum est, quia est aversio a Deo. Atqui multa sunt peccata, v. g. otiosum verbum, animi inter orandum distractio, ira, aut damnificatio proximi levissima, cum quibus non est is animus, et quæ etiam non sunt aversio a Deo, cum non repugnent charitati, ut D. TH. 1. 2. q. 87. a. 5. et p. 3. q. 86. a. 4. ostendit; ergo.

II. Dantur inter homines offensæ leves, quæ amicitiam non dissolvunt; imo hoc amicitiæ ratio exigit, ut leves ac inter amicos vix evitabiles offensiunculæ amicitiam non dirimant; ergo et inter Deum ac homines admitti æquum videtur; tum quia minus evitari forsan posse videntur ab homine offensæ contra Deum omnes, siquidem et justum septies in die cadere Scriptura testetur: tum quia amicitia Dei est moraliter conservabilis; non esset autem, si per quamcumque offensiunculam etiam semivoluntariam solveretur.

III. Alienum omnino videtur ab infinita Dei sapientia æque ac misericordia, Deum graviter adeo per verbum otiosum, risum immoderatum etc. offendi, ut hominem, licet justum et amicum, æterno mox odio ac pœna dignum judicet. Certe justitia humana morti eum non addicit, qui per levem v. g. negligentiam domum incendit, licet illud supplicium in eum decernat, qui ex industria id fecerit; cum tamen secundum adversarios utrobique commissum sit peccatum mortale et idem damnum illatum. Eccur ergo justitia divina, quæ humanæ regula est, reum mortis judicare censenda sit tam eum, qui jocose mentitus fuerit; quam eum, qui pejeravit? qui blasphemavit?

36. *Dico II.* Peccata venialia non sunt talia propter extrinsecam conditionem aut peccantis hominis, aut Dei non imputantis. Est de fide.

Prob. 1ª. *pars. I. cont. Wicleffum et Calvinum.* Prædestinati possunt peccare mortaliter, et reprobi venialiter. Nam Adam, David et Petrus Apostolus fuerunt prædestinati; sed hi peccarunt mortaliter. De Adamo quidem testatur Genes. 2. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* De Davide Psalmus 50. ubi inter cætera dicit Propheta: *Tibi soli peccavi et malum coram te feci.* Et: *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Item: *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*

Nec obstat, quod addat: *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

Id enim non indicat Spiritum gratiæ sanctificantis mansisse in Davide peccatore; sed significat, quod gratiæ Spiritus denuo cœperit esse in pœnitente, cum ei pœnitentiam inspiraverit. De quo vid. S. Ambros. Apologia David 1ª. c. 15. et S. Aug. in Ps. 50. n. 16. etc. De Petro testantur lacrymæ Matth. 26. et S. Aug. Tr. 66. in Joan. n. 2. ac ipsum etiam factum, nempe negatio Christi, quam nemo prudens a mortali culpa excusare potest. E contrario potest reprobus jocose mentiri, aut otiosa proferre verba; quæ mortalia peccata dicere, nulla ratio aut fundamentum adest.

Conf. Sententia hæc erronea supponit errorem alium, scilicet reprobis nullum peccatum vere remitti, contra veritatem et necessitatem sacramentorum Baptismi ac Pœnitentiæ: facit, ne cognosci possit, quodnam sit peccatum mortale; cum constare nequeat, quinam reprobus aut prædestinatus sit: dat licentiam prædestinatis impune adulterandi, fornicandi, pejerandi etc. cum tamen Apost. 1. ad Cor. 6. dicat: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri* etc., *regnum Dei possidebunt.*

II. Cont. Luth. et Calv. iisdem argumentis. Nam Adam et David etiam fuit fidelis, et Petrus præterea renatus: Error hic supponit alios, scilicet peccatum mortale posse esse in justo, conservata ejus justitia, contra Paulum ad Rom. 8. et totam Canonicam *primam* Joannis: Item peccato nullo, nisi infidelitate, justitiam amitti, contra sententiam (Matth. 25.) judicis eos etiam condemnantis, qui opera misericordiæ non fecerint, et Paulum inter opera carnis a regno Dei exclusura etiam luxuriam, ebrietatem, homicidia etc. l. c. numerantem.

Conf. Scriptura et Patres distinguunt peccata inter se non ex personarum conditionibus, sed velut ex ipsarum actionum merito: præterea peccata Christianorum, cæteris paribus, censent graviora propter majorem scientiam et beneficia accepta, ut ex c. 6. et 10. ad Hebr. clare colligitur et asseritur a Sanctis.

Prob. 2ª. *pars,* quam Conc. Trid. Sess. 6. Can. 25. his verbis definit: *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.* Quia dicere peccatum veniale esse tale, quia Deus non imputat, licet in se mortale sit, est imprimis contra justitiam Dei et ea Scripturæ loca, quæ peccantibus dignas minantur pœnas: deinde est contra bonitatem Dei, et Scripturæ textus, quibus dicitur Deus odisse impium et impietatem ejus: demum est contra justorum innocentiam, quam Scriptura sæpius prædicat.

Conf. Si ex *imputatione Dei* aliquid est peccatum; ergo ideo Deus offenditur, quia ipse imputat peccatum et offensam, et consequenter, quia vult offendi; ab altero autem non offenderetur, quia non vellet ab eo offendi, si illi non imputaret. Atqui hoc non videtur in Deum cadere posse; ergo. Accedit, quod Deus prudenter et juste non aliter imputare possit peccatum, quam reipsa imputabile est.

37. *Dico III.* Peccata venialia sunt talia *ex natura sua.* Sequitur ex præcedentibus, et est contradictoria propositioni inter damnatas a Pio V. et

Greg. XIII. Baianas 20. : *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Conf. 1. Juxta Conc. Trid. Sess. 14. c. 5. et sensum universæ Ecclesiæ peccata quædam, nempe mortalia, necessario sunt exponenda in confessione: quædam vero, scilicet venialia, utiliter quidem, sed non necessario aperiuntur. Atqui si omnia ex natura sua essent peccata mortalia, quædam autem ex benignitate tantum venialia, vel omnia forent necessaria confessionis materia, vel pœnitentes nescirent, quænam reticeri possent; quod utrumque est absurdum et menti ac fini Concilii ac Ecclesiæ repugnat; ergo.

Conf. 2. Quod peccata, quæ *ex natura sua* non sunt venialia, censeantur ex benignitate Dei talia, potest dupliciter intelligi; *primo*, quia revera habent turpitudinem mortalibus propriam, quam Deus tamen in illis dissimulat; et in hoc sensu coincidit cum sententia hæretica num. præced. rejecta : *secundo*, quod hæc peccata ex se sint apta ad talem turpitudinem; quia posset Deus, si vellet, obligare hominem, ut sub reatu culpæ mortalis vitaret ea peccata, quæ nunc sunt venialia : illam tamen turpitudinem in his jam non inveniri, quia Deus noluit ita hominem obligare. Sed hic sensus falsus est.

Nam *ex natura rei* præcepta Dei non magis minusve obligant, quam ipsis rebus et actionibus sit consentaneum; cum hoc tribuendum sit divinæ sapientiæ, sanctitati et justitiæ. Præterea non ideo negandum esset, peccata quædam ex natura sua esse venialia. Præceptis enim positivis non fiunt ea, quæ mortalia sunt, venialia; sed potius e contra, quæ ex se non nisi venialia sunt, ob legis obligationem mortalia evadunt; sicut de se indifferentia sub mortali aut veniali peccato prohiberi possunt.

38. *Obj. I.* Scriptura de peccatis *indefinite* pronuntiat, quod peccantem faciant morte dignum; ergo.

R. *D.* Pronuntiat hoc de omnibus mortalibus *C.* de peccatis quibuscumque et generatim *N.* Distinctio clarior fiet ex celebrioribus textibus, qui maxime afferuntur.

1°. Deuter. 27. dicitur : *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.*

R. Agitur hic de eo, qui non observat præcepta, quorum eodem cap. mentio est facta. Prohibentur autem ibi idololatria, homicidia et similia, quæ ex natura sua sunt mortalia, et maledictionem utique inducunt. Eadem responsio repetitur ad v. 10. c. 3. ep. ad Galat, qui eamdem sententiam repetit.

2°. Ezech. 18. v. 4. dicitur : *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

R. Et hic sermo est de mortalibus ibidem enumeratis. Præterea refellit Propheta hac enuntiatione querelas Judæorum, qui se puniri dicebant ob peccata non sua, sed parentum. Unde verba illa hunc sensum habent : quisque ob proprium suum, non alienum delictum pœnas feret; ideoque v. 20. sic legitur : *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii etc.*

3°. Ad Rom. 6. v. 23. dicitur : *Stipendia peccati, mors.*

R. Manifestum est, hæc referri ad v. 19. ubi de peccatis ex genere suo mortalibus sermo fuit : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati etc.* Adde toto hoc cap. agi de peccatis, quæ pugnant cum gratia,

tanquam animæ vita, adeoque mortalibus; cum per venialia, ipsis *Luthero* et *Calvino* testibus, vita animæ non excludatur.

4°. Jacob. 2. v. 10. dicitur: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

R. Sequitur v. 11. *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit et: Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* Ex quo constat Apostolum loqui de peccatis gravibus. Ubi vero c. 3. v. 2. ait: *In multis offendimus omnes;* satis declarat se agere de venialibus, cum mox subjungat: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Ostendit enim se verba facere de ea offensione, quæ *perfectioni* opponitur: non autem, quæ *charitati,* quæ finis legis est, hujusque integritati repugnat; ut in primo dicitur.

5°. Matth. 5. v. 19. dicitur: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis,... minimus,* hoc est, nullus *vocabitur in regno cœlorum.*

R. Contextus hunc sensum reddit: qui solverit mandata, quæ sunt de internis odiis, concupiscentiæ motibus etc., quæ mandata videri possent, et Pharisæis videbantur minima, ille nullus erit in regno cœlorum; eo quod et hæc mandata servare oporteat, contra ac Pharisæi hactenus fecerant et docuerant. Alii, cum addantur priori commati hæc verba: *et docuerit sic homines,* interpretantur in hunc sensum: qui prava interpretatione corruperit verbum Dei, et docuerit, ibi non esse peccatum, ubi tamen subest; ille nullus erit in regno cœlorum, quia scilicet, id faciendo, mortaliter peccat.

Inst. 1. Cum dilectione Dei *ex toto corde,* quæ Matth. 22. præcipitur, pugnat omne peccatum; peccans enim diligit aliquid præter Deum, imo oppositum Deo. Ergo omne peccatum est mortale, quia 1. Joan. 11. v. 14. *qui non diligit, manet in morte.*

R. *D. A.* Pugnat cum dilectione actuali *C.* habituali *N.* Habitualis dilectio hic intelligitur, qua quis erga Deum ita animo est comparatus, ut malit omnia alia, quam Deum, amittere: actualis sumitur pro actu amoris Dei a pia voluntate elicito. Præcipitur quidem in textu laudato amor habitualis, non autem actualis, saltem pro omni tempore; utpote qui in mortali hac vita impossibilis est. Cum habituali autem amore stare posse peccatum leve satis manifeste colligitur ex Scripturis, quæ testantur L. 3. Reg. 14. Davidem, et 4. Reg. 23. Josiam *toto corde secutos esse Deum*: Zachariam item et Elisabeth, Luc. 1. *ambulasse in omnibus mandatis et justificationibus Domini;* quibus tamen absque dubio convenit illud Joannis: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Et illud Jacobi: *In multis offendimus omnes.*

Inst. 2. Minimum opus bonum meretur vitam æternam, ut patet ex illo Matth. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ,... non perdet mercedem suam;* ergo et minima peccata merentur pœnam æternam. *Conf.* Joan. 13. Christus Petro ait: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* S. Aug. autem in hunc locum (Tract. 56. in Joan. n. 4.), et S. Bernard. serm. in cœna Dom. n. 4. (opp. t. 1. p. 891.) per lotionem pedum intelligunt purgationem a venialibus, propter verba præsertim sequentia: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.* Ergo etiam venialia a regno Dei excludunt, et sic mortalia esse cognoscuntur.

R. *T. A. N. Cons.* Nam 1. non dicitur : vitam æternam possidebit ; sed : *non perdet mercedem suam.* Ergo et male infertur : veniale meretur pœnam æternam; sed sequitur tantum, non futurum sine pœna, quod omnino concedimus, quin tamen æternam admittere necesse sit. 2. Dare minimo operi supernaturali maximum præmium ingens liberalitas et misericordia est, quæ Deo convenire potest : dare autem peccato minimo maximam pœnam injustitia et credulitas est, quæ cadere in Deum nequit. 3. Dare calicem aquæ frigidæ ex charitate ob dignitatem gratiæ opus magnum est et meritorium vitæ æternæ : huic autem operi opponi non debet veniale, quod stat cum charitate, sed mortale illi repugnans.

Ad Conf. R. 1°. *D. Cons.* Excludunt a regno Dei perpetuo et ex natura sua *N.* solum ad tempus, donec scilicet sint abstersa, et quia *nihil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum,* ut Apoc. 21. dicitur *C.*

R. 2°. *N. Cons.* Si enim *antecedens* sumatur cum S. Basilio (Proœm. de judic. Dei, n. 7. opp. t. 2. p. 221.) in sensu litterali de materiali pedum lotione, ita ut notetur inobedientia Petri nolentis permittere, ut lavarentur sibi pedes; sermo est de peccato mortali, et male descenditur in *consequente* ad peccatum veniale.

Inst. 3. Christus Matth. 5. 22. non loquitur de venialibus, sed de diversis generibus mortalium; nam *reus judicio* et *reus concilio* apud Judæos reus erat criminis capitalis.

R. Textum hunc Chrysost. in Matth. hom. 16. n. 8. (opp. t. 7. p. 215. B.), Greg. M. L. 21. Mor. c. 5. apud Suar. hic, disp. 2. sect. 4. n. 4. adhibent ad ostendenda peccata venialia, et inde recte probant; quia Christus antea dixit : *Audistis, quia dictum est antiquis, non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio; Ego autem dico vobis etc.* Distinguit ergo pœnam a judicio vel concilio inflictam a *gehenna ;* quia pœna licet capitalis inflicta ab hominibus est temporanea, *gehenna* æterna. Male itaque Hæretici dicunt *gehennam* fuisse pœnam apud Judæos usitatam; quia Christus eam alias non distinguere potuisset ab ea, quæ a concilio decernebatur, cum hoc judicaret de causis gravissimis, neque eo superius tribunal apud Judæos esset : quare dicendum per *gehennam* fuisse significatam pœnam, cui nulla ab hominibus illata comparari potest.

Inst. 4. Verba otiosa sunt peccata mortalia, quia Matth. 12. dicit Christus : *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Si autem reddent rationem, etiam ob illud damnari possunt, nam Christus addit : *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis condemnaberis.*

R. S. Hier. aliquando quidem doctrinas vanas et contra fidem erroneas vocat verba otiosa : Christus tamen hic juxta communem Interpretum loquitur de verbo pure otioso et jocoso, et ita leviter malo; quod etiam non impunitum manebit, nisi pro eo sit satisfactum. Unde 1° non meretur mortem ex eo quod de eo sit reddenda ratio in die judicii. Nam hæc poterit dari, quin illud peccatum puniatur post extremum judicii diem, conscientia scilicet ibidem testatura, quod pro verbo etiam otioso pœnam vel satisfactionem homo subierit, vel adhuc præstanda restet in damnandis. Nec 2°. ex eo quod Christus addiderit: *Ex verbis tuis justificaberis* etc. Nam per hæc non intelliguntur verba otiosa, sed ea quibus homo rationem reddet in judicii

dic. Præterea non dicitur, propter quamvis culpam hominem esse condemnandum ad mortem, sed subiturum pœnam. Simili etiam ratione Matth. 5. dicitur: *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* Licet enim propter unicum quadrantem debitor non statim mittatur in carcerem, debet tamen et hunc solvere.

Inst. 5. Ps. 31. v. 2. dicitur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum;* ergo ex sola Dei imputatione sumitur, quod peccatum inducat vel non inducat mortem.

R. *N. Cons.* Eodem Ps. v. 1. David *beatos* vocat, quorum *remissæ sunt iniquitates,* et v. 6. Deum allocutus, *Tu remisisti,* inquit, *impietatem peccati mei.* Si vero peccata justorum non imputarentur, quid remissione opus foret? Supponitur itaque potius in peccatis condignitas, propter quam alia ad pœnam æternam, alia ad temporalem pœnam Deus deputet, quam ut sequatur, peccatum per imputationem fieri mortale. Quare sensus est: Beatus vir, cui peccatum *plane* remissum est tum quoad culpam et reatum pœnæ æternæ, tum quoad pœnam temporalem.

39. *Obj. II.* SS. Patres peccata, quæ nos venialia dicimus, docent quoad se et sine respectu ad misericordiam divinam esse gravia et excludere a beatitudine. Sic enim Aug. L. 9. Conf. c. 3. n. 34. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia excutias eam.* Et ep. 29. (al. 167. n. 20.): *Cum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexaltet misericordia judicio?* Et L. 2. de peccat. merit. et remiss. c. 3. *Quis cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ de hac vita emigraret, manente illa sententia, quod quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur... Superexaltat autem misericordia judicio;* ergo.

R. *N. A. Ad textum* 1um. R. Significat hic homines etiam sanctos non carere peccatis venialibus, ob quæ, nisi misericorditer condonentur, gravissimas in purgatorio pœnas soluturi sint. Hanc enim per verba recitata rationem reddit, cur oraturus sit pro matre sua, quam ibidem multum laudat.

Ad 2um. R. Similiter. Loquitur enim hic de judicio singulari, dicitque neminem esse purum a veniali macula, et sine Dei misericordia spem non esse beatitudinis statim ab obitu obtinendæ.

Ad 3um. R. Sensus est, neminem cum spe adipiscendæ beatitudinis mori posse, nisi Deum sciret misericordem, et veniam ab eo sperare posset; tum quia venialia, in quibus offendimus omnes, disponunt ad mortale: tum quia vel unicum mortale sufficit ad perditionem hominis æternam; nemo autem certo novit, num nullum unquam mortale commiserit, aut si admisit, num in gratiam Dei per veram pœnitentiam redierit.

Inst. Idem Tr. 1. in ep. Joan. n. 6. *Ista levia,* inquit, *quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis; expavesce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen: multa grana faciunt massam.* Similia in ep. 29. (al. 167. n. 20.) et 108. (al. 265. n. 8.) Tr. 12. in Joan. n. 14. et serm. 3. in Ps. 118. n. 2. leguntur. 2o. S. Basil. in Regulis compendio explicatis interr. 4. scribit, nullum peccatum esse contemnendum ut parvum, cum revera nullum parvum sit, et secundum Apo-

stolum peccatum omne sit *stimulus mortis*. 3°. S. Hier. L. 2. Dial. adv. Pelag. n. 11. ait: *Si ira et sermonis injuria atque interdum jocus judicio, concilioque et gehennæ ignibus delegatur; quid merebitur turpium rerum appetitio* etc? 4°. S. Chrys. hom. 60. (al. 59.) in Joann. n. 6. ad pop. docet non esse peccatum levius aliquid defraudare de pretio, quam magnam subripere pecuniæ quantitatem.

R. *Ad* 1um. S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 4. docet, mentem S. Aug. eam fuisse, quod multa venialia, si negligantur, paulatim disponant hominem ad mortale; non vero, quod formaliter faciant mortale. Primum enim sensum Scriptura Eccli. 19. etiam indicat: alterum rationes apertæ condemnant.

Ad 2um. R. Nec auctoritas loquentis urget; quia non constat certo, num eæ quæstiones sint Basilii M., an *Eustathii Sebasteni,* cujus errores damnati sunt in Conc. Gangrensi; certe postremo tribuuntur a Sozomeno et Nicephoro: nec urget sensus verborum; qui est, nullum peccatum, quod spernitur, esse parvum ratione periculi et peccati mortalis, ad quod disponit; atque sic etiam veniale peccatum esse stimulum mortis.

Ad 3um. R. S. Hieronymum hic non habuisse rationem ordinis in enumeratione illa peccatorum et pœnarum correspondentium, sed numerum tantum attendisse; cum Domini sententiæ repugnare non voluerit, quam ipse paulo ante adduxerat.

Ad 4um. R. Sermonem hic esse de eo, qui plus accipere voluit, sed nonnisi pauca fraudare potuit; unde tantum sequitur, quod defectus externi actus voluntatem malam non excuset a peccato.

40. *Obj. III.* Omne peccatum est transgressio legis divinæ : est offensa personæ infinitæ; ergo omne peccatum est grave. *Conf.* Quilibet etiam venialiter peccans plus amat creaturam, quam Deum, et huic illam præfert; ergo graviter peccat.

R. *D. A.* Omne peccatum est transgressio legis divinæ graviter vel leviter obligantis *C.* semper graviter obligantis *N.* Item est gravis vel levis offensa personæ infinitæ *T.* semper gravis *N.* vide inf. dicenda.

Ad Conf. R. *N.* vel *D. A.* Amat creaturam plus intensive *C.* appretiative *N.* Qui venialiter peccat, est actualiter vel habitualiter paratus bonum illud, quod in peccando habet, contemnere, si id præcepto graviter obligante Deus prohibeat; ergo amat Deum simpliciter et appretiative plus quam creaturam, nec hanc illi præfert: afficitur tamen hic et nunc magis a creatura, quam a Deo, ab eaque movetur ad aliquid Deo displicens faciendum; unde, quia Deum non omni modo et perfecte appretiat, venialiter peccat.

Adde, quod non requiratur, ut quis *positive* sit ita habitualiter paratus, quatenus ejusmodi actum antea habuerit, nec retractaverit; quia etiam peccatores, seu qui non sunt in statu gratiæ, venialiter peccare possunt: sed ad hoc, ne quis dicatur per veniale creaturam præferre Deo, satis est, quod sit ita habitualiter paratus quasi *negative,* nempe hoc sensu, quod peccatum veniale vel electio boni temporalis consistat cum voluntate contemnendi illud, si esset graviter prohibitum, et hanc voluntatem non excludat: Item quod eligens objectum leviter prohibitum per hoc non eligat graviter prohibitum, et hinc non eligat aversionem a Deo, ut facit mortaliter peccans;

non enim vult, et consequenter non mavult per suum actum separationem a Deo potius, quam ab illo actu abstinere.

Inst. 1. Veniale peccatum minuit charitatem, et consequenter amicitiam Dei, quia hæc consistit in charitate; ergo.

R. *D. A.* Minuit charitatem habitualem *N.* actualem *C.* Amicitia Dei stat in gratia, quæ Deo nos gratos et dilectos facit; et in charitate, qua Deum habitualiter super omnia diligimus. Veniale non aufert hujus gratiæ et habitualis charitatis gradum ullum, sed solum minuit, vel potius impedit fervorem charitatis actualis, quatenus qui peccat, hoc actu non se vult omnimode conformare beneplacito divino.

Inst. 2. Ex gravitate pœnæ, qua delictum punitur, colligitur hujus gravitas. Sed pœna, qua veniale peccatum punitur, est gravissima, et major, quam omnes hujus vitæ pœnæ; ergo.

R. *D. min.* Est pœna gravissima respective ad culpas civiles et pœnas in hac vita *C.* respective ad culpas morales et mortales ac pœnas alterius vitæ *N.* Culpa mortalis enim inducit odium ac inimicitiam Dei, meretur pœnas æternas cum desperatione et extrema miseria conjunctas, quorum neutrum veniali convenit. *Nec obstat,* quod quis sub mortali teneatur etiam vitare culpam civilem levem, cui ab hominibus constituta est pœna mortis; unde sequatur sub eadem obligatione vitandum esse peccatum veniale, cui major pœna, quam mortis, a Deo sit decreta. *Disparitas* est, quia pœna illa ab hominibus statuta est maxima in humano judicio et irreparabilis, ac Deus præterea imperat sub obligatione gravi, leges humanas sub pœna mortis latas observare propter charitatem, quam quilibet sibi ipse debet. Pœna autem venialis peccati nec maxima nec irreparabilis est, nec ejus culpa prohibita est a Deo sub obligatione gravi.

Inst. 3. Peccatum veniale meretur pœnam æternam: nam *primo* est majus malum, quam æterna pœna, cum hanc potius, quam illud eligere oporteat; ergo et hanc per se meretur. *Secundo,* Deus illud posset nunquam remittere, quia remissio peccati est gratuita; ergo posset et illud in æternum punire. *Tertio,* peccatum veniale in damnatis juxta probabilem in æternum punietur; ergo meretur pœnam æternam.

R. *N. A. Ad Prob.* 1am. *D. A.* Est majus malum ratione ineligibilitatis *C.* ratione pravitatis *N.* Carentia visionis boni infiniti et pœna sensus (intellige præcisam a blasphemiis et odio Dei) est malum in genere physico; proinde secundum se et naturam suam non est simpliciter mala, sed tantum secundum quid et respective ad eum, qui illam patitur. Peccatum vero est in genere mali moralis; consequenter in se quid illicitum ac nunquam eligendum, atque hinc minus eligibile, quam pœna æterna aut ullum malum physicum. Sicut tamen veniale in suo genere non est culpa maxima, pœna autem æterna est maxima in genere pœnæ et mali physici; sic peccato veniali non debetur pœna æterna, quia culpæ levi pœna maxima non convenit.

Ad Prob. 2am. *D. A.* Posset nunquam remittere homini injusto *C.* justo *subd.* si ageret ut absolutus dominus *C.* si ut justus judex, et simul pater et amicus cum filio adoptivo et amico *N.* Justus ratione gratiæ sanctificantis, vi cujus filius est et amicus Dei, habet jus ad visionem Dei; ad hanc autem cum pervenire nequeat, quamdiu veniali maculatus est, Deus hoc illi quocumque demum modo remittere tenetur. Promissionem hujus habemus

Matth. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* Unde S. Aug. L. de corr. et grat. c. 13. n. 41. ait, in judicio misericordiam bonis meritis justorum esse reddendam. *Distinguo* etiam *Cons.* Ergo posset Deus illum in æternum punire spectando absolutum Dei dominium, secundum quod etiam innocentem punire æternum potest *C.* spectando rationem culpæ, cui Deus ceu justissimus judex pœnam proportionatam statuit *N.*

Ad Prob. 3am. *D. A.* Punietur per se et ratione culpæ in æternum *N.* per accidens ratione subjecti nolentis redire cum Deo in amicitiam, vi cujus acquireret jus aliquod ad gratiam culpæ remissivam *T.*

Inst. 4. Homo propriis viribus et sine gratia Dei non potest resurgere a veniali, et juxta probabilem non potest condigne satisfacere pro veniali; ergo veniale ex se manet æternum, et puniri in æternum juste potest.

R. *D. Cons.* Si homini aliunde non debeatur aut obveniat aliquid, vi cujus resurgere possit, aut quocumque modo emundari a suo peccato *T.* Si debeatur aut obveniat, ut modo dictum *N.*

Inst. 5. Peccatum veniale sæpe parum distat a mortali, v. g. in materia furti modica differentia unius v. g. solidi potest ex veniali facere mortale, et vicissim. Ergo tale peccatum specie erit idem cum mortali, et pœnam æternam merebitur.

R. *D. A.* Veniale sæpe parum distat a mortali materialiter sumpto et per respectum præcise ad objectum *C.* a mortali formaliter sumpto et per respectum ad legem prohibentem *N.* Quantitas 15. solidorum, quæ interim supponitur esse gravis materia furti, non differt multum et specie physica a quantitate 14. solidorum; quia tamen solidus unus aliis 13. solidis additus complet materiam, cujus ablatio est graviter prohibita, hinc quantitas 15. solidorum ab alia differt morali specie, et per respectum ad legem.

Inst. 6. Quod unum peccatum sit mortale, aliud veniale, habetur ex solis Dei præceptis diversis quibus opponuntur; ergo saltem ex sola voluntate Dei et non ex sua natura differunt.

R. *T. A. D. Cons.* Ergo differunt ex sola Dei voluntate quatenus ex ea dependet, quod actus cum advertentia ad obligationem inde resultantem elicitus sit peccatum vel leve vel grave *N.* quatenus ex ea pendet, quod detur obligatio talis, qua posita actus cum advertentia ei contrarius sit peccatum grave vel leve *C.* Quæstio autem non est de voluntate Dei antecedente actum et ordinante, sed de consequente actum ac disponente de eo, jam in ratione suæ moralitatis constituto. Nam et Deus antecedenter facere potest ut immolatio filii sit opus bonum, et comestio pomi sit mala, si illam præcipit, hanc prohibeat; ubi tamen Abraham immolare filium jam voluit, et Adam pomum comedit, hoc bonum, illud malum facere non potuit. Dixi: *Trans. Ant.* quia, licet præceptum graviter obliget, si tamen in homine sit imperfecta deliberatio, erit peccatum veniale.

Inst. 7. Quod Deus præcepit, vel prohibuit sub veniali, hoc potuisset sub mortali prohibere aut præcipere. Atqui hoc casu omnia peccata forent mortalia; ergo, quod jam sint venialia, est a sola misericordia Dei.

R. 1o. *D. A.* Potuisset sub mortali præcipere aut prohibere in casu particulari, et quando adest finis extrinsecus sufficiens, ad levem materiam graviter prohibendam *C.* universaliter, aut etiam quando non adest ejusmodi

finis *N*. Quamvis enim hoc præcise ratione dominii divini possibile sit; quia tamen homo *necessitatem moralem* habet in aliqua saltem peccata venialia indeterminata aut minus deliberata labendi, minus consentaneum foret Legislatoris divini sapientiæ, bonitati et suavi providentiæ, si omnia sub mortali prohiberet.

R. 2°. *D. Cons.* Ergo, quod ex genere suo leviter culpabilia jam sint venialia, hoc est, non prohibita sub mortali, est ex sola Dei misericordia, de quo tamen non quæritur *C.* quod jam facta contra legem leviter obligantem sint venialia, hoc est, non deputentur ad pœnam æternam, est ex sola misericordia *N.* De hoc autem controversia agitur.

41. *Observa.* Pro discernendo peccato *mortali* a *veniali* universim hæc regula dari solet : solum illud est mortale, in quo est materia gravis, quantitas notabilis, plena advertentia et consensus voluntatis plenus; illud autem est veniale, in quo unum ex prædictis deficit. Atque hinc etiam tertia classis venialium, scilicet ex natura sua talium, de quibus hactenus dicebamus, tres venialium species sub se complectitur.

Alia enim sunt *venialia ex suo genere*, et objecto proprio, quæ nimirum circa objectum ejusmodi versantur, ut, quantumcumque hoc crescat, illa tamen non evadant ad malitiam mortalem ; sed fieri tantum mortalia queant vel ex conscientia erronea, vel ex dispositione quadam animi mortali, vel alia ex circumstantia, per quam ad speciem alienam graviter malam transferantur. Talia sunt verbum otiosum, risus nimius et alia ejusmodi.

Alia sunt *venialia ex parvitate materiæ*, quæ scilicet in re parva ac levi committuntur; quale est furtum unius oboli, utpote quod neque proximum notabiliter lædit, neque est ejusmodi, quod apud æquos homines amicitiam tollere queat. Dantur tamen peccata, in quibus nulla materia est *levis*, sed omnis sufficiens ad peccatum mortale, uti sunt odium Dei, blasphemia, hæresis, perjurium, desperatio, etc., utpote in quibus, quacumque demum in materia deliberate commissis, integra ratio malitiæ et tota deformitatis quantitas invenitur. Huc etiam spectat delectatio venerea, in qua parvitas materiæ non datur ; cum non possit esse efficaciter volita, quin ipsa pollutio implicite et virtualiter vel placeat, vel intendatur, vel grave ejus periculum incurratur. Quin ab Alex. VII. damnata est hæc inter alias propositiones ordine 40ª. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.*

Alia sunt *venialia ex imperfectione actus*, quæ nempe ob subreptionem, vel defectum sive cognitionis, sive deliberationis, sive libertatis, sive consensus perfecte voluntaria non sunt, et hinc rationem mortalis culpæ non participant; quales sunt subiti motus cupiditatis, iræ, invidentiæ et alii similes, qui prius animum occupant, quam ratio deliberare potuerit, an admittendi essent, aut semisopitis obveniunt, aut minus advertentes infestant.

ARTICULUS II.

PER QUÆ PRÆDICATA INTRINSECA DIFFERANT INTER SE PECCATUM MORTALE ET VENIALE?

42. *Nota.* Tres sunt de ipsa essentiali differentia opiniones. 1ª. Est Scoti, quæ dicit mortale, quod est contra legem; veniale, quod est contra consilium; ubi nomine consilii videtur omnia comprehendere, quæ ad salutem non sunt simpliciter necessaria. 2ª. Est S. Thomæ 1. 2. q. 88. a. 1. ad 1. quæ mortale dicit esse contra legem; veniale autem tantum præter legem; ubi legem non sumit pro ordinatione Dei obligantis quacumque, sed pro lege directe intendente conjunctionem cum Deo seu dilectionem, quæ etiam dicitur finis legis, vel cujus observatio est necessaria ad salutem. 3ª. Est Durandi, Vegæ, Adriani, multorumque Recentiorum quæ dicit mortale peccatum esse transgressionem legis graviter obligantis; veniale transgressionem legis leviter obligantis.

Lex autem *graviter obligare* in hac sententia dicitur, cujus observatio præcipitur, aut violatio prohibetur sub interminatione divini odii et inimicitiæ : *leviter,* cujus adimpletio urgetur aut transgressio vetatur tantum sub ratione aut debito incurrendæ displicentiæ divinæ, non autem sub interminatione illa priore. *Signa* porro legis graviter obligantis universim habentur ex Scripturæ effatis, Conciliorum et Pontificum definitionibus, Ecclesiæ ac Patrum sententiis, communi Doctorum aut aliorum etiam prudentum et timoratorum sensu, consuetudine ac usu.

Speciatim vero, si lex continetur in *sacris litteris,* et actio prohibita nominetur abominatio, nefas, detestandum etc., vel dicatur morte aut exclusione a cœlo digna, vel ob illam Deus minetur per verbum *væ* malum grave, aut queiscumque verbis privationem beatitudinis vel pœnas inferni, graviter obligare censetur. Si lex *humana* sit, attendendum est ad verba, quibus obligatio exprimitur : Item ad finem legis, qui si momenti magni sit, et sine obligatione gravi non obtineretur, graviter obligare censetur. Si lex positiva autem non extet, sed ea potius *naturalis* sit, tunc naturali etiam ratione utendum, spectanda materiæ gravitas vel in se, vel in ordine ad Deum, charitatem proximi et sui etiam ipsius. Præterea vero in his omnibus ad signa illa, universim legum obligationem spectantia, recurrendum est.

43. *Dico I.* Peccata non differunt per hoc, quod mortale sit contra legem, veniale contra consilium, vel præter legem.

Prob. Etiam veniale peccatum est contra legem divinam; ergo venialis differentia a mortali non est statuenda in eo, quod veniale sit contra consilium, vel præter legem. *Ant. Prob.* 1°. Veniale peccatum, utpote moraliter malum, est contra regulam morum : sed regula morum est lex divina seu æterna; ergo. 2°. Ubi non est lex, ibi non est prævaricatio nec malitia : sed in veniali est malitia; ergo. 3°. Aliqua lex divina prohibet mendacium; nam Levit. 19. v. 11. dicitur : *Non mentiemini.* Et Eccli. 7. v. 14. *Noli velle mentiri.* Item prohibet *non jurare omnino,* nempe sine necessitate. Ubi ne quis existimet datum esse duntaxat consilium, Christus addit Matth. 5.

v. 37. *Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est.* Atqui mendacium ex genere suo et juramentum sine necessitate præcise non est mortale, sed veniale; ergo.

Conf. 1. Si consilium sumatur proprie, quod contra illud est, nequit dici peccatum ; ut patet in operibus contra Evangelica consilia positis : Si sumatur late pro iis, quæ ad salutem simpliciter necessaria non sunt, usurpatio vocis est impropria et a Scripturis aliena; cum consilium solam directionem significet ad ea, quæ meliora sunt, eligenda : ut ex 1. ad Corinth. 7. patet.

Conf. 2. Sicut in Republica juxta communem sensum potest ferri et datur lex proprie dicta, quæ aliquid tanquam utile ad bonum Reipublicæ leviter præcipit, cum necessaria graviter imperat; sic et leges proprie dictæ leviter obligantes in Ecclesia habentur, et in jure naturali æque ac divino inveniuntur.

44. *Dico II.* Propria et essentialis differentia peccatorum est in eo, quod mortale sit libera trangressio legis vel præcepti *graviter* obligantis, veniale sit libera transgressio præcepti *leviter* tantum obligantis.

Prob. Sicut ex dictis peccata conveniunt, quod sint transgressio legis; sic mortale et veniale differunt, quod illud sit transgressio legis graviter, hoc leviter obligantis. Ergo sicut *primum* est genus proprium , sic *secundum* est propria differentia.

Conf. 1. Videtur alienum ab æquitate Dei, ejus sapientia suavique providentia, sub obligatione gravi prohibere ea, quæ ex se levem deordinationem a recta ratione et oppositionem duntaxat contra liberalitatem, magnificentiam, eutrapeliam aut veracitatem dicunt : aut quæ minimam materiæ quantitatem, ubi hæc deformitatem minuit, habent : aut quæ sine advertentia, libertate vel consensu ad morales alias actiones requisito, committuntur; nisi Deus finem alium extrinsecum obligationis gravis habeat, eumque manifestet ; ergo, cum ea tamen peccata sint, sub obligatione levi debent esse prohibita. Ergo omni peccato veniali , scilicet quod vel ex genere suo, vel ex parvitate materiæ, vel ex actus imperfectione tale dicitur, convenit esse transgressionem legis vel præcepti leviter obligantis.

Conf. 2. Nullum mortale prohibetur tantum sub obligatione levi : numerus vero, periculum, contemptus etc., propter quæ dicuntur peccata venialia transire in mortale, sub obligatione gravi prohibentur, ut singula percurrenti manifestum est; ergo trangressio legis leviter obligantis soli veniali convenit.

Conf. 3. Esse transgressionem legis graviter vel leviter obligantis *prius* est, quam esse aversionem a Deo vel ejus contemptum, aut non esse hanc aversionem et contemptum; quia peccatum mortale est exercita aversio a Deo et ejus virtualis contemptus ex eo, quod sit libera transgressio legis graviter, hoc est, sub interminatione odii et inimicitiæ divinæ obligantis: et ideo veniale non est aversio ejusmodi aut contemptus, quia non est transgressio legis sub hac ratione obligantis. Similiter eo ipso, quod mortale sit contra legem *graviter* obligantem, per illud amittitur amicitia et gratia Dei, fit irreparabile, et incurritur reatus pœnæ æternæ : et ob contrariam rationem id non fit in et ex veniali. Ergo hoc prædicatum est radix reliquorum: primum item est ac primarium, cum aliud prius assignari nequeat.

45. *Obj. Cont.* 1um. Peccatum veniale non est contra legem nisi secundum quid ; ergo simpliciter debet dici tantum esse præter legem. *Ant. Prob.* 1°. Qui venialiter peccat, simpliciter adhuc dicitur servare legem, ut patet ex Luc. 1. v. 6. ubi Zacharias et Elisabeth, quamvis venialiter subinde lapsi, dicuntur *incedentes in mandatis Domini sine querela.* 2°. Quia Matth. 19. v. 17. is dicitur *servare mandata,* qui potest *ad vitam ingredi :* sed etiam venialiter peccans potest ingredi ad vitam; cum veniale differat quidem ingressum, simpliciter tamen a regno cœli non excludat. 3°. Quia legem et mandata servat, qui Deum diligit, ut ait Christus Joan. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate* ; et Apostolus ad Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis est dilectio;* venialiter autem peccans Deum adhuc diligit, et habet dilectionem. 4°. Quia Jac. 2. v. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Venialiter autem peccans non fit omnium reus; ergo nec offendit in uno, scilicet mandato.

R. *D. A.* Non est contra legem antonomastice talem, quæ scilicet directe intendit conjunctionem cum Deo, habetque pro fine dilectionem, unde et in Scriptura simpliciter lex dicitur *C.* non est contra legem Dei vere adhuc et proprie talem *N.* Hinc

Ad Prob. 1am. R. Elisabeth et Zacharias dicuntur incedentes in omnibus mandatis graviter obligantibus, non autem levem obligationem afferentibus.

Ad 2am. R. Christus ibid. v. 18. explicat, quæ mandata intelligat, nempe Decalogi præcepta.

Ad 3am. R. Similiter, sermonem esse de mandatis et lege, quæ antonomastice talia sunt, et ea simpliciter in Scriptura nominantur, ut ex ipsis verbis constat.

Ad 4am. R. Qui graviter offendit in uno, fit omnium reus; non quod omnia peccata committat, aut omnium incurrat reatum, ut Hæretici aiunt : sed quod avertatur et separetur a Deo, et ita finem legis amittat. Unde consequentia de mandato graviter obligante explicanda est.

Inst. Constat ex Matth. 22. v. 40. quod *in his duobus,* scilicet dilectione Dei et proximi, *universa lex pendet et Prophetæ.* Unde licet reliqua præcepta in se distinguantur a charitate, tamen id, quod charitati contrarium non est, nulli præcepto censetur perfecte contrarium. Sed veniale est tantum præter charitatem, hoc est, secundum quid contra illam; ergo. *Conf.* Lex datur pro ratione utentibus, et tanquam regula præscribit medium, quo perveniatur ad finem. Veniale autem *ex imperfectione actus* est tantum actus secundum quid rationalis et humanus; ergo et tantum secundum quid transgressio legis : veniale *ex levitate materiæ* non est contra regulam præscribentem medium, quo perveniatur ad finem ultimum ; ergo est tantum contra legem secundum quid, non autem simpliciter talem.

R. Eadem responsio redit de lege, cujus finis est conjunctio cum Deo et charitas habitualis, non autem quæ quacumque ratione vere aliquid ac proprie imperat aut vetat.

Ad Conf. R. *quoad* 1um. Sicut defectus ille libertatis, deliberationis aut consensus non impedit, quominus actus adhuc simpliciter dicatur malus; sic non impedit, quominus simpliciter sit contra legem. Unde *D. Cons.* est tantum secundum quid transgressio legis graviter obligantis *C.* leviter obli-

gantis *N*. Ipsa actus imperfectio facit, ut modus obligandi in lege alius sit, atque hinc virtualiter saltem alia lex, leviter nempe obligans, habeatur ac violetur.

Quoad 2um. R. Legem graviter obligantem esse regulam præscribentem *medium necessarium* ad obtinendum finem ultimum, leviter obligantem autem præscribere medium ad hunc finem *utile*. Unde patet, quomodo veniale adhuc simpliciter dici possit repugnare regulæ medium præscribenti : præsertim cum, quia disponit ad mortale, remote saltem et mediate adversetur regulæ etiam medium necessarium ordinanti.

46. *Obj. Cont.* 2um. Furtum *grave* et *leve* est contra idem præceptum, ergo ab hoc non specificatur; præsertim cum magnum et parvum, perfectum et imperfectum circa eamdem materiam non mutent speciem. *Conf.* 1. Objecta quædam de se sunt gravia, et exigunt *graviter* prohiberi : quædam sunt levia; ergo differentia malitiæ mortalis et venialis petenda est a materia gravi vel levi. *Conf.* 2. Peccatum mortale committi potest sine transgressione legis *graviter* obligantis, ut si quis ex conscientia erronea mendacium jocosum esse mortale ratus deliberate mentiatur; quia non datur lex divina graviter prohibens mendacium jocosum; ergo.

R. *D. A.* Est contra idem præceptum generice spectatum *C.* specifice sumptum *subd.* si præcise spectetur substantia legis et materiæ *C.* si spectetur quantitas materiæ et modus obligandi in lege *N.* Ad *rationem* additam *D.* non mutant speciem in genere physico, et si æstimentur tantum ex objectis *C.* in genere morali, et si æstimentur ex legibus et secundum modum in illas tendendi *N.*

Ad Conf. 1am. *D. Cons.* Differentia malitiæ formalis et completæ petenda est a materia *N.* malitiæ radicalis et inchoatæ *subd.* differentia universalis *N.* particularis *C.*

Ad Conf. 2am. *N. A. rationem D.* non datur lex divina directa et per se graviter prohibens mendacium jocosum *C.* lex reflexa et mendacium per accidens graviter prohibens *N.* In circumstantiis enim conscientiæ erroneæ Deus graviter obligat non agere illud, quod judicatur mortale, ut dictum de Conscientia in Tr. de Act. hum.

Inst. 1. Sap. 1. v. 11. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Ergo veniale peccatum, cujus exemplum supra in mendacio datum fuit, etiam est contra præceptum graviter obligans, et hinc assignata differentia fallit.

R. *D. Cons.* Ergo mendacium graviter noxium proximo, vel conjunctum cum perjurio est contra præceptum graviter obligans *C.* mendacium ex genere suo, aut jocosum præcise *N.* Primi generis circumstantiam explicat ipse Scripturæ contextus : *Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit : Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Alterius generis circumstantiam addit S. Augustinus, qui testimonium Sermon. 28. de verbis Apostoli c. 7. (al. 180. n. 8.) in hunc sensum usurpat : *Recedit anima, cum corpus perculitur gladio : et putas, quia non recedit Deus, cum ipsa anima feritur perjurio? vis videre quia mortuus est, de quo loqueris? Lege Scripturam : Os, quod mentitur, occidit animam.*

Inst. 2. Peccans venialiter bono creato delectabili fruitur; non enim eo

tantum utitur, si quidem illud ad Deum tanquam finem ultimum non refert: inter usum autem et fruitionem medium non datur, cum teste Augustino, omnis, qui aliquid amat, amet aut utens aut fruens. Atqui teste D. Th. 1. 2. q. 11. a. 3. fruitio non debet esse nisi ultimi finis; et hinc, qui bono creato fruitur, illud finem suum ultimum statuit, ac consequenter graviter peccat; ergo.

R. *N. M.* Sic enim S. Th. 1. 2. q. 88. a. 1. ad 3. loquitur: *Dicendum, quod ille, qui peccat venialiter, inhæret bono temporali non ut fruens, quia non constituit in eo finem, sed ut utens referens in Deum non actu, sed habitu.* Hinc

Prob. 1am. *D.* Peccans venialiter non refert bonum creatum ad Deum actu *C.* habitu *N.* Habitu autem eatenus objectum creatum ad Deum refert, quatenus vi præsentis actionis charitatem habitualem non tollit, nec relationem objecti ad Deum positive excludit, nec referibilitatem seu ordinationem ejusdem ad finem ulteriorem et ultimum aufert, ut approbantibus Suarez et Vasquez, Cajetanus interpretatur.

Prob. 2am. *N.* Juxta D. Th. in 2um. Dist. 42. a. 2. q. 1. inter usum et fruitionem intercedit abusus; simili ratione loquitur S. Aug. L. 1. de Doctr. Christ. c. 4. *Frui est amore alicui rei inhærere propter se ipsam: uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius vel abusio nominandus est.* Ex quo alius Augustini locus sine libro indicatus explicandus est.

Quæres: *An peccatum veniale sit offensa Dei?*

47. *Nota.* Qui *veniale* negant proprie esse contra legem Dei, consequenter etiam asserunt, illud non esse proprie ac simpliciter, sed analogice tantum et secundum quid offensam Dei. Alii tametsi *veniale* transgressionem divinæ legis fateantur, propriam tamen Dei offensam negant, eo quod *veniale* non tribuat Deo jus auferendi ab homine aut minuendi gratiam habitualem, aut dissolvendi amicitiam vel conjunctionem cum Deo, in quo unice proprietatem offensæ simpliciter talis constituunt. Reliqui contra cum Vasquez distinguunt inter offensam gravem et levem. Illam dicunt actionem, quæ sit aversio a Deo et tollat amicitiam: hanc vero, quæ quocumque modo sit contra voluntatem Dei, eique displicat. Utramque porro vocant etiam personalem Dei offensam, supposita jam lege divina. Cum his, secundum systema doctrinæ hactenus traditæ,

48. R. Peccatum veniale est proprie offensa Dei, sed levis.

Prob. 1a. *pars.* Ad offensam propriam requiritur et sufficit; ut 1o. actio displiceat illi, qui ea offenditur: 2o. ut ejusmodi actio sic sit contra illum, ut is de ea juste conqueri possit, aut ægre eam ferre; quia per postremum proprie offensa redditur personalis. Atqui utrumque convenit peccato veniali. Nam 1o. omne veniale, utpote cum bonitate Dei aliquo modo pugnans, illi displicet. 2o. Est etiam actio contra Deum ejusmodi, quam ipse ægre ferre debet, et de qua juste conqueri potest; cum sit transgressio præcepti, quam sub sua displicentia, culpa item et pœna prohibuit; ergo.

Conf. Ex sanctis PATRIBUS apud VEGAM in Tridentinum, qui ex hoc præsertim capite quodcumque veniale peccatum exaggerant. Et quamvis illud Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes,* possit ex voce maxime græca eo sensu intelligi, quo homo dicitur offendere ad lapidem et cadere; favere tamen nostræ responsioni Suarez, licet contrarius, fatetur. 2ª. *Pars* constat ex art. 1.

Nec dicas 1°. Quamvis Regi errata subditorum, et negligentia discipulorum Præceptori displiceant, tamen hæc et similia non continent injuriam personæ illatam, nec sunt offensa proprie talis; ergo a pari peccata venialia.

R. *N. Cons.* Priora nihil sunt nisi actiones præcise displicentes, prout supponitur : posteriora sunt actiones personale jus lædentes; quia prohibitæ supponuntur sub displicentiæ interminatione, ita ut etiam ex hoc unico capite displicentiam moverent, et pœnam provocarent, etsi ex se illa non mererentur.

Nec dicas 2°. Peccatum veniale solum est prohibitum sub pœna temporali, privatione uberiorum auxiliorum, imminutione fervoris, charitatis et aliarum virtutum : et sic respicit vel bonum ipsius hominis, quod lex intendit, vel bonum aliud Deo extrinsecum; ergo sicut furtum, quo quis Regi occulte aufert pecunias vel alia fortunæ bona, non est injuria personalis et offensa regia, sed tantum realis offensa; sic etiam se habet veniale.

R. 1°. *N. A.* Quia etiam est prohibitum sub interminatione displicentiæ divinæ.

R. 2°. *N. Cons.* Quamvis enim amicitia cum Deo consistat in gratia sanctificante, et sic in aliquo extrinseco, tamen peccatum illam dissolvens recte dicitur offensa Dei personalis; quia per hoc Deus accipit jus odio habendi hominem, sub cujus interminatione peccatum prohibuit. Itaque et veniale potest dici personalis offensa, quia per illud Deus jus acquirit displicentiam suam erga hominem ostendendi, sub cujus interminatione etiam veniale prohibuit. Ad *paritatem* responsum jam est supra. Quin sicut furtum, si præsente, et sub displicentia vel indignatione regia illud prohibente Rege fieret, offensa regia et personalis evaderet : sic cum hæc eveniant in veniali, illud merito offensa divina etiam personalis nuncupatur.

Nec dicas 3°. Etsi dicatur peccatum veniale aliquid leve continere contra personam Dei, non tamen proinde dicendum est, eum proprie offendere; tum quia quis non offenditur per actum indeliberatum, qualis est in veniali *ex imperfectione actus* : tum quia, si peccatum veniale non versetur circa Deum tanquam objectum, est tantum offensa materialis, non autem formalis Dei : tum quia, si etiam directe attingat Deum, tamen quia circa illum non versatur formaliter, ut ultimus finis est, adeo est levis malitia, ut nihil fere censeatur ad Dei honorem pertinere secundum moralem æstimationem.

R. *D.* Non tamen proin dicendum est, eum proprie, hoc est graviter offendere *C.* proprie, hoc est, vere, licet leviter offendere *N.* Ad rationem 1ªm. R. similiter. Sicut enim actus indeliberatus continet adhuc malitiam saltem levem, sic etiam dare levem offensam potest. Idem R. *ad* 2ªm. Nam materialis offensa hic debet tantum sumi pro virtuali et interpretativa, qualis etiam peccatum mortale, quod directe contra Deum non tendit, dicitur. Si alio sensu sumatur, falsum asseritur. *Ad* 3ªm. R. Quamvis nihil *fere*

censeatur pertinere ad Dei honorem secundum æstimationem moralem, tamen sicut reipsa *vere ac simpliciter* non potest censeri nullum esse malum aut peccatum nequidem leve, sic censeri etiam nequit, nequidem levem offensam non esse.

CAPUT II.

DE POENA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

ARTICULUS I.

AN PECCATO MORTALI STATUTA ET DEBITA SIT POENA ÆTERNA?

49. *Nota I.* Communis et certa est Theologorum sententia, quæ statuit cuilibet peccato mortali correspondere duplicem pœnam, damni scilicet et sensus, uti ex variis parabolis Matth. c. 13. et ex judiciali sententia Christi in cap. 25. Matthæi, aliisque ex locis, ubi mentio fit exclusionis a regno Dei et ignis inferni, manifeste colligitur. Rationem affert D. Thomas, quia peccato bina insunt : conversio ad commutabile bonum, et aversio a Deo. Aversioni autem respondet pœna damni, ut, qui voluntate Deum reliquit, ejus amicitia et conspectu involuntarie privetur : conversioni respondet pœna sensus, ut *quantum glorificavit se in deliciis, tantum detur ei tormentorum.*

De utraque pœna, quæ, sicut peccatum reipsa unum quid in genere moris constituit, sic una integra totalis pœna est, duplex hic quæstio movetur : altera *facti* : an peccato mortali vel reprobis statuta sit pœna æterna, hoc est, nunquam finienda ? altera *juris* : an mortale pœnam æternam mereatur ex natura sua, seu, unde sumenda sit ratio hujus perpetuitatis ?

50. *Nota II.* Platonicorum fabulis, qui asserta metempsychosi animas plerasque peccatis suis ac inde etiam pœnis liberandas affirmabant, nimium addictus Origenes, pluribus in locis negavit, dæmonum ac reproborum hominum pœnas fore æternas. Equidem purgare eumdem conati sunt præter alios Picus Mirandol., Merlinus et Genebrardus, sed irrito, ut Petav. L. 3. de Angelis c. 6. ostendit, conatu; cum et propria ejus scripta, et Theophil. Alex., Athanasius, Epiphanius, Hieronymus ac Augustinus, maxime vero Concilium Gen. V. id testentur, a quo Collat. 8. Can. 11. una cum scriptis error ille Origenis narrante Nicephoro L. 17. damnatus fuit. Præter hunc plures alios S. Aug. L. 21. de Civit. Dei recenset et refutat, qui homines saltem aut certas hominum classes variis ex fundamentis liberandas aliquando ab inferni pœnis erronee senserunt. Similem errorem postremis temporibus amplexi sunt *Sociniani,* negantes justum fore Dei judicium, si unicum peccatum æternæ pœnæ exciperent.

51. *Dico I.* Pœna inferni reproborum, et sic peccati mortalis, erit æterna. Est de fide.

Prob. Scriptura, ubi de pœnis inferni loquitur, semper eas fore æternas enuntiat. Sic Isa. c. ult. et Marc. 9. v. 45. dicitur : *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Judith. 16. *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* 2. ad Thess. 1. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas.* Apoc. 14. *Fumus tormentorum..... ascendet in secula seculorum.* Præterea Matth. 25. post recitatam Judicis divini ferendam in reprobos sententiam subditur : *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* In quæ verba S. Aug. L. de Fide et Operib. c. 15. n. 25. commentatur. *Neque illud dici hic poterit..... ignem æternum dictum, non ipsam pœnam æternam..... cum et hoc providens Dominus tanquam Dominus, sententiam suam ita concluserit dicens : Sic ibunt illi in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio, sicut ignis.*

Conf. 1. Ex Conc. Gen. V. supra cit. : ex Generali VI. Actione 11.; ubi recitata fuit epistola Sophronii hoc Origenis dogma referens et damnans (Labb. t. 6. p. 884. B.) : ex Later. IV. cap. *Firmiter* de SS. Trinit., ubi dicitur, quod reprobi cum Diabolo habituri sint pœnam *perpetuam* : ex Trid. Sess. 6. c. 14. et 15. et Sess. 14. c. 18., ubi definitur in justificatione impii *æternam pœnam* remitti : et ex eodem Sess. 6. Can. 25. ac Sess. 14. Can. 5., ubi supponitur *pœna æterna* peccato mortali esse statuta.

Conf. 2. Tum ex consensu Patrum, quos recitat Petavius de Angelis L. 3. c. 8. et quorum plurimi a nobis ibid. citantur ; tum ex sensu universali Fidelium, de quo S. Aug. L. de Hæres. ad *Quodvultdeum* cap. 43. ita scribit : *Quis enim Catholicus Christianus vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat... eos qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus et sacrilegiis atque impietatibus quamlibet maximis finierunt, ipsum etiam postremo diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno Dei lucique restitui?* Unde Fulg. L. de Fide cap. 43. *Firmissime,* inquit, *tene et nullatenus dubites... iniquos semper arsuros cum diabolo.*

52. *Dico II.* Peccatum mortale ex natura sua meretur pœnam æternam.

Prob. Deus peccato mortali decrevit pœnam æternam, ut constat ex num. præced. : Est autem prudens legislator, et justus vindex, imo de facto magis vult misereri, quam justitiam exercere ; ergo in taxanda hac pœna credendus est proportionem servasse ad peccati meritum, nec ultra condignum punire.

Conf. Ex fundamentis, quæ tanquam rationes perpetuitatis pœnæ a Theologis afferri solent. Earum

1ª. Est ex Greg. M. L. 4. Dial. c. 44. et D. Th. 1 2. q. 87. a. 3.; quia homo mortaliter peccando sua sponte contraxit reatum culpæ et pœnæ, seque in eum statum conjecit, in quo satisfaciendo in æternum non potest se eximere ab utroque hoc reatu, cum extinxerit principium satisfactionis, nempe gratiam et charitatem : quod quia ipse reparare non potest, et reatus uterque semper manet, semper pœna debetur.

2ª. Est ex S. Aug. ep. 49. (al. 102.) n. 27. q. 4. quia, qui mortaliter peccat, contemnit finem ultimum et æternitatem beatam : totum vero suum amorem

ac felicitatem perpetuam in creatura, quantum in se est, reponit; ergo et æternitatem miseriarum seu pœnarum damni et sensus meretur.

3ª. Est ex S. Chrys. hom. 9. in 1. ad Corinth. n. 1. quia mortaliter peccans ratione offensæ suæ gravis sponte dissolvit amicitiam cum Deo, et ejus inimicum se profitetur; ergo et se exposuit odio Dei, et ut tanquam inimicus ab eo habeatur, dum aut Deus offensam condonet, aut homo satisfaciat, quod postremum impossibile est damnatis.

53. *Obj.* 1. Æternitas in Scriptura interdum sumitur pro longissima, non tamen perpetua duratione; ergo ex ea non ostenditur perpetuitas pœnarum.

R. *D. A.* Sumitur pro duratione non perpetua, si sermo est de rebus vitæ et seculi præsentis *T.* si sermo sit de rebus vitæ et seculi futuri, ubi scilicet non est mutatio nec finis *N.* Dixi : *Transeat;* quia promissiones in æternum aliaque, quæ figuræ munus obeunt, sæpe secundum figuram quidem præteriere, secundum figuratum autem æterna sunt. Porro facit pro nostra veritate, quod Christus, ubi judicialem sententiam pronuntiat, utique proprio verborum sensu usus, pœnas dicat æternas. Accedit, ut observat S. Aug. L. 21. de Civit. c. 23., quod in eodem versu de vita æterna æque ac supplicio æterno mentio fiat; ergo cum adversarii veram vitæ æternitatem fateantur, quid perpetuitatem supplicii in dubium vocant?

Inst. 1. Scriptura multis in locis extollit misericordiam Dei supra justitiam. Item Ps. 102. ait : *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.....* Et Ps. 76. *Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* ergo. *Conf.* Marc. 12. de Scribis dicitur : *Hi accipient prolixius judicium.*

D. A. Scriptura extollit et sic loquitur de effectibus misericordiæ in hac vita et seculo *C.* in vita et seculo altero *N.* Nempe maxima Dei misericordia ex eo elucet, quod non damnaverit genus humanum secundum rigorem justitiæ, sed dederit Redemptorem, et nunc etiam peccantibus parcat propter Christum, detque locum pœnitentiæ; quod unum textus laudati probant. Unde ex annotatione S. Aug. postremo loco Psalmi statim subditur : *Dixi: nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi* etc. Vita itaque præsens est tempus miserendi, ubi homo corrigi potest et mereri. Post hanc vero erit tempus judicandi, prævalebit justitia, nec locus veniæ concedetur, ut Christus aperte monet Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Et Joan. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Adde, quod ex communi Theologorum damnati puniantur infra condignum, hoc sensu, quia Deus singulis peccatis decrevit pœnas minores, quam in toto rigore mererentur.

Ad Conf. R. *D.* Accipient judicium prolixius in acerbitate *C.* in duratione *N.* Inæqualia quidem damnatorum supplicia erunt quoad acerbitatem, non quoad durationem.

Inst. 2. Saltem non omnes, licet in peccato mortali fuerint mortui, in æternum punientur. Ejusmodi autem sunt *primo,* qui baptismum Christi et Eucharistiam acceperunt; quia *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Secundo,* qui manent in fide Christi; quia fundamentum habent Christum : unde licet opera mala huic superædificata fuerint, hæc quidem

tanquam fœnum et stipulæ exurenda sunt, ipse nihilominus, ut ait Apost. 1. Cor. 3. *salvus erit, sic tamen, quasi per ignem. Tertio,* qui perstantes in fide Christi et unitate Ecclesiæ faciunt opera misericordiæ, licet varia simul peccata committant; quia *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* etc.

R. Hos aliosque errores recitat et expugnat S. Aug. nuper laudatus, ex quo *N. Ass.*

Contra 1um. est, quod non omnis, qui semel crediderit et baptizatus fuerit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit : nec juvat, quod quis Eucharistiam accipiat; si enim dignus illum sumit, habet quidem panem operativum vitæ æternæ, quam obtinebit, si perseveret : si vero indignus, judicium sibi manducat.

Contra 2um. est, quod Christus pronuntiet damnationis sententiam in eos, qui opera misericordiæ non præstiterunt: Apostolus autem dicat, agentes opera carnis non possessuros regnum Dei : Ad Corinthios vero loquatur de igne purgatorio, non æterno, ad quem damnati discedent.

Contra 3um. est, quod valeant misericordiæ opera tum ad impetrandum a Deo gratiæ auxilium et ad pœnitentiam agendam, tum ad peccata delenda secundum reatum pœnæ restantem, si fiant propter Christum: Nihil vero valent ad vitam, si homo nolit diligere Christum, aut ab eo justificari, ut ait S. Doctor ex Apostolo: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Unde liquet, sub qua conditione beatitudo misericordibus promissa sit.

54. *Obj. II.* Prioribus saltem seculis non fuit constans de hac re sententia. Nam 1°. S. Justin. in Dial. cum Tryphone, et S. Iren. L. 2. adv. Hæres. c. 64. videntur negare immortalitatem animæ, et consequenter æternitatem pœnæ. 2°. S. Greg. Nyss. in Orat. catechetica c. 26. (opp. t. 3. p. 84. C.) et L. de anima et resurr. (ibid. p. 211. D. 212.) ait, Diabolum et homines post diuturnam purgationem liberandos. 3°. Greg. Naz. oratione 39. n. 19. et 40. n. 36, item in Carmine Heroico de Vita sua dubius saltem est de perpetuitate pœnarum. 4°. S. Ambrosius sermon. 20. in Ps. 118. n. 22-24. dubie et obscure, in comment. in ep. 2. ad Tim. c. 2. v. 20. autem satis clare negat pœnarum æternitatem. 5°. S. Hieron. variis in scriptis suis præsertim in comment. in ep. ad Ephes. affert sententias Origenis absque censura earum aut reprobatione; quin eumdem subinde laudat : in Dial. autem primo cont. Pelag. n. 28. textus Scripturæ, queis supplicium damnatorum exprimitur, in alium sensum vel de infidelibus duntaxat explicat, et præter alia dicit : *Aliud est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo.* Item : *Christianos, si in peccato prœventi fuerint, salvandos esse post pœnas.*

R. Quod Patres nonnulli speciem quamdam *dogmatis Origeniani* suis scriptis asperserint, ortum, si Petavio credimus, fuit ex eo quod illi Origenem magni fecerint, et in Scripturis interpretandis fere ducem adhibere consueverint. Quamvis vero illis ex eo capite facilius indulgendum foret, quod, necdum declarata tum temporis per Concilii definitiones mente Ecclesiæ, sinistram interpretationem sequerentur, et eorum etiam singularis opinio dogmati nostro nihil officiat, cum nonnisi unanimis Patrum consensus sit infallibilis; est tamen, quod ad singulos reponamus. Unde

Ad 1um. R. Justinus in Apologia utraque agnoscit pœnarum perpetuitatem tum a dæmone, tum a reprobis angelis et hominibus esse subeundam. Hujus sententiam laudat Irenæus, eique subscribit L. 4. cap. 47. (al. 28. n. 2. et 3.); unde quod obscurius de immortalitate animarum locis supra cit. dixerant, hic clarius reddiderunt.

Ad 2um. R. Gregorium Nyss. jam olim defendit Germanus Patr. Constantinopolitanus apud Photium asserens, ejus libros ab hæreticis Origenis fautoribus esse corruptos. Contra quod licet quidam ob styli similitudinem, dicendi caracterem et orationem consequentem excipiant; tamen improbabile non redditur, tum quia hoc imitationis et solertiæ genus ab hæreticorum ingenio non abhorret : tum quia Nyssenus in Or. *De his, qui baptisma differunt,* propius ad veritatem accedit.

Ad 3um. R. Nazian. in Orat. 16. n. 7. asserit luculenter pœnas damnatorum nullo fine terminandas; et in Carmine Iambico 19. de Comparat. Vitarum v. 195. vermem non esse moriturum. Unde alibi dicta mollius et de purgatorii pœna exponi debent.

Ad 4um. R. *Primum* Ambrosii locum obscurum fatemur : clarus autem sensus est L. de lapsu Virginis c. 8. n. 32. ubi ait : *Ego tamen qui scio graviora facinorosis servari tormenta, et in fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos, etc.* Commentariorum vero in ep. ad Ephes. auctor non fuit Ambrosius, sed *Hilarius* Diaconus Luciferianus, ut Bellarminus putat, vel alius quiscumque potius, ut hic Petavius annotat.

Ad 5um. S. Hieron. Catholicam de dogmate hoc sententiam suam multis in locis manifeste declaravit, nempe in Comment. ad Isa. c. 14. v. 20. et c. 27., ad Daniel. c. 3., ad Matth. c. 25.. v. 46., maxime vero in Apologia prima et secunda contra Ruffinum, qui eum salutis diabolicæ suspectum reddere conabatur ; ubi declarat in locis quibusdam objectis non suam, sed alienam sententiam a se propositam, neque laudatam Origenis personam, sed viri ingenium, nec eum ut Theologum, sed ut Philosophum commendatum, neque ejus opiniones fidei repugnantes esse adoptatas; quas dein, et suspicionem a se strenue propulsavit.

Ad illa, quæ ex *Dialogo* allata sunt, observandum 1°. Eum agere hic contra Pelagianos, qui negabant discrimen inter mortale et veniale intercedere, et remitti peccatum, antequam homo ita corrigat mores, ut immunis sit ab omni peccato : 2°. Nomine peccatoris aut iniqui ab eo non intelligi semper eum, qui mortalis peccati reus est, sed etiam illum, qui veniale tantum commisit.

Inde autem 1°. recte dicit, loca Scripturæ supplicium æternum testantia non esse intelligenda generaliter de peccatoribus omnibus, et cujusque peccati reis. 2°. Docet reos venialis peccati perdere eximiam gloriam innocentibus aut eximie sanctis destinatam, reos autem mortalis perire perpetuo; unde inter perdere gloriam et perire perpetuo bene distinxit. 3°. Christianos asserit salvandos post pœnas, si in peccato veniali præventi fuerint ; et reprehendit Pelagium, quod fideles cum infidelibus confundat ; cum tamen illi sæpe cum veniali duntaxat decedant, et hinc pœnis æternis non mulctentur : infideles autem moriantur in mortali, et hinc perpetuo supplicio subdantur.

Inst. 1. Ecclesia videtur credere, redemptionem aut refrigerium convenire

posse damnatis; sic enim orat in Missa pro defunctis : *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus etc. Conf.* Isa. c. 24. dicitur : *Congregabuntur..... in lacum, et claudentur ibi in carcere : et post multos dies visitabuntur.*

R. *N. A.* Ecclesia contrarium asserit, dum in officio defunctorum dicit : *In inferno nulla est redemptio.* Unde oratio illa ex communi Ecclesiæ sensu et usu in aliis officiis pervulgato retrotrahitur ad ipsum agonis momentum, adeo ut Deus futura oratione tactus rogetur, ut animam morientis liberet a pœnis inferni, nec sinat cadere in obscurum : vel effunditur, ut, si defuncti anima purgatorio igni tradita sit, ab eo liberetur, cum purgatorii locus ab Ecclesia sæpe inferorum nomine exprimatur.

Ad Conf. R. *D.* τὸ *visitabuntur* accipiendo pro officio consolationis alteriusve levaminis *N.* accipiendo pro exercitio punitionis aut afflictionis, sub qua ratione frequenter usurpatur in Scripturis *C.* Unde hic textus potius probat impios in æternum puniendos.

Inst. 2. Prudentius, Augustinus et Chrysost. apud Petavium de Ang. L. 3. c. 8. innuunt, damnatis subinde respirationis quidpiam obvenire, eorumque pœnas fidelium orationibus, si non solvantur, saltem sublevari. Ergo æterna pœna dici nequit.

R. Videtur poetica potius fingendi quidpiam licentia, quam probabilis sententia Prudentii esse, dum hymno quinto cecinit dæmonibus et damnatis pusillum quietis per festum Paschale indulgeri. S. Augustini in Ench. c. 110. non est absoluta, sed hypothetica tantum enuntiatio, ubi dixit, si sacrificia et pietatis opera damnatis aliquid prosint, non prodesse, nisi ut aliquid levamenti afferant. Denique S. Chysost. indulgentia quadam oratoria plus aliquid concessit immoderate defunctos deflentibus, dum hom. 3. in ep. ad Philip. dixit, Christianos damnatos per fidelium preces et sacrificia levi quidem, sed aliquo tamen solatio juvari.

Quamvis enim hac de re certi nihil ab Ecclesia sit decretum, maximum tamen contra illam præjudicium est, quod nunquam pro damnatis orare Ecclesia consueverit. Accedit, quod damnati sint extra communionem Sanctorum, adeoque a nostris precibus commodi nihil habere possint.

53. *Obj. III.* S. Aug. in Ps. 71. v. 14. *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum,* sic scribit : *Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis;* ergo juxta S. Doctoris mentem mortale ex natura sua non meretur æternam pœnam. *Conf.* Sap. 1. Deus non delectatur in perditione hominum : sed juxta Philosophum nullus sapiens facit aliquid, nisi propter se in ipso delectetur; ergo Deus non puniet homines morte æterna.

R. *D. A.* Plus mali invenitur in suppliciis, quam quod mali physici subinde commissum est in peccatis *C.* quam quod mali moralis est commissum *N.* Responsionem probant verba subsequentia : *Nam v. g. cum homicida corpus tantum hominis perimat, animo autem nihil nocere possit; ipsius et anima et corpus perditur in gehenna.*

Ad Conf. D. M. Deus non delectatur in perditione hominum antecedenter,

et non supposita culpa exigente hanc pœnam *C.* consequenter ad culpam *subd.* non delectatur in perditione præcise propter ipsam *C.* propter manifestationem justitiæ suæ *N.*

Inst. 1. Judex sapiens punit ad corrigendum; sunt enim testante Philosopho pœnæ medicinæ quædam : pœna autem æterna post judicium non prodest ad correctionem ; ergo.

R. *D.* Judex sapiens statuendo pœnas agit plerumque ad corrigendum, et pœnæ pro aliquo saltem tempore sunt medicinæ *T.* absolute, semper ac necessario, ita ut pœna esse non possit, nisi medicina aliis sit *N.* Pœnæ etiam æternæ sunt de facto medicinæ secundum illud Ps. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui;* post judicium etiam præstant, ut boni tanto magis gaudeant, quod vel ex justitiæ amore, vel ex pœnarum illarum timore bene egerint. Quanquam satis est, afflictiones illas æternas manere actus justitiæ vindicativæ, ac essentialem pœnæ rationem habere.

Inst. 2. Inter culpam et pœnam debet esse proportio : hæc non habetur, si pœna sit æterna, cum culpa sit momentanea ; ergo.

R. *D. M.* Debet esse proportio quoad entitatem vel durationem *N.* quoad meritum vel causam et supplicium vel effectum *C.* In nullo judicio requiritur inter culpam et pœnam proportio a duratione, ut D. Th. 1. 2. q. 87. a. 3. ad 1. ait, citans S. Aug. L. 21. de Civ. c. 11. *Non enim, quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte; in qua non consideratur occisionis mora, sed potius, quod in perpetuum auferatur a societate viventium : et sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus.*

Inst. 3. In tribunali humano quævis crimina sufficienter et æqualiter puniuntur pœna finiti temporis; ergo et in tribunali divino, ne Deus sit minus lenis, quam homines.

R. 1°. *N. A.* Tum quia ex modo dictis pœnam homines etiam infligunt, quæ suo modo repræsentat æternitatem pœnæ : tum quia, quod homines pœnas temporales flagitiis enormibus reddant, non ideo fit, quod pœnæ illæ sint sufficientes et æquales.

R. 2°. *Disparitas* est. Homines nec possunt exacte punire peccata, nec punire debent, nisi secundum exigentiam boni communis, quod sæpe non permittit adæquatam pœnæ rationem ad meritum culpæ. Deus vero potest et debet exacte punire, ut sicut sua est virtuti merces, sic vitio etiam sit pœna. Hinc vero non sequitur Deum minus lenem fore : sed optime novisse merita peccatorum, et sine periculo injuriæ aut excessus decernere posse supplicia.

Inst. 4. Peccatum mortale est aliquid simpliciter finitum in omni ratione; ergo et pœna in nulla ratione debet esse infinita.

R. *N. A.* Est enim mortale peccatum respective perfecte infinitum, est etiam moraliter infinitum quoad durationem, ut innuitur Marc. 3. v. 29. *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.*

Inst. 5. Etiamsi pura creatura non possit satisfacere pro peccato mortali, potest tamen satispati ; quia ad satispassionem, sicut ad solutionem, non

requiritur condignitas personæ satispatientis; ergo fundamenta superius allata nihil conficiunt. *Conf.* Licet quis puniatur juste, donec satisfaciat, quando satisfacere potest et non vult : juste tamen non punitur, quando satisfacere non potest; quia ad impossibilia ex communi axiomate nemo tenetur. Atqui damnati non possunt satisfacere; ergo.

R. *N. A.* Homo pro mortali peccato satispati nunquam potest, ita ut nihil amplius patiendum restet; tum quia ad pœnæ æternæ finem deveniri nunquam potest : tum quia reatus culpæ ex parte hominis infert debitum satisfaciendi, nunquam a damnato extinguendum.

Ad Conf. D. 2. *p. A.* Juste non punitur, si satisfacere non potest, nisi in statum impotentiæ se ipsum libere conjecit *T.* si in hunc statum libere se conjecit *N.* In humanis etiam juste plectitur is, qui libere contraxit majora debita, quam ut iis satisfacere queat. *Rationem D.* Nemo tenetur ad impossibile, ita tamen, ut loco impossibilis teneatur ad possibile *C.* ut neque ad possibile aliud teneatur *N.* Damnatus, cum nequeat solvere debitum contractum, debet quasi pensionem pœnarum perpetuam præstare.

Inst. 6. Indignum est, aliquem tamdiu cruciare, dum mutilatum alteri membrum restituat; cum id in ejus potestate non sit; ergo etiam iniquum est peccatorem tamdiu in inferno torquere, dum e statu peccati exeat, cum nec id penes eum sit.

R. *T. A.* ob modo dicta. *N. C.* Si pœna perpetui carceris, exilii, servitutis etc. legibus statuta foret, non esset indignum, ea transgressorem continenter mulctare, non quidem ideo, quod membrum non restituat, sed quod semper maneat reatus pœnæ, quo ipse tota sua vita se nequit eximere : quod si in mutilatores temporalis tantum pœna legibus fuisset sancita, transgressor utique indigne pœna perpetua afficeretur; siquidem exhausta pœna ille legibus nihil ultra debet, nec judex acerbius plectere potest, quam leges sinant. *Primum* etiam accidit in damnatis, qui non ideo puniuntur a Deo in æternum, quod non præstent impossibilia, sed quod reatus culpæ et pœnæ iis jugiter inhæreat, eosque odio et suppliciis dignos reddat; in *secundo* contrarium habetur; Deus enim ut summus et justissimus legislator sanxit, ut qui ipsum graviter offenderit, et decesserit inexpiatus, reatum pœnæ æternæ incurrat et subeat; unde nihil iniquitatis apparet.

Quæres : *Quid sentiendum de liberatione Trajani Imperatoris a gehenna precibus S. Gregorii Magni?*

56. *Nota.* In vita Gregorii M. Paulus Diaconus c. 27. et Joannes Diaconus L. 2. c. 44. narrant hunc Pontificem, cum per forum Trajani transiens recordatus esset mansuetudinis et justitiæ ab eo Imperatore olim viduæ cuidam exhibitæ, hac virtute commotum in Basilica S. Petri tamdiu pro Trajano flevisse et fudisse preces, dum sequenti nocte responsum accepisset, se pro Trajano fuisse auditum : monitum vero, ne pro ullo ulterius pagano preces funderet.

57. R. I. Rejicienda est tanquam commentitia. Ita post Baronium, Bellarminum, Melchiorem Canum, Dominic. Soto, Possevinum, Natalem Alexandrum, Card. Lambertinum aliosque plerique.

Ratio est 1°. Quia repugnat dogmati fidei, pœnas damnatorum æternas statuentis, et nullum excipientis.

2°. Quia repugnat ipsi fidei, quam S. Gregorius habuit, qui L. 7. epist. 15., L. 4. Dial. c. 44. et L. 34. Mor. c. 16. (al. 19. n. 35.) docet pœnas inferni esse æternas : nullam in inferno redemptionem : nec orandum pro hominibus impiis et sine baptismo vita functis, qualis erat Princeps ille Ethnicus, persecutor Christianorum atrocissimus et omnibus libidinibus deditus.

3°. Quia repugnat fidei humanæ ob Auctorum in hac historia referenda dissensionem; ob nugas, quibus illi narrationem hanc adornant; et ob veterum scriptorum tum vitæ Trajani, tum vitæ Gregorii de facti occasione et ipso facto silentium.

Nec obstat 1°. Quod hanc historiam ediderint duo illi Scriptores; quia synchroni non erant, sed trecentis ferme annis posteriores; hæc non ex probatis actis, sed obscuris et dubiis monumentis enarrantes.

Nec 2°. Quod eadem narratio habeatur in S. Joann. Damasceni oratione *de iis, qui in fide dormierunt*; tum quia hæc oratio est suppositicia, ut ostendit Bellarm., Nat. Alexander et Michael le Quien : tum quia in Dial. cont. Manichæos et L. 2. de fide Orthod. c. 4. propositionem universalem huic singulari narrationi contradictoriam S. Doctor hic defendit.

Nec 3°. Quod Euchologium Græcorum eam historiam in oratione quadam pro defunctis habeat; quia hæc fabula ex pseudo-Joanne Damasceno in Euchologium facile irrepere poterat; cui proin fides habenda non est, præsertim cum Ecclesia Græca, ex quo in schisma lapsa est, in graviores etiam errores impegerit.

Nec 4°. Quod in libris Revelationum SS. Brigittæ et Mechtildis idem contineatur; quia revelationes hæ fidem non faciunt, partim quia ab Ecclesia non fuerunt approbatæ, partim quia inter se circa hanc materiam contrariæ sunt.

58. R. II. Veritate hujus historiæ gratis supposita, audiri potest D. Thomas in supplem. q. 71. a. 5. ad 5. ita scribens : *Dicendum, quod de facto Trajani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus B. Gregorii ad vitam fuerit revocatus, et ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, et per consequens immunitatem a pœna : sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose a mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras et damnatos fuisse. De omnibus talibus enim similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum justitiam. Secundum autem superiores causas, quibus prævidebantur ad vitam revocandi, erat aliter de iis disponendum. Vel dicendum secundum quosdam, quod anima Trajani non fuit simpliciter a reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii : nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia; quia alia sunt, quæ lege communi accidunt; et alia, quæ singulariter ex privilegio aliquibus conceduntur : sicut alii sunt humanarum limites rerum, alia divinarum signa virtutum, ut Aug. dicit in L. de cura pro mortuis agenda.*

ARTICULUS II.

QUA PŒNA PUNIATUR PECCATUM VENIALE?

59. *Nota.* Certum est inter Theologos 1°. peccatum veniale per se et ex natura sua non mereri pœnam æternam. Sequitur enim hoc ex differentia inter peccatum mortale ac veniale, et ex fundamentis, ob quæ pœnarum æternitas mortali a Patribus tribuitur. Ea vero cum in veniali locum non habeant, nec perpetuitatem pœnarum fundant. 2°. Per se mereri pœnam temporalem, sive in hac vita, quæ consistit partim in privatione donorum supernaturalium, auxiliorum nempe gratiæ efficacis, fervoris charitatis, et familiaritatis cum Deo, partim in illatione pœnarum naturalium, puta, doloris, morbi, egestatis, belli, famis aut etiam mortis, ut ex Scriptura et Patribus novimus : sive post hanc vitam seu in purgatorio, quæ stat tum in privatione aut potius dilatione visionis beatificæ et in tristitia animæ propter eam, tum in pœna sensus, hoc est, doloribus ac molestiis ab igne purgatorio natis, ut illud Apoc. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum;* et 1. ad Cor. 3. *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem;* ac Matth. 5. *Amen dico tibi : non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem;* Concilia et Patres de pœnis purgatorii peccato veniali post hanc vitam debitis exponunt. Restat proin quæstio de peccato veniali conjuncto cum mortali : utrum hoc saltem *per accidens* æternum puniatur in damnatis?

60. *Dico.* Nullum veniale in damnato etiam *per accidens* punitur pœna æterna.

Prob. Exhausta pœna per leges sancita, reus eam passus nihil amplius debet, nec judex pœnam ulteriorem ab eo juste exigit; ut patet in pœnis humanis, imo etiam infernalibus; quæ licet sint infra condignum, tamen quoad intensionem maximam a Deo non exiguntur, et a damnatis expiantur. Ergo cum temporalis pœna veniali per leges divinas decreta exhauriri possit, ea persoluta nec damnatus habet debitum sustinendi, nec Deus jus infligendi pœnam ulteriorem, qualis æterna foret; ergo cum Deus etiam *per accidens* puniendo non agat, nisi secundum debitum rei et jus suum judiciale, peccatum nullum veniale punit etiam *per accidens* pœna æterna.

Conf. 1. Deus ex Patrum et Theologorum consensu damnatos non punit ultra condignum : id vero faceret, si veniale per accidens plecteret æternum. Nam pœna v. g. unius anni intensa ut decem, quæ interim tanquam per se et ex condigno debita jocoso mendacio supponitur, per pœnam inferni intensam tantum ut unum post decem annos æquaretur : post alios decem in duplo excederetur : sicque, decennia in infinitum numerando, crescente semper proportione superaretur; ergo.

Conf. 2. Licet veniale in damnato ob conjunctionem cum mortali et ortum inde statum inimicitiæ fiat *per accidens* irremissibile; tamen imprimis manet culpa levis, quia illæ circumstantiæ non mutant essentiam venialis : deinde debitum pœnæ per ejus passionem manet extinguibile, quia ad satispassionem et pœnæ solutionem non requiritur status gratiæ vel favor Dei

extrinsecus, ut eum satisfactio et remissio culpæ exigit; ergo et pœna correspondens levi culpæ manebit levis ac temporanea, eaque non evadet *per accidens* insolubilis.

61. *Obj. I.* Quamdiu manet causa necessaria, manet ejus effectus et proprietas: sed reatus culpæ in peccato est causa reatus pœnæ, tanquam effectus et proprietatis; ergo.

R. *D. M.* Manet ejus effectus et proprietas in physicis *C.* in moralibus *subd.* si effectus et proprietas sit absoluta et inseparabilis *C.* si sit conditionata et separabilis *N.* Proprietas physica producitur per influxum physicum; unde conservata causa necessaria, utpote influxum illum physicum semper præstante, etiam naturaliter perseverat, ut patet in calore, proprietate ignis. Conservatio autem ac perseverantia proprietatum moralium conditionata tantum esse et hinc cessare potest, conditione posita.

Quamvis itaque permittatur reatum pœnæ esse reatus culpæ effectum et proprietatem, cum tamen uterque reatus rectius dicatur effectus peccati actualis; tamen proprietas est tantum *moralis,* quæ, sicut reatus culpæ perire potest reatu pœnæ permanente, sic etiam tolli potest reatu culpæ perseverante, cum hic reatus ad morem debitorum aliorum destruatur per solutionem pœnarum, ob cujus negationem perseverare dicitur.

Inst. 1. Quamdiu manet culpa peccati, peccatum manet pœna dignum, et hinc juste puniri potest: sed culpa in veniali manet æternum; ergo. *Conf.* Deus potest quid juste punire, quamdiu id ipsi displicet: sed veniale non remissum quoad culpam illi æternum displicet; ergo.

R. Quamdiu manet culpa peccati, peccatum manet pœna dignum dignitate radicali et quasi conditionata *C.* actuali et absoluta *N.* Dignitas radicalis ad pœnam est ratio et fundamentum, cur possit aut potuerit pœna infligi: hæc dicitur conditionata, quia non facit, ut de facto et adhuc infligi pœna possit, nisi supponatur pœnam necdum esse solutam. Dignitas actualis est debitum præsens adhuc sustinendi pœnam.

Ad Conf. D. M. Deus potest quid juste punire, quamdiu id ipsi juste displicet, si illud necdum adæquate punivit *C.* Si illud jam secundum reatum pœnæ adæquate punivit *N.* Justitia formaliter consistit in adæquatione juris et debiti; cum itaque damnatus pro debito pœnæ temporalis adæquate fuerit satispassus, sicque illud adæquando extinxerit, Deus remanentem reatum culpæ juste punire nequit.

Inst. 2. Reus juste a Deo potest puniri, quamdiu habet complacentiam in peccato: hanc habet damnatus *in veniali* quoad culpam non remisso; ergo.

D. M. Quamdiu habet complacentiam liberam, et quæ sit novum formale peccatum *C.* quamdiu habet complacentiam necessariam, et quæ peccatum formale non sit *N.* Argumentum, si valet, nimium probat, nempe peccata in damnatis et consequenter pœnas sine fine augeri.

62. *Obj. II.* Ideo peccatum mortale per se punitur pœna æterna, quia damnatus per hoc peccatum sponte se conjecit in talem statum, ubi principium vitæ ipsi deest, satisfactio fit impossibilis, et culpa irreparabilis; ergo veniale saltem per accidens punietur pœna æterna, quia per accidens, scilicet per mortale conjunctum, constitutum est in statu omnino simili.

Conf. Pœna correspondet culpæ et malitiæ ut duranti : sed culpa venialis semper hic durat ; ergo.

R. *D. A.* Ideo præcise aut tantum punitur per se pœna æterna mortale *N.* tum propter hoc, tum propter alias rationes a priori æque ac maxime a posteriori *C.* Inter alias rationes etiam attulimus illam ex D. Thoma, quantumvis hic nobis contrario; tum ut ex nostris non solum, sed et ex alienis principiis veritatem theseos confirmatam ostenderemus : tum quia declarandum ibi erat, quid peccatum mortale *per se* efficeret ac induceret, quandoquidem de ipso peccati merito sermo fuerat. Cum autem in præsenti non sit quæstio de natura et merito ipso venialis, sed de accidentali tantum statu, sequelas a D. Thoma ex illo principio deductas admittendi nulla necessitas urget; præsertim cum aliis principiis communibus illæ repugnare videantur.

Ad Conf. D. M. Pœna respondet culpæ et malitiæ ut duranti in reatu ad sustinendam pœnam *C.* ut duranti in reatu ad sustinendam displicentiam *subd.* si libere duret, aut pœna non sit per passionem æquata *C.* si aut non libere duret, aut æquata sit pœna *N.*

Inst. Ex nostra thesi sequeretur 1. Relinqui in hoc universo aliquid inordinatum, scilicet culpam sine pœna : 2. Dari remissionem pœnæ sine meritis Christi : 3. In inferno locum habere redemptionem, et pœnas decrescere ac mitigari : 4. Pro remissione pœnarum damnati posse offerri preces et applicari indulgentias.

R. *N.* Hæc vel sequi, vel a fidelium sensu aliena esse.

Ad 1um. R. *D.* Relinqui culpam sine pœna soluta et solvenda *N.* sine pœna non amplius quidem pendenda, cum jam ex æquo data fuerit *C.* Imo vero ordinatissimum est a Deo nullum peccatum puniri ultra condignum.

Ad 2um. *D.* Dari sine meritis Christi remissionem per satisfactionem, et reparativam offensæ *N.* remissionem per satispassionem, et præcise per passivam adæquatam vindicativæ justitiæ, eamque nullatenus salutarem nec meritoriam solutionem *C.* Hinc meritis Christi nihil decedere constat, quæ ad satisfactionem, reparationem honoris læsi, ac salutarem satispassionem ordinata fuerunt.

Ad 3um. *N.* 1^{am}. *part.* Juxta quosdam proprie redimi pœnam est loco pœnæ debitæ offerre pretium aliud æquivalens, vi cujus judex ad permutandam vel omittendam vindictam movetur : improprie redimi est condonari vel minui pœnam ex judicis clementia. Neutrum accidit in inferno, ubi pœna non redimitur, sed expiatur et solvitur. 2^{am}. *part. C.* Hoc enim non repugnat persuasioni fidelium, qui sentiunt peccatum quidem mortale, non autem veniale pœna æterna puniri.

Ad 4um. *N. seq.* ex solut. ad *Inst.* 1. n. 54.

Quæres I. *Quomodo remittatur reatus culpæ decedentibus cum solo peccato veniali?*

63. *Nota.* S. Thomas in 4. Dist. 21. a. 3. contra Alensem aliosque probat sæpe contingere, ut venialia peccata non remittantur ante mortem. Ex illo autem Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum,* statuunt omnes, etiam reatum culpæ venialis sublatum esse oportere, antequam justus homo in gloriam cœlestem ingrediatur. Præterea statuunt communiter Theologi,

culpam in hac providentia nunquam mere condonari. Denique ratio manifesta probat, pro reatu culpæ in hac vita non remissæ animas in purgatorio non posse condigne satispati; cum culpa etiam venialis sit malum morale et altioris ordinis, quam pœna, quæ malum tantum physicum est, et nulla ratione adæquare illum ordinem valet.

His suppositis ad solvendam quæstionem auctores duplicem sententiarum classem afferunt: 1ª. est, quæ statuit culpam remitti a Deo sub ipsum animæ egressum: 2ª. quæ vult remitti eam in ipso purgatorio et egressu ex eodem. In hac materia, quæ ex certis fundamentis decidi nequit, sufficiet nobis diversas exponendi rationes ab auctoribus inventas attulisse.

64. R. I. Secundum *primam classem* remittitur culpa in ipso instanti mortis seu in primo non esse vitæ, vel vi gratiæ finalis, vel vi meritorum præcedentium et resultantis inde juris, quod justus habet ad introitum in gloriam et remotionem omnium impedimentorum ad eam: vel vi actus contritionis intensissimi, quem in egressu e corpore anima elicere dicitur.

65. R. II. Secundum *alteram classem* remittitur culpa vi actuum charitatis divinæ, patientiæ, ac resignationis in voluntatem divinam aliorumque actuum supernaturalium in purgatorio ab anima elicitorum: idque vel via meriti; quia purgatorium pertinet quodammodo adhuc ad viam, nec est terminus: vel per viam satisfactionis; quia purgatorium ex ordinatione divina est locus non modo satispatiendi, sed et pro residuis culpis venialibus satisfaciendi: vel per viam deprecationis et impetrationis; cum sicut animæ in purgantibus flammis detentæ, tanquam Deo gratæ, possunt precari et impetrare quidpiam pro aliis, sic et remissionem culpæ pro se impetrare queunt.

Quæres II. *In quonam consistat ratio peccati habitualis?*

66. R. I. Peccatum habituale nihil est aliud, quam ipsum actuale physice præteritum, sed moraliter perseverans in reatu culpæ, seu per ordinem ad debitum sustinendi odium, vel displicentiam divinam.

Prob. Sicut ab actu malo existente denominatur homo actu peccator; ita habitu et reatu peccator aptissime dicitur ab actu physice quidem præterito, sed moraliter, h. e. habitu et reatu perseverante.

Conf. 1. Ex S. Aug. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 26. cit. supra num. 29.

Conf. 2. Peccatum perseverans ad debitum sustinendi odium, si fuerit mortale; aut displicentiam, si fuerit veniale, est radix aliorum effectuum, ut sunt privatio gratiæ sanctificantis, reatus pœnæ... imo præscindendo a reliquis, et hoc uno intellecto satis cognoscitur perseverantia moralis peccati.

Si ais: Peccatum habituale dicitur mors animæ; ergo consistit in privatione, id quod diserte docet D. Thomas. *Item* peccatum dividitur in actuale et in habituale; ergo non possunt esse idem.

R. *D. A.* Dicitur mors animæ demeritorie et causaliter *C.* formaliter et in se *N.* Idipsum D. Thomas alibi diserte asserit, quod privatio gratiæ sit pœna peccati, non ipsum peccatum. Præterea *divisio* peccati in actuale et habi-

tuale non est divisio generis in species, sed subjecti in accidentia; non per membra stricte ac physice dividentia, sed per diversos tantum status.

67. R. II. Perseverantia moralis peccati habitualis explicatur proxime et formaliter per negationem satisfactionis vel condonationis.

Prob. Peccatum habituale perseverans est peccatum non remissum; ergo sicut offensa principis dicitur moraliter perseverare, ex eo quod physice præterierit, et vel ab offendente non fuerit expuncta per compensationem, vel a principe non condonata; ita offensa Dei.

Si ais 1°. Sequeretur, tum quod Deus esset causa peccati habitualis, quia negatio condonationis fundat perseverantiam peccati : tum quod Deus odio haberet suam negationem condonationis, quia aversatur etiam peccatum habituale ut perseverans.

R. *N. seq.* Nam 1°. Deus non condonando non intendit directe perseverantiam peccati, nec proprie conservat, nec positive in illud influit; sed utitur jure suo, quo cedere non tenetur; et nihilominus ad promerendam condonationem disponit et excitat. Homo autem causa dici debet, tum quia posuit actuale peccatum; tum quia contra debitum et obligationem non satisfecit. 2°. Deus aversatur peccatum ut perseverans, ita ut perseverantia sit duntaxat conditio, sine qua non amplius odisset peccatum; non item ratio motiva et provocans indignationem Dei.

Si ais 2°. Perseverantia moralis peccati habitualis proxime et formaliter explicatur per obligationem satisfactionis et jus aversandi; tum quia sublato jure et obligatione tollitur peccatum habituale : tum quia obligatio et jus sunt priora, et præsupponuntur ad utramque negationem.

R. *N. A.* Quia obligatio hæc, et jus illud perseverans præsupponunt tanquam titulum peccatum habituale, et sunt ejus effectus : sicut eadem obligatio et jus primum præsupponunt peccatum actuale, cujus sunt effectus. Tollitur quidem peccatum habituale sublato jure et obligatione, sed qua negantibus præcessisse satisfactionem vel condonationem. Demum obligatio prima et jus primum sunt priora ; non vero obligatio et jus perseverans : sic enim ex peccato habituali et ex negatione oriuntur.

DISPUTATIO III.

DE PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

Peccati originalis nomine intelligimus ex annotatis n. 3. illud, quod a primo homine in omnes ejus posteros naturali generationis via ab eo descendentes transfusum hos ipso originis momento inquinat, reddit Deo inimicos, indignos cœlo, et variis vitæ calamitatibus ipsique morti obnoxios. Controversiam de illo *Celestius,* Pelagii socius, aut inter discipulos antesignanus, ad quæstiones præter fidem referre quidem conatus est; sed S. Augustinus tum epist. 89. (al. 157. n. 11. et seqq.) tum de gratia et pecc. orig. L. 2. c. 24. et L. 1. cont. Julian. c. 2. ostendit, eam *ad ipsa Christianæ fidei fundamenta pertinere,* unamque esse ex iis, quibus *proprie fides Christiana consistit.* Quare et nos hanc materiam accurate tractandam censemus, atque eum in finem et errorum et veritatis demonstrationem ac vindicias dare aggredimur.

ARTICULUS I.

QUINAM CIRCA ORIGINALIS PECCATI EXISTENTIAM FUERINT ERRORES?

68. *Dico I.* Triplex classis est eorum, qui circa peccati originalis existentiam errarunt.

1ª. Gentilium, qui peccatum originale ignorarunt, et, juxta quosdam, Hebræorum nonnullorum, qui circumcisionem nihil, nisi notam characteristicam populi Judaici ab infidelibus existimabant. Sed ignorantia hæc potius, quam error forte dicenda est; eo quod originale malum ex revelatione duntaxat innotescat.

2ª. Hæreticorum, ex quorum erroneis alias opinionibus peccati originalis existentia destruitur. Ejusmodi erant Manichæi, aliique bina rerum principia diversa, et animam in homine, alteram bonam, alteram malam, fingentes, atque hinc teste S. Aug. L. 20. cont. Faust. c. 46. baptismum tanquam prorsus inutilem rejicientes; quorum dogmata sicut secuti sunt Albigenses, sic baptismum etiam parvulis ad salutem prodesse negarunt. Huc aliqua ratione reduci etiam potest Origenes, qui quamvis nullibi peccatum originale negaverit, et baptismi etiam necessitatem ad parvulorum peccata delenda hom. 8. et 12. in Levit. (si tamen hæc commentaria illum auctorem

habeant) asseruerit; tamen cum animas ante peccasse docuerit, quam corporibus conjungerentur, non originale, sed habituale peccatum, in superiori vita commissum in baptismo tolli autumasse a quibusdam censetur.

3ª. Est PELAGIANORUM, quorum capitale dogma et veluti cæterorum errorum omnium basis erat negatio peccati originalis. Hoc autem sequentibus articulis, ut ex MARIO MERCATORE coævo in Commonitorio, Conciliis Carthaginensi et Diospolitano, et S. AUGUSTINO in L. 2. de grat. et pecc. orig. aliisque discimus, constabat. 1°. *Adamum mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus.* 2°. *Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læsit, et non genus humanum.* 3°. *Quoniam infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem.* 4°. *Quoniam neque per mortem Adæ omne genus hominum moritur, quia neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgit.* 5°. *Quoniam infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam æternam.* Atque de hac una classe hic et in posterum a nobis agetur.

69. *Dico II.* Erroris hujus auctores et sectatores nonnihil variarunt.

Variatio 1ª. evenit inter ipsos *auctores,* CELESTIUM nempe et PELAGIUM, de qua audiendus S. AUG. L. cit. c. 12. *Quid inter istum et Celestium in hac quæstione distabit, nisi quod ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certe ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia Carthaginensi damnare voluit, quod in Romana postea se tenere confessus est, et corrigi paratum se esse professus est, si ei tanquam homini error obrepserit. Iste autem et illud dogma* (in Synodo Diospolitana seu Palæstina) *damnavit tanquam contrarium veritati, ne ipse a Catholicis judicibus damnaretur; et id sibi defendendum postea reservavit, aut mendaciter damnans, aut callide interpretans.*

2ª. Fuit in *defensione dogmatis.* Nam 1°. PELAGIUS æque ac CELESTIUS satagebant quæstionem hanc inter illas referre, quæ præter fidei periculum in utramque partem disceptari possint, ut S. AUG. L. cit. c. 23. annotavit. 2°. Ita damnabant publice suos errores, ut tamen apud discipulos sensum et explicationem hæreticam retinerent. Illud enim, quod dixerant, non tantum primo homini sed etiam humano generi peccatum primum obfuisse, intelligebant factum *exemplo, non propagine*: quatenus nempe Adamum peccantem omnes imitati sint. Alterum, quo fatebantur infantes non esse in eodem statu, in quo Adam ante prævaricationem fuerat, interpretabantur hoc sensu duntaxat dictum, quod infantes *præceptum capere nondum possint, Adam autem potuerit.* Denique ubi baptismum necessarium parvulis asseruerant, necessitatem eam exponebant ad hoc, ut *infantes sanctificarentur in Christo, et hæredes regni cælestis fierent,* non autem ut peccata illis remitterentur. Quin et parvulos *in remissionem peccatorum baptizari*; sed hoc sensu admittebant, quod eodem baptismo initiarentur, quo iis, qui lapsi sunt, peccata remittuntur: sive qui ex se et natura sua idoneus est ad peccata delenda; ut iterum constat ex S. AUG. L. cit. c. 4. et 5. et aliis in libris ac ep. 106. (al. 186.) passim. 3°. Conabantur imponere Rom. Pontificibus INNOCENTIO et ZOSIMO oblatis fidei professionibus fraudulentis partim errores suos subdole tegentibus, partim obedientiam definitioni Pontificiæ simulato spondentibus,

atque hac ratione veniam suo dogmati ac indulgentiam sibi a damnatione aucupantibus; ut ex iisdem fontibus habetur.

3ª. Accidit in ipsa *doctrina*. Etenim 1°. aliqui PELAGIANI, ut refert S. AUG. L. 1. de pecc. merit. c. 35., propria quædam peccata in parvulis recens natis esse dicebant, quæ per baptismum illis remitterentur. 2°. Plures argumentis Catholicorum, ut apparet, convicti, docere cœperunt Adamum post peccatum mortalem esse factum, atque ex eo per generationem ab ejus filiis mortem quidem corporis trahi, non tamen animæ, hoc est, peccatum; ut idem Doctor L. 4. cont. 2. ep. Pelag. c. 2. et 4. n. 6. notavit. Cum his sub prima sui erroris initia sensisse JULIANUM, auctor est Marius Mercator in suo *Commonitorio*, quamvis postea omnem Pelagii hæresin contra S. AUG. defendendam susceperit. Dimidiatum hunc de originali Pelagianismum renovarunt etiam postremis seculis *Zwinglius, Jacobus Faber,* et *Erasmus*. 3°. Reliqui omnes, quos alibi notavimus, errores retinuerunt, novosque diu post Sectatores acceperunt in *Anabaptistis* et *Socinianis*.

ARTICULUS II.

AN EXISTAT PECCATUM ORIGINALE?

70. *Dico*. Existentia peccati originalis est *Dogma fidei*.

Ita TRID. Sess. 5. statuit, fatetur et declarat: SCRIPTURA SACRA demonstrat: TRADITIO Ecclesiæ evincit: et congruæ RATIONES persuadent. Argumenta hæc validissima jam olim in Pelagianos strinxerunt SS. Patres, qui controversiam hanc data opera disputarunt. Inter eos primus ac præcipuus est S. AUGUSTINUS, qui hanc materiam copiosissime pertractavit in libris de grat. et peccato originali, de nuptiis et concupiscentia, de peccatorum meritis et remissione, contra duas epistolas Pelagianorum, et adversus Julianum; denique in aliis suis libris et epistolis frequentissime. Post hunc idem argumentum studio singulari versarunt S. PROSPER ad Capitula Genuensium resp. 3., S. FULGENTIUS L. de gratia Christi, HUGO de S. Victore L. 1. de Sacramentis, ANSELMUS L. de conceptu Virginali et peccato originali etc.

§. I.

Quibus argumentis ex Scriptura probetur et vindicetur existentia peccati originalis?

71. *Argumentum I.* Sumitur ex Veteri Testamento. Et quidem 1°. ex Jobi c. 14. v. 4., quem versio 70. Interpret. sic recitat: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Secundum Vulgatam autem sic Deum alloquitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* Sic autem argumentor: Sordes et immunditia, de qua loquitur Job, homini inest ab ipsa ejus conceptione, ut patet ex verbis, atque hinc omnibus inhæret et in omnes propagatur. Sed hæc immunditia non est corporea, sed spiritualis, seu peccatum; tum quia per immunditiam sæpius intelligitur peccatum, ut liquet ex Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et tanquam pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ:*

tum quia hanc immunditiam Deus *solus* tollere potest, ut asserit nostra Vulgata : tum quia in cap. sequente v. 14. ex opposito immaculatus et justus idem sonant : *Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut justus appareat natus de muliere?* ergo.

Ex quo etiam occluditur effugium Socino, qui hic sermonem esse vult de immunditia comparative ad Deum, in cujus *conspectu* etiam *cœli* ibid. c. 15. v. 15. *non sunt mundi.* Hæc enim immunditia pro *imperfectione* sumpta a Deo etiam tolli nequit ; nec proinde fundat comparationem ad *mundum* et *mundandum,* quam tamen insinuat Vulgata : nec maculam a *sordibus* exprimit, quam 70. Interpret. versio supponit.

2°. Ex Psal. 50. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea.* Hic quamvis de peccatis in plurali Vulgata et 70. Interp. enuntient, tamen peccatum originale intelligi potest ; tum quia juxta S. Aug. in Enchir. cap. 44. et 45. in sacris æque ac profanis scriptionibus usitata est figura intellectionis, qua numerus pluralis pro singulari, et vicissim usurpatur : tum quia Adami peccatum, quod a posteris contrahitur, plures iniquitates, superbiam scilicet, infidelitatem, inobedientiam complectitur ; quibus accedit, quod S. Hieronymus aliique fere omnes vim vocis hebraicæ secuti reddant illum versum cum singulari : *in iniquitate, in peccato.* Unde sic : Iniquitas et peccatum, in quo conceptum se David profitetur, erat verum et proprie dictum peccatum ; cum et ipsa vox hebraica et eadem adulterio Davidis in hoc Psalmo attributa id significet. Atqui illud non potuit aliud esse quam peccatum originale ; non enim erat peccatum *personale* Davidis, cujus vel tanquam infans ratione carens in utero materno erat incapax, vel in quo certe ipse non fuerat conceptus : nec erat peccatum *parentum* Davidis ; siquidem is ex legitimo sanctoque conjugio natus fuit : gignendi autem actio et honesta et justa est, atque ad fidelium parentum laudem spectat : ac David præterea in hoc loco non suscepit aliorum malitiam incusare, sed proponere Deo suam miseriam ejusque misericordiam allicere. Consequens itaque est, ut peccatum hoc vitio *primorum parentum* adscribatur, et Deus, qui hominem rectum fecit, et conjugii a Deo instituti officium, et liberorum procreatio extra Manichæorum calumnias collocentur. Hoc autem evicto, David non uni sibi proprium, sed omnibus hominibus commune peccatum expressit ; cum scire non potuisset se in peccato esse conceptum, nisi omnes Adæ posteros nasci peccato obnoxios novisset. Vide de his Bellarm. L. 4. de amiss. grat. c. 4.

72. *Argumentum II.* Sumitur ex Novo Testamento. Et quidem 1°. ex epist. ad Rom. c. 5. v. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt etc.* Et v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Inde enim sic arguo : Peccatum, quod in mundum intravit per unum hominem, in quo omnes peccarunt, est verum et proprie dictum peccatum. Quamvis enim peccatum in Scripturis nonnunquam sumatur metonymice pro peccati pœna, in iis tamen *peccare* nuspiam acceptum legimus pro *puniri* ; in uno autem homine omnes peccavisse dicuntur. Præterea sub peccati nomine hic nequit intelligi *mors* tanquam pœna ; quia alias sensus foret : mors in hunc mundum intravit,

et per mortem mors : nec potest intelligi effectus alius, *pronitas* scilicet *ad peccandum*; eo quod non huic, sed peccato proprie dicto decreta sit mors juxta illud Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur* : et ad Rom. 6. *Stipendia peccati mors*. Atqui peccatum hoc est ipsum originale peccatum.

Nam 1. non est *peccatum actuale Adami*, quatenus tantum in ipso et personale erat; tum quia non intravit sive peccatum sive mors in mundum ratione solius Adami, sed per Adamum intravit peccatum in omnes homines, quia in Adamo omnes peccarunt, et ita etiam per eum in omnes mors pertransiit : tum quia per unum hominem intelligenda esset potius Eva quam Adamus; nec inter hunc et Christum toto hoc capite comparatio institui potuisset, si textus recitatus nihil ediceret, nisi cœpisse peccatum esse in mundo, dum Adam peccavit.

2. Non est actuale peccatum, quod *ad exemplum Adami* fuerit commissum ab omnibus, et sic imitatione, non autem propagatione in mundum introiverit. Imprimis enim id *antithesis* inter Adamum et Christum hic instituta non patitur : deinde quod hominum plurimi non cognoverunt, ut *infideles*, aut cognoscere non potuerunt, ut *infantes*, aut si quidem cognoverunt, tamen damnarunt, ut multi *fideles*, id certe imitati fuisse dici nequeunt; hæc autem omnia respectu peccati Adæ certa sunt. Denique si exemplo introivisset peccatum in mundum, et imitatione homines duntaxat peccassent, mortui essent omnes ob suum et non alterius delictum, nec in alio peccassent, nec per alterius inobedientiam essent constituti peccatores. Præterea Apostolus de imitationis peccato locuturus debuerat potius afferre peccatum *Diaboli* aut *Evæ*, per quos prius, quam per Adamum peccatum intraverat. Plura vide in Bellarm. cap. 3. l. c., ubi et Vulgatæ cum Græco concordiam contra Erasmum vindicat.

2°. Ex 2. ad Corinth. 5. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt : et pro omnibus mortuus est Christus : ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit*; quod ratiocinium, ut ostendit Aug. L. 6. cont. Julian. c. 4. n. 8. legitimum non foret, si non homines universi, ac ipsi etiam infantes mortui forent morte peccati. Item ex epist. ad Ephesios 2. v. 3. *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri*. Cujus sensus est : a primo naturæ nostræ exordio, seu ex nativitate, et sic non consuetudine aut imitatione eramus obnoxii iræ ac vindictæ divinæ; huic autem nemo obnoxius est, nisi ob peccatum : unde consequitur nasci omnes cum peccato.

Nempe id probant verba et ordo textus græci, in quo vox τέκνα non tam filium, quam *partum et nativitatem* significat : et secundum constructionem *filii natura iræ* legitur; quasi filios naturales, et quod naturam spectat, iræ diceret, ut hos opponeret filiis adoptione : probat etiam scopus et finis Apostoli, qui, ut Judæorum jactantiam gentilibus se præferentium retunderet, illos æque ac hos ex nativitatis origine aliquando iræ divinæ obnoxios fuisse declarat, et hinc radicem et causam mali, de quo ante dixerat, scilicet depravatæ vitæ aperit. Unde quamvis vox græca ambigua sit, et Julianus hunc locum sic reddiderit : *Eramus prorsus filii iræ*, hancque interpretationem S. Hier. non rejiciat; tamen S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 10. n. 33. recte Vulgatam, quam Hieronymus etiam secutus est, præhabendam censuit, præsertim quod eam summus latinorum omnium Codicum consensus firmaret.

73. *Obj. I.* Unicus locus, unde peccati originalis existentia asseritur, est cap. 5. ad Romanos : sed hic de peccato originali non agitur; ergo. *Prob. min.* Peccatum originale est, quod habetur per generationem : sed de hoc non loquitur hic Apostolus; quia generatio fit per duos, dicitur autem v. 12. *Peccatum per unum hominem intravit in mundum ;* ergo.

R. Præcipuum hunc locum esse concedimus, unicum esse negamus, ut ex Patrum testimonio et ratiociniis supra allatis patet. Sed *T. M. N. m.* Quamvis enim *Pelagius, Julianus, Erasmus, Grotius* et *Joan. Clericus* indè demonstrationem peti posse negarint; hoc tamen velut decretorio invictè usi sunt Patres Africani in *Concilio Nationali,* Pontifices Innocentius, Zosimus, Cœlestinus, Leo et Gelasius, Patres item Arausicani, ac demum Patres Conc. Trid.

Ad Prob. N. m. Scriptura non dissimulavit hominem alterum, nempe *Evam,* ex cujus cum Adamo conjunctione, peccatum generatione propagetur, ubi Eccli. 25. v. 33. *A muliere,* inquit, *initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Verum, ut S. Aug. L. 2. oper. imperf. notat, Apostolus et recte dixit, per unum hominem peccatum intrasse in mundum; quia vir et mulier matrimonio juncti Matth. 19. v. 6. *non sunt duo, sed una caro :* et recte unum Adamum indicavit, tum quia hujus tanquam viri, actio generationis initium est; tum quia ejus utpote capitis, et non *Evæ* peccatum in posteros traducitur.

Inst. 1. Peccatum, de quo sermo est v. 12., debet esse idem, de quo dicitur v. 13. *Usque ad legem peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.* Atqui hoc postremum est peccatum actuale; quia hoc ante legem Moysis necdum imputabatur : non autem originale, utpote quod ante et post legem juxta nos est imputatum; ergo.

R. Cum S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 4. n. 9. *N. m.* Non solum actuale, sed et originale ante legem Moysis non imputabatur, hoc est ab hominibus vix ac ne vix quidem æstimabatur, *quia non cognoscebatur,* cum *per legem* orta sit *cognitio peccati,* originalis æque ac actualis. A Deo tamen imputatum fuisse peccatum patet ex pœna, quæ erat mors toti humano generi communis respectu originalis, et respectu actualis peccati aliæ vindictæ, quas Deus etiam ante Moysen jam a peccatoribus sumebat. Alii respondent intelligi quidem hic peccatum actuale, quin tamen similis significatio sit in versu priore; quia Apostolus originale peccatum in *versu* 12. assertum deinceps probare assumpsit per duos effectus, quorum primus est peccatum actuale, de quo *versus* 13.; secundus mors, de qua *versus* 14.

Inst. 2. Originale peccatum est id, per quod non tantum mors, sed etiam peccatum homines inficit : sed tale non est peccatum Adami, cum ex Adamo mortem tantum et non peccatum trahamus juxta v. 14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ;* ergo.

R. *N. m. et rationem.* Textum explicant S. Chrys., Aug. et Theodoret. cum quibus *D.* Qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, hoc est, non peccato personali, nec physice propria voluntate *C.* nequidem voluntate aliena Adami, et sic simpliciter non peccarunt *N.* Cum per peccatum intraverit mors in mundum, et mors regnaverit etiam in infantes ante legem scriptam, hujus tanquam justæ pœnæ peccatum tanquam causa

meritoria illis inesse debuit : non autem *actuale* et *personale* fuit, cujus infantes incapaces sunt; ergo originale, quod ab Adamo in sui conceptione contraxerunt.

Inst. 3. Originale juxta nos debet afficere omnes : sed peccatum, de quo Apostolus loquitur, pertinet tantum ad multos et respective ad pauciores; nam v. 19. ait : *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi.* Et v. 15. *Sed non sicut delictum, ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia..... in plures abundavit;* ergo.

R. *N. m.* Eadem hic significatio est terminorum *multi* et *omnes*, ut ait S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 24. n. 30. *Cum dictum est per unum in omnes transiisse peccatum; et postea, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, ipsi sunt multi, qui et omnes;* et hoc quidem, ut recte notat, juxta morem alibi etiam in Scripturis usurpatum, cum etiam Genes. 22. Abrahæ dicatur : *In semine tuo benedicentur omnes gentes;* cui c. 17. dictum erat : *Patrem multarum gentium constitui te.* Neque plus quidpiam ex altero textu exsculpitur, nam τὸ *in plures* græce legitur *in multos* : vox autem *multo magis* non ad excessum justorum ultra peccatores, sed ad superabundantiam donorum præ malis peccato illatis significandam spectat; cum per Christi gratiam non originale tantum, sed et actualia peccata expientur, ut ex v. 16. constat : *Judicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in justificationem.*

Inst. 4. Ex proxime cit. versibus constat saltem, quod non plures per Adæ peccatum constituti sint peccatores, quam justificati sint per obedientiam Christi : sed per hanc non sunt justificati omnes; ergo.

R. *N. M.* Hunc enim sensum non habent versus proxime laudati, nec ille 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur;* sed istum : sicut, quotquot ex Adamo generantur, ii reatum peccati et mortis contrahunt; ita quotquot in Christo regenerantur, ii justitiam et vitam supernaturalem suscipiunt : et e converso, sicut, qui ex Adamo via ordinaria non nascitur, ut Christus, in Adamo non moritur; ita qui in Christo non renascitur, spiritualiter non vivificabitur.

74. *Obj. II.* Ezech. 18. habetur : *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : filius non portabit iniquitatem patris.* Contrarium fieret in hypothesi peccati originalis.

R. *D.* Filius non portabit iniquitatem patris, si iniquitatis non sit particeps *C.* si sit *N.* Filii paternæ iniquitatis participes esse possunt, vel *imitatione;* ad quos pertinet illud Exod. 20. *Ego sum Dominus... Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem;* vel *nativitate,* de quibus Apostolus loquitur. Porro qua ratione nos omnes participes simus peccati Adami, explicat S. Aug. L. 3. de pecc. mer. c. 7. n. 14. *Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant : siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt.* Et L. 6. cont. Julian. c. 10. n. 22. *Aliena sunt proprietate actionis, et nostra sunt contagione propaginis.* Ubi præterea c. 25. advertit, citata Ezechielis verba et dicta Jeremiæ c. 31. esse prophetica, ac pronuntiare *fœdus novum,* in quo regene-

rati, et qui ad Adamum novum, Christum, pertinerent, suam duntaxat iniquitatem erant portaturi : juxta *pactum vetus* autem cum Adamo initum filios iniquitatem patris primi portaturos.

Inst. 1. Paulus ad Rom. 4. scribit : *Ubi non est lex, nec prævaricatio* : sed infantibus non ponitur aut data fuit lex; ergo.

R. *D, m.* Infantibus non ponitur, nec data est lex in conceptione eorum, nativitate et infantia *C.* in primo eorum parente, in quo continebantur *subd.* non data illis est lex, quam voluntate physice propria violarent *C.* quam voluntate physica primi parentis, et moraliter sua propria violarent *N.* Sicut omnes in Adamo peccarunt, sic in eodem posita erat illa lex : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

Inst. 2. Scriptura passim dicit, quod Deus reddat unicuique secundum opera ejus : et 2. ad Cor. 5. habetur : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Parvuli autem nihil operis mali, nec in corpore suo gesserunt; ergo.

R. Cum S. Aug. L. 6. cont. Jul. c. 10. n. 23. Scripturæ textus ejusmodi pertinere ad adultos; ideo enim *propria corporis sui dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertineat.* Quod ipsum ex verbis Apostoli præcedentibus liquet, ubi ait : *Ideo contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet,* etc. Si vero etiam de infantibus verba accipiantur, ea non sunt exclusiva, cum non dicatur : ut referat unusquisque *tantum* propria corporis. Sicut igitur ad parvulos pertinet Christi meritum, et ob id consequuntur regnum cœleste ex sententia Apostoli in objectione laudata : sic ad eos etiam peccatum Adæ pertinet, ac propter illud a regno Dei excluduntur.

§. II.

Quibus argumentis probetur ex Traditione, et vindicetur existentia peccati originalis?

75. *Argumentum I.* Sumitur ex SS. Patribus, qui ante Pelagium scripserunt; ejusdem enim tempore aut post illum unanimis et aperta fuit Doctorum sententia pro peccati originalis extantia. Et quidem

Sec. I. Ignatius in ep. ad Trallianos (Edit. interpol. Biblioth. Magn. Patrum t. 11. p. 6. B.) scribit: *Vos ergo... estote imitatores passionum Christi et charitatis, qua dilexit nos, qui dedit semetipsum pro nobis... ut sanguine suo nos repurgaret a veteri impietate.*

Sec. II. S. Justin. in Dial. cum Tryphone n. 88. hæc habet : *Ad amnem venisse Christum pro comperto habemus... humani generis causa, quod per Adam in mortem et fraudem et seductionem serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam.* S. Iren. L. 3. cont. Hæres. c. 20. (al. 18. n. 7.): *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis, qui primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi et amiserunt vitam; ita oportuit et per obedientiam unius hominis justificari multos et percipere salutem.* Et L. 5. c. 17. n. 3. *Delevit chirographum debiti*

nostri, et affixit illud cruci; uti quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem. Alia ex eodem etiam affert S. Aug. L. 1. cont. Julian. cap. 3.

Sec. III. S. Cyprian. ep. 59. ad Fidum : *Quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit... Idcirco hæc fuit in Concilio* (Carthaginensi III. sub Cypriano ann. 257.) *nostra sententia : a baptismo neminem per nos debere prohiberi; quod magis circa infantes ipsos et recens natos observandum putamus.* Huic adde Tertullian. L. de testim. Animæ c. 3., de carne Christi c. 16. et 17., de resurrect. carnis c. 34. et cont. Marcion. L. 5. c. 17. Ne quid de Origene laudari solito hic addam.

Ex Sec. IV. proferuntur a S. Augustino L. 4. cont. Julian. c. 3. 5. et 6. et L. 4. ad Bonif. c. 11. : S. Hilarius, S. Basilius, S. Greg. Naz., S. Chrysostomus, S. Ambrosius, item Rheticius, Olympius, Hilarius Sardus etc., quorum testimonia afferre nimis longum foret.

76. *Argumentum II.* Sumitur ex Pontificum doctrina ac decretis. Hos inter primus refertur Siricius in ep. 1. ad Himer. c. 2. (Labb. t. 2. p. 1018. D.) scribens : *Infantibus, qui necdum loqui poterunt per ætatem... omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato... fonte salutari, exiens unusquisque de seculo, et regnum perdat et vitam.*

Innocentius I. in rescripto ad Synodi Milevit. Patres de Pelagii et Celestii errore ita scribit (Labb. t. 2. p. 1288. D.) : *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est... Qui autem hanc in eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare* etc.

Zosimus in sua contra Pelagianos epistola scribens sic a S. Aug. ep. 157. (al. 190.) ad Optatum n. 23. refertur : *Ipsius* Christi *morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ atque transmissæ universæ animæ, illud propagine contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Coelestinus I. inter capitula epistolæ primæ ad Gallos subjuncta sic loquitur cap. 1. (Labb. t. 2. p. 1614. E.) : *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem et innocentiam perdidisse.* Cap. 9. ex baptismo ejusque ceremoniis originalem labem etiam infantibus adhærere ostendit.

Eadem decernunt Leo I. ep. 86. (al. 1.) ad Nicetam Aquileiens. c. 3., Gelasius I. ep. 7. ad Episcopos per Picenum (Labb. t. 3. p. 1176.), Gregorius M. L. 9. ep. 52. (al. 54. opp. t. 3. p. 970.) ad Secundinum.

77. *Argumentum III.* Sumitur a Conciliis, quorum viginti quatuor contra Pelagianam hæresin an. 404. vel 405. exortam intra novemdecim annos, nempe ab anno circiter 412. usque ad an. 431. celebrata fuerunt. Ex his autem præsertim notandum 1°. est Conc. Carthag. an. 412., a quo Celestii errores detecti et reprobati fuerunt. 2°. Conc. Diospoli in Palæstina an. 415. habitum, ubi Pelagius suos errores simulate rejecit. 3°. Hierosolymitanum an. 416, cujus meminit Marius Mercator in Commonitorio cap. 3., ubi fraude detecta Pelagius e civitate sancta ejectus est. 4°. Conc. Africanum Na-

TIONALE, seu CARTHAGINENSE a 214. Episcopis an. 418. celebratum, ubi, quod tanquam Canon secundus Concilii Milevitani olim referebatur, et in codice Canonum Ecclesiæ Africanæ capitulo 110. legitur, sic est constitutum (Labb. t. 2. p. 1664. A.) : *Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur : unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vere sed false intelligatur; anathema sit.* 5°. GENERALE EPHESINUM, in quo Celestianorum, quo nomine veniebant Pelagiani, dogmata universim damnata sunt.

His accedunt alia postmodum in Italia, Hispania, Gallia et Germania celebrata; ex quibus memorandum præcipue est ARAUSICANUM II. an. 529. collectum, utpote cujus decreta c. 2. et 4. a CONCILIO TRIDENTINO Sess. 5. de peccato originali renovata fuerunt. Item FLORENTINUM, quod in Decreto unionis docet, *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

78. *Obj.* Plures PATRES ante et post Pelagii tempora peccatum originale negarunt.

R. *N. Ass.* Cujus falsitas ex libris S. AUGUSTINI contra Julianum patet, ubi Pelagianis auctoritatem Patrum eripit, horumque scripta ab illorum errore vindicat. Addiderunt quidem *Zwinglius, Servetus,* aliique recentiores hæretici nonnulla aliorum testimonia, sed quæ soluta etiam Bellarminus, Natalis Alexander, aliique Theologi dederunt. Præcipua ex utrisque dabimus absque ampliore tamen textuum recitatione, quos apud laudatos auctores alibique reperire est. At secundum solutionis diversitatem, quam patiuntur, *triplicem classem* constituunt.

79. *In* 1ª. *Classe* S. JUSTINUS ad Orthodoxos, q. 88. dicit illud Jobi, *Nemo mundus a sorde :* non pertinere ad infantes. S. AMBROS. in Comment. ad c. 5. epist. ad Rom. v. 12. negat nos *peccato Adami pati mortem secundam, quæ in gehenna dicitur.* OPTATUS MILEVITAN. cont. Parmenian. L. 7. c. 1. dicit *non pertinuisse ad Seth filium peccatum Adæ patris admissum.*

R. 1°. Manifestum est L. QQ. ad Orthodoxos non esse JUSTINI, cum q. 115. citentur ORIGENES et IRENÆUS, uterque JUSTINO posterior : Bellarminus AMBROSIUM hujus commentarii auctorem negat : Natalis Alexander ostendit librum septimum cont. Parmen. esse dubium OPTATI MILEV. fœtum.

R. 2°. Auctor 1ᵘˢ. per *sordem* intelligit peccatum personale : 2ᵘˢ. per *mortem secundam* pœnam sensus in inferno : 3ᵘˢ. peccatum Adami, quatenus illi personale erat, non autem quatenus fuit naturæ in Adamo tanquam capite corruptæ, quemadmodum singula ex contextu liquent.

80. *In* 2ª. *Classe* ORIGENES L. 5. Comment. in ep. ad Rom. n. 1. (opp. t. 4. part. 1ª. p. 146.) 1°. per *mundum,* in quem intravit peccatum, intelligit *homines terrenos et carnales* : 2°. *mortem* per Adamum ingressam explicat de *morte animæ actuale peccatum insequente* (ibid. p. 547. C.) : 3°. Unius delicto *multos,* et *non omnes* vult constitutos esse peccatores (ibid. n. 2. p. 553. A.) : 4°. Denique *plures* ait per Christum *redemptos,* quam per Ada-

mum *mortuos* (ibid. p. 553. B.). ARNOBIUS autem in Psal. 50. ait eum, *qui nascitur, sententiam* quidem *Adæ, non* autem *suum peccatum habere.*

R. 1°. Pro neutrius auctoritate multum laborare opus est. Præter dicta enim num. 68. audiendus hic est S. HIERON., qui Pelagianis ad ORIGENEM provocantibus in calce Dialogorum ita insultat : *Transite ad Amasium* (Origenem) *vestrum, qui præterita in cœlis et antiqua delicta solvi dicit in baptismo; ut cujus in cœteris auctoritate ducimini, etiam in hac parte errorem sequamini.* Unde nec homilias in Leviticum, de quibus loc. cit. nec hom. 3. in Cantic. nec L. 4. cont. Celsum pro veritate nostra referre necesse duximus. ARNOBIUM autem, utpote alium ab Arnobio Lactantii Magistro, et Pelagianum hominem, quem etiam juxta *Natalem* censura GELASII tetigit, multo minus curamus.

R. 2°. Qui explicare tamen voluerit auctores illos, ex Huetii sententia dicet, ORIGENEM *in primo* pro more suo locutum allegorice, non dogmatice : *in secundo* præcisive, non exclusive : *in tertio* peccatoris nomine ab eo intelligi, qui voluntate propria peccavit : *in quarto* eatenus plures a Christo redemptos, quatenus ipse etiam Adam et Eva revocati sunt ad vitam. ARNOBII porro dictum in hunc quoque catholicum sensum interpretari poterit : qui nascitur, suum, hoc est, proprium peccatum non habet; habet tamen sententiam Adæ, cujus peccato constrictus est.

81. *In* 3ª. *Classe* opponitur I. TERTULLIANUS, qui L. de Baptismo c. 18. probat differendum esse baptisma parvulorum, ea inter alias ratione, quod *innocens ætas remissione peccatorum non egeat.*

R. Vocat innocentem ætatem, quia personale peccatum non habet : existimat baptismum eorum ad usum rationis differendum, ut simul actualem fidem suscipiant : ibidem tamen, et locis n. 75. indicatis originale peccatum agnoscit. Ejus porro de differendo parvulorum baptismo opinionem Ecclesia Africana an. 253. in Concilio, cui præerat Cyprianus, improbavit. V. n. 75.

II. CLEMENS ALEX. L. 3. Stromatum 1°. textus Jobi et Psalmi, quos pro nostra sententia attulimus, in alium sensum detorquet (opp. p. 468. D. 469. A. edit. Paris. 1629). 2°. Negat Davidem in peccatis conceptum esse (ibid.) 3°. Quærit, ubinam fornicatus sit infans, vel quomodo, qui nihil operatus est, sub Adæ execrationem ceciderit (ibid.).

R. 1°. Pro CLEMENTIS in hac quæstione orthodoxia facit tum ipsius eloquium L. 1. Pædag. cap. 6., ubi dicit baptismum esse lavacrum, quo peccata absterguntur : tum testimonium ATHANASII serm. in illa verba : *Omnia tradita mihi sunt a Patre,* qui traditionem de peccato originali in Ecclesia Alexandrina semper viguisse asserit : tum silentium Pelagianorum, qui eum nuspiam in suum patrocinium appellarunt.

R. 2°. Pugnabat hic loci CLEMENS contra *Basilidianos,* qui tum animas ante corpus creatas fuisse, et in anteriore illa vita peccasse contendebant, ut ex L. 4. Strom. constat : tum liberorum procreationem esse execrationem effutiebant, ut ex ipso loci objecti contextu apparet, cui subjicitur : *Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam esse generationem.* Ex his autem patet, cur ille Doctor hæc scripserit. Nam 1ᵘᵐ. fecit, non ad negandum peccatum originale, sed ad declinandam vim adversariorum, qui his textibus ad suos errores stabiliendos abutebantur; quam methodum subinde a

SS. Patribus adhibitam Tournely observat. In 2°. negat Davidem esse conceptum in peccato, quod esset ipsa generatio et peccatum matris : non autem negat conceptum in originali peccato, seu primorum parentum, quia addit : *Quando dixit : in peccatis conceptus sum.* etc. *dicit prophetice matrem Evam. Ad* 3um. Patet ex dictis, quæstionem ejus fuisse de peccato actuali commisso in vita anteriore; et sic controversiam de originali peccato nequidem hic attigisse.

III. S. Chrysostomus multis in locis nobis contradicit. Nam 1°. in hom. 10. in epist. ad Rom. n. 1. negat homines per Adæ peccatum constitui *peccatores,* nisi quatenus *mortales effecti sunt.* 2°. Hom. 17. in 1. ad Cor. n. 4. dicit homines perire non *propter Adamum,* sed *peccatum proprium.* 3°. Hom. 39. in eamd. ep. n. 3. ait non omnes in Adam esse *mortuos morte peccati,* sicut non omnes in Christo vivificantur, cum multi damnentur. 4°. Hom. 24. in ep. ad Ephes. n. 5. distinguit inter peccatum primi hominis, et id, quod perpetramus, dicendo : illud *soli corpori,* hoc *animæ mortem afferre.* 5°. Hom. ad Neophytos (opp. edit. Latin. t. 5. p. 289. Antuerp. 1614.) *infantes* asserit, *quamvis peccato inquinati non sint, baptizari, ut eis sanctitas, justitia et adoptio addatur.*

R. 1°. S. Aug. L. 1. cont. Julian. c. 6. Chrysostomum vindicaturus sic Julianum alloquitur : *Itane est? verba S. Joannis Episcopi audes tanquam e contrario tot taliumque sententiis opponere?... Absit ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque a paterno Chirographo liberatione per Christum tot tantisque Coepiscopis suis, maxime Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio... Hoc* (peccati originalis dogma) *credidit, hoc didicit, hoc docuit et Joannes.* Tum ex hom. 10. in epist. ad Rom., hom. ad Neophytos, hom. de Lazaro resuscit. et ep. 3. ad Olymp. affert ejusdem verba, quibus originale peccatum extare affirmat.

R. 2°. Idem S. Doctor objecta refutat, cum quo

Ad 1um. R. In hac ipsa homilia a S. Chrysostomo probari peccatum originale, quo negat constitui homines peccatores personaliter et actualiter, sed originaliter et habitualiter; quod explicat per *obnoxios supplicio et reos mortis,* quia evidentius erat mortis debitum ex Adami peccato ab omnibus contrahi.

Ad 2um. R. Cum hic baptizatos alloquatur, recte dixit eos per originale peccatum non perire, si pereant; quia illud per baptismum jam erat condonatum.

Ad 3um. R. Exempla hic allata et ipsum ejus ratiocinium probant S. Doctoris sensum esse, quod non omnes mortui sint in Adamo ea peccati morte, in qua perpetuo mansuri, et a qua nunquam liberandi essent.

Ad 4um. R. Antithesin in eo esse positam, quod mors corporis ex primo peccato ortum habeat, etsi per baptismum remissum sit : mors autem animæ in regeneratis, de quibus hic loquitur, jam ex illo primo peccato non oriatur, sed ex iis, quæ propria voluntate et actione committimus. Ubi nihil contra fidem originalis habetur.

Ad 5um. R. Cum S. August. loc. cit. n. 22. hujus homiliæ interpretem locum versione sua interpolasse, cum auctor non dixerit, infantes non esse inquinatos *peccato,* sed *peccatis,* nempe personalibus, ut ex græci textus fide

probatur. Præterea, cum per baptismum dicat infantibus addi sanctitatem, justitiam et adoptionem, agnoscit eos ante baptismum his carere, ac proinde esse in statu peccati et damnationis, cum inter utrumque statum non detur medius (1).

IV. Greg. Nyssenus in Orat. de infantibus præmatura morte abreptis (opp. t. 3. p. 329. B.) dicit eos *omnis malitiæ expertes, et sanitate, quæ per purgationem contingit, non indigentes.* Theodoretus autem 1°. in LL. hæretic. fabularum omittit eam, quæ peccatum originale negat. 2°. Textus Scripturæ ex Ps. 50. v. 7. et ep. ad Rom. c. 5. v. 14. explicat more Pelagianorum, agnoscendo in homines transfusam esse mortem, non peccatum. 3°. L. 5. hær. fab. c. 18. (opp. t. 4. p. 292. C.) quærit : *Quorsum infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?*

R. 1°. S. Gregorium Nyss. et Theodoretum Catholicum dogma de originali peccato tenuisse patet ex eorum scriptis; quorum primus in Psalmum sextum (opp. t. 1. p. 369. A.) sic commentatur : *Sordes hominis peccatum est, quod una cum humana orditur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea.* Alter autem in c. 5. ep. ad Rom. v. 12. hæc habet : *Dixit itaque Apostolus, quod cum Adam peccavisset, et mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit. Ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt.* Hinc quamvis mox subjiciat : *Non enim propter primi parentis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit;* ex præmissis tamen patet, non eum hic loqui de peccato actuali posterorum, sed de peccato Adami per traductionem quibuslibet proprio facto, nec extrinsece duntaxat imputato; præsertim cum L. 5. hær. fab., qui etiam Epitome Decretorum divinorum inscribitur, c. 11. pluries fidei doctrinam confirmet.

R. 2°. Greg. recte dixit infantes *baptizatos* esse malitiæ omnis expertes, neque indigere sanitate, quæ per purgationem, hoc est, *pœnitentiam* contingit; cum peccatum actuale non commiserint.

De Theodoreto ex dictis,

Ad 1um. R. Ob contrariam fidei opinionem non omisisse errorem illum : forte satis habuit Pelagianam hæresin retulisse, cujus partem hunc de originali errorem esse liquebat.

Ad 2um. R. Contrarium patere partim ex proxime laudatis, partim ex ipso in Ps. 50. verborum sensu, qui is duntaxat est, naturam ad peccatum non impelli, adeo ut necessitate peccemus, nec a peccato abstinere possimus.

Ad 3um. R. Agit hic contra Messalianos, qui peccata actualia duntaxat per baptismum quasi per novaculam radi, originale autem quasi radicem non per illum, sed per orationem evelli fabulabantur. Ad eos itaque refellendos opportune quærit Theodoretus, cur infantibus tamen baptismus conferatur? Juxta illos enim non dabatur baptisma ad delendum originale : nec infantes etiam habent actuale, seu propria voluntate et actione commissum : quod intellexit, dum diceret *infantes peccatum non gustasse;* quia qui *gustat,* propriam actionem exerit. V. P. Garnerii Dissert. 3. de fide Theodoreti c. 4. (opp. Theodoreti t. 5. p. 480.)

(1) Hæc ad Neophytos homilia (quam genuinam esse Augustinus nunquam dubitasse videtur) inter spurias a recentioribus criticis ablegata, in nulla S. Chrysostomi editione reperitur, si Ducæanam supra citatam excipias.

§ III.

Quibus argumentis probetur ex Ratione, et vindicetur existentia peccati originalis?

82. *Argumenta ex Ratione* hic non dicimus rationes naturales, utpote cujus generis hic nullæ esse possunt, sed sumptas ex aliis principiis fidei. Præcipua autem, quæ SS. Patres, præsertim S. Aug., afferunt, desumuntur

I. Ex generali redemptione Christi. Christus mortuus est etiam pro infantibus; ergo et infantes peccaverunt. Atqui non peccaverunt peccato personali et actuali; ergo originali. *Enthymema* patet ex c. 3. ad Rom. *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei :* ex 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus.* Totus *discursus* habetur in Aug. L. 1. de pecc. mer. et remiss. c. 23. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantium Salvatorem nec redemptorem? unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?*

II. Ex necessitate baptismi. Baptismus omnibus etiam parvulis est necessarius, ut et ipsi Pelagiani admiserunt, et perpetuus sensus ac usus Ecclesiæ probat, quæ semper summa sollicitudine parvulis de vita periclitantibus baptismum procuravit. Est autem necessarius, vel ut infantes mundentur; quia hic est effectus primarius, juxta formam hujus Sacramenti : *Ego te baptizo* etc. et juxta illud ad Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ :* vel ut infantes possint intrare in regnum Dei, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui ex utriusque effectus necessitate constat infantes esse peccato infectos; tum quia hæc mundatio est tantum a peccatis : tum quia sola peccata ab ingressu regni cœlorum arcent; ergo.

Conf. Ex ceremoniis baptismi, exorcismo scilicet et sufflatione, quas teste S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 5. n. 11. et L. 3. oper. imperf. cont. eumdem n. 182. in Ecclesia universa semper, et quidem ad dæmonem abigendum usurpatas nec ipsi Pelagiani negare ausi sunt; unde sequitur perpetuum Ecclesiæ sensum fuisse, quod etiam infantes ante baptismum sub dæmonis potestate, et hinc peccato aliquo inquinati fuerint.

Nec obstat hic effugium Pelagianorum alibi examinandum, cum dicerent, parvulos non baptizari, ut deleatur eorum peccatum, neque ut sint beati, aut *vitam æternam* habeant, utpote ipsis debitam; sed tantum ut fiant hæredes regni cœlorum. Nam 1°. Baptismum non dari parvulis in remissionem peccatorum pugnat contra illud ad Ephes. loc. cit. et c. 3. ad Titum. 2°. Parvulos posse esse beatos sine baptismo et Christi sanguine repugnat ep. 1. Joan. c. 5. ubi dicitur : *Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem* etc. Item 1. ad Cor. 15. *In Christo omnes vivificabuntur.* Errores alios, beatitudinem nempe esse extra regnum cœlorum, et sine ullo peccato parvulos excludi ab hoc regno, refutat S. Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 28., L. 3. cont. Julian., alibique, et nos infra forte attingemus.

III. Ex variis humanæ nativitatis adjunctis. Eorum 1um. est juxta S. Aug.

L. 4. cont. Jul. c. ult., quod tam multæ ac tantæ sint miseriæ tum animæ tum corporis, quas quilibet a nativitate experitur, ut non videantur connaturales naturæ humanæ secundum se et sine culpa spectatæ. 2um. Juxta S. Greg. L. 4. Mor. c. 7. (al. 1. n. 4.) quod justi in sacris litteris maledixerint conceptioni suæ et diei natali; id quod non ratione naturæ, sed culpæ fecisse censendi sunt. 3um. Juxta Aug. L. de pecc. orig. et Greg. L. 17. Mor. c. 10. (al. 15.) quod Scriptura doceat esse quorumdam singulare privilegium, quo ante nativitatem sanctificati fuerint; ex quo signum habetur, alios sine gratia nasci : cum vero in homine ad finem supernaturalem creato inter gratiam et peccatum medius status non relinquatur, sequitur singulari hoc privilegio non donatos concipi et nasci in peccato.

83. *Obj. I.* Cum *Juliano.* Non peccat iste, qui nascitur : non ille, qui genuit : non Deus, qui condidit; per *quas* igitur *rimas* tot inter præsidia peccatum ingreditur. *Conf.* 1. Peccatum est actio vel omissio libera contra legem Dei : ejusmodi non est originale, quia infantes nec cognitionem legis nec usum libertatis habent; ergo. *Conf.* 2. Peccatum, dum contrahitur, debet posse caveri : originale ab infantibus caveri nequit; ergo.

R. Cum S. Aug. L. 2. de nupt. et concup. c. 28. *Quid quærit latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis* etc. *Quid quærit amplius, quid quærit apertius?* etc.

Ad Conf. 1am. *D. M.* Peccatum personale et actuale est actio etc. *C.* originale *subd.* est actio vel omissio physice libera, et quæ sit voluntate propria *N.* moraliter libera, quæ physice voluntate aliena, et moraliter tantum propria sit *C.* Infantes tametsi physice et in se seu secundum suam entitatem non extiterint, *moraliter* tamen et relate ad præceptum divinum erant in Adamo tanquam physico non solum capite generis humani, sed maxime tanquam in capite morali et omnes posteros repræsentante quoad violationem vel observationem præcepti de non comedendo fructu. In eo ergo sicut peccarunt, sic etiam cognitionem legis et libertatis usum habuerunt.

Ad Conf. 2am. *D.* Similiter de peccato personali et originali. Notandum præterea originale peccatum esse respectu parvulorum peccatum *habituale;* atque hinc quidem dicit reatum actu contrahi, actum vero peccati tantum moraliter perseverare, quemadmodum quis diu post datum venenum subsequente homicidio incurrere censuras potest.

Inst. 1. Omne peccatum, etiam originale, est in anima : atqui anima prolis nec ab Adamo nec a parentibus trahitur, sed a Deo creatur; ergo. *Conf.* Peccatum Adami, in quo peccavimus, fuit ei condonatum, antequam gigneret filios; ergo in posteros transfundi nequit.

R. *D. m.* Nec etiam animæ compars, quæ cum illa constituit hominem, trahitur ab Adamo *N.* trahitur tamen corpus tanquam animæ compars *C.* Ad peccatum illud in anima contrahendum sufficit, quod homo, cujus pars est anima, oriatur ab Adamo; quia Deus voluit, ut voluntates omnium hominum via generationis ex Adamo descendentium includerentur in eo tanquam capite morali.

Ad Conf. D. A. Peccatum Adamo fuit condonatum, quatenus erat peccatum ipsius *C.* quatenus erat peccatum posterorum *N.* Adamus peccavit et ut

persona singularis, et sic commisit peccatum personale physice unicum, quod ipsi remissum est: et ut caput morale, et sic commisit peccatum originale, moraliter multiplex et totuplex, quot erunt homines ab eo naturaliter descendentes; hoc ipsi condonatum non fuit.

Inst. 2. Hæc forma etiam in homine malo observari debuit, quæ servatur in *diabolo*: sed diabolus non damnatur, nisi ex vitiis propriæ voluntatis; ergo nec homo.

R. *N. M.* Quoad jus aut debitum respondeo cum Apostolo ad Rom. 9. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?* Ad ipsum factum R. *Disparitas* est: Non ex uno angelici generis capite quod peccaverit, nati sunt angeli; sed singuli a Deo creati sunt boni et cum amore casto, quo illi adhærerent; unde alieno peccato infecti non sunt editi. Sed Deus, ut dicitur Act. 17. *fecit ex uno omne genus hominum,* qui Dei decreto caput humani generis constitutus omnium nostrum voluntates suæ inclusas accepit.

Inst. 3. Licet Eccli. 25. dicatur: *A muliere initium factum est peccati: et per illam omnes morimur;* tamen ab ea non trahitur peccatum; ergo nec ex Adamo.

R. *Disparitas est.* Quia solus Adam constitutus est caput, et repræsentavit genus humanum in ordine ad præceptum de fructu non comedendo, quod jam ante formationem Evæ a Deo impositum erat; unde vel solo Adamo peccante aut non peccante fuisset aut non fuisset peccatum originale. Dicitur tamen Eva esse illa, a qua initium peccati factum, et per quam moriuntur omnes; tum quia fuit causa impulsiva peccati Adami, in quo omnes peccavimus: tum quia ex generatione Adami per Evam nascuntur posteri omnes.

Inst. 4. Justitia non prodest, nisi credentibus; ergo nec peccatum Adæ nocet, nisi consentientibus aut peccatum imitantibus; cum Rom. 5. instituatur inter Christum et Adamum comparatio.

R. *D. A.* Non prodest, nisi vel propria vel aliena voluntate credentibus *C.* plane nemini prodest, nisi qui propria voluntate credit *N.* Audire hic juvat S. Augustinum L. 3. de pecc. merit. c. 2. n. 2. respondentem: *Sicut ergo eorum, per quos renascuntur, justitiæ spiritus responsione sua trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt: sic eorum per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt.* Porro, in quonam comparatio Christum inter et Adamum stet, dictum est num. 73.

84. *Obj. II.* Dogma de peccato originali conducit ad *Manichæismum;* quia facit Deum malum et auctorem peccati, *ut probatur:* Quidquid convenit rei ab ipsa origine, hoc tribuitur producenti: atqui animæ conveniret peccatum ab origine; ergo.

R. *N. Ass. et rationem. Ad prob. D. M.* Quidquid physicum convenit rei ab ipsa origine, tribuitur producenti *C.* quidquid morale *subd.* si hoc morale ipsi conveniat præcise vi productionis *C.* si non vi hujus, sed ratione alterius præsuppositi *N.* Originale est quid pure morale: non inficit animam, quia creatur et corpori infunditur; alioquin etiam anima Christi fuisset ei obnoxia: sed quia, et quamprimum unitur corpori generatione naturali pro-

ducto, cum quo constituit hominem ex Adamo naturaliter descendentem; ubi tamen τὸ *quia* conditionem, non causam denotat.

Inst. 1. Si Deus crearet *angelum* in primo instanti peccantem seu infectum peccato actuali, esset causa peccati actualis; ergo etiam cum creat hominem in primo instanti infectum peccato originali, erit causa peccati originalis.

R. *N. A.* Quia peccatum in hoc casu ex determinatione voluntatis angelicæ et per accidens, non vero ex determinatione Dei et natura creationis sequeretur.

Inst. 2. Anima in priori signo naturæ ad unionem substantialem cum corpore humano vel creatur a Deo *nocens* vel *innocens* : Si *primum*; ergo Deus revera causat peccatum : Si *secundum*; ergo anima in eodem instanti reali erit nocens simul et innocens.

R. In illo signo priori anima nec est positive nocens nec innocens, sed præcisive se habet. Non *positive nocens*; quia in illo signo necdum concipitur unita cum corpore et constituens hominem ex Adam generatum : non *positive innocens*; quia de statu innocentiæ non transit ad statum peccati, ut simili errore quodam fabulabatur ORIGENES : sed præcisive se habet; quia in hoc signo solum entitas animæ concipi debet. Non vero implicat, animam in reali instanti esse solum innocentem *præcisive*, seu secundum nostram considerationem, et nocentem realiter.

Inst. 3. Ex eodem dogmate sequitur, nuptias et matrimonii usum esse illicitum, qui fuit error Marcionitarum, Encratitarum et Manichæorum. *Prob.* Quia matrimonii usus esset inductivus peccati originalis : sed actus inductivus peccati est illicitus; ergo.

R. Objectionem hanc refutavit S. AUGUST. duobus libris, quos inscripsit de *Nuptiis et Concupiscentia*, aliisque in operibus suis passim, ex quibus hæc breviter habe : Usum conjugii esse causam generandæ prolis, non autem peccati prolem inficientis; quia in statu innocentiæ, si Adam non peccasset, futuræ erant *nuptiæ et usus conjugii, et generatio prolis*, quin tamen aliquid eorum causa peccati in prole genita fuisset. Unde solam prævaricationem Adæ tanquam causam corruptionis propagatæ accusat.

Quare *N. Ass. ad prob. D. M.* Usus matrimonii esset per se et per modum causæ inductivus peccati *N.* per accidens et per modum conditionis tantum sine qua non *subd.* esset inductivus peccati prius jam in Adamo commissi *C.* de novo committendi *N.* Usus matrimonii est solum *conditio*, qua posita, et supposito prius peccato in Ada commisso, illud contrahitur ad suppositum proprium prolis generatæ : voluntas autem Adami tum nomine proprio tum posterorum nomine peccantis est *causa physica* peccati originalis; et voluntates posterorum, ut moraliter in voluntatem Adami transfusæ, sunt illius peccati causa moralis.

Inst. 4. Qui ponit actionem, ex qua prævidet alterius grave malum etiam per accidens esse secuturum, peccat. Sed parentes prævident ex usu conjugii, quamvis etiam *per accidens*, secuturum esse originale, grande prolis malum; ergo.

R. *D. M.* Peccat, si prohibita sit actio, ne sequatur alterius malum, aut si quis non habeat jus ad illam actionem, vel si habito etiam jure intendat malum per accidens connexum *C.* si hæc non adsint *N. Nuptias* non esse

prohibitas ostendit illa Dei benedictio : *Crescite et multiplicamini*; et Christi declaratio confirmatoria : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Jus ad usum conjugii et prolis generationem legitimis conjugibus asserit PAULI monitum 1. ad Cor. 7. : *Uxori vir debitum reddat.* Et : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Intentio porro præpostera non vitio nuptiarum, sed conjugum, si quæ adsit, adscribenda est. Hac autem absente, et illis præsuppositis, homo utens conjugio æque parum peccat, ac Deus statuens leges, superior subdito mandatum ferens, ac creditor exigens debitum; licet ille leges violandas, iste subditi contumaciam, hic debitoris indignationem prævideat.

Inst. 5. Melius est proli non existere, quam existere et concipi in peccato originali ; hinc enim in simili Christus Matth. 26. de Juda peccati proditionis reo dicit : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; ergo usus matrimonii est contra charitatem proli debitam, et sic illicitus.

R. *T. A. N. Cons.* Cujus falsitas patet ex allatis modo exemplis. Præterea *communis* est *Theologorum*, hominem ex charitate non teneri ad abstinendum ab actione utili aut necessaria, ad quam jus habet, licet per accidens et indirecte sequatur damnum aliquod proximi. Cum igitur *usus matrimonii* necessarius sit ad generis humani propagationem, et ad illum etiam conjuges jus manifestum habeant, illum exercendo contra charitatem prolis non peccant. Ex quo liquet *disparitas* inter matrimonii usum et illud, de quo loquitur Apostolus 1. ad Cor. 8. : *Si esca scandalizet fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Præterquam quod hoc Apostoli propositum universaliter obligatorium non sit, et ad scandalum infirmorum duntaxat pertineat.

Dixi : *Transeat Ant.* Quia licet *secundum quid* sit melius proli non existere, quam existere in peccato originali, si hæc existentia præcise secundum concretum peccati spectetur; melius tamen est proli etiam sic existere, quam non existere plane, si consideretur, quod infans per baptismum ab originali facile liberari et ad æternam felicitatem pervenire possit. Unde *disparem* etiam *rationem* inter hoc et *Judæ* peccatum notabis; siquidem, cum istud impœnitentiam finalem et damnationem connotaverit, non erat amplius ad Dei amicitiam et beatitudinem ordinabile.

QUÆRES : *Quid de Zosimi Pontificis œconomia in causa Pelagii et Celestii sit sentiendum?*

85. *Nota.* Cum audivisset *Pelagius*, quod INNOCENTIUS S. P. ex Africanarum Synodorum relationibus ac epistola, duos palmares Pelagianorum errores de gratia et baptismo infantium propter originale peccatum una cum eorum Auctoribus et Sectatoribus sub anni 417. initium damnasset; scripsit ad eumdem Pontificem epistolam, qua *Erotem* et *Lazarum*, suæ hæreseos delatores, calumniæ, Africanas Synodos præcipitis judicii accusabat : addidit fidei suæ libellum, quem symbolum inscripsit, cui præter subdolas sui sensus explicationes ad fucum faciendum hæc inseruit : *in qua*, fidei profes-

sione, *si minus perite et parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et sedem tenes.*

Hæc antequam cum *Praylii* Hierosol. Antistitis litteris commendatitiis Romam perferrentur, Innocentius e vivis decessit, nactus successorem Zosimum. Ad hunc *Celestius* Constantinopoli ejectus festinavit, et similia de Erote ac Lazaro et Africanis Episcopis conquestus obtulit fidei libellum, in quo quidem originale peccatum negabat, sed ad hæreseos invidiam declinandam profitebatur se paratum ad errorem, si quis esset, emendandum. *Si forte,* inquiebat, *ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur* : interrogatus præterea contestabatur, se Innocentii decretis adhærere.

His e *Celestio* intellectis et postmodum etiam *Pelagii* scriptis acceptis, Zosimus suspicatus vera narrari et sincere agi, dedit binas distinctis vicibus litteras duriores ad Africanos, quibus *Pelagii* et *Celestii* fidem commendabat : hos tamen nec ab hæreseos nota absolvit, nec communioni restituit, judicium differens, dum plene de totius causæ statu ab Africanis certior fieret. Ab iisdem ex gestis Conciliorum, litteris prolixis, et Marcellini subdiaconi transmissi narratione plenissime edoctus Pontifex Celestium ad judicium vocat. Sed cum ille fugeret et se examini negaret, a Zosimo damnatus est ipse et Pelagius. Constant hæc ex Mario Mercatore in Commonitorio c. 1., S. Augustino L. 2. ad Bonifacium et L. de Pecc. originali, ac Facundo Hermianensi L. 7.

Tria porro capita sunt, in quæ circa hoc factum inquiritur : 1°. An Zosimus errore facti erraverit, *Pelagium* et *Celestium* innocentes existimando? Ad quam quæstionem unanimis omnium responsio est *affirmativa* ; quæ sicut veritati historiæ est conformis, sic nulli etiam reprehensioni est obnoxia ; cum nemo statuat, Romanum Pontificem aut Concilium in judicio de personis tantum et sensu eorum interno aut de quæstionibus meri facti decipi non posse. 2°. An Zosimus hæresin *Pelagii* et *Celestii* approbaverit? 3°. An idem saltem nimia indulgentia post damnationem Innocentii, *Celestio* audientiam indulgendo et *Pelagii* litteras suscipiendo erraverit? Ad has postremas quæstiones a quibusdam male assertas

86. R. I. Zosimus Pelagii et Celestii errores nunquam approbavit.

Prob. Ex ipsis actis; quæ testantur Zosimum existimasse Catholicam Pelagio et Celestio esse mentem, eo quod uterque in libello suæ fidei suam sententiam Sedis Apostolicæ judicio subjecerit, et postremus etiam decretis Innocentii errores Pelagianorum damnantibus se assentiri professus sit : item eumdem non dedisse communionem nec relaxationem a damnatione : denique iterasse damnationem eorum, ubi de Pelagii et Celestii mente apertius constitit ; ergo nec ante nec post approbavit, aut approbasse intelligi potest illorum errorem.

Conf. Ex judicio coævorum de hoc facto. S. Aug. L. 2. ad Bonif. c. 3. ita ait : *Quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci?... Profecto quidquid interea lenius actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissimæ et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis.*

Marius Mercator in Commonit. c. 1. n. 4. de Celestio sic narrat : *Ubi actis* (quorum exemplaria habemus) *interrogatus, cum ab illo cognitore aliquatenus terreretur, crebris responsionibus et prosecutionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capitula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, promittens. Id enim et instantius jubebatur, atque ob hoc ipsum nonnulla illius sancti Sacerdotis* (Zosimi) *humanitate dignus est habitus, et sic epistolam humanitatis plenam ad Africanos Episcopos meruit* ; ergo cum Zosimus jusserit Celestium condemnare suos errores, et lenius ideo tantum eum habuerit, quia promittebat errorum suorum damnationem ; certe nullatenus ipse errores comprobavit. Accedit Facundus Hermian. L. 7. c. 3. *Neque,* inquit, *Palæstinos Episcopos, nec Zosimum hæreticos credit Ecclesia, quia de hæreticis bene senserunt; sed potius pro merito suæ fidei Catholicos judicat et honorat, quoniam non debet crimini deputari simplicium non intellecta versutia malignorum.*

Nec obstat 1°. Quod Zosimus, ut l. c. scribit Aug., libellum Celestii dixerit *Catholicum,* licet in eo exprimeretur error negans peccatum originale. *Nec* 2°. Quod *fidem ipsius Pelagii et Celestii,* ut ait Facundus l. c., *tanquam veram et Catholicam laudaverit, et culpaverit Africanos Episcopos, quod ab illis hæretici crederentur.*

R. *Ad* 1um. *D.* Zosimus dicit libellum Celestii Catholicum quoad maximam sui partem articulos symboli continentem *C.* secundum omnes propositiones in eo contentas *Subd.* Dixit Catholicum habita præcise ratione ipsorum dogmatum *N.* habita ratione mentis et affectus, quem præ se ferebat Celestius *C. Item* : Exprimebatur in eo error de peccato originali per modum doctrinæ, cui adhæreret Celestius *N.* per modum dubii, de quo Pontificem consuleret, asserens se velle instrui et emendari, seque adhærere decretis Innocentii *C.* Distinctionis veritas patet ex laudato supra S. Augustini loco, ubi inquit : *Cum hoc Celestius in suo libello posuisset inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare et instrui velle confessus est ; in homine acerrimi ingenii, qui profecto, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est, quia et hoc Catholicæ mentis est; si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere.*

R. *Ad* 2um. *D. Similiter,* et in eo errorem facti, non autem juris facile concedo, quemadmodum ex hactenus dictis et ipsius Marii l. c. verbis manifestum est.

87. R. II. Zosimus nimia indulgentia non peccavit.

Prob. Imprimis non peccavit contra justitiæ aut prudentiæ leges ; tum quia Innocentius ita sententiam suam temperavit, ut juberet Pelagio et Celestio, *si unquam ad sanum* (verba sunt Innocentii in Rescripto ad Silvanum et cæteros Milevitanæ Synodi Patres), *deposito pravi dogmatis errore, resipuerint... eis medicina solita, id est, receptaculum suum ab Ecclesia non negaretur* (Labb. t. 2. p. 1289. B.) : tum quia Hæretici illi errorem se deposuisse dicebant, Innocentii litteris assensum exterius præbebant, et *Praylii* testimonio commendabantur.

Deinde non peccavit contra Canones, quibus retractatio causæ fidei in

Synodo judicatæ prohibetur ; tum quia Canones illi loquuntur non de Synodo Provinciali vel Nationali, sed de Œcumenica, qualis in causa Pelagianorum ante Zosimum nulla est habita : tum quia Zosimus non retractavit causam fidei et quæstionem ipsam juris, quæ Innocentii judicio finita erat, ut ait Aug. L. 2. ad Bonif. c. 3. *Litteris beatæ memoriæ Papæ Innocentii de hac re tota dubitatio sublata est.* Et serm. 2. de verbis Apost. c. 10. (al. serm. 131. c. 10.) : *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam : inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est : utinam aliquando finiatur error !* Quæstionem itaque facti duntaxat expendere diligentius susceperat, an scilicet Pelagius et Celestius hæreseos rei essent : cujus rei et facultas et causa erat, ut ex dictis hactenus et ex eo colligi potest, quod Eros et Lazarus accusatores Pelagii, ille Arelatensium, hic Aquensium criminationes gravissimas subiissent.

Denique non peccavit contra judicii formam, quæ non sinit habere rationem appellationis, quam quis non est persecutus : ut Celestius fecerat, qui cum in Concilio primo Carthaginensi ad Sedem Apostolicam appellasset, per plures annos causam suam neglexit ; tum quia Zosimus tanquam judex supremus appellationem etiam peremptam potuit in integrum restituere : tum quia etiam sine respectu ad illam appellationem Celestii et Pelagii fidem rursus expendere potuit, ut cognosceret, num communione Ecclesiastica, quam flagitabant, digni forent.

CAPUT II.

DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN CONCUPISCENTIA CONSTITUAT PECCATUM ORIGINALE ?

88. *Nota. Flaccus Illyricus* docuit, peccatum originale esse substantiam malam a diabolo productam : *Origenes* cum plerisque Pelagianis illud explicabat per peccati Adæ imitationem : *Baius* voluit esse peccatum a parvulo in proprio supposito habitualiter commissum, in propp. 47. 48. 49. *Alii* dicebant, esse denominationem mere extrinsecam, aut solam obnoxietatem pœnæ, contra aperta verba Apostoli, Araus. II. et Trid. *Lutherus* formaliter illud constituit in concupiscentia : *Jansenius* materialiter in concupiscentia, sed formaliter in reatu, qui vero habeat rationem peccati proprie dicti. S. Augustinus concupiscentiam pro materiali designat, sed quod, tanquam aliquid specialiter quidem adjunctum, propriam rationem peccati non contineat : *Alii* statuunt esse privationem justitiæ originalis ; *alii* ipsum Adæ peccatum moraliter nostrum. De singulis pauca, sed vera ; fatentes insuper cum S. Aug. L. de mor. Eccl. c. 22. *Hoc peccato antiquo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.*

89. *Dico I.* Concupiscentia non est *formaliter* peccatum originale. Est de fide, ex Trid. Sess. 5. can. 5.

Prob. Ex Scriptura. I. Ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis*, h. e. damnatione dignum, *est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et 1. Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi... emundat nos ab omni peccato.* Ergo in regeneratis non est peccatum originale. Atqui in iis tamen est concupiscentia, ut testatur experientia, et ipsi adversarii fatentur; ergo. Nec juvat hic excipere, quod concupiscentia in peccatum non imputetur; Scriptura enim asserit, nihil damnationis *esse* in renatis, hosque *emundatos* a peccato. Præterea Apostolus ad Rom. c. 6. v. 2. et 4. comparat renovationem hominis per baptismum cum resurrectione Christi: ad Coloss. 3. et Ephes. 4. in eadem dicit expoliari et deponi veterem hominem, indui autem novum etc., quæ ad peccata tegenda aut non imputanda referri nequeunt.

II. Jacob. 1. v. 14. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* In quem textum S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 15. n. 47. sic scribit: *Profecto in his verbis partus a pariente discernitur: pariens enim est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; nec concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum.* Ergo concupiscentia per se et formaliter peccatum non est.

Prob. Ex Traditione. I. SS. Patrum, quos ipse *Calvinus* L. 3. Inst. c. 5. §. 10. sibi contrarios fatetur; refert plurimos Bellarm. hic c. 8.; unde nonnisi S. Augustinum, quem *Lutherus* sibi faventem falso jactat, in omnibus suorum operum tomis illi obloquentem sistimus. Sic autem L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 13. n. 27. de concupiscentia in baptizatis scribit: *Etiamsi vocatur peccatum, non utique, quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.* L. 6. cont. Jul. c. 16. n. 49. *Tu autem qui putas, quod, si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Et serm. 6. de verb. Apost. (al. 155. n. 9.) *Restat ergo cum carne conflictus; quia deleta est iniquitas, sed manet infirmitas.* Plura si cupis, consule Bellarm. l. c.

II. Huc spectat Pii V., Gregorii XIII., et Urbani VIII. damnatio Baianis propositionibus inflicta, quarum hæc est 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: Non concupisces.* Et 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

Prob. Ex Ratione. Si concupiscentia esset formaliter peccatum originale, ergo vel concupiscentia actualis vel habitualis. Non 1um.; ut patet. Non 2um.; potentia enim concupiscendi imprimis non est formale peccatum; tum quia definitionem peccati habere non potest, quod dicitur actus moralis regulæ morum difformis: tum quia tanquam facultas congenita nec baptizatos etiam sanctissimos deserit. Deinde nec formaliter est peccatum originale; tum quia est effectus et pœna peccati originalis: tum quia, si foret in homine, qui ex Adamo non esset natus, originariam labem ei non aspergeret.

Conf. Ex S. Aug., qui rationem, sub qua concupiscentia peccatum dica-

tur, exponit L. 1. de Nuptiis c. 23. n. 25. *Ipsa quidem concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent, a regina mente membra non dantur : ut si non fit quod scriptum est, Non concupisces, fiat saltem quod alibi legitur : Post concupiscentias tuas non eas. Sed... modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit.*

90. *Dico II.* Concupiscentia non est *materiale* originalis peccati in sensu *Jansenii.*

Prob. Nec est sententia S. Augustini, nec cum Catholica fide conciliari potest. *Pars* 1ª. patet, tum ex locis hactenus laudatis, quibus S. Doctor concupiscentiam negat esse peccatum proprie dictum, docetque sic tantum vocari metonymice : tum ex L. de Continentia c. 7. n. 18., L. de vera Religione c. 14. L. 14., de Trin. c. 17., L. 1. Retract. c. 15. n. 2. Ubi rursus negat, ipsam concupiscentiam esse reatum et per se facere hominem reum, vultque duntaxat esse pœnam et effectum peccati originalis, et causam actualis. *Pars* 2ª. constat etiam ex Trid. recitato, quod definit per baptismum *deleri, auferri* et *remitti* peccata, nihilque *remanere,* quod *veram* et *propriam peccati rationem* gerat. Cum hac vero doctrina minime congruit, post baptismum etiam vigere concupiscentiam, quæ per se peccati veram rationem habeat, atque ex sese constituat hominem reum.

91. *Dico III.* Concupiscentia *theologice* quidem, non autem *philosophice* potest in sensu S. Augustini vocari materiale peccati originalis.

Ratio primi est, quia nec contra fidem nec contra sana Theologiæ principia est, concupiscentiam dici aliquid specialiter adjunctum illi, in quo tota ratio formalis peccati originarii consistit : aut esse passionem principaliorem, quæ ab originali reatu oritur et separabilis est, non vero ipsa hunc reatum fundat, aut enasci facit, aut inseparabiliter inducit.

Ratio secundi est, quia ex communi Philosophiæ placito effectus rei non habet se ut materia ejusdem rei, nec rei essentia per aliquid ad illam consequens per modum partis constituitur : sed concupiscentia est effectus, et quid consequens ad peccatum originale; ergo.

92. *Obj. cont.* 1um. In sacra Scriptura concupiscentia vocatur sæpe peccatum : ad Rom. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* c. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces.* Et ibid. v. 14. *Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Sed peccatum hic intelligitur proprium ; cum in his capitibus loquatur Paulus de illo, pro quo Christus mortuus est, et cui nos in baptismo morimur : foret autem sermonis vitium, si aliter peccatum explicaretur de concupiscentia ; ergo.

R. 1°. *N. min.* Peccatum in Scripturis diversimode accipi constat ex num. 1. Adeo autem hoc non est sermonis vitium, ut vel ornamentum vel necessarium medium sit ad verum sensum earumdem vocum ad eumdem prope versum pertinentium habendum. Exemplum vel ipsum c. 7. ad Rom. offert, ubi v. 7. dicitur : *Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit! Sed peccatum*

non cognovi, nisi per legem. Et v. 8. *Peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Hic enim *peccatum, primo* loco accipitur pro causa peccati : *secundo* pro peccato proprie dicto : *tertio* pro facultate concupiscendi, a qua actus concupiscentiæ oriuntur. Porro sicut concupiscentia alia est habitualis, alia actualis indeliberata, alia spontanea et libera, sic etiam aliter et aliter peccatum appellatur, scilicet vel proprie, vel improprie, vel formaliter, vel materialiter. Hinc

R. 2°. *Ad text.* 1um. Verba 1°. possunt intelligi de peccato proprie dicto, quod fit, si homo obediat concupiscentiis, et quod regnare dicitur, si peccans subjicitur peccato. 2°. Sumi possunt pro concupiscentia, quæ peccati originalis effectus est, et nos in actuale peccatum pertrahit; sed tunc non nisi impropriam acceptionem esse patet; præsertim quia dicitur esse in corpore peccatum, quod tamen, si proprium sit, in una mente locum habet.

Ad text. 2um. Agitur hic quidem de peccato proprie tali, sed et de concupiscentiæ actibus, qui ex mera voluntate proficiscuntur, cum ad eos lex prohibens pressius loquendo unice pertineat.

Ad text. 3um. Sermo est de concupiscentiæ motibus, quos Paulus sentiebat, quin tamen consentiret; hinc peccatum hic in sensu materiali, non formali usurpatur, cum venditio et servitus tantum sit ad sensum, non vero ad consensum.

Inst. 1. Plura sunt, quæ concupiscentiam in sensu proprio peccatum dictam probant; nam 1°. vocatur non bonum et malum. Ad Rom. 7. v. 18. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Et v. 21. *Quoniam mihi malum adjacet.* 2°. Repugnat legi. Ibid. v. 23. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Et ad Rom. 8. v. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta.* 3°. Subjicit hominem peccato et miserum facit. Ibid. c. 7. v. 23. *Video aliam legem... captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ;* ergo.

R. *N. A.* Hæc enim omnia convenire possunt concupiscentiæ, quatenus est corruptio quædam naturæ incitans ad malum, quin tamen propriam peccati rationem inde consequatur; et hoc sensu

In primo vocatur concupiscentia non bonum ac malum.

In secundo ad modum repugnandi et ad id, quod repugnat legi, attendendum est. Quod enim repugnat legi ut actio contraria, veram peccati notionem duntaxat habet; *subjectum* autem, *causa, effectus* aut *regula* meram denominationem ab actu peccaminoso participant : quare cum concupiscentia non ut actio quædam moralis, sed ut lex membrorum ac regula peccati v. 23. dicatur opponi legi mentis et regulæ bonæ actionis, apparet peccatum proprie dictum hic non reperiri. *Sapientia* vero *carnis* repugnat quidem ut actio legi divinæ, quia curam et sollicitudinem, quæ carni commoda sunt, procurandi nimiam significat; hoc ipso autem aliam esse, quam de qua disputamus, concupiscentiam liquet.

In tertio illud *captivantem* in lege peccati S. Aug. L. 1. de Nupt. et Concup. c. 30. recte exponit de concupiscentia vel captivare conante, vel captivante secundum carnem, non secundum mentem. Infelicitas autem et miseria in Scripturis ut plurimum pœnæ potius tribuitur quam culpæ, ut

patet ex Prov. 14. v. 34. Ps. 11. v. 6. etc. unde concupiscentiam peccati originalis pœnam, minime vero culpam esse colligitur.

Inst. 2. Concupiscentia est prohibita hac lege : *Non concupisces*; ergo est proprie peccatum. Nam 1°. juxta S. Aug. L. 1. de Nuptiis c. 23. lex : *Non concupisces*, distinguitur a lege : *Post concupiscentias tuas non eas*; ergo sicut hæc prohibet motus concupiscentiæ deliberatos, seu consensum; sic illa prohibet concupiscentiam ipsam et motus ejus etiam indeliberatos, seu sensum. 2°. Idem L. de Spir. et Littera c. ult. et L. 1. de Nupt. c. 29. alibique, docet, legem : *Non concupisces*, non posse servari in hac vita propter motus concupiscentiæ; ergo. 3°. Id quod per se trahit ad malum, prohibetur eadem lege, qua prohibetur ipsum malum : sed concupiscentia per se trahit ad malum; ergo.

R. *N. A.* Sive concupiscentia hic indicet pronitatem innatam ad malum, sive ejus actus involuntarios, hujus legis materia esse nequit; non enim prohibetur id, quod in nostra potestate non est, nec a nobis vitari potest.

Ad Prob. 1am. *N. Cons.* Recte enim S. Aug. L. 5. contra Julian. c. 3. n. 11. *Alioquin frustra dictum est : Post concupiscentias tuas non eas, si quisque jam reus est, quod tumultuantes et ad mala trahere nitentes sentit eas.* Utraque ergo lex prohibet consensum motibus concupiscentiæ inordinatis dandum, et quodlibet liberum desiderium malum. Distinguuntur quidem inter se, quod *prima* proponat media et finem, nempe pugnam contra concupiscentias et extirpationem concupiscentiæ : *secunda* autem tantum media edicat. Quia tamen obligatio præcepti proprie ad *media* pertinet, finis autem imperari nec solet, nec potest; hinc finem illum lex prior manifestat duntaxat, ut intelligamus, quo nobis Deo adjuvante sit tendendum, non autem ut rei simus, si id non præstemus, quod penes nos non stat, et ad felicitatem futuræ vitæ, non ad præsentis obligationem spectat.

Ad Prob. 2am. *D.* Lex hæc servari nequit perfecte, quantum ad media et finem, quantum ad obligationem et intentionem *C.* non potest servari simpliciter, secundum media, seu illa, quæ nobis pro hac vita præcipiuntur *N.* Hoc ipsum dicit S. Aug. L. de Spir. et Litt. ac similiter loquitur de præcepto diligendi Deum; L. de Nupt. autem ita explicat : *Multum boni facit, qui facit, quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas : sed non perficit, quia non implet quod scriptum est, Non concupisces. Ad hoc ergo dixit lex, Non concupisces, ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiæ quæreremus, et in eo præcepto sciremus, et quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari, et quo possit a nobis in illa immortalitate beatissima perveniri.*

Ad Prob. 3am. *D. M.* Si id, quod ad malum trahit, sit in nostra potestate, sic, ut pro arbitrio nostro possimus eo uti vel carere *C.* Si non sit, uti accidit in concupiscentia, cujus motus etiam inviti experimur *N.* Inde autem non peccari sæpius jam dictum est, ut S. Aug. docet L. de 2. animabus c. 12. n. 17. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insaniæ.*

Inst. 3. Concupiscentiæ conveniunt prædicata peccati proprie dicti; ergo. Nam 1°. Deus non fecit concupiscentiam, quæ, ut ait Joan. 1. ep. 2. v. 16. *non est ex Patre, sed ex mundo est*; cum tamen omnia præter peccatum fecerit. 2°. Deus odio habet concupiscentiam, et nos odisse debemus, juxta

monitum S. Judæ v. 23. *Odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*; et tamen Deus nihil odit nisi peccatum. *Diligis*, verba sunt Deum alloquentis Sap. 1., *omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* 3°. Christus assimilatus est nobis, et *per omnia tentari voluit, sed absque peccato*, ut docet ep. ad Hebr. c. 4., et hinc communes vitæ miserias omnes assumpsit : sed concupiscentiam non assumpsit, nec carnis tentationem pati voluit; ergo.

R. *D. A.* Concupiscentiæ secundum entitatem spectatæ conveniunt etc. *N.* secundum deformitatem sumptæ *subd.* conveniunt prædicata propria peccati proprie dicti *N.* prædicata communia *C.* Concupiscentia, item motus concupiscentiæ carnis involuntarius secundum se sumptus, sive dicatur esse in solo appetitu sensitivo, sive etiam sit prima animæ motio orta ab appetitus sensitivi motu, pure tendit in objectum sensibile ut bonum et in suo genere homini conveniens; hinc spectata præcise entitate, tantum remote et *per accidens* malus dicitur : ubi vero potentia inclinat et actus fertur in objectum sensibile intra talem speciem et circumstantias, in quibus est prohibitum; illa *causaliter*, hic *objective* malus dicitur, et sic secundum deformitatem spectatur : neutri tamen convenit denominatio *formaliter* mali, quia ejusmodi actio non est ex electione libera, sed indeliberata et cum passione.

Ad Prob. 1am. *D.* Deus non fecit concupiscentiam quoad entitatem *N.* quoad deformitatem *subd.* positive, hoc sensu, quod non fuerit auctor peccati, cujus concupiscentia est effectus *C.* negative, hoc sensu, quod hominem propter peccatum non spoliaverit justitia originali, qua rebellio concupiscentiæ frænabatur, et caro spiritui perfecte subjiciebatur *N.* Audiatur S. Aug. L. 5. cont. Julian. c. 9. n. 36. *Sed dixi inobedientiam carnis... diabolico vulnere contigisse, et rursus, quia dixi hanc legem peccati repugnantem legi mentis, a Deo illatam propter ultionem, et ideo pœnam esse peccati : hæc inter se asseveras esse contraria. Quasi fieri non possit, ut unum atque idem malum et diaboli iniquitate et Dei æquitate peccantibus ingeratur.*

Ad Prob. 2am. *N.* 2am. *part.* Deus odio habet non tantum peccatum, sed etiam peccatorem, ut constat ex Sap. 14., et concupiscentiam, ut asserit S. Aug. in Ps. 35 n. 6. ad verba illa : *malitiam autem non odivit*; sed diversa ratione : peccatum enim odit propter se, peccatorem propter peccatum, concupiscentiam ut effectum peccati originalis et causam actualis. Odium tamen concupiscentiæ, quod S. Aug. ponit in Deo, non redundat in personam, et hoc sensu Trid. Sess. 5. dixit, Deum in renatis nihil odisse. Deus enim propter concupiscentiam, quæ in renatis etiam relinquitur non vult renatos damnare, sed potius ejus vim paulatim minuere ac totam denique tollere in iis, quos assumet ad vitam æternam.

Ad Prob. 3am. *D. M.* Christus assimilatus est nobis et tentatus, quatenus assumpsit veram carnem et passibilem *C.* quatenus assumpsit omnes defectus nostros, qui etiam non sunt peccata *N.* Sicut nec morbos nec defectus similes, sic nec ignorantiam etiam aut concupiscentiam assumpsit, ut docet S. Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 29. n. 48. et L. 5. cont. Jul. c. 15. n. 52.; tum quia hæc postrema repugnabant plenitudini gratiarum et donorum illi debitorum : tum quia ad redemptionem nostram nihil proderant, sed potius per se obesse poterant.

Inst. 4. Nulla est pœna hujus vitæ, quæ ob finem bonum expeti non

possit : sed concupiscentia ob nullum finem recte expeti potest; ergo non est pœna tantum, sed culpa.

R. *N. M.* Ignorantia et tentationes Satanæ pœna peccati sunt, nec tamen nisi imprudenter et male expeti possunt. Potest quidem pœnas omnes, et concupiscentiam quoque Deus ordinare ad finem bonum, uti relinquendo homini hanc passionem ad agonem et virtutis exercitium in præsenti naturæ conditione fecit; nullas tamen expetendas, sed duntaxat tolerandas docet S. Aug. L. 10. Conf. c. 28. *Porro concupiscentia eadem ratione expeti non debet, non quod peccatum sit, si ei non consentiatur, sed quod ad peccandum inducat, et quod molesta sit et gravis, et ideo non amanda, sed toleranda sit, si debellari nequeat.*

93. *Obj. contr.* 2um. S. Aug. pluribus in locis concupiscentiæ tribuit per se veram rationem peccati. Nam 1°. vocat ita malam, ut naturalis homini esse non possit, nec a Deo inseri; ut constat ex L. 4. contra Julian. c. 14. n. 65., L. 5. c. 7. et ult., L. 6. c. 15. n. 48., L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 16. et 17. etc. 2°. Docet concupiscentiam non tantum esse pœnam et causam peccati, sed etiam peccatum, quia, ut ait L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 13. n. 27., *peccandi delectatione movetur*; et ut L. 5. cont. Jul. c. 3. n. 8. dicit, *inest illi inobedientia contra dominatum mentis.*

R. *N. ass. Ad* 1um. R. Cum S. Aug. non omne malum esse peccatum, cum etiam dæmones, homines nefarii, habitus vitiosi sint mali, nec tamen peccatum, ut ait L. 6. cont. Jul. c. 16. *Omni peccato baptizati carent, sed non omni malo.* Itaque distinguendum est inter malum etiam morale: aliud enim est *formaliter morale,* nempe actio libera moralis difformis legi : aliud *denominative morale,* sive sit principium vel effectus peccati, ut est potentia concupiscendi; sive sit actio difformis legi, sed non libera, uti sunt motus concupiscentiæ involuntarii. Malum morale *secundi generis* tantum intelligi a S. Doctore patet ex ipsis locis citatis; nam in prioribus quidem duobus concupiscentiam malam probat unice ex hoc, quod pugnet adversus continentiam : in posterioribus ex eo, quod ad peccatum impellat, et pudorem naturalem eliciat.

Ad 2um. R. *D.* Docet concupiscentiam non tantum esse pœnam et causam peccati, sed etiam peccatum proprie et formaliter tale *N.* largo modo et materialiter tale *C.* Ad peccatum *proprie* et *formaliter* dictum requirebat ubique, præsertim L. de vera relig. c. 14., L. 3. de lib. arb. c. 15. aliquoties jam laudatis, voluntarium et libertatem; unde cum L. 1. oper. imperf. n. 47. distinxisset inter peccatum tantum, et pœnam tantum, et quod est peccatum simul et pœna, cujus postremi exemplum ponit in peccato originali, ostendit, quomodo et hoc aliena voluntate infantibus etiam sit voluntarium. Ad peccatum vero *materialiter* tale, exigebat actionem ex se repugnantem legi, et ne sit pœna tantum, hoc est, quod quis nullo modo agit, sed duntaxat patitur : hinc juxta eumdem L. 1. Retract. c. 15. actus ignorantis adhuc vocatur peccatum, ubi non est *voluntas peccati,* sed tamen *voluntas facti* : et actus ebrii malus etiam peccatum scilicet materiale dicitur, ubi nec est voluntas facti; quia saltem reipsa punitur ab homine peccati capace, et quoad oppositionem cum lege est peccato formali similis.

Atque hac ratione conciliantur hi textus cum aliis supra relatis, quibus

concupiscentia negatur esse peccatum. Confirmatur autem ex ipso locorum objectorum contextu; in 1°. enim sic ait: *Et ideo* (concupiscentia) *jam non sit peccatum, sed hoc vocetur, sive quod peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur.* Ubi et negat concupiscentiam esse peccatum, et sensum exponit, quo possit peccatum intelligi, si vocetur aliqua ratione peccatum. In 2°. autem dum ita loquitur: *Concupiscentia carnis et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis;* ex hac ipsa ratione data ostendit non esse peccatum proprium; quia hujus caro capax non est, sed mens, quæ, donec resistit, per carnis inobedientiam peccare dici nequit.

Porro cur S. Aug. concupiscentiam etiam vocaverit hic peccatum, ratio erat, ut illam ostenderet non esse pœnam tantum; quia *Julianus* ex ejus libris de Nuptiis et Concupiscentia, ubi concupiscentiam dixerat esse bonam, male contra S. Doctorem intulit, esse bonam et laudabilem et expetendam, quod Augustinus tum de facultate concupiscendi, tum de actu ex dictis negat.

Inst. 1. S. Aug. pluribus in locis comparat concupiscentiam cum *cæcitate cordis,* quam dicit esse peccatum, quo in Deum non creditur, et simul pœnam ac causam peccati. 2. Idem dicit, concupiscentiam in non regeneratis imputari in peccatum; sic enim L. 1. de Nupt. et Concup. c. 32. ait: *Hæc itaque remissio peccatorum, quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui teneat æterni supplicii debitorem.* 3. Idem ait in iisdem concupiscentiam habere reatum, quo homo reus fiat, ut verba ejus L. 6. cont Julian. c. 17. n. 51. ostendunt: *Nos eam* (concupiscentiam) *malam dicimus, et manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea* (*neque enim aliqua persona est*) *sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.*

R. *Ad* 1um. Comparatio concupiscentiæ a S. Aug. frequentius instituitur cum voluntaria cæcitate seu effossione oculorum, quam cum cæcitate cordis. Quoad *primum* autem sicut cæcitas in illo casu per se et ratione sui non est peccatum, cum esse cæcum præcise non sit imputabile ad vituperium vel pœnam; sic etiam concupiscentia per se et ratione sui peccatum non est: sicut tamen illa cæcitas ratione alterius, nempe voluntariæ effossionis oculorum, peccatum est; sic etiam concupiscentia ratione reatus adjuncti peccatum a S. Doctore dicitur. Quoad *secundum* idem omnino tenet, ac præterea notandum est, propositum S. Augustini eo pertinuisse, ut ostenderet, posse id, quod est pœna peccati, etiam esse peccatum sive proprie sive largo modo acceptum; quam in rem varia exempla profert, non admodum laborans, an congruant in omnibus, modo similia sint quoad id, de quo agebatur.

Ad 2um. *et* 3um. *D.* Docet concupiscentiam imputari in peccatum et habere reatum ratione sui præcise et per se *N.* ratione alterius sibi adjuncti *C.* Nempe concupiscentia imputatur in peccatum ratione reatus, qui in non regeneratis necdum remissus, sed adhuc cum concupiscentia conjunctus est, ut ipsa verba recitata docent: *id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit.* Habet autem sibi adjunctum reatum ratione prævaricationis Adami cuilibet homini moraliter propriæ, per quam homines non tantum sortiti sunt concupiscentiam tanquam pœnam, sed reatum etiam ac debitum susceperunt ad odium divinum sustinendum, donec hoc peccatum et reatus baptismo deleatur. Porro reatus concupiscentiæ triplici modo intelligi potest.

1um. Est, quo reatus sumitur tanquam causa concupiscentiæ, et est is, quo ipsa facta est, non quam ipsa fecit; quomodo si quis sibi eruit oculos, dicitur esse reus effossionis oculorum, non quod habere erutos oculos sit peccatum vel reum faciat, sed quod eruere sibi oculos peccatum sit et reatum faciat. Atque hac ratione a S. Aug. L. 2. cont. Jul. c. 9. n. 32. explicatur: *Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum; sed quod sit reatu primi hominis factum, et quod rebellando nos trahere nititur ad reatum.*

2um. Est, quo reatus sumitur tanquam effectus concupiscentiæ, seu is, quem ipsa facit, si ad consensum pertrahat, ita ut homo non sit proprie reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentiæ cedit. Huc pertinet, quod ibid. c. 5. n. 12. S. Aug. dicit: *An nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit; non reatus quo ipsa* (vitia) *rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant?* His enim verbis ostendit, vitia, cum quibus nascimur, remitti in baptismo, quia reatus malorum operum, quæ concupiscentiæ assentiendo fecimus, remittitur, licet infirmitas, hoc est, concupiscentia remaneat.

3um. Est, quo ipse concupiscentiæ reatus formaliter sumitur, seu is, qui idem sit cum concupiscentia, aut saltem ab ipsa oriatur et in ipsa fundetur, ita ut reus sit ipsam habens, quia ipsam habet; sicut reatus furti dicitur is, quo proprie reus dicitur, qui furtum fecit. Hac vero ratione concupiscentiæ reatum dari, aut a S. Aug. asseri negamus.

Inst. 2. Docet S. Aug. concupiscentiam remitti per baptismum; sic enim L. 1. de Nupt. et Conc. c. 23. n. 25. ait: *Hæc concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur;* ergo ipsa concupiscentia debet esse peccatum etiam formale.

R. *D. A.* Docet per baptismum remitti concupiscentiam per condonationem reatus, quo ipsa facta est, et sine quo esse potest *C.* per condonationem reatus, qui sit ipsa concupiscentia, aut qui ex ipsa oriatur, vel in ipsa fundetur *N.* Juxta S. Aug. concupiscentia et peccatum Adæ moraliter nostrum faciunt unum quoddam totum, quo homo maculatur, et vituperio, odio Dei ac pœna æterna dignus redditur. In eo *materiale* est concupiscentia, quæ per se et ratione sui est duntaxat malum, languor, infirmitas, impulsio ad peccatum: *formale* autem est reatus, non tantum pœnæ, sed culpæ, ut mox dicemus, et sic peccatum Adæ moraliter nostrum moraliter perseverans. Totum hoc dicitur manere, et hinc *concupiscentia* vocatur peccatum, quamdiu non remittitur peccatum Adæ moraliter nostrum; quia hac culpa remanente *concupiscentia* imputatur a Deo ad vituperium, odium et pœnam, cum per illam moraliter constituatur in esse peccati. Culpa autem seu peccato Adæ moraliter nostro per baptismum remisso, *concupiscentia* jam solam rationem mali, languoris et infirmitatis habet, non autem peccati; quia per factam culpæ remissionem sublata est imputabilitas ad vituperium, odium et pœnam.

Inst. 3. Id. ibid. c. 26. comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii: *In eis,* inquit, *qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiant prorsus omnium peccatorum, utique necesse est ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur... sicut eorum peccatorum quæ*

manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, et nisi remittatur, in æternum manebit... Nam si quisquam v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Sed reatus adulterii est reatus, quo ipsum adulterium hominem facit reum; ergo.

R. *D. M.* Comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii quoad omnia *N.* quoad aliqua *C.* In eo autem stat *paritas,* quod sicut separatur reatus adulterii ab adulterio, sic a concupiscentia ejus reatus separetur. Sicut autem distinguit rationem *adulterii* a ratione *concupiscentiæ,* dum loco cit. c. 7. et 8. concupiscentiam dicit esse similem manenti qualitati et habitui, dissimilem vero adulterio, sacrilegio et actui : sic etiam reatum utrumque ex proxime dictis multum discernit.

Inst. 4. Concupiscentia hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum, ut patet ex S. Aug. L. de pecc. orig. c. 39. *Obesset ista carnis concupiscentia, etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset... Manet quippe in prole, ita ut reatum faciat originale vitium*; ergo concupiscentia per se et ratione sui est peccatum formale.

R. *D. A.* Concupiscentia nude sumpta hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum *N.* sumpta cum reatu culpæ, seu totum illud, quod juxta S. Aug. constituit peccatum originale integre et adæquate sumptum *C.* Atque de hac concupiscentia intelligendus est S. Doctor, dum concupiscentiam vocat *tale ac tam magnum malum.*

Sensus autem posterioris textus est, ut ex integri loci lectione elucescit, concupiscentiam eo ipso, quod inest, obfuturam et parentibus et infantibus, nisi renascantur per gratiam in baptismo acceptam. *Parentibus* quidem, quia, quamvis per baptismum non desinat concupiscentia, nec nisi, quando hæc vita cum immortalitate commutabitur, desitura sit; tamen per baptismum obtinentur auxilia illi annexa, quibus resistere valemus concupiscentiæ motibus ad peccandum sollicitantibus : *Infantibus* vero, etiamsi ex parentibus renatis nascantur; quia hoc non obstante in prole manet concupiscentia et simul reatus culpæ originalis per originis vitium inductus.

Quæres : *Quid reatus nomine intelligat S. Augustinus, cum originale peccatum asserit reatum concupiscentiæ ?*

94. R. Intelligit ipsum *peccatum habituale,* quo homo maculatus manet, et reus non tantum pœnæ, sed peccati est : sive non intelligit solum reatum pœnæ seu obligationem ad pœnam subeundam, sed reatum culpæ seu obligationem ad odium Dei sustinendum.

Constat 1°. Ex L. 1. de Nupt. et Conc. c. 26. ubi cum remanentis concupiscentiæ reatum ablatum esse dixisset, adjicit : *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati.* Quod confirmatur ex eo, quo ibidem pergens utitur, exemplo, ut probet concupiscentiæ reatum auferri : *Nam,* inquit, *si quispiam verbi gratia fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod amisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præteriit.* Hic non de reatu pœnæ, sed culpæ sermonem esse, ipsa verba luculente clamant.

2°. Ex L. 1. Retract. c. 15. n. 2. *Quasi vero peccatum quod vos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio.* His verbis reatus culpæ a reatu pœnæ evidentissime distinguitur, ita ut prior posterioris radix dicatur : *Reatu peccati implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios.* Quod contra hoc assertum difficultatem facere posset, testimonium S. Aug. L. 6. contr. Julian. c. 19., relatum jam et explicatum est num. 93.

ARTICULUS II.

QUOMODO IN ADAMO PECCAVERINT EJUS POSTERI ?

95. *Nota I.* Triplex circa hanc quæstionem sententia habetur. 1ª. Est eorum, qui in posteris Adami admittunt *voluntatem interpretativam,* vi cujus hi censentur vel censeri possunt causam suam sive ad bonum sive ad malum agendam Adamo commisisse, sic, ut si tunc extitissent, omnes in Adamum fuissent compromissuri, aut, ut Adamus, legem divinam transgressuri.

2ª. Est communior *Recentiorum,* qui volunt posterorum voluntates moraliter fuisse translatas in voluntatem Adami per *pactum* initum, quatenus Deus Adamum caput posterorum morale instituit, ita, ut velut omnium nomine præceptum Dei servaret vel pro libitu violaret, et eo quidem in justitia et obedientia persistente, ejus posteri gratiam et justitiam originalem obtinerent, eo autem peccante, posteri peccato inficerentur, fierentque inimici ac invisi Deo.

3ª. Est *Jansenii* L. 1. de statu nat. c. 6. et 21. aliorumque, qui negant quodcumque pactum, quo Adamus tanquam caput morale posterorum sit constitutus, voluntque posteros in Adamo præcise tanquam *capite* eorum *naturali* peccasse, in quantum nempe hi omnes seminaliter, ut aiunt, contenti sunt in Adamo.

96. *Nota II.* Patroni secundæ sententiæ inter pactum formale et virtuale distinguunt. *Formale* in hoc casu dicitur conventio expressa de voluntate et fortuna posterorum in voluntatem proto-parentis transferenda Deum inter et Adamum ex libero utriusque consensu inita. Quamvis vero in Scripturis sæpe mentio fiat de pactis a Deo cum homine initis, nullaque in ejusmodi peccato formali inconvenientia reluceat, facile tamen concedunt suffecisse virtuale. Dicitur autem hic pactum *virtuale* esse ordinatio divina, qua Deus efficaciter decrevit, ut Adamus, in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comedendo fructu, tanquam caput morale repræsentaret posteros, ea ratione, ut quod ipse faceret, censerentur etiam moraliter et imputabiliter ad culpam vel meritum fecisse posteri.

De eodem porro observant, non quidem absolute fuisse necessarium, ut hæc Dei constitutio Adamo innotesceret; cum Adamus potuerit esse persona publica et omnium voluntates in se quodammodo collatas tenere, licet ipse id nesciverit; sicut *Respublica* potest jus suum conferre in aliquem et velle ratum esse, quod is statuerit, et bini exercitus duorum armis a se delectorum de summa rei decernere, quamvis hi ignorent se hac conditione decer-

tare, et ille nesciat Reipublicæ compromissum : re ipsa tamen hoc *virtuale pactum* Adamo innotuisse existimant; tum quia suavi Dei providentiæ et benignitati id videtur magis consentaneum, ut scilicet Adamus in re tam gravi de suo et totius posteritatis statu consultius decerneret, et a peccando magis averteretur ; tum quia rectus regiminis ordo postulat, ut in negotiis gravissimi momenti officium suum ac debitum intelligant, qui omnium personam ac sortem gerunt.

97. *Dico I.* Posteri non peccarunt in Adamo per hoc, quod habuerint *consensum interpretativum*.

Prob. Gratis omnino confingitur hæc interpretativa voluntas; tum quia, licet Deus sciverit, quid omnes Adæ posteri essent facturi aut volituri, tamen non constat, nec probabile est, quod viderit omnes approbaturos factum Adami, aut libere etiam consensuros in pactum cum illo initum ; præsertim cum in præsens non desint, qui contrarium mallent : tum quia hæc est differentia inter bonum et malum, quod quilibet quidem jure præsumatur consensurus in id quod sibi bonum est, in malum autem non ita.

Conf. Deus non imputat ad culpam vel pœnam id, quod aliquis tantum vellet, sed reipsa non vult; unde a S. Aug. cp. 105. (al. 194. n. 35.) et L. de prædest. SS. c. 12. n. 24. erroris damnantur, qui asserebant parvulos rapi ante baptismum, quia, si viverent, erant peccaturi. Ergo nec ideo peccasse in Adamo dicendi sunt posteri, quod, si tunc extitissent, in vel cum eo peccassent.

98. *Dico II.* Posteri non peccarunt in Adamo per hoc præcise, quod is erat eorum *caput naturale*.

Prob. Quamvis pater cujuscumque familiæ sit caput naturale suæ posteritatis, eamque contineat in lumbis suis, tamen ejus posteris non tribuitur peccatum parentis, ut patet ex Ezech. 18. Ergo idem a pari dicendum de peccato Adami.

Conf. 1. Etiam in lumbis Adami continebantur posteri, quando *alia peccata* commisit, si quæ commisit ; imo, quando *pœnitentiam* egit : nec tamen propterea aut alia illius peccata, aut ejusdem etiam pœnitentia nobis imputabatur; præsertim cum persona et natura maculata uno peccato, possit adhuc magis maculari alio; neque ex ipsa natura habeatur, quod peccatum potius imputetur posteris, quam pœnitentia ejusdem peccati.

Conf. 2. Licet Adam fuerit caput naturale ad transfundendam naturam in posteros, tamen absque pacto virtuali et ordinatione divina *justitiam originalem* non potuisset transfundere; ergo nec potuit Adamus præcise qua caput naturale absque virtuali pacto tranfundere injustitiam originariam in posteros.

99. *Dico III.* Posteri peccarunt in Adamo per hoc, quod is per *pactum virtuale* a Deo erat institutus caput morale eorum ad hoc, ut, quod ipse in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comedendo fructu faceret, censerentur posteri etiam moraliter et imputabiliter facere. *Ratio* est, quia, quamvis hæc explicatio non omnem difficultatis nodum resecet, tamen 1°. melius declarat peccatum omnium nostrum in Adamo : 2°. nihil

impossibile aut inconveniens continet : 3°. in Scriptura et Patribus fundamentum habet.

Prob. 1ª. *pars.* Tum ex oppositione ad sententiam proxime rejectam, a qua ratio *voluntarii* in peccato originali nullatenus explicatur : tum ex oppositione ad illam, quæ quidem ordinationem Dei intervenisse concedit, negat tamen vi hujus factam esse *moralem* voluntatum translationem; sine qua tamen intelligi non potest, quomodo transgressio præcepti potuerit juste posteris imputari.

Prob. 2ª. *pars.* Sicut Respublica *pupillorum* voluntates in ordine ad aliquos effectus morales in voluntate tutorum potest includere : sic Deus potuit posterorum voluntatem voluntati Adami alligare relative ad observationem vel transgressionem præcepti, unde penderet vel amissio, vel conservatio justitiæ originalis; quæ enim in hoc implicantia major præ illo? Præterea cum Magistratus civilis non habeat majorem potestatem in *civiles* subditorum actiones, quam Deus tanquam Dominus absolutissimus in actiones hominum *morales* ; profecto, si illa circa pupillum dispositio æquitati nullatenus repugnat, hæc etiam Dei ordinatio tanquam æquissima æstimanda est.

Denique constitutio eadem, præscindendo ab eventu, erat nobis plurimum optabilis ; eo quod probabilissima spes affulgebat, Adamum tot gratiis instructum, Dei etiam, sui ac suorum amantissimum in re tantilla Deo potius obtemperaturum : in hypothesi autem peccati etiam prævisi multum nihilominus Deus nobis favit, præparando Redemptorem, quem forte denegasset Adami posteris, qui in acceptata ab eo justitia originali non perseverassent.

Prob. 3ª. *pars.* Fundamentum ex *Scriptura* et *Patribus* ostendunt omnes illi textus, qui probant peccasse posteros Adæ; cum vere et proprie dictum peccatum esse nequeat sine voluntario, voluntarium autem explicari nequeat sine pacto. Specialiter tamen

S. Aug. L. 16. de Civ. Dei c. 27. apertam pacti mentionem facit, dum in illud Genes. 17. *Delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, ita scribit : *Parvuli, non secundum suæ vitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt. Multa quippe appellantur testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis vetere et novo, quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est : Qua die ederitis, morte moriemini.* Ejusdem meminit

S. Hieron. in c. 6. Oseæ circa illa verba : *Ipsi sicut Adam transgressi sunt, pactum ibi prævaricati sunt in me.* Sic enim Deum loquentem inducit paraphrastice : *Ipsi autem imitati sunt Adam, ut quod ille in paradiso fecerat, pactum meum legemque præteriens, isti in terra facerent. Et ibi, hoc est, in paradiso, omnes prævaricati sunt in me, in similitudinem prævaricationis Adam. Non enim mirum, si quod in parente præcessit, etiam in filiis condemnetur.* Quibus verbis non affirmat solum, Adæ posteros imitari parentem, ut Pelagiani volebant ; sed in ipso etiam Adamo, et similiter, hoc est, pariter cum ipso in paradiso fuisse prævaricatos, moraliter scilicet faciendo, quod ille omnium personam sustinens faciebat : atque ideo propter illud peccatum merito condemnari. Simili ratione

S. Chrysost. verba ep. ad Coloss. c. 2. v. 14. : *Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti,* homil. 6. n. 3. in eamd. ep. commentatur : *Quodnam chirographum auctor intelligit? Quod ad Moysen dixerant : quæcumque dixit Deus, faciemus... aut id, quod fecerat ad Adam, dicens : quacumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris.* Similia dicunt, et eodem sensu locum illum, teste Martinon, interpretantur de pacto cum Adamo inito Ambros. et Theophyl. in ep. ad Coloss., Rupertus. L. 5. in Genes. c. 33. et alii.

Præterea S. Aug. illud pactum insinuat in libris contra Pelag., ut dum L. 2. de Nupt. et Concup. c. 11. meminit violati testamenti : dum L. 1. cont. Julian. c. 6. n. 26. peccatum originale vocat debitum paterni chirographi, et ex S. Chrysostomo dicit, Christum invenisse chirographum paternum. Idem repetit L. 6. c. 19. n. 6. alibique, ubi nomine chirographi pactum indicat. Unde falsum ostenditur, quod *Jansen.* l. c. c. 5. et 15. dixit, neque Augustinum neque ullum alium sanctorum Patrum aut veterum Scriptorum ante Doctores Scholasticos mentionem fecisse pacti, sive constitutionis, ad quam recurrunt Theologi, cum assignant causam transfusionis peccati originalis.

100. *Obj. I.* Ut Deus constitueret Adamum caput morale, transferendo in ipsum voluntates posterorum, debuit id facere vi sui supremi dominii. Sed Deus non potuit in paradiso dominium exercere in nostras voluntates, utpote non existentes ; ergo. *Conf.* 1. Deus ratione *supremi dominii* potest quidem facere, ut ego libere velim; nequit tamen, imo impossibile est, ut illud, quod Deus vult, mihi sit voluntarium absque mea voluntate. Sed illa transfusio fuisset facta et volita a Deo absque mea voluntate; ergo. *Conf.* 2. Ut mihi aliquis actus sit voluntarius et imputabilis ratione *transfusionis voluntatis,* debet illa transfusio a me esse volita non quomodocumque, sed ut causa talis actus. Sic vero non est volita a nobis illa transfusio; ergo.

R. *N. min. vel D.* Non extiterunt physice et in seipsis *C.* non extiterunt moraliter et in sua causa, Dei scilicet omnipotentia *N.*

Ad Conf. 1am. *D. M.* Impossibile est, ut illud, quod Deus vult, mihi sit voluntarium physice et elicitive absque mea voluntate seu ejus actione *C.* ut mihi voluntarium sit moraliter et denominative *N.* Posterioris voluntarii species non tantum sunt voluntarium *præsumptum* et *interpretativum,* sed etiam *imputativum,* quod per ordinationem Magistratus habetur in pupillis et amentibus, quibus actiones tutorum ita ad quosdam effectus morales imputantur, ac si ipsi easdem posuissent.

Ad Conf. 2am. *D. M.* Ut mihi actus sit voluntarius physice et elicitive, debet etc. *C.* ut sit voluntarius moraliter et denominative *subd.* debet voluntatis transfusio a me esse volita, si facta sit per pactum formale et per mutuum Dei et creaturarum consensum *C.* si facta sit per pactum virtuale et per Dei duntaxat ordinationem *N.*

Inst. 1. Respublica non potest pro libitu transferre subditorum voluntates ; ergo nec Deus voluntates hominum.

R. *D. A.* Respublica hoc non potest quoad actiones morales, seu imputabiles ad meritum vel demeritum *C.* quoad actiones politicas *subd.* si translatio ejusmodi non sit conveniens, nec per se, et præscindendo ab eventu, optabilis *C.* secus *N.* Præterea *disparitas* est, quod Deus longe majus dominium habeat in creaturas, quam Magistratus in subditos; Magistratui enim Deus

non concessit potestatem, nisi necessariam ad gubernationem subditorum in ipsorum bonum : ad hanc autem non requiritur potestas transferendi voluntates in ordine ad actiones quascumque. Adde, a nobis proprie non institui paritatem, recte tamen inferri, quod multo magis Deus ex suprema potestate, quam habet etiam in homines quoad effectus proprie morales, possit voluntatem unius alligare alterius voluntati.

Inst. 2. Transfusio illa voluntatum facta est a Deo dependenter a *scientia media* de futura transgressione Adami; ergo non fuit nobis optabilis, nec Deo conveniens, utpote qui sic evasisset causa peccati.

R. 1°. *N. A.* Quia *scientia media* nec erat necessaria ad faciendam hanc alligationem, nec etiam dirigebat Deum in alligando; cum non minus id fecisset, si prævidisset Adamum præcepto obtemperaturum, ac nunc cum diversa prævisione præstitit.

R. 2°. *N.* 1am. *Cons.* Quamvis enim, ut res dicatur optabilis vel non optabilis, debeat considerari præscindendo ab eventu et eventum consequente scientia media; falsum tamen est, nihil per se esse optabile, quo nos male usuros Deus prævidit : alias enim nec Redemptio humani generis esset universaliter optabilis, quia et hæc multis cedit in majorem perniciem, juxta illud Luc. 2. v. 34. *Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.* Deinde etiam *N.* 2am. *Cons.* Quia hæc alligatio per se et determinate non intulit peccatum, sed tantum constituit actum primum indifferentem, sicut porrectio gladii non trahit post se suicidium, sed est indifferens ad profligandum hostem, vel ad abutendum eo in seipsum. Quin intentio Dei voluntates nostras transferentis non erat, ut Adam peccaret, sed ut sibi et posteris gratiam originalem obediendo conservaret.

Inst. 3. In hac sententia varia emergunt *absurda.* Nam 1. confunditur præceptum de non comedendo fructu cum pacto, cum tamen hæc quoad naturam et connotata differant. 2. Sequitur, animas contracturas originale peccatum, etiamsi post suam creationem non unirentur corpori. 3. Non explicatur illud Apostoli : *natura filii iræ*; quia deberet dici : pacto filii iræ, si non ideo peccaverimus in Adam, quia natura nostra fuit contenta in ejus lumbis.

R. *N. Ass.* Et quidem *ad* 1um. Distinctio se satis ostendit inter præceptum et pactum; nam alligatio nostrarum voluntatum ad voluntatem Adami fuit decretum Dei constituentis Adamum caput morale posterorum, ita ut, quod ipse faceret, censerentur etiam posteri moraliter et imputabiliter fecisse, et fuit etiam *virtuale pactum* cum Adamo de transfundenda justitia vel injustitia originali in posteros; præceptum vero fuit illa *lex,* quam Deus Adamo tum suo tum posterorum nomine servandam posuit.

Ad 2um. *N. seq.* Quamvis enim *naturalis* descensus ex Adamo, vel *seminalis* nostrum continentia in ejus lumbis non constituat juxta nos originale peccatum, tamen et ad illud et ad alligationem voluntatum nostrarum præsupponitur. Propter hunc enim descensum alligati sunt posteri voluntati Adami, et ut actualiter contractum dicatur hoc peccatum, vel anima per illud maculata, requiritur etiam existentia descendentis ab Adamo. Ubi tamen omnino concedimus, si quorumdam, qui non descensuri erant ex Adamo, voluntas illi alligata fuisset, hi nihilominus in Adamo fuissent peccaturi.

Ad 3um. *N.* Sumus enim *natura filii iræ,* quia nascimur odibiles Deo, et ex Adamo descendimus naturaliter, in cujus peccatricem voluntatem voluntates nostræ fuerant translatæ.

101. *Obj. II.* Certum est in controversia S. Augustini cum Pelagianis circa existentiam peccati originalis potissimum horum argumentum pro neganda existentia fuisse, quod nos, tanquam necdum existentes, non potuerimus peccare; ad hoc tamen argumentum solvendum S. Aug. nunquam recurrit ad pactum et translationem voluntatum, sed ad *continentiam seminalem;* ergo nec nos debemus.

R. 1°. *N. Cons.* Potuit enim L. 4. Op. imp. cont. Julian., ubi hoc argumentum proponebatur, S. Aug. non meminisse pacti, ne novis se difficultatibus innecteret, cum, licet hanc explicationem censeamus veram, eam tamen ab omni difficultate non esse immunem, ipsi jam fassi simus. Unde S. Doctor Juliano importunius inhærenti recte reposuit L. 6. cont. Julian. c. 5. n. 11.: *Etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur : verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur et creditur per Ecclesiam totam; quæ filios fidelium nec exorcisaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, et a principe mortis erueret.* Et L. 3. de pecc. mer. et rem. cap. 4. *Etsi refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis, quæ in Scripturis sunt apertissima.*

R. 2°. *N. m. quoad* 1am. *part.* Meminit enim ejusdem etiam contra Pelagianos, ut monitum est num. 99. Idem insinuavit omnibus illis in locis, ubi peccatum originale voluntarium asseruit. 2am. *part. D.* Recurrit ad continentiam seminalem, excludendo per illam omne pactum *N.* constituendo illam tanquam fundamentum, quod etiam in nostra sententia tenet, ut nuper dictum *C.*

Inst. 1. S. Aug. L. 4. c. 104. Op. imp. sic respondet Juliano: *Secundum originem omnes in illo uno erant, et hi omnes unus ille erant, qui in se ipsis nulli adhuc erant. Secundum hanc originem seminalem etiam Levi... tunc decimatus ostenditur, non in seipso, sed in illo, in cujus fuit lumbis : nec voluit nec noluit decimari, quoniam nulla ejus voluntas erat... et tamen secundum rationem seminis, non mendaciter nec inaniter dictum est, quod ibi fuit et decimatus est.* Unde sic arguere licet: Eo modo in *Adam* fuerunt ejus posteri et peccarunt, quo Levitæ fuerunt in *Abraham* et decimati sunt, dum is Melchisedecho decimas dedit, ut dicitur ad Hebr. 7. v. 5.: atqui non ratione *pacti* alicujus, sed ratione solius seminis, et hinc ex natura rei, Levitæ in Abrahamo fuerunt, et propter hoc decimati dicuntur; ergo a pari.

R. *D. M.* Eo modo, quantum ad aliquid, fuerunt in Adam posteri ejus, quo in lumbis Abrahæ fuerunt Levitæ *C.* quantum ad omnia *N.* Scopus S. Augustini hic fuit ostendere, quomodo posteri fuerint in Adamo, et ad hoc affert exemplum de continentia seminali Levitarum in Abrahamo. An vero ex ipsa rei natura, vel ex eo præcise, quod quis ab altero participet naturam, quis peccet aut peccaverint posteri in Adam; an vero id moraliter contingat, supposita nempe illa *seminali continentia,* addendo adhuc pactum, nequidem tangit hic S. Doctor, nec, quia argumentum Juliani hoc nondum urgebat, tangere necesse habuit.

Inst. 2. Non requiritur major libertas ad decimandum, quam ad peccandum: sed ad libere decimandum sufficiebat *seminalis continentia* Levi in lumbis Abrahæ, qui personaliter decimas dedit; ergo etc.

R. *N. M. Disparitas* inter decimationis et peccati imputationem est, quod decimari sit denominatio quædam *extrinseca* ad instar dignitatis vel infamiæ a parentibus profectæ, quæ ab hominum opinione pendet: e contrario denominatio peccati est ab interno animæ statu, et *voluntarii* rationem sive physicam sive moralem exigit. Nihil a dictis diversum sensisse Augustinum patet ex loco Apostoli, unde expositionem sumpsit; hic enim Paulus probandum sumpserat Sacerdotium *Melchisedechi* præstare sacerdotio *Aaronis* et Successorum: præcellentiam vero ostendit ex eo, quod sicut tribus Levi dignior cognoscitur reliquis Hebræorum tribubus ob decimarum pensum, sic dignior sit *Melchisedech*, cui pater ipse Levitarum Abrahamus decimas obtulit. Ad hanc itaque denominationem inferioris in posteros refundendam recte usurpatur continentia seminalis, et quantum ad hoc decimati Levitæ dicuntur; quantum vero ad libertatem decimationis pertinet, nec Apostolus, nec Augustinus, hic quidpiam edisserit.

Inst. 3. Juxta S. Aug. in Enchir. c. 26. et 48. aliisque in locis, ideo peccavimus originaliter, quia fuimus in illo uno, quando omnes ille unus corrupit: sed in tantum fuimus in illo uno, in quantum in eo erat *natura seminalis*, ex qua propagaremur; ergo in tantum peccavimus, in quantum fuimus seminaliter in lumbis Adæ. *Conf.* 1. S. Th. 1. 2. q. 81. a. 1. docet, quod eo modo nobis imputetur peccatum Adæ, quo modo manui homicidium a voluntate capitis commissum et imperatum: sed homicidium non imputatur manui ratione alicujus pacti aut unionis moralis, sed quia est membrum naturaliter unitum capiti; ergo. *Conf.* 2. Adamus ut caput naturale peccans, non sibi tantum sed et posteris nocuit; quia dum perdidit justitiam originalem, pro nobis etiam illam perdidit, qui naturam ejus originali justitia spoliatam eramus accepturi: sed peccasse in Adamo aliud nihil dicit, quam peccatum illius nocuisse posteris; ergo.

R. *D. M.* Ideo peccavimus, quia in illo uno fuimus præcise naturaliter seu ex rei natura *N.* moraliter et in ordine ad observationem præcepti vel violationem *C.* Naturalis illa continentia sola non sufficiebat ad peccatum nobis imputandum, cum alias ex eodem capite alia etiam peccata commisissemus, et in Adamo egissemus pœnitentiam; erat itaque duntaxat præsuppositum, cui insistit unio moralis et translatio voluntatum in ordine ad hoc peccatum.

Ad Conf. 1am. *D. M.* Ita ut comparatio præcise instituatur in unione unius cum altero *C.* ut ponatur etiam in modo unionis, ita ut sicut unio manus cum capite est physica et naturalis, sic etiam unio posterorum cum Adamo sit duntaxat naturalis, et habeatur unice ex natura rei *N.*

Ad Conf. 2am. R. 1°. Similiter *D. M.* ut ad argumentum responsum est. Certe sicut ex ipsa rei natura non accepissemus *originalem justitiam*, si hæc tanquam personale privilegium data fuisset Adamo: sic non ex ipsa natura ea nunc privamur, eo quod præcise Adam illam perdiderit; cum Deus eam nobis tanquam privilegium personale aut posteris naturale concedere potuisset.

R. 2°. *N. min.* Si enim per nocumentum intelligatur, ut solet, pœna duntaxat peccati, non vero ipsum peccatum, aperte contradicit Conc. Araus. II. Can. 2.

ARTICULUS III.

IN QUONAM FORMALITER CONSISTAT PECCATUM ORIGINALE?

102. *Nota.* Peccatum originale passim a Theologis dividitur in originale originans et originale originatum. *Originans* actuale est illa actio Adami peccaminosa physice in paradiso posita : habituale est eadem actio moraliter perseverans in ordine ad reatum culpæ. *Originatum* actuale est illud peccatum in instanti conceptionis seu infusionis animæ actualiter contractum a posteris : habituale est idem in sequentibus instantibus perseverans moraliter. Ubi præterea advertendum, non obstare, quod peccatum *originatum* dicatur effectus aliquis peccati personalis Adami; quamvis enim illud ut moraliter nostrum includatur ab originali originato, tamen hoc illius effectus dici potest ex eo, quod actio personalis Adami sit ratio et causa actionis malæ, quæ moraliter est posterorum; quatenus, si Adam non peccasset, neque posteri eodem peccato peccassent. De originante satis dictum; nunc de originato dicendum.

103. *Dico.* Peccatum originale est ipsum Adæ peccatum physice præteritum, prout a posteris in illo moraliter commissum, et moraliter perseverans in reatu seu debito sustinendi odium inimicitiæ divinæ.

Pars 1ª. prob. Ex art. priore. *Conf.* Peccatum originale habet *veram et propriam rationem peccati,* ut expresse supponit Trid. Sess. 5. num. 5., et est ita commune, ut tamen sit *unicuique proprium,* ut idem Conc. loc. c. num 3. asserit : sed neutrum dici potest, nisi originale dicatur peccatum Adæ physice præteritum, prout a posteris in illo moraliter commissum; ergo.

Pars 2ª. prob. Ex dictis n. 66. de peccato habituali mortali, cujus species aliqua est originale. *Conf.* In illo moraliter perseverat peccatum originale, quod per Christi gratiam in baptismo collatam remittitur. Sed hoc est reatus, et quidem culpæ, seu debitum sustinendi odium, ut patet ex Trident. l. c. *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet... anathema sit.*

104. *Obj. I.* Peccatum originale non est mera imputatio extrinseca inobedientiæ Adami : sed in nostra sententia nihil aliud foret, cum esset tantum moraliter commissum, et in æstimatione Dei extrinseca et hominum consisteret; ergo. *Conf.* 1. Actus peccaminosus ab Adamo elicitus est ejus posteris extrinsecus : peccatum originale est posteris intrinsecum, quia ex Trid. unicuique proprium; ergo. *Conf.* 2. Peccatum Adami est quid præteritum : originale est aliquid posteris natis præsens; ergo originale nequit esse peccatum Adæ. *Conf.* 3. Peccatum fuit Adæ remissum, neque moraliter amplius perseverat; ergo.

R. *N. m.* Rationis 2am. *part. D.* consistit in extrinseca Dei et hominum æstimatione subjective *N.* terminative solum vel objective *C.* subjective consistit in peccato moraliter proprio et condignitate morali ad sustinendum odium, posteris moraliter intrinseca.

Ad Conf. 1am. *D. M.* Est physice et entitative extrinsecus posteris *C.* moraliter et imputative aut interpretative *N.* Cum propter transfusionem moralem voluntatum peccatum Adami fuerit etiam a posteris moraliter commissum, et per reatum culpæ contrahatur ab illis ad proprium suppositum, recte etiam posteris moraliter intrinsecum dicitur.

Ad Conf. 2am. *D. M.* Peccatum Adæ est quid physice præteritum *C.* moraliter præteritum *subd.* respectu ipsius Adami, cui scilicet est remissum *C.* respectu posterorum, quibus si per baptismum necdum remissum est, adhuc moraliter perseverat *N.* Ex quo patet responsio

Ad Conf. 3am. Quia Adamo per pœnitentiam fuit remissum peccatum, quatenus fuit illi personale, non autem quatenus fuit peccatum originale per ipsum a posteris commissum.

Inst. Ad reatum pœnæ requiritur culpa *absoluta,* et non tantum conditionate prævisa; ut certum est contra *Semipelagianos* : Ergo etiam ad reatum culpæ requiritur consensus absolutus. Atqui posteri in peccatum Adami nunquam consenserunt absolute; ergo. *Conf.* Nihil est culpa propria, nisi quod est voluntarium voluntate propria : atqui nec pactum cum Adamo, nec peccatum Adami fuit posteris voluntarium voluntate propria; ergo.

R. *D. min. subs.* Posteri nunquam in peccatum Adæ absolute consenserunt consensu physico et immediato *C.* consensu morali et mediato capitis *N.* Ad culpam *personalem* requiritur quidem consensus physicus et personalis, ad *originalem* autem moralis et imputativus sufficit; hic vero fuit in posteris absolutus, quia posterorum voluntates in Adamum absolute translatæ sunt, et hic absolute non suo tantum, sed et posterorum suorum nomine consensit.

Ad Conf. D. M. Nihil est culpa propria personalis, nisi etc. *C.* nihil est culpa propria originalis *subd.* nisi sit voluntarium voluntate physice propria *N.* voluntate moraliter propria *C.* Responsio liquet ex hactenus dictis.

105. *Obj. II.* Meritum Adami non fuisset moraliter nobis proprium, sicut nec ejus pœnitentia nobis fuit moraliter propria; ergo nec ejus peccatum est nobis proprium. *Conf.* Christus supplevit id quod præstitisset Adam, si loco peccati bene egisset : sed meritum Christi non est nobis proprium; ergo nec fuisset meritum Adæ.

R. *N. A. et paritatem.* Ratio habetur ex libera dispositione Dei, pactum de primo, non autem de altero facientis, quæ nobis ex Scriptura et Patribus constat.

Ad Conf. D. M. Christus eodem modo supplevit id, quod præstitisset Adam etc. *N.* diverso modo *C.* Alio nempe modo Christus fuit caput morale generis humani, quam Adamus. Licet enim is pro omnibus nobis satisfactionem præstiterit, hæc tamen satisfactio non est in *actu secundo* nostra moraliter, nisi applicetur nobis per voluntariam regenerationem in baptismo, aut Sacramenta alia vel actus; unde constat, voluntates nostras non fuisse moraliter transfusas in voluntatem Christi, ut in voluntatem Adami. Hujus

autem *ratio* fuit, tum quia non decebat, voluntates nostras jam infectas peccato moraliter uniri cum sanctissima Christi voluntate : tum quia conveniebat, homines adultos participes fieri meritorum et satisfactionum Christi per liberam et propriam cooperationem.

Inst. Si meritum Adæ fuisset nostrum, et meritum Christi non sit nostrum, meritum illius fuisset majoris efficaciæ, quam meritum Christi : sed hoc diei nequit; ergo.

R. *N. seq. M.* Non enim sequitur futurum fuisse meritum Adami majoris efficaciæ *de se* et *in actu primo,* sed tantum fore, ut pertinuisset actu ad plures, quam nunc ipso facto prosit meritum Christi, non quidem ex defectu ipsius meriti, utpote infiniti et superabundantis, sed ex defectu creaturarum sibi illud applicare negligentium.

CAPUT III.

DE PROPAGATIONE PECCATI ORIGINALIS.

Duo hic exponenda suscipimus, modum scilicet, quo peccatum originale traducatur, et subjectum, in quod propagetur. Primum adeo difficile visum est S. Augustino, ut L. 5. contra Julian. c. 4. n. 17. scriberet : *Quid autem sit verum, libentius disco quam dico ; ne docere audeam quod nescio :* Alterum Gregorio XV. P. M. adeo obscurum apparuit, ut Philippo III. Hispaniarum Regi Ecclesiæ definitionem urgenti responderit, æternam Sapientiam nondum tanti mysterii penetralia patefecisse. Cum tamen neutrum prohibuerit, quominus S. Doctor de *modo traductionis* responderet, et Ecclesia satis apertam de immaculata beatissimæ Virginis conceptione sententiam ediceret; nec temeritatis etiam notam incurrere timemus, si, quæ nobis est opinio communiori consentanea, aperuerimus.

ARTICULUS I.

QUOMODO TRADUCATUR PECCATUM ORIGINALE AD ADÆ POSTEROS?

106. *Nota I.* S. Aug. duos modos explicandi corruptionem animæ ex peccato originali, et istius peccati propagationem exponit. Primus erat *ex traduce* seu ex propagatione, ita ut, sicut caro nascentium ex carne patrum, sic animæ ex animabus procrcentur, et incorporeum animæ semen sua quadam et invisibili via seorsim ex patre currat in matrem, cum in femina fit conceptus, ut S. Aug. ep. 157. (al. 190.), S. Eucher. in c. 3. Genes. loquuntur. Alter erat ad eorum sententiam nunc ubique prævalentem, qui dicunt animas quotidie *a Deo creari,* et in corpora, cum satis formata sunt, infundi. Sicut enim si flos fœtido loco inseratur, quantumvis natura sua pulcher et elegans, vitium quoddam inde labemque trahit, et sicut si anima corpori vulnerato conjungeretur, mox doleret : ita cum anima infunditur

corpori, in quo germen quoddam est peccati, quia ab Adamo fuit propagatum, et fit pars hominis ex Adamo progeniti, in quo, ut in capite continebamur, peccato inficitur.

107. *Nota II.* Dubium usque ad mortem suam fuisse S. AUGUSTINUM de origine animarum liquet ex variis ejus libris. Eumdem magis propendisse in eam opinionem, quæ animas *ex traduce* sentit provenire, satis colligitur ex L. 1. de Anima c. 13. et L. 4. c. 11. Item ep. 157. (al. 190.) ac L. 10. de Genes. ad litt. Atque hæc sentiendi ratio non tantum tempore S. AUGUSTINI fuit inter *occidentales* communis, sed et seculo sexto, septimo, nono, duodecimo, quin et posterioribus habuit magni nominis sectatores : opposita tamen sententia sicut olim inter *orientales* perpetuo viguit, sic jam pene ubique a quinque seculis in Ecclesia Catholica est recepta; unde nec primus explicandi modus hic afferri potest, nec debet.

108. *Nota III. Jansenius* rejecto omni pacto tanquam commentitio et ante tempora Scholasticorum omni antiquitati incognito bina docet : 1um. Peccatum originale ex natura rei propagari in posteros, non secus, ac subinde cæcitas, podagra, aliaque id genus parentum vitia tum affectuum, tum corporum, transfunduntur in liberos : 2um. Causam hujus transfusionis unicam eamque physicam et necessariam, esse libidinem parentum seu concupiscentiam in usu conjugii ; atque id AUGUSTINUM docuisse tanquam doctrinam Catholicam, quæ si vera non sit, vanam, falsam et fallacem esse ejus de Pelagianis victoriam. Verum, ut nuper de concupiscentia vidimus, sic et hic veriores suæ explicationis auctores *Jansenius* habet *Lutherum* in Psal. 51. ad illa verba : *Ecce in iniquitatibus conceptus sum ;* et *Calvinum* L. 2. Inst. c. 1. §. 7.

109. *Dico I.* Libido, quacum parentes generant, non est causa per se et necessaria peccati originalis in parvulis.

Prob. Si *libido* foret causa ejusmodi, ergo ubi ea esset, ibi foret peccatum originale; ubi vero ea non esset, ibi nec peccatum foret : atqui falsum est utrumque consequens : 1um. quidem ; quia, ut ait TRID. Sess. 6. c. 3. *Nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti :* sed licet ex Adæ semine non nascerentur, non tamen nascerentur *sine libidine* et concupiscentia, utpote quæ ex naturali hominis temperamento exsurgit, et in statu etiam puræ naturæ fuisset. 2um. Etiam; quia si parentes quoque carerent *libidine* in generando, nati tamen ex iis contraherent peccatum originis, cum ab Adamo descenderent, *in quo omnes peccaverunt,* nec singulari privilegio intelligerentur exempti.

Conf. Talis *libido* non potest per se causare effectum alium nisi materialem, non vero spiritualem in anima, aut moralem. Item *libido* illa conjugum de se non est mala, quia alias malæ etiam essent nuptiæ. Denique si *libido* esset causa peccati originalis, plus ille contraheret peccati, qui majore libidinis ardore conciperetur ; cum causa necessario et naturaliter agens majorem in apto subjecto effectum producat : falsum autem est consequens, quia originale peccatum est in omnibus æquale.

110. *Dico II.* Peccatum originale non *ex ipsa natura rei* propagatur in posteros.

Prob. Neque peccatum originale consistit aut totaliter aut partialiter in concupiscentia : neque per hoc præcise anima inficitur peccato, quia unitur corpori corrupto, hoc est, concupiscentia affecto; cum concupiscentia etiam maneat in baptizato; ergo peccatum originale ex rei natura non propagatur, siquidem traductionis ex natura rei modus ista explicatione nititur.

Conf. Eo modo traduxit Adam originale peccatum in posteros, 1°. Quo traduxit cætera incommoda v. g. tribulos terræ, belluarum rebellionem etc: 2°. Quo traducturus erat justitiam, si non peccasset : 3°. Quo Christi passio producit in nobis gratiam : *Sicut,* ait Apost. ad Rom. 5., *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Atqui hæc omnia non physice et ex natura rei, sed moraliter et ex Dei ordinatione fuerunt aut fuissent traducta; ergo.

111. *Dico III.* Causa peccati originalis est voluntas Adami, et sic hoc peccatum moraliter transfunditur, supposita generatione ex Adamo facta per viam generationis ordinariam.

Prob. Ex verbis Apostoli ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors* etc. Omnes homines nascuntur cum reatu mortis, quia omnes nascuntur peccatores: omnes autem nascuntur peccatores, quia omnes secundum moralem æstimationem peccaverunt in Adamo. Ergo mortis causa est peccatum originale : originalis peccati autem causa est Adamus. Ergo causa transfusionis peccati originalis est Adami voluntas, cui inclusæ fuerunt voluntates omnium, qui ab eo per naturalem generationem erant descensuri. Hinc Trid. loc. c. *Nisi,* inquit, *ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione,* per ipsum, *dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt.*

Conf. Peccatum originale ex dictis nihil aliud est, quam peccatum Adami *moraliter* nostrum, quod, dum primo factum est, potest dici actuale; dum contrahitur, habituale. Ergo cum una et eadem sit causa peccati habitualis juxta et actualis, et voluntas Adami causa sit peccati originalis, ut actuale fuit et primo factum est; etiam causa dici debet peccati originalis, ut habituale est et a nobis contrahitur.

Dixi 1. *supposita generatione ex Adamo facta;* quia ex Trid. loc. cit. nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. Dixi 2. *per viam generationis ordinariam;* ut excipiatur Christus, qui cum non per viam generationis naturalis, sed mirabili Spiritus sancti opera conceptus est, non contraxit, imo ob divinitatem personæ non potuit contrahere peccatum originale. Utriusque ratio a priori fundatur in pacto et Dei ordinatione.

112. *Obj. cont.* 1um. S. Aug. licet dubius fuerit, quomodo peccatum originale a parentibus baptizatis traducatur ad liberos, tanquam Ecclesiæ tamen sententiam certam et Catholicam tenuit semper, illud traduci per concupiscentiam, et multiplici illud ratione ostendit : 1um. patet ex L. 5. cont. Julian. c. 12. n. 48. *Utrum* (concupiscentia) *malum non sit, cui repugnanti consentiendum non est.... et utrum non ex ipsa et cum ipsa concupi-*

scentia nascatur, cui malum inesse ullum negas : et utrum ab ingenerato malo possit hominum quisquam nisi regeneratione liberari; hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus Catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. 2um. Ostenditur ex congerie textuum et doctrina S. Aug., quam opposuit *Jansenius*.

R. Dubium S. Augustini et difficultatem explicandi ad ipsam etiam traductionem generaliter sumptam et ejus modum pertinuisse liquet ex illius verbis L. 5. contr. Jul. c. 4. recitatis num. 105. et L. 3. de pecc. merit. c. 4. laudatis n. 101. aliisque ex ejus ep. 29 (al. 167.) alias afferri solitis. Unde *N. Assert.*

Ad Prob. 1mi. R. Sensum esse, quod concupiscentia sumpta pro habituali inclinatione et effræni ad bona honesto repugnantia sit malum quoddam et defectus naturæ, cum quo nascimur omnes, et a quo liberamur quodammodo per baptismum, quatenus vi illius accipimus gratiam habitualem et jus ad auxilia, quibus resistamus illius motibus, et rectæ rationi subjiciamus. Hæc vero nulli Catholicorum sententiæ repugnant. Quomodo porro dicatur *ex concupiscentia* provenire peccatum, mox subjicietur.

Ad Prob. 2i. *N. Assert.* Cujus falsitatem ut aperiamus, audire juvat *Jansenium* opponentem.

Opponit I. S. Aug. pro prima transfusionis radice assignat magnitudinem peccati Adami, concupiscentia totam naturam inficientis et vitiantis : L. 1. de Nupt. c. 32., L. 13. de Civ. c. 3. et 15., L. 14. ibid. c. 20. et L. 2. Oper. imperf.

R. 1°. S. Augustinum hic non loqui de libidine parentum in generando, sed de *concupiscentia habituali* hominibus insita, et per se patet, et a *Jansenio* tacite conceditur, dum primam et remotam quasi radicem peccati originalis designat.

R. 2°. Sensus Augustini hic alius non est, quam quod peccatum illud Adæ totam naturam in deterius secundum corpus et animam mutaverit, et corpus quidem concupiscentiæ vitio infecerit, animam autem reatu ejusdem peccati : *causamque,* cur utrumque vitium traducatur ad posteros, esse naturalem generationem. Atque in his Catholicorum nemo refragatur S. Augustino. Quamvis enim generatio naturalis proprie *causa* peccati dici nequeat, cum per se tendat in productionem hominis secundum naturam et esse physicum, non autem producat moralia; tamen quia respectu animæ habet se ut *conditio* quædam ad infectionem, nomen causæ latius dictæ illi permittere non abhorremus.

Opponit II. S. Aug. ad causalitatem concupiscentiæ, in ordine ad peccatum transfundendum, ostendendam, aliquando utitur causandi particulis, *unde, inde, per, ex, propter, quia;* aliquando disertissimis verbis vitium ex vitio, sicut naturam ex natura propagari asserit; ergo.

R. Quod S. Aug. tam sæpe repetat, non generationem, sed *concupiscentiam* ac *libidinem* esse, quæ peccatum traducit, Ratio 1ª. est, quia indicare voluit causam originalis peccati non esse generationem *simpliciter;* cum hæc etiam in paradiso futura fuisset, quin tamen peccatum foret : sed generationem *ex natura corrupta,* cujus argumentum certissimum est ardor libidinis, sine quo ne sanctissimi quidem conjuges generare solent.

2ª. Est, quia hæc traductio peccati per concupiscentiam potest intelligi

fieri in sensu quodam *causali*, sed morali et congruo; quia videlicet conveniens est, ut qui generatur ex natura per peccatum corrupta et concupiscentiæ obnoxia, patiatur eamdem corruptionem; quo pacto L. 3. de lib. arb. c. 20. dixit : *Ut meliores* (Adam) *gigneret, quam ipse esset, non erat æquitatis.*

3ª. Est, quia S. Doctor concupiscentiam, quæ est effectus peccati originalis, habuit pro *parte illius materiali*; unde dixit peccatum originale traduci a peccato, sicut naturam a natura ; quod tamen non intelligi debet de concupiscentia, quatenus est effectus vel materiale peccati originalis; sed quatenus est *aliquis naturæ status*, a quo exemptionem ipse generans dare non potest, neque etiam Deus dedisset in statu naturæ puræ. Unde

D. 1am. *part.* Ad causalitatem generationis secundum se sumptæ excludendam, et causalitatem moralem duntaxat, vel concomitantiam libidinis ostendendam aliquando utitur particulis causandi *C.* ad causalitatem propriam, physicam et ex natura rei talem libidinis, utitur his particulis *N.* Etiam

D. 2am. *part.* Dicit vitium ex vitio, utrumque proprie sumendo, propagari sicut naturam ex natura *N.* sumendo vitium improprie pro effectu, scilicet concupiscentia *subd.* dicit propagari hoc sensu, quod generans ex se non potuerit dare exemptionem a concupiscentia *C.* quod ex ipsa rei natura et necessario sequatur in posteris concupiscentia *N.*

Præterea, adverte per corruptionem et concupiscentiam a S. Aug. raro intelligi libidinem actualem proximorum parentum, sed concupiscentiam et peccatum Adami, quem sensum S. Aug. ep. 89. (al. 157. n. 11.) clare exprimit : *Proinde isti, quem forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium.*

Opponit III. S. Aug. causam, cur Christus noluerit naturali via generari, affert hanc : ne per concupiscentiam genitus etiam concupiscentiæ vitium seu peccatum originale ex Adamo traheret, L. 1. de Nupt. c. 12. Adhæc *Pelagiani* non aliter intellexerunt sententiam Augustini de concupiscentia peccatum originale propagante : neque Augustinus abnuit, ut videre est L. 2. cont. Jul. c. 1. Denique vana fuisset ejus disputatio contra *Pelagianos*, cum in his omnibus contra illos scriptis id unum probandum Augustinus susceperit, concupiscentiam non esse a Deo, sed ex Adami peccato, perque eam originale peccatum traduci.

R. S. Aug. in locis primo designatis tantum docet, Christum concipi noluisse *ex nuptiali concubitu*, qui naturaliter fieri nequit in carne corrupta sine motu concupiscentiæ; quia noluit venire in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Tametsi autem verum sit, quod, licet Christus aliunde foret capax peccati originalis, illud tamen non contraxisset, quia non fuit propagatus per naturalem viam generationis et concupiscentiæ : absurdum tamen est existimare Christum fuisse contracturum peccatum originale, si ex *nuptiali commercio* fuisset conceptus; quasi vero hypostatica unio non excluderet quodcumque peccatum : vel ex nuptiali concubitu non potuisset Christus concipi absque pudenda concupiscentia, eo nempe modo, quo in statu innocentiæ fuissent omnes concepti.

Quod de *Pelagianorum* et *Augustini* sententia additur, jam patet ejus

solutio ex dictis ad oppositiones priores, ubi explicatum, quo sensu debeat intelligi, cum S. Doctor dicit, originale per concupiscentiam propagari. Disputatio tandem et victoria Augustini de *Pelagianis* reportata vel maxime versabatur in eo, quod existentiam peccati originalis, ejusque traductionem in posteros apertis Scripturæ testimoniis probaverit. Certe error *Pelagianorum* a Pontificibus et Conciliis damnatus hoc uno definiebatur, quod negarent peccatum originale, h. e. peccatum Adæ transmitti ad posteros : non autem, quod hoc aut illo modo, per concupiscentiam scilicet, aut per aliud quid transmittatur, de quo ab Ecclesia nihil clare definitum fuit ante Tridentinum, quod nobis favere supra notatum est.

113. *Obj. cont.* 2um et 3um. Aperte docet S. Aug. peccatum originale transmitti ad posteros, ut *podagram, malas valetudines, aliaque morbidæ sobolis* vitia naturalia *quodam operante contagio*, quæ verba sunt L. 2. Oper. imperf., L. de Nupt. c. 34. et L. 5. contr. Jul. c. 18. Item animam peccato originali infici, ut *flos a vase vitiato corrumpitur*; ergo peccatum originale ex ipsa rei natura propagari sensit.

R. *D. A.* Docet hæc faciendo comparationem adæquatam, et quæ tum quoad rem, tum quoad modum mutuo correspondeat *N.* faciendo similitudinem duntaxat quoad aliqua *C.* Posteros omnes ex Adamo descendentes contrahere peccatum originale, eoque animam, ut primum conjungitur corpori, infici, *dogma fidei* est, quod defendit Aug. ad id explicandum usus his similitudinibus : *quo modo* contrahatur hoc peccatum et anima eo inficiatur, nec definitum erat, nec certum habuit Augustinus, cum ad mortem usque fluctuaret circa veram animæ originem; unde hæ similitudines ab illo allatæ modum transfusionis certum, multo minus physicum, stabilire non possunt.

Inst. Adam non est *causa moralis*, sed physica nostri peccati, quod generatione traducitur; quia juxta S. Thom. in 2. dist. 20. q. 2. art. 3. ad 3. actio Adæ non est supra naturam ad demerendum, sicut actio Christi ad merendum. *Conf.* Admitti non debet opinio, qua posita peccatum nonnisi moraliter transfunditur : talis est nostra; ergo.

R. *D.* Adam non est causa moralis, sed physica peccati originalis formaliter sumpti *N.* materialiter sumpti *subd.* non est causa moralis sed physica, hoc sensu, quod ex ipsa rei natura transfundat peccatum materialiter tale, ac seposito pacto divino *N.* hoc sensu, quod supposito pacto, per generationem et sic quodammodo physice illud transmittat *C.* Plus non videtur intendere S. Thomas, qui concupiscentiam statuit tanquam materiale peccati originalis, ut ex ipsa ratione adjuncta colligitur.

Ad Conf. D. M. Non est admittenda opinio, ubi peccatum transfunditur tantum moraliter quoad rem transfusam et modum transfundendi *C.* ubi tantum quoad modum moraliter transfunditur *N.* Primum ex eo esset periculosum, quia videretur insinuari peccatum nobis *intrinsece* non communicari : alterum vero hoc minime dicit, licet hoc peccatum cuilibet intrinsecum statuat eatenus moraliter nobis communicari, quatenus dicimus, supposito naturali descensu ex Adamo, ab eodem propagari in nos peccatum, ex eo quod in illo tanquam in *capite morali* juxta pactum divinum peccaverimus.

ARTICULUS II.

AN PECCATUM ORIGINALE PROPAGETUR AD OMNES HOMINES?

114. *Nota I.* Aliud est peccasse in Adam, aliud peccatum originale contrahere. *Peccavit in Adam,* cujus voluntas fuit inclusa pacto, quando Adam peccavit: *peccatum originale contrahit,* qui actualiter descendens ex semine Adami generatur sine gratia remissiva; quia peccatum contrahere requirit statum personæ et carentiam remissionis, supposito, quod peccaverit. Unde qui peccavit in Adam, habet debitum proximum contrahendi originale, non tamen contrahit, si anima in instanti productionis accipiat gratiam sanctificantem.

115. *Nota II.* Constat 1°. Christum Dominum, qui Spiritus sancti virtute sine semine viri in beatæ Virginis utero conceptus fuit, caruisse peccato originali. 2°. Non habituros peccatum originale, qui, aut potius, si qui ex Adamo minime per generationem carnalem descenderent. 3°. Deum potuisse speciali privilegio aliquem a communi lege peccandi in Adam, aut contrahendi peccatum, si peccavit, excipere. 4°. Temerarium esse de aliquo asserere, quod de facto Deus aliquem tanto privilegio donaverit, nisi faveat vel Scriptura, vel Traditio et Ecclesiæ auctoritas.

Hinc circa præsentem quæstionem, quæ facti est, duplex oritur difficultas. 1ª. Est Catholicorum cum *Calvino* L. 4. Inst. c. 16. §. 24. et 25. etc., *Zwinglio* L. de Bapt. et in declar. de pecc. orig., aliisque horum sectatoribus etiam modernis, qui contendunt peccatum originale vel non communicari, vel saltem non imputari *filiis Fidelium,* sed hos etiam ante baptismum sanctos esse et membra Ecclesiæ. 2ª. Est Catholicorum cum Catholicis, quorum aliqui contra reliquos *B. Virginem* labe originali infectam fuisse sentiunt. Articulus præsens primæ quæstionis solutionem, secundæ sequentes dabunt.

116. *Dico.* Etiam *filii Fidelium* contrahunt peccatum originale, quod ipsis sicut et cæteris imputatur, nisi ab eo per baptismum mundentur. Est de fide ut constat ex Trid. Sess. 5. Can. 4.

Prob. I. Ex Scriptura. Quia David de se, et Paulus tum de se, tum de aliis, etsi uterque natus esset ex parentibus fidelibus, fatebantur peccati originalis labem, Ps. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum* etc. Ad Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.* Quibus adde Pauli testimonium universale ad Rom. 5.

II. Ex Traditione. 1. Apud Patres, ex quibus a Bellarm. L. 4. de amiss. Gr. cap. 14. pluribus laudatis vel unus audiatur Augustinus, qui L. 2. de pecc. merit. cap. 25. n. 41. *Explicent,* inquit, *etiam quomodo justum sit, ut sancti ex fidelibus et immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis ista sanctitas prodest?* Et L. 2. de pecc. orig. cap. 40. *Sic igitur sive reus infidelis, sive absolutus fidelis non generat absolutos uterque, sed reos: quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros.* 2. Apud Pon-

tifices et Concilia, inter quos SIRICIUS in ep. 1. ad Himer. cap. 2. (Labb. t. 2. p. 1018. D.), et CONC. ARAUS. II. Can. 2. clara testimonia ferunt. 3. Apud Fideles, quorum sensus et usus Ecclesiæ tum ex sollicitudine procurandi prolibus periclitantibus baptismum, tum ex ceremoniis in horum baptismo constanter adhibitis manifeste elucet.

III. Ex RATIONE. Quia seclusa speciali præservatione omnes illi contrahunt peccatum originale, et nascuntur cum reatu peccati, qui peccaverunt in Adamo, ut hactenus ostensum est. Atqui omnes teste Apostolo etiam fidelium filii peccaverunt in Adamo; ergo.

117. *Obj.* Genes. 17. Deus Abrahæ sic loquitur : *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno; ut sim Deus tuus et seminis tui post te.* Ex quo sic arguitur : Per hoc pactum Abraham omnesque ejus posteri pertinent ad Deum, ejusque amici constituuntur : atqui hoc pactum per Christum pertinet ad omnes fideles, eorumque filios; ergo per illud vel a peccato originali mundi sunt, vel illud ipsis saltem non imputatur, quia amici constituuntur, atque ad Deum pertinent. *Conf.* Sap. 8. ait de se Salomon : *Sortitus sum animam bonam, et..... veni ad corpus incoinquinatum.* Sed ubi anima a nativitate bona est, et corpus incoinquinatum, nullum est peccatum originale; ergo.

R. *D. M.* Pertinent omnes ejus posteri ex hoc præcise, quod nati fuerint secundum carnem ex Abraham *N.* ex eo, quod ipsi servarint leges hujus pacti, aut hæ in illis fuerint servatæ *C.* Masculus, cujus præputii caro non circumcidebatur, ad pactum illud non pertinebat, ut ibid. Dominus dicit. Quod autem pro Hebræis erat *circumcisio,* hoc pro Christianis est *baptismus;* unde fidelium filii non hoc ipso, quod sint fidelium filii secundum carnem, pertinent ad pactum et populum Dei, sed per baptismum modo incipiunt deputari in semen, ac in fœdere contineri, ut AUG. L. 1. de pecc. merit. c. 27. disertis verbis inquit : *Quia ergo de ovibus ejus* (Christi) *non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profecto si hoc non accipiunt, peribunt.*

Ad Conf. R. Sensum Salomonis esse, nactum se fuisse animam præclaris dotibus instructam, eumque, *cum magis bonus* esset, ut addit, seu crescente ætate consecutum fuisse corporis munditiam; qua interpretatione a plurimis allata stante, nihil adjumenti Calvinistis contra nos accedit.

Inst. 1. Apostolus 1. ad Cor. 7. scribit : *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent : nunc autem sancti sunt.* Ergo fidelium filii peccato originali carent.

R. *N. Cons.* Eo enim modo dicuntur *filii sanctificati,* quomodo vir aut mulier infidelis, quos tamen nemo dixerit per conjuges fieri immunes a peccato. Ita vero vocantur, tum quia *matrimonium* inter ejusmodi conjuges adhuc est legitimum in Ecclesia Christi, et propter unius ad fidem conversi dignitatem morali quadam sanctitate consecratur : tum quia conjux infidelis per fidelem est sanctificatus *in spe* aut destinatione, hoc est, a fideli destinatus et adducendus ad fidem et sanctitatem. Ob easdem rationes etiam filii sancti sunt, nempe quia legitimi sunt juxta leges Ecclesiæ, cum *filii fidelium* tales duntaxat sint secundum leges civiles : item quia destinati ad baptismum et sanctitatem veram; quæ destinatio non est tantum actualis

in mente parentis fidelis, sed quasi habitualis, et annexa ipsi statui parentis Christiani, qui filios non generat, nisi consecrandos Christo.

Inst. 2. TERTULL. L. de Anima c. 39. ait : *Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum.* Dein subjungit, *ex Christianis nasci mundos.* His adde ejus dicta L. de Baptismo c. 18. ubi vult baptismum differendum usque ad ætatem adultam, dicens : *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

R. Oppono primum textum S. AUG. num. priore laudatum. Deinde addo TERTULLIANUM se ipsum ibid. explicantem. Immundos enim vocat Ethnicorum filios, quia illis etiam ante nativitatem adhibentur ritus superstitiosi et proles natæ destinantur diabolo. Tum exponens locum Apostoli cit. dicit : *Quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios..... alioquin meminerat dominicæ definitionis : Nisi quis renatus fuerit etc.* cap. 40. autem hæc habet : *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur : tamdiu immunda, quamdiu recenseatur; peccatrix autem, quia immunda.* Ad ea, quæ adduntur ex L. de Baptismo, responsionem vide n. 81.

118. *Obj. II.* Peccatum originale non tantum ut personale Adami, sed etiam ut moraliter nostrum jam est remissum a Deo, ex eo quod Christus nos redemerit, ut Paulus indicat ad Coloss. c. 2. v. 14. *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci*; ergo, quamvis illud ad omnes non pertineat, spectabit saltem ad fideles et fidelium filios.

R. 1°. *D. A.* Remissum est in actu primo proximo *C.* in actu secundo *N.* Deus habuit velut *remotam* voluntatem remittendi peccatum, quando dedit Redemptorem; voluit enim remittere, si Christus satisfaceret : posita præscientia de satisfactione Christi futura, est in Deo voluntas *velut proxima* remittendi, quæ tamen non est voluntas actu remittens, sed spectat ad *actum* 1um.; est enim promissio remittendi, quando et quomodo Christus voluerit, et simul est concessio, qua Deus Christo dedit potestatem actu remittendi. Nam Christus quidem pro nobis satisfecit, et satisfactionem pro nobis obtulit : hæc tamen non est nostra nec *personaliter*, nec *physice*, nec *moraliter*; cum Christus nec nomine nostro, nec in persona nostra, nec cum alligatione voluntatum nostrarum ad suam voluntatem, sed nomine suo proprio pro nobis satisfecerit. Quia ergo satisfactio non est nostra, per eam peccatum nostrum non tollitur formaliter : sed Christus accepit potestatem omnibus a se redemptis peccatum remittendi actualiter, et remittit etiam cuivis posita conditione baptismi vel pœnitentiæ. Itaque Christus *delevit chirographum*, quatenus, qui per illud debitores eramus absolute, nunc debitores sumus sic, ut per Christum possimus accipere gratiam : non tamen abolitum est chirographum totaliter, sed Christus illud tulit, affixitque cruci, et factus Dominus chirographi, factus est Dominus debiti, qui potest a nobis exigere et remittere debitum : illud tamen ideo tulit, quia vult nobis debitum remittere.

R. 2°. *N. Cons.* Quæ si tenet, extendenda est ad omnes, et sic nimium probat; facta enim restrictio sapit Calvini et Jansenii hæresin de morte Christi pro salute duntaxat fidelium aut electorum.

Inst. Nemo potest transmittere id, quod non habet. Parentes baptizati non habent amplius peccatum; ergo.

R. *D. M.* Nemo potest transmittere per modum causæ, id quod non habet *T.* per modum conditionis, qua posita vel non posita fit vel non fit transmissio *N.* Generatio nempe naturalis *conditio* est ejusmodi, ut dictum est supra, et hæc habetur tum in baptizatis, tum in infidelibus. Dixi *Transeat;* quia hæc sunt AUGUSTINI verba L. 3. de pecc. mer. c. 9. *Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt, non solum sicut frumenta paleam, et præputium circumcisus, sed etiam, quod et vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt.*

ARTICULUS III.

AN BEATISSIMA VIRGO CONTRAXERIT PECCATUM ORIGINALE?

119. *Nota I.* In hominis generatione duo distinguuntur. 1um. est conceptio seminis ac prima inchoatio fœtus postea organizandi, dum sit idoneus animæ, vocaturque conceptio materialis et imperfecta: 2um. fœtus humani animatio, quæ fit eo instanti, quo anima rationalis a Deo creatur, creando infunditur, et unitur corpusculo infantis, vocaturque conceptio formalis et perfecta. De *prima* conceptione hic non agitur; tum quia per illam nondum existit filius Adam, qui contrahere dicatur peccatum: tum quia in illa necdum adest anima, cujus voluntas est subjectum, cui originale æque ac alia peccata inhærent: unde an illa cum SS. Patribus quibusdam dicenda sit immunda et subdita peccato ob generantium concupiscentiam aliasque imperfectiones, an non? hic non disputatur. De *altera* itaque, *formali* et *perfecta* sermo est, dum quæritur an B. Virgo in conceptione sua fuerit sanctificata vel non? ubi sicut non quæritur, an anima B. Virginis fuerit sanctificata, antequam uniretur corpori: sic nec satisfit dicendo, eam esse sanctificatam ante nativitatem, sed tamen aliquando post conceptionem. *Controversia* enim est de primo instanti creationis et infusionis animæ in corpus, an scilicet tunc ex speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis fuerit præservata, an vero contaminata? Atque hoc sensu Ecclesia Catholica colit et celebrat festivitatem Conceptionis B. Virginis, ut declaravit ALEX. VII. in Decreto an. 1662.

120. *Nota II.* De hac controversia jam a seculo XIII. in scholas inducta, posterioribus autem magna partium utrinque contentione agitata ediderunt plures Pontifices Decreta et Constitutiones; et quidem Sixtus IV. an. 1483. quæ incipit: *Grave nimis* (Extravag. Comm. L. 3. tit. 12.). Pius V. an. 1570. quæ incipit: *Super speculam.* Paulus V. an. 1616. quæ incipit: *Regis Pacifici.* Gregorius XV. an. 1622. die 24. Maii, quæ incipit: *Sanctissimus.* Et die 28. Julii, quæ incipit: *Eximii.* Alexander VII. an. 1661. edidit Decretum, cui titulus: S. D. N. Alexandri VII. *Innovatio Constitutionum et Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. M. Virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum.*

Ab his *primo* universim sub pœnis et censuris prohibitum est tum negan-

tibus tum affirmantibus immaculatam B. V. conceptionem, ne quis opinionem contrariam tenentes asserat hæreticos, aut peccare mortaliter; ubi tamen observare juvat motiva prohibitionis. Vetatur siquidem hæreseos aut peccati mortalis damnare negantes, quia nondum ab Ecclesia et Sede Romana decisum est, B. Virginem sine labe conceptam esse : vetatur damnare affirmantes, quia festum de immaculata Conceptione ordinatum est, et celebratur a Romana Ecclesia; quorum *primum* nihil, *secundum* autem multum probabilitatis addit sententiæ.

Deinde a Sixto quidem et Pio permissum erat utrique parti privatim et publice proponere et defendere suam sententiam : prohibitum vero, ne id fiat publice, parti neganti a Paulo : quin altum tandem silentium omnibus conceptioni immaculatæ adversantibus impositum fuit a Gregorio et Alexandro, exceptis tamen *PP. Dominicanis,* quibus Pontifex prior in secunda sua Constitutione adhuc concessit, ut in privatis eorum colloquiis seu conferentiis, sed inter se duntaxat et non inter alios aut cum aliis, de hac materia disserere et tractare possent.

Denique sententia affirmantium a Pontificibus omnibus vocatur pia; pium etiam laudabile et devotum declaratur ab Alexandro, juxta hanc sententiam colere B. Virginem : Cautum demum ab eodem fuit sub propositis pœnis ac censuris, ne hæc sententia quovis excogitabili modo et sub quocumque prætextu impugnaretur.

121. *Dico.* Beatissima Virgo Maria non contraxit peccatum originale; sed in primo creationis et infusionis animæ suæ in corpus instanti fuit per gratiam justificantem sanctificata et a peccato originali præservata. Ita *præter paucos* reliqui Doctores et Fideles communissime omnes. Argumentorum pro hoc privilegio cum pleni sunt et *Theologorum* et *Concionatorum* et *Ascetarum* libri, pauca duntaxat hic delibabimus.

Prob. Ex Scriptura. I. *Negative.* Quia Scriptura B. Virgini hoc privilegium non negat in particulari : neque etiam negat locutionibus generalibus; sicut enim sub ejusmodi locutionibus de peccato actuali, 2. Paral. 6. v. 36., Eccl. 40. v. 1., Jac. 3. v. 2. etc. non comprehenditur, sic nec in iisdem de peccato originali continetur, ut ex Conciliis, Patribus et Pontificum decretis constat.

II. *Positive.* Quia tum Ecclesia, tum Patres de B. Virgine exponunt Scripturas, quæ immunitatem ab omni prorsus labe indigitant. Talia sunt Genes. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te et mulierem... Ipsa conteret caput tuum.* Job. 3. v. 9. *Expectet lucem, et non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Ps. 45. v. 5. *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Ps. 85. v. 37. *Thronus ejus sicut sol.* Cantic. 2. v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* c. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* v. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* c. 6. v. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna etc.* Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.*

Quamvis enim ex sensu spirituali non habeatur argumentum plene efficax, supposito tamen sensu et explicatione Ecclesiæ multum probat; quod hic sufficit, ubi non agitur de dogmate fidei aut veritate definita. Accessit, quod B. Virgo dicatur *gratia plena : benedicta inter mulieres :* et de se pronun-

tiet : *Fecit mihi magna, qui potens est*; quibus verbis cum juxta Fidelium omnium et D. Thomæ etiam expositionem contineantur aut nitantur privilegia omnia et dona gratiæ, quæ secundum rectam rationem decent Matrem Dei : immunitas autem a labe originaria eam vel maxime decuerit; sequitur et hoc privilegium inde confirmari.

Prob. Ex Ecclesiæ Auctoritate : I. Ex Conciliis. Basileense sic Sess. 36. statuit : *Doctrinam illam asserentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente et operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali et actuali culpa, sanctamque et immaculatam, tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi et sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam, tenendam, et amplexandam definimus et declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere.* Quamvis vero hæc definitio non habeat auctoritatem Concilii Œcumenici, ut ex historia constat : maximi tamen est ponderis; tum quia hoc decretum confecerunt viri plures doctrina conspicui : tum quia illud Academia Parisiensis suis alumnis solemni juramento in posterum perpetuo confirmandum proposuit : tum quia illud quoad ipsam doctrinam a Conciliis subsequentibus ac Summis Pontificibus nunquam reprobatum, sed potius confirmatum fuit.

Tridentinum Sess. 5. in fine Decreti de peccato originali hæc adjicit : *Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV., sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Circa quod duo observanda sunt : 1um. hanc additionem esse genuinam ipsius Concilii, licet ea in multis editionibus ante an. 1564. non legatur : 2um. Commune ferme omnium ad hanc quæstionem examinandam deputatorum suffragium fuisse pro definienda Immaculata Conceptione; abstinuisse tamen pro hac vice ad instantissimas preces paucorum Episcoporum et Doctorum Dominicanorum.

II. Ex Pontificum decretis. Omnia enim num. præced. relata favere sententiæ piæ et ipsa verba docent, et in ejus favorem edita Alex. VII. Constitutio declarat. Præterea in iisdem decretis, item in Bullis Sixti IV. an. 1476., Innoc. XII. an. 1693., et Clem. XI. an. 1708., ad festum Immaculatæ Conceptionis (quod, teste Suaresio, Ecclesia Græca jam ante annos mille, Latina ante quingentos celebrare cœpit) solemni ritu per universam Ecclesiam Romanam celebrandum, Pontifices hortantur fideles, indulgentiis concessis invitant, et sub mortali obligant; unde sic arguitur : Ecclesia non potest suadere, approbare, multo minus præcipere *cultum superstitiosum,* seu talem, qui habeat objectum falsum; quia juxta S. Aug. L. de Mend. c. 20. omnis falsitas in materia religionis est perniciosa, et juxta Lactant. L. 4. Inst. c. 28. superstitio est cultus falsi, sicut religio est cultus veri. Sed Ecclesia approbat, suadet et præcipit cultum Immaculatæ Conceptionis; ergo hic cultus non potest esse falsi, et hæc falsa.

Conf. Ex S. Th. p. 3. q. 27., ubi a. 1. sic pro sanctificatione B. Virginis in utero materno argumentatur : Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo

B. Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata. Simili autem modo argumentari licet pro sanctificatione Beatissimæ in instanti infusionis animæ in corpus, seu animationis, de qua celebratur festum ex dict. n. 119.

III. Ex favore Ecclesiæ et sensu fidelium; quorum prior constat tum ex hactenus dictis, tum ex instituta Religione in honorem ejusdem Immaculatæ Conceptionis, in cujus Regula c. 3. dicitur *animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam,* quamque regulam et institutum probarunt Julius II., Leo X. et Alex. VI. Posterior autem negari a nullo potest; tum quia pro pia sententia paucissimis exceptis stant Doctores et Academiæ omnes; item Ordines Religiosi, si forte unum excipias, cujus tamen nec omnes alumni contrariantur; tum quia a ducentis saltem annis Fideles utriusque sexus pro ea tanquam pro aris et focis certant, et festum maxima devotione peragunt.

Prob. Ex SS. Patribus. Eorum testimonia quatuor in ordines Suarez Tom. 2. in 3. p. Disp. 3. Sect. 5. dispescit.

Ordo primus continet ea, quæ *speciatim* de Virgine et peccato originali loquuntur. Sedulius L. 2. Carminis Paschalis v. 28. et seqq. sic canit:

Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil, quod lædat, habens, matremque obscurat honore:
Sic Evæ de stirpe, sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova Virgo piaret.

Joan. Damascen. in orationibus de Nativ. et Assumptione Virginis multa habet de immaculata ejus Conceptione. Exempli gratia unum sufficiat: or. 1. de Nativ. n. 2. (opp. t. 2. p. 842. edit. Venet. 1748.) *Natura gratiam antevertere ausa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset.* Laur. Justinian. L. de casto connubio Verbi et animæ c. 7. *Quotquot,* ait, *ex ipsa nati sunt propagine, exceptis duntaxat mediatore Christo Jesu et ejus Matre, sub hac peccati lege sunt conditi.*

Ordo secundus ea complectitur, quæ *generaliter* et absolute enuntiant B. Virginem ab omni culpa immunem. Huc pertinet Pseudo-Cyprian. L. de Cardin. Christi Op. c. de Nativ. Christi, ubi de B. V. ait (opp. p. 314. edit. Rigaltii Paris. 1666.): *Non sustinebat Justitia, ut illud vas electionis communibus lassaretur injuriis; quoniam plurimum a cæteris differens, natura communicabat, non culpa.* S. Ambr. serm. 22. in Ps. 118. n. 30. ad illa verba: *Quære servum tuum Domine,* sic inquit: *Suscipe me, non ex Eva, sed ex Maria, ut incorrupta sit Virgo: sed Virgo per gratiam, ab omni integra labe peccati.* Omitto alia, ut locum habeat luculentissimum S. Augustini testimonium, qui L. de nat. et gr. c. 36. ita scribit: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod plus gratiæ ei collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Hoc autem testimonium pertinere etiam ad *peccatum originale* et non tantum actuale, liquet 1. ex *scopo* totius libri, quo de peccato generatim tractat, ut neminem, nec infantes, sine peccato esse concludat: 2. Ex *na-*

tura exceptionis; quia non unam Virginem, sed infantes etiam excipere oportuisset, si de actuali duntaxat peccato enuntiasset : 3. Ex ipsis *verbis* et *rationibus* excipiendi sigillatim ponderatis : 4. Ex *connexione doctrinæ*. Docuerat enim Aug. impossibilitatem moralem abstinendi ab omnibus et singulis venialibus profluere ex peccato originali; ergo cum concedat immunitatem a veniali actuali, supponit ei non fuisse negatam immunitatem ab originali. Sic enim L. 5. contr. Julian. c. 15. n. 57. ait : *Propterea nullus est hominum præter ipsum* (Christum) *qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu; quia nullus est hominum præter ipsum qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Sed in priori excipitur B. Virgo, ut aliter sentientes etiam concedunt ex L. de nat. et gr.; ergo et in posteriori.

Ordo tertius habet ea, quibus *spiritualis puritas* per varia elogia Beatissimæ tribuitur. Sic Origenes hom. 1. in diversos, illam vocat *immaculatam et dignam matrem digni et immaculati filii* : Theodor. L. 3. in Cant. (1) *puritate Cherubim et Seraphim antecellentem* : Greg. Neocæsar. in exposit. salut. Ang., *prorsus impollutam corpore et spiritu* : Sophron. in Conc. Œcum. VI. Act. 11. (Labb. t. 6. p. 864. C.), *ab omni contagione corporis, animæ et mentis liberatam* : Theodorus Hieros. in ep. synod. a Patribus Conc. Œcum. VII. Act. 3. approbata (Labb. t. 7. p. 182. A.), *omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloria et claritate sublimiorem et omni sensibili et intellectuali natura puriorem* : S. Ephrem in or. ad Deiparam (opp. Græc. Lat. t. 3. p. 528. edit. Assemani.), *totam puram, totam immaculatam, totam illibatam, totam impollutam, totam irreprehensibilem, totam laudabilem, totam incorruptam:* PP. Conc. Francof. in ep. ad Episcopos Hisp. *immaculatam prorsusque puram.*

Ordo quartus comprehendit ea, quibus vel *omnem gratiam* aliis collatam, Virgini *perfectiori modo* datam, vel per ipsam originale peccatum et dæmonis imperium destructum significatur. Horum testes Irenæum, Cyrillum, Augustinum, Epiphanium aliosque laudatos vide apud Suarez.

Prob. Ex Ratione. Argumentum Scoti in 3. dist. 3. p. 7. fuit hoc : Deus potuit facere, quod ipsa (B. V.) nunquam fuisset in peccato originali : potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato : potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur. Quod autem horum trium possibilium factum sit, Deus novit. Si auctoritati Ecclesiæ vel Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est tribuere Mariæ, scilicet ut nunquam fuerit in peccato originali, quod excellentius est.

Argumentum alterum fundatur in axiomate S. Anselmi L. de Concept. Virg. c. 18. dicentis : *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua major sub Deo nequit intelligi.* Inde enim est illud : Potuit Deus B. Virginem a peccato originali servare : Decuit eam a peccato originali servari immunem ; ergo et Deus servavit. Hæc tamen a perfectiore excellentia vel a rei decentia desumpta argumenta videntur pluribus probare nimium, necessitatem nempe abso-

(1) Hæc verba nec non et alia quæ a Suaresio loc. supr. cit. adducuntur, deprompta sunt e Pselli notationibus in Cant. Cant. quæ Theodoriti commentationi interjectæ leguntur in edit. Rom. Pauli Manutii, an. 1563. pag. 49. A. B.

lutam immaculatæ Conceptionis, nec omnino convenire cum iis, quæ in Tract. de Incarn. de necessitate Incarnationis dici consueverunt.

Hinc aliis probatur ratiocinium ex S. Thom. part. 3. quæst. 2. art. 1. et 4. secundum quem rationabiliter creditur, quod beatissima Virgo ex eo, quia *Mater Dei* fuit, præ omnibus aliis majora privilegia accepit, nec ullum peccatum actuale seu morale seu veniale commisit, cum, si peccasset aliquando, non fuisset *Mater Dei* idonea: 1°. Quia honor, et ex opposito ignominia parentum redundat in prolem ex cap. 17. Prov. 2°. Quia singularem affinitatem habuit ad Christum, cujus juxta 2. ad Cor. c. 6. nulla est conventio ad Belial. 3°. Quia singulari modo Christus in ea habitavit, cum tamen Sap. 1. dicatur in malevolam animam non introire Sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis. 4°. Quia alias in ea non impleretur illud Cant. 4. *Tota pulchra es, et macula non est in te.*

Nam et ob easdem rationes rationabiliter creditur B. Virginem in primo animationis instanti fuisse sanctificatam; cum Joannes et Jeremias sanctificati sint in utero, et Angeli, Adam item et Eva in primo creationis momento prædíti gratia: præterea vero magis inquinaret, conjungeret cum Belial, animam et corpus subderet peccato, ac deformaret B. Virginem originalis labes præ levissima veniali.

122. *Obj. I.* Eccl. 7. v. 29. dicitur: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Hæc autem verba intellecta de peccatis indicant, unum Christum inter viros ab omni peccato esse liberum, nullam autem mulierum; ergo nec beatissimam Mariam.

R. 1°. Textum Eccl. litteralem huc non pertinere, sed ad sapientiam manifestum est. Qui vero eum ad peccatum trahunt, exceptionem etiam addunt. Sic certe in editione Parisina an. 1529. et Veneta 1555. fecisse legitur ipse etiam S. Thomas in comment. ad Galat. Lect. 6. scribens: *Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus unam non inveni, quæ a peccato immunis esset, ad minus originali et veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria.*

R. 2°. *D. m.* Indicant solum Christum per se, ex ratione suæ conceptionis et *connaturaliter* esse immunem ab omni peccato, et etiam debito tum proximo, tum remoto *C.* solum ita esse immunem, ut per *donum gratiæ suæ* non præservarit Matrem suam, ne incurreret originale, cui per debitum sive proximum, sive remotum erat obnoxia *N.*

Inst. 1. De Christo dicitur: *Tu solus Sanctus;* unde S. Ambr. L. 2. in Luc. n. 56. ait: *Solus per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Jesus;* similia habent Aug. L. de perfect. justitiæ, L. 1. de pecc. mer. c. 29. etc., Leo Papa serm. 1. c. 1. de Nat., Cyr. Glaphyr. in Levit. init., Greg. M. Mor. L. 18. c. 27. (al. 52. n. 84.), Fulgent. L. de Fide c. 2.

R. *D.* Similiter. Christus enim solus dicitur Sanctus eo modo, quo Scriptura de Deo dicit: *Solus habet immortalitatem*: et *nemo bonus, nisi solus Deus,* scilicet a, ex et de se. Illis siquidem loquendi formulis non excluditur omnis accidentalis participatio, seu *communicatio per gratiam.* Simili ratione accipiendæ sunt Patrum locutiones, vel maxime, quia non ad originale duntaxat, sed et ad actuale peccatum porriguntur.

Inst. 2. Job. 14. v. 4., ad Rom. 5. v. 12., item 1. ad Cor. 15. v. 22. et 2.

ad Cor. 5. v. 14. dicuntur omnes *peccasse* et *mortui* esse originaliter. Idem confirm. Conc. Carthag. an 418., Araus. II., Florentin. cum plurimis Patribus; ergo et B. Virgo.

R. *D. A.* Dicuntur omnes in Adam peccasse et mortui fuisse, sumendo τὸ omnes in suppositione accommoda *C.* in suppositione absoluta *N.* Locutiones hujusmodi generales pati exceptionem, dictum est num. priore, in prob. ex Scriptura. In quanam vero suppositione sumantur, constare debet ex auctoritate Ecclesiæ, traditione Patrum et communi fidelium aut Doctorum sensu; quæ cum exceptioni pro B. Virgine faveant, huc applicari potest illud Assueri ad Estherem dictum c. 15. v. 13. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Ad Conciliorum auctoritatem eadem valet responsio; sicut eadem fides et doctrina est Scripturarum æque ac Conciliorum, nec ab uno comprehendi potest, quod ab illo excipitur. Cum igitur Tridentinum apertis verbis nolit, generalibus ejusmodi formulis de peccato originali includi Virginem, significat nec ab aliis fuisse comprehensam; præsertim cum et illa de ipsa etiam *nativitate* nonnunquam loquantur.

123. *Obj. II.* Plures Patres aperte subjiciunt B. Virginem peccato originali. Nam 1°. S. Ambr. serm. 6. in Ps. 118. dicit *carnem Christi in matre fuisse obnoxiam peccato.* S. Aug. L. 2. de pecc. merit. cap. 24. de Christo, *Non sumpsit,* ait, *carnem peccati, licet de materna carne peccati.* 2°. Greg. Naz. or. 38. et 45., S. Maximus in serm. de Assumpt., Beda in cap. 1. Luc. dicunt B. Virginem *esse mundatam;* mundatio autem suppponit maculam contractam; ergo. 3°. Euseb. Emissenus serm. 2. de Nativ. *Ab originali nexu immunis neque ipsa Dei genitrix fuit.* 4°. Anselm. L. 2. cur Deus homo cap. 16. ait : *Virgo in iniquitatibus concepta et in originali peccato nata est, quia et ipsa in Adam peccavit.* 5°. Bernard. ep. 174. Canonicos Ludgunenses graviter reprehendit, quod festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis in sua Ecclesia instituerint : ipsamque conceptionem immaculatam pluribus impugnat. 6°. Rupertus L. 1. in Cantic., Bernardin. Senen. serm. 51., Vincentius Ferr. serm. 1. de Nativ. aliique, alias B. V. multum devoti, hoc tamen privilegium negant.

R. Ad Patrum auctoritatem universim spectat illud S. Ludovici Bertrandi dictum, quod refert Gormaz de Incarn. num. 851. *Omnes antiqui Patres, si modo viverent, dicerent scriberentque id, quod nos sentimus de immaculata Virginis Conceptione.* Cæterum non desunt, quæ ferme ad singulos reponamus. Unde

Ad 1um. R. Explico S. Ambr. Caro Christi fuit in matre peccato obnoxia, quatenus mater erat peccato infecta *N.* quatenus mater habebat debitum peccatum contrahendi *C.* Similiter S. Aug. Caro B. Virginis fuit caro peccati per infectionem peccati *N.* per debitum peccati *C.* Caro Virginis vocatur *caro peccati,* non quia aliquando polluta fuit peccati macula, sed tum quia cum parentum libidine concepta et ex Adamo descendens, secluso gratiæ præservantis beneficio, originalem labem contraxisset : tum quia generatione naturali accepit carnem a parentibus, qui aliquando contaminati fuerant peccato originali. Neutrum est respectu *carnis Christi;* unde et quia ob substantialem sanctitatem Christus nec contrahere potuit peccatum, neque proinde præservatione indigebat, non habuit carnem peccati. Dicitur tamen

caro ejus fuisse *in similitudinem carnis peccati,* ob assumptas ultro pœnalitates, quæ carnem humanam peccato maculatam tanquam pœnæ comitantur.

Ad 2um. R. Dicunt esse mundatam, intelligendo mundationem, quæ pro termino a quo dicat negationem sanctitatis, vel culpam quæ præcessit *N.* quæ pro termino a quo dicat culpam quæ futura fuerat, nisi gratia præcessisset *C.* Cajetanus ipse hæc objiciens fatetur testimonia illa optime et proprie intelligi de præservatione : et Nazianzenus non sine mysterio vocat B. V. *præpurgatam.*

Ad 3um. R. Hæc verba nec sunt Eusebii Emisseni, utpote cujus scripta interciderunt, sed Eucherii Lugdunensis vel Fausti Rhegiensis Episcopi; nec fideliter referuntur. Non enim dicitur absolute, neminem, neque etiam Virginem, caruisse originali peccato, sed : neque *per se* immunis est ipsa genitrix Dei; quod verissimum esse num. pr. dictum est, et ostendit simul, per Christum Virginem fuisse immunem.

Ad 4um. R. Periodus ista non est Anselmi, sed Bosii, qui ad Anselmum velut quidpiam objectans loquitur: cumque non de conceptione duntaxat, sed de nativitate etiam disserat, in omnium sententia expositionem exigit. Porro hic loci datum Anselmi responsum, Virginem nempe *ab omni labe fuisse mundatam,* eamdem explicationem patitur, quam ad 2um. dedimus: quin etiam postulare videtur, ut cum iis, quæ L. de Concept. Virg. cap. 7. et 18. dixerat, conciliari possit. His adde celebre illius dictum apud Raynaudum, Opusc. de pietate Lugdun. *Non puto amatorem Virginis, qui respuit celebrare ejus conceptionem.* Unde Conc. Cantuariens. an. 1328. testatur, a S. Anselmo cultum Immaculatæ Conceptionis primo in Angliam inductum.

Ad 5um. R. Nec S. Bernardi reprehensionem, nec argumentum nobis obesse. Lugdunenses enim is non reprehendit *simpliciter,* quod instituerint hoc festum, sed quod sine Ecclesiæ Romanæ auctoritate id fecerint: in argumento autem suo nomine conceptionis intelligit primam organizationem corporis, quæ fit inter maritales amplexus et in instanti, quo parentes generant. Hanc autem conceptionem *materialem* et *imperfectam* a nobis non dici sanctam supra notatum fuit. Quod vero S. Bernardus, si nunc in vivis versaretur, nobiscum consensurus esset, ipse satis aperte declarat, dum de hujus festi institutione ait: *Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis auctoritas.* Et dum epistolæ suæ subjicit hanc clausulam : *Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, sicut et cætera, quæ cujusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Ad 6um. R. Non negari a nobis Sanctos quosdam atque *veros* etiam *Mariophilos* contrariæ fuisse opinionis: Eorum vero auctoritatem eam esse, quæ aliorum piæ sententiæ et Patrum traditione fundatæ, et Ecclesiæ favore confirmatæ, et communi Fidelium devotione receptæ præferri aut æquiparari queat, inficiamur.

124. *Obj. III.* Sententia nostra ex auctoritate Ecclesiæ nihil videtur retulisse præ contraria, quam testimonium pietatis.

R. *N. Ass.* Ejus falsitas abunde liquet ex dictis num. 120. et 121. Unde sententia pia est proxime definibilis ab Ecclesia, estque conclusio deducta ex præmissis, quarum una est de fide, altera certa et evidens.

Inst. 1. Pius V. sua in Constitutione §. I. *Liberam cuique facultatem relinquit opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis pium vel magis probabile esse judicaverit.* Ergo contraria videtur declarari magis probabilis: et certe probabilis haberi debet, cum eam censurare graviter sit prohibitum ab eodem et aliis Pontificibus.

R. *N. Cons.* Tum quia hanc nec verba evincunt: tum quia aliud est, sententiam alicui videri magis probabilem, aliud esse. Modestissima sed et gravissima est assertio Suaresii: *Dico sententiam asserentem, B. Virginem fuisse immunem ab originali culpa, consentaneam magis esse non solum rationi, sed etiam sanctorum Patrum doctrinæ et Ecclesiæ auctoritati: quocirca jam hoc tempore existimo sententiam hanc tam esse probabilem, quam intra latitudinem opinionis esse potest.* Quod de *censuris* additur, pertinet duntaxat ad id, ne contraria dicatur hæretica aut peccato mortali obnoxia aut impia; non prohibetur tamen dici minus pia, minus communis, communissimo fidelium sensui contraria, propensissimo summorum Pontificum favori repugnans etc. Quin, quamvis a nobis non dicatur falsa aut improbabilis, eam tamen positive probabilem dicere non audemus.

Inst. 2. Paul. V. et Greg. XV. hanc clausulam suis Decretis addidere: *Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu et terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supra disposita.*

R. Ecclesia instituendo festum Immaculatæ Conceptionis, et Alexander VII. declarando ac definiendo per hoc festum coli B. Virginem in puncto creationis animæ et conjunctionis cum corpore fuisse sanctificatam et præservatam a peccato originali, non potuit non inferre grave præjudicium opinioni contrariæ. Quare *clausula illa* nihil aliud significarunt Pontifices, quam quod nolint illi sententiæ præjudicare per prohibitionem, ne publice aut privatim proponatur aut defendatur: sed quod velint illi relinquere eam probabilitatem, quam præcisa hac prohibitione sententia opposita habere potest in concursu instituti ab Ecclesia festi. Adverte tamen hanc clausulam ab Alex. VII. esse omissam, et ejus declaratione proxime memorata præcipuum adversariis effugium ereptum.

Inst. 3. Pius V. Officium de immaculata Conceptione a Sixto IV. approbatum, indulgentiis dotatum et insertum Romano Breviario, indignum judicavit, quod in Ecclesia legeretur, utpote ex confictis Patrum auctorumque Ecclesiasticorum testimoniis conflatum, nec Ecclesiæ menti conveniens; ut ait Natalis Alexander §. 21. Diss. 16. Sec. II.

R. An veram causam referat Nat. Alexander, discernere nunc quidem, quod illud Officium ad manus non sit, non licet; Suarez tamen aliique censent, id non fuisse factum, quia aliquid falsum in eo continebatur, sed quia Pontifex omnia ad morem antiquum revocare intendit. Illud certum, multum etiam a Pio V. favoris impensum esse nostræ sententiæ, quod festum *Conceptionis* et *Nativitatis* eodem officio celebrari statuerit, utriusque solemnitatis propria ratione retenta: certum etiam, a Natali Alex. non fuisse detersam Scholio suo III. ad Diss. cit. Romanam censuram hanc: *De Conceptione B. Virginis loquitur contra Pontificum decreta;* siquidem post Alex. VII. Constitutionem illi scribere non licuit, Conceptionem B. Virginis celebrari non propter propriam sanctitatem, sed propter sanctitatem et

dignitatem personæ conceptæ, quæ prædestinata et concepta fuit, ut esset Dei Mater.

Indulgentiarum porro Officii recitatoribus concessarum qualemcumque subtractionem liberaliter compensavit Gregor. XV., qui centum annorum indulgentiam concessit pie pronuntiantibus elogium sequens : *Benedicta sit purissima et immaculata Conceptio B. V. Mariæ.*

125. *Obj. IV.* B. Virgo debuit dici redempta per Christum; quia juxta 2. ad Cor. c. 5. *Christus pro omnibus mortuus est;* juxta 1. ad Tim. c. 4. Christus *est Salvator omnium hominum maxime fidelium;* juxta Canticum ipsius Virginis, *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* h. e. *salvatore,* ut textus græcus et omnium expositio habet. Ergo in peccato concepta fuit. *Conf.* ex Zosimo P. M. in ep. inter Augustinianas 157. et S. Aug. conc. 2. in Ps. 60.

R. Duplex est redemptio, *reparativa* nempe et *præservativa.* 1ª. Datur, quando quis liberatur a peccato jam contracto; hæc strictior et rigorosior est, qua nos a Christo redempti sumus, postquam peccati originalis maculam et captivitatem sub dæmonis potestate jam incurreramus. 2ª. Datur, quando quis prius juvatur, et eatenus liberatur a peccato, ut illud nunquam incurrat : hæc nobilior et excellentior est, qua B. V. fuit redempta, cum ob pretium sanguinis Christi prævisum Deus illam a contrahenda culpa originali præservavit. Posterioris liberationis et redemptionis meminit David, dum canit Ps. 85. v. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et Ps. 143. v. 10. *Redemisti David servum tuum de gladio maligno.* Meminerunt etiam Patres, S. Aug. L. 2. Conf. c. 7. et S. Bern. serm. 22. in Cant. Unde ad *Arg. et Conf. D.* Non fuit redempta redemptione reparativa, si non fuit in peccato concepta *C.* redemptione præservativa *N.*

Inst. 1. Juxta communem B. Virgo suscepit *baptismum Christi;* ergo habuit peccatum saltem originale; quia ad id delendum baptismus institutus est.

R. *N. Cons.* Rationem *D.* Baptismus tantum est institutus ad peccatum delendum *N.* non tantum *subd.* ita ut, nisi actu deleat peccatum, non sit baptismus *N.* ita ut, nisi per se haberet vim delendi peccata, baptismus non esset *C.* Baptismus ex Christi institutione 1°. per se confert gratiam primam : per accidens tamen nonnunquam de facto non confert nisi gratiam secundam, quando scilicet adultus perfecte contritus ante baptismum hoc Sacramentum suscipit : 2°. Tribuit characterem servorum Christi et fidelium Ecclesiæ, confertque capacitatem ad reliqua Nov. Legis Sacramenta.

Quamvis itaque baptismus *beatissimæ Virgini* non fuerit necessarius ad effectum 1um. fuit tamen ad effectum 2um. quin etiam ratione 1i. duntaxat utilis illi fuerat, sicut adulto est in casu dato. Cæterum ex baptismo Christi suscepto tam parum probatur maculata B. Virginis conceptio, quam parum quis deducere potest, Christum habuisse quidpiam pœnitentia eluendum, eo quod susceperit *baptismum Joannis.*

Inst. 2. Corpus B. Virginis fuit obnoxium fami, siti, aliisque vitæ mortalis incommodis, et ipsi morti. Hæc autem sunt pœnæ peccati; ergo.

R. *D. M.* Hæc sunt *per se* pœnæ peccati, ita ut non forent nisi in corpore humano peccatis subjecto *N.* de facto sunt pœnæ in corpore peccatis subjecto,

licet in alio non infecto possint esse connaturales *C.* Inter Baianas propositiones damnatas habetur etiam hæc 73. *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum.* Et 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Cum vero ex his constet, passibilitatem æque ac mortem corporis homini non tantum ex spirituali, sed et ex substantia corporea composito in statu puræ naturæ fuisse connaturalem, facile intelligitur, qua ratione B. Virgo ærumnis corporis et morti subjacere potuit, etiamsi peccato caruerit originali.

Inst. 3. S. Aug. in conc. 2. Ps. 34. ad vers. *Ego autem, cum mihi molesti essent,* dicit: *Maria ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Item L. 4. contr. 2. ep. Pelag. c. 4. *De uno solo,* inquit, *mediatore Dei et hominum Christo Jesu fides catholica novit, quod pro nobis mortem, hoc est, peccati pœnam, sine peccato subire dignatus est*; ergo mors in B. Virgine fuit pœna peccati contracti.

R. *N. Cons.* Sicut ex primo *textu* constat, aliter Adamum, aliter Christum mortuum esse propter peccatum; sic etiam B. Virgo aliter, ac reliqui posteri, potuit esse mortua propter peccatum. Nempe reliqui sunt mortui propter peccatum Adami tanquam *causam* stricte dictam mortis: B. Virgo autem propter illud tanquam *occasionem* mortalitatis; quia peccatum Adami fuit occasio, dependenter a qua illa fuit decreta mortalis: scilicet *quia,* ut ibid. S. Aug. de Christo præmittit, *carnem assumpsit de massa, quæ mortem meruerat ex peccato.* Causa vero, cur Deus noluerit B. Virginem exemptam a morte, quam tamen a lege fomitis, dolore partus, corruptione corporis, aliisque ærumnis excepit, varia a Theologis assignatur; inter quæ *prima* est, quia mors præ illis ei conducebat magis ad patientiam et meritum: *secunda,* quia sic Christo pro nobis mortuo evasit similior: *tertia,* ut constaret, eam ejusdem nobiscum esse naturæ et non Deam, ut somniabant *Collyridiani,* aut Angelum, ut putabant *Manichæorum* quidam.

Vis *secundi textus* in eo stat, quod Christus mortuus sit sine peccato pro nobis, et quod hoc fide catholica credendum sit. Nemo autem nostrum asserit, B. Virginem pro nobis esse mortuam, neque tanquam fidei dogma venditamus, B. Virginem mortuam esse sine peccato.

Quæres: *An B. Virgo habuerit debitum contrahendi peccatum originale?*

126. *Nota.* Debitum hoc communiter a Theologis dividitur in proximum et remotum. *Proximum* dicitur, quod oritur ex inclusione in pactum cum Adamo initum; ex eo enim sequitur *proxime*, quod posita prævaricatione Adami inclusus ejusmodi debeat tum ob pacti ipsius conditionem, tum ob peccati actualis non remissi naturam in primo conceptionis instanti contrahere peccatum originale, inquinari macula, et debitum ad sustinendam Dei inimicitiam subire, nisi hoc ipso instanti ex misericordia benevolentissima Deus remittat peccatum, cedat juri jam acquirendo, et gratia sanctificante impediat maculam. *Remotum* dicitur communiter, quod non oritur ex inclusione in pactum, sed tantum ex descensu ab Adamo per viam generationis

ordinariam; quia homo taliter genitus, etsi ex singulari privilegio non fuerit inclusus pacto, debuisset tamen de via ordinaria includi, nisi Deus speciali favore cum ipso dispensasset.

127. R. I. Non est positive improbabile, B. Virginem caruisse *debito proximo*.

Prob. Sententia negans *debitum proximum* seu Deiparam peccasse in Adamo, non habet contra se motivum certum et insolubile; nam

Fundamentum primum est generalis propositio Pauli, qua ad Rom. 5. dicuntur *omnes in Adamo peccasse*.

R. *D.* Est generalis propositio, sed quæ potest intelligi in sensu accommodo *C.* quæ debet intelligi in sensu absoluto *N.* Vid. dict. n. 122. ubi eadem responsio adhibetur ab auctoribus hic nobis contrariis. Quin hoc in testimonio sermonem fieri de ipso peccato originali, apertum fit ex Trid. Sess. 5. can. 2.; utpote in quo anathema infertur illi, qui dixerit posteros Adami non concipi in peccato originali, ratioque subjicitur his verbis: *Cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo si nullam limitationem ferret generalis propositio, probaret Virginem fuisse etiam in peccato conceptam.

Fundamentum secundum est ratio proponendi dogma de peccato originali a S. Paulo usurpata. Nam 1°. facit sensum copulativum, dum ad Rom. 3. dicit: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ergo si postremum membrum habet sensum absolutum, eumdem habebit et prius. 2°. Facit comparationem, dum 1. ad Cor. 15. scribit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Ergo, ut teneat paritas, etiam B. Virginem in Adam mortuam esse oportet. 3°. Argumentatur 2. ad Cor. 5. his verbis: *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est Christus.* Invalidum autem esset ratiocinium, aut Christus mortuus non esset pro Virgine, si hæc mortua non fuisset.

R. Vel ipse Vasquez nobis contrarius ingenue fatetur, hoc argumento non evinci quæstionem: tum quia in priori Apostolus non contendit, singulos homines nullo excepto peccasse, sed omnes, sive Judæi sive Gentiles sint, deliquisse, et gratia Dei indiguisse, ut ita ostenderet, Judæos ab hac lege non fuisse exemptos, quod haberent legem scriptam et circumcisionem, in qua ipsi præ aliis gloriabantur: tum quia in posterioribus dicuntur omnes *mortui*; esse autem aliquem mortuum peccato, significat illum in se habere peccatum, unde sequeretur B. Virginem originale etiam *contraxisse*. Quare

Ad 1um. R. *N. Cons.* Quia sicut identitas vocis *gloria* non facit, ut eadem gratia reparativa omnes indigeant, sic nec signum copulativum facit, ut vox *omnis* eumdem sensum in primo, ut in secundo, teneat.

Ad 2um. iterum *N. Cons.* Paritas tenet, licet in Adamo Eva non peccaverit; ergo et stare potest, quamvis Deipara non peccaverit in Adam. Vide præterea expositionem hujus textus num. 73. sub fin.

Ad 3um. etiam *N. Cons.* Vadem hujus responsionis habemus S. Anselm. in Comment. ad hunc locum scribentem: *Manifeste annuntiat, omnes homines mortui sunt in peccatis nemine prorsus excepto, dempta matre Dei.*

Quin ipsos hic nobis Adversarios vades appellamus. Si enim valet argumentum Apostoli, quamvis B. Virgo non fuerit mortua proprie, quia mors animæ non ipsum peccatum formaliter, sed ejus effectum nempe privationem gratiæ sanctificantis dicit : sed tantum habuit *debitum proximum*, h. e. debitum subeundi actu privationem gratiæ et mortem animæ : stare etiam ejus vis potest, quia B. Virgo habuit *debitum remotum* moriendi, cujus effectum ne incurreret, præservata est per mortem Christi. In utraque enim responsione a proprietate verborum receditur cum alio fundamento.

Fundamentum tertium est redemptio saltem *præservativa* ; per hanc enim debuisset B. Virgo excipi etiam ex meritis Christi ut Redemptoris : hoc vero repugnat ; quia Christus non fuit prædefinitus ut Redemptor ante peccatum Adæ *absolute prævisum*. Unde sequitur B. Virginem ante illum ex ejus ut Redemptoris meritis excipi non potuisse.

R. Argumentum hoc penitus enervari, si dicatur, vel Christum ut Redemptorem fuisse prædefinitum ante peccatum Adæ *absolute prævisum* : vel Christum ut Redemptorem, pactum cum Adamo, peccati permissionem et immunitatem Virginis simul in uno eodemque signo fuisse definitum. Qui vero Christum etiam post Adæ peccatum *absolute prædefinitum* admittunt, defendunt nihilominus prædictam immunitatem, secundum varium tamen decretorum ordinem, cujuscumque systemati proprium.

128. R. II. Positive probabile est, B. Virginem caruisse *debito proximo*, h. e. peccato originali in Adam commisso. De probabilitate *extrinseca* liquet ; quia hæc assertio est saltem æque communis ac contraria : *Communiorem* etiam vocant Recentiores passim, et mea quidem opinione, vere ac recte, si huic sententiæ singulari adversantes sejungantur ab aliis, qui forte privatum adhuc sensum priori articulo oppositum gerunt. Pro *intrinseca* ex motivis plurimis, alias afferri solitis, hæc pauca annotasse sufficiat.

Motivum 1um. est paritas et vis *rationum*, quæ pro priori articulo allatæ fuerunt. Nam 1°. Scripturæ textus, qui ab Ecclesia ad B. Virginem transferuntur, æque videntur excludere ab illa peccatum in Adamo commissum, et quasi actuale originale, ac peccatum contractum, et quasi originale habituale. 2°. Tridentinum, quamvis Sess. 5. bis mentionem in suo de peccato originali decreto fecerit illius effati Paulini : *In quo omnes peccarunt* ; universalem tamen exceptionem de Virgine in clausula subjungit. 3°. SS. Patres, vel puritatem et sanctitatem prorsus singularem Deiparæ commendantes, vel omne peccatum ab ea quæstionemve de illius peccato quocumque removentes, sane probabiliter intelligi possunt enuntiasse de debito proximo, quod re ipsa peccatum est, aut illud saltem supponit. 4°. Fidelium etiam *sensus* omnino communior videtur, ut ex concepta eorum æstimatione de matris Dei dignitate, et ex horrore a macula etiam ab alieno peccato profecta apparet. 5°. Auctoritas Ecclesiæ positiva quamvis non adsit, ejus tamen permissio post contradictorium in senatu Inquisitionis judicium probabilitatem non levem addit, et notam temeritatis aut imprudentiæ, quam quidam aspergere conantur, diluit.

Motivum 2um. est paritas et vis *privilegiorum*, B. Virgini communiter concessorum. Nam 1°. si propter *dignitatem Matris* statuitur esse immunis a peccato originali contracto, ex iisdem etiam rationibus oportet eam eximere

a *debito proximo*; quia hæc ignominia etiam matris in Adamo peccantis alias redundaret in filium : esset aliqua conventio Christi ad Belial : introisset Sapientia incarnata in malevolam animam : nec Amica Sponsi tota pulchra foret, nec sine omni macula. 2°. Sicut *fomes concupiscentiæ* a peccato est, et in peccatum inclinat, sic debitum illud proximum a peccato est, et in peccatum nempe originale cuique proprium inclinat et quodammodo necessitat, ita quidem, ut nonnisi per ingens miraculum a culpa originali liberetur, qui ejus debitum habet; ergo si libera admittatur B. Virgo a fomite, liberanda etiam est a debito. 3°. *Virginitas perpetua et incorruptio corporis* vindicatur Virgini, quamvis utriusque defectus esse potuisset sine culpa morali quacumque ; ergo immunitas a debito illi asserenda, quod saltem sine culpa in alio admissa esse nequit. 4°. Juxta S. Anselmi effatum *decuit*, ut B. Virgo ea puritate niteret, qua sub Deo major non possit intelligi. Posset autem intelligi puritas major, si Virgo peccasset in Adam; nam puritas eo est major, teste S. Thoma, quo quis magis a peccato recedit; ergo.

129. R. III. Omnino admittendum est, B. Virginem habuisse debitum remotum.

Ratio est; quia juxta sensum Patrum et Ecclesiæ Christus est Redemptor omnium hominum, non tantum in suppositione accommoda, sed absoluta : et B. Virgo etiam vere et proprie est redempta a Christo, omnemque gratiam accepit ex meritis Christi ut Redemptoris; hinc enim Alex. VII. in Constitutione n. 121. cit. ait sensum fidelium esse, B. Virginem *fuisse speciali Dei gratia, intuitu meritorum Christi, a macula peccati originalis præservatam ;* et in Oratione, sub finem Officii parvi Immaculatæ Conceptionis apposita, dicitur : *Ex morte filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti.*

Hoc autem explicari imprimis nequit, si non admittatur *debitum remotum :* Deinde nulla ratione minuit puritatem B. Virginis : Denique si etiam minueret, admittendum tamen foret, cum nonnisi puritas major, quæ sub Deo est, et honori divino non repugnat, illi adscribenda a sanctis Patribus asseratur.

Textus S. Bernardi n. 125. relatus probat quidem redemptionem duplici modo a Patribus fuisse usurpatam : Christum tamen nonnisi aliquo tantum modo vocari Angelorum Redemptorem, ipsa verba docent.

CAPUT IV.

DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

ARTICULUS I.

AN ET QUÆNAM SINT PŒNÆ PECCATI ORIGINALIS IN HAC VITA?

130. *Nota.* De vitæ humanæ miseriis duplex Catholicis est cum *Pelagianis* controversia: altera, an illæ, ac præsertim concupiscentia sit mala? adeo enim hanc non esse malam contendebant, ut inde eos S. Aug. Libris contra Julianum *patronos, defensores, fautores et laudatores libidinis impudentissimos* passim vocare potuerit: altera, an, quæ vitæ hujus etiam fatebantur incommoda, ortum habeant ex peccato? Hæc enim una et mortem, cum peccatum originale inficiarentur, pœnas etiam peccati negabant: quin, referente S. Aug. L. de dono persever. c. 11. n. 27. *Ignorantiam et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia* (dicebant) *esse naturæ.* De 1ª. controversia satis dictum: de 2ª. hic breviter agemus, ubi miseriarum vitæ humanæ compendium ex Bellarm. L. 6. de amiss. Grat. præmiserimus.

131. *Dico I.* Mala, hominem post originale peccatum infestantia, alia sunt *interna,* eaque vel in anima, vel in potentiis animæ, vel in corpore: alia *externa,* quæ scilicet vel extra hominem sunt, vel ab extraneo adveniunt.

In anima sunt 1°. Amissio justitiæ originalis, quæ præter gratiam sanctificantem complectebatur donum integritatis, quod ex congerie virtutum infusarum intellectum et voluntatem perficientium, obedientia partis inferioris ad superiorem et membrorum corporis ad nutum voluntatis, divinaque protectione extrinseca constabat. 2°. Reatus culpæ, seu debitum sustinendi odium inimicitiæ divinæ. 3°. Reatus pœnæ, saltem damni.

In potentiis animæ numerantur quatuor vulnera, ignorantia, nempe in intellectu, malitia in voluntate, concupiscentia in appetitu delectabili, infirmitas in appetitu irascibili. Ratione *ignorantiæ* sæpe plurima ignoramus agenda, sive quoad nos et vitam nostram ac rerum naturas, sive quoad actiones politicas, sive demum etiam quoad morales: præterea multi etiam homines sunt hebetis valde ingenii, fatui item et amentes etc. Ratione *malitiæ* voluntas propendet ad bona inferiora et præsentia, neglectis æternis: ad commoda propria et corporis, posthabitis animæ bonis et honestis: ad præsentia etiam dici vel anni, non consideratis incommodis futuris etc.

Ratione *concupiscentiæ* fertur appetitus ad bona sensibilia, et rebellis pugnat contra spiritum, unde intestinum illud bellum ad mortem usque duraturum nascitur. Ratione *infirmitatis* homo torpet ad difficultates superandi

vitia et virtutes colendi, effervescit facile, et contra rationem ira insurgit propter sensibilia, et propria commoda inferiora. Porro hæc duo postrema, *concupiscentia* et *infirmitas* obnubilant etiam intellectum, et rationem a recta consideratione ac electione præpediunt: omnia vero vulnera inducunt alia quoque mala per curiositatem, levitatem, præcipitantiam et inconstantiam, quæ tum ad defectus varios, tum ad peccata viam sternunt.

In corpore accidunt 1°. Dolores et morbi, quorum nec numerum nec nomina vel integer liber complecteretur: 2°. Curationum difficultas, et labor ad tolerandam vitam necessarius: 3°. Vitæ brevitas et continuus mortis imminentis metus: 4°. Mors ipsa.

Ad externa mala pertinent 1°. Ira et indignatio divina: 2°. Captivitas sub potestate diaboli, seu permissio nobis hic etiam nocendi, nos tentandi, et in altera vita cruciandi: 3°. Crudelitas hominum, rebellio bestiarum, et omnia denique mala, quæ a cœlo, terra, mari, aliisque elementis patimur.

132. *Dico II.* Mala ejusmodi sunt effectus et pœnæ peccati originalis. Est de fide.

Prob. universim ex Conc. Araus. II. can. 2. et Trid. Sess. 5. num. 1. Porro speciatim.

De malis in anima tum ex Trid., tum ex Ps. 33. v. 17. *Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Sap. 14. v. 9. *Similiter odio sunt Deo, impius et impietas ejus.* Ad Rom. 1. v. 18. Apostolus scribit, *revelari iram Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam.*

De malis in animæ potentiis testatur frequentissime Scriptura, dum Gen. 8. dicit: *Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*: Ps. 48. *Homo... comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*: Eccl. 7. dicit, *eumdem se infinitis miscuisse quæstionibus.* Unde axiomatis locum obtinet illud Glossæ, quæ Venerabili Bedæ tribuitur: *Homo spoliatus est gratuitis, et vulneratus in naturalibus*, juxta parabolam, Luc. 10., S. Aug. L. de nat. et gr. c. 19. et L. 22. de Civ. c. 22.

De malis in corpore manifesta fit mentio Eccli. c. 40. v. 1. *Jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ.* Et Sap. 2. v. 23. et 24. *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

De malis externis idem testimonium Eccl. adducitur, atque huc etiam pertinet, quæ de ira Dei supra retulimus. Captivitas vero sub diabolo ex verbis Petri, ep. 2. c. 2. v. 19. *A quo quis superatus est, hujus et servus est*; et ex S. Aug. ep. 28. (al. 166. n. 16.) habetur. Reliqua ostendit interrogatio S. Jacobi in sua ep. c. 4. *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc: ex concupiscentiis vestris?* Et illud Sap. 5. v. 18. *Armabit creaturam ad ultionem inimicorum* etc.

133. *Observa.* Sectarii nostri temporis a *Pelagianorum* quidem hic rejecto errore recedunt, sed longe adeo, ut et ipsi in errores impingant. Præter memoratos enim effectus peccati originalis, alios etiam adhuc dum addunt; quorum *primus* est, per parentis primi peccatum, arbitrium liberum in homine penitus amissum esse et extinctum: *secundus*, naturæ corruptionem

lantam esse exortam, ut homo etiam justificatus non possit non semper peccare : *tertius,* peccati illius fructum esse odium divinum, fugam divini judicii, dubium de divinis promissionibus, desperationem de æterna salute, aliaque peccata actualia. Horum confutationem vide in Tract. de Grat. et Act. Hum.

ARTICULUS II.

AN PARVULI SINE BAPTISMO DECEDENTES PUNIANTUR PRIVATIONE BEATITUDINIS?

134. *Nota. Vincentius* quidam apud S. Aug. de Anima et ejus origine, L. 1. c. 9. et L. 3. c. 13. parvulis etiam non baptizatis regnum cœlorum, hoc est, *beatitudinem supernaturalem* promittebat. Eamdem sententiam tenet *Zwinglius,* ut probabilem de filiis infidelium, ut certam de fidelium prolibus : quod secundum amplectuntur etiam *Calvinus, Bucerus* etc. Alii quamvis parvulos ejusmodi a regno cœlorum et vita beata Sanctis promissa excluderent, docebant tamen eos post judicium futuros *beatitudine naturali* beatos, et in quodam veluti paradiso terrestri perpetuo feliciterque victuros; ita Ambr. Catharinus, Albert. Pighius et Hier. Savonarola. Ad quamnam ex his sententiis classem, *Pelagianorum* error de vita parvulorum æterna pertineat, dubium est inter Theologos, cum non ita facile definiri possit, quidnam illi per vitam æternam intellexerint, quam parvulis sine baptismo decedentibus a regno cœlorum distinctam pollicebantur. Certe ambigua erant ea de re ipsa *Pelagii* verba, quæ S. Aug. L. 2. de Grat. Christi et de pecc. orig. c. 21. refert : *Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant, scio; quo eant, nescio.*

135. *Dico I.* Parvuli sine baptismo decedentes puniuntur privatione beatitudinis supernaturalis. Est de fide.

Prob. Ex verbis Christi Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item ex Apocalypsi constat, *non introire aliquid coinquinatum* in regnum cœlorum, nec alios, nisi *qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Parvuli autem sine baptismo decedentes manent coinquinati peccato originali, nec nomina eorum inscripta sunt libro vitæ; ergo.

Conf. Ex Conciliis. Palæstinum, teste S. Aug. in ep. 106. ad Paulin. (al. 186. n. 27.), compulit *Pelagium* anathematizare, infantes non baptizatos habere vitam æternam : Carthaginense in ep. Aug. 90. (al. 175. n. 6.), Milevitanum vel Carthaginense potius apud eumdem ep. 92. (al. 176. n. 2.), Florentinum Sess. ultima in Decret. Unionis (Labb. t. 13. p. 515. D.), Tridentinum Sess. 5. et 6. can. 3. et 4. totam de præsenti materia doctrinam in SS. Litteris, Patribus et Conciliis dispersam colligunt et proponunt.

136. *Dico II.* Parvuli iidem etiam puniuntur privatione beatitudinis naturalis; tum quia nullum fundamentum habetur distinguendi in parvulis *regnum cœlorum* a vita æterna; tum quia cum damnatione et carentia salutis æternæ conciliari nequit *beatitudo quæcumque.*

Prob. Parvuli sine baptismo decedentes in perpetuum erunt inimici Dei et filii iræ divinæ : erunt captivi et sub potestate dæmonis : inclusi hærebunt inferno; ergo non fruentur *beatitudine naturali. Ant.* constat ex Scri-

PTURA, CONCILIUS et PATRIBUS apud BELLARM. L. 6. de amiss. Gr. c. 2., quæ docent has esse pœnas etiam peccati originalis, neque absolvi ab iis quemquam nisi per baptismum. *Cons.* satis certo infertur; tum quia beatitudo naturalis homini sine *meritis naturalibus* est indebita; parvuli autem eam mereri nequeunt, nec Deus etiam iis, tanquam suis inimicis, eamdem liberaliter concessurus videtur : tum quia beatitudo naturalis, saltem *accidentalis,* plane repugnantia statui parvulorum et conditionibus commemoratis dicit; *essentialis* vero, seu cognitio Dei abstractiva perfecta amorque amicitiæ divinæ naturaliter beatificus, unde infantibus illis adveniat doceri cum fundamento nequit.

Conf. 1. Post judicium extremum et in æternitate inter cœlestem beatitudinem et damnationem non erit medium, testante Eccl. c. 11. *Si ceciderit lignum, ad Austrum* aut *ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et suffragante S. AUG., qui L. 1. de pecc. mer. c. 28. n. 55. *Nec est,* inquit, *ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc et ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere... definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, ubi ait : Qui non est mecum, contra me est.*

Conf. 2. Ex testimoniis Patrum, Pelagianorum dogma explicantium et damnantium : S. AUG. L. 1. de Anima et ejus orig. c. 9., SIRIC. ep. 1. ad Himer. c. 2. (Labb. t. 2. p. 1018.), S. PROSP. de voc. Gent. L. 1. c. 16. et L. 2. c. 20. etc.

137. *Obj. cont.* 1um. S. AUG. in Enchir. c. 93. docet parvulos puniri pœna *mitissima* : sed ex S. CHRYSOST. pœna damni, seu privatio visionis Dei, est pœna maxima et acerbior, quam pœna infernalis et sensus; ergo.

R. 1°. *D. M.* Puniuntur pœna mitissima, comparata ad pœnas adultorum, et qui personaliter peccarunt *C.* comparata ad pœnas quascumque *N.*

R. 2°. *D. M.* Pœna damni est pœna maxima, si sumatur secundum se ad bonum præcise, quo privat *C.* si sumatur comparate ad pœnam damni et sensus simul, et ut afflictiva est ac pœna *N.*

Inst. Ex S. THOMA 1. 2. q. 87. a. 5. ad 2. Peccatum originale ratione gravitatis suæ non meretur pœnam æternam : sed Deus non punit ultra condignum; ergo. *Conf.* Secundum eumdem, peccatum originale est minimum peccatorum, etiam comparatum cum veniali : sed veniale non punitur pœna æterna ; ergo.

R. S. THOMAM hic debitum seu reatum pœnæ æternæ non tribuere quidem gravitati peccati originalis, sed *conditioni subjecti, scilicet hominis, qui sine gratia invenitur, per quam solam fit remissio pœnæ;* unde secundum sententiam sibi propriam addit : *Similiter dicendum est ad tertium de peccato veniali,* quod nempe per accidens pœna æterna puniri sentit. Ex responsione tamen ejus ad 1. colligitur, concedendum, quod originale in ratione conversionis non mereatur pœnam æternam; negandum autem, si sumatur in ratione aversionis, cui, ex alibi dictis hujus S. Doctoris, pœna damni correspondet.

Ad Conf. D. M. Est minimum secundum quid, scilicet in ratione voluntarii, et quidem tantum respectu posterorum Adami, non autem primi

parentis *C.* simpliciter *N.* Hanc ipsam esse doctrinam S. THOMÆ probat ejus expositio, quam q. 5. de malo a. 1. ad 9. subjungit.

138. *Obj. contr.* 2um. Juxta Apostolum ad Rom. 5. 18. dicitur : *Per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Sed in parvulis peccato originali infectis non erit justificatio vitæ supernaturalis; ergo naturalis, quæ infert beatitudinem naturalem.

R. Argumentum hoc probat etiam, adultis saltem tribuendam esse naturalem beatitudinem, quod, cum contra fidem sit ac nimium, nec nos urgere potest. Itaque *D. M.* Per unius, scilicet Christi, justitiam transiit in omnes justificatio vitæ quoad sufficientiam *C.* quoad efficaciam *N.* Hinc etiam ab aliis explicatur non de omnibus simpliciter, sed de iis, qui ex Christo renascuntur.

Inst. 1. Post extremum judicium *inimica destruetur mors,* 1. ad Cor. 15. 26. : sed si parvuli non gaudeant naturali beatitudine, id falsum erit; ergo.

R. *D. M.* Destruetur mors inimica corpori, et sic erit resurrectio ad judicium vel vitam *C.* destruetur mors inimica animæ, et erit resurrectio ad veram vitam *subd.* in omnibus etiam infidelibus et parvulis non baptizatis *N.* in fidelibus et Sanctis *C.* His enim duntaxat convenit resurrectio vitæ, illis autem resurrectio judicii; ex S. AUG. ep. 146. (al. 205. n. 14.) ad Consentium.

Inst. 2. Eodem tempore diabolus *ejicietur foras* Joan. 12. 31. : sed si in ejus potestate remansuri sint parvuli, nec hoc verificatur; ergo.

R. *N. min.* Juxta Apostolum ad Coloss. 1. 13., per Christum eripimur *de potestate tenebrarum.* Hanc autem *ereptionem* et diaboli *expulsionem* in parvulis fieri per baptismum, docent tum exorcismi et exsufflationes, quarum in Ecclesia semper fuit usus, tum S. AUGUSTINUS, tum ZOSIMUS et COELESTINUS Pontifices, pluribus in locis apud BELLARM. l. c. Unde ejectionis diaboli fructus sub finem mundi ad parvulos nihil pertinere potest.

Inst. 3. S. TH. in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. ad 5. ait : *Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quæ est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati; imo ipsi conjunguntur per participationem bonorum, et ita de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et delectatione*; ergo beati erunt naturaliter.

R. *N. Cons.* Ad *beatitudinem* enim *naturalem* non sufficit quæcumque cognitio et naturalis etiam amor Dei; sed debet cognosci Deus ut amicus, ut inde oriatur amor amicabilis, qui amicitiam mutuam supponit. Cum igitur Deus non sit amicus parvulorum culpa originali infectorum, illis similem *cognitionem,* utpote falsam, non concedet.

Inst. 4. Hujusmodi parvuli consequentur plura *dona gratuita,* staturæ scilicet magnitudinem, immortalitatem et impassibilitatem; ergo et beatitudinem naturalem.

R. *N. Cons.* Quod enim S. AUG. L. 1. de pecc. mer. c. 23. inquit : *Nulla salus æterna..... promittatur infantibus, quam non promittat Scriptura divina humanis omnibus ingeniis præferenda*; idem hic de donis naturalibus censendum. Quare cum duo prima dona satis fundentur in Scripturis sacris et Patrum elogiis, beatitudo autem naturalis minime; discrimen oppido manifestum est. Quid de impeccabilitate, incorruptibilitate et impassibili-

tate infantium sit dicendum, partim ex sequentibus statuetur, partim alio pertinet.

Inst. 5. Non videtur ordini divinæ justitiæ congruum, ut infantes propter peccatum in alio commissum priventur beatitudine naturali; tum quia hæc est perfectio homini debita : tum quia naturalia juxta communem sententiam etiam post peccatum manent integra.

R. *N. Ass.* Contra quod pugnant rationes in thesi allatæ, et argumentum a majori ad minus. Si enim *de fide* est, privationem beatitudinis supernaturalis esse pœnam justam peccati originalis, certe contra æquitatis divinæ leges non erit naturalis beatitudinis privatio.

Ad rationem 1am. *D.* Beatitudo naturalis est perfectio homini debita in actu primo, hoc est, homo naturaliter debet posse eam adipisci *C.* est debita in actu secundo, hoc est, debet eam omnino actu et de facto possidere *N.*

Ad rat. 2am. *D.* Naturalia, quæ debentur ex intrinsecis naturæ principiis, manent integra *C.* naturalia quidem, sed quæ nonnisi per gratiam indebitam actu haberi et possideri possunt *N.* Talis autem esset *beatitudo naturalis* in præsenti quæstione.

ARTICULUS III.

AN PARVULI SINE BAPTISMO DECEDENTES PUNIANTUR POENA SENSUS ET IGNIS INFERNALIS?

139. *Nota I. Affirmativam sententiam Patres Latini* HIER., AVIT., FULG., GREG. M., ISIDOR., ANSELM. post exortam Pelagii hæresin magno consensu tenuisse videntur. Ambigitur autem de S. AUGUSTINI mente; tum quia L. 5. contr. Jul. c. 11. n. 44. *levissimam damnationem* parvulorum futuram scripsit : tum quia de pœna parvulorum ibidem ait : *Quæ, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent, potius expediret* : tum quia in epist. 28. (al. 166. n. 16.) ad Hier. significavit, se *coarctari angustiis, nec quid respondeat invenire, cum ad pœnas parvulorum ventum est* : tum quia L. 3. de lib. arb. c. 23. ad objectionem Manichæorum de parvulis respondens, videtur medium quemdam statum concedere parvulis inter damnatos et beatos, sicut ibidem admittit *quædam media inter recte factum atque peccatum, et mediam judicis sententiam inter præmium et supplicium.* Atque hinc D. THOMAS cum S. BONAVENTURA et post hos Scholastici multi eum in contrariam etiam partem trahere, aut saltem benignius interpretari conantur.

Aliis tamen e contrario, et partem etiam negativam tuentibus quibusdam, de sancti hujus Doctoris mente nihil ambigendum videtur. In hanc rem proferunt prolixam ejus sententiam ex sermon. 14. de verb. Apostoli. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.) Ad ulteriorem hujus rei confirmationem fundamentis supra oppositis respondent : et quidem

Ad 1um., pœnam parvulorum mitissimam dici ac levissimam, non absolute, sed relate ad damnationem reproborum, qui peccata propria et personalia commiserunt.

Ad 2um., his verbis nihil voluisse, nisi quod, licet pœnæ *quantitatem* et *qualitatem* definire nequeat, non tamen ausit dicere, quod eis etc.; quia

hoc effatum Christus non dixit de peccatoribus quibuscumque, sed de scelestissimis duntaxat, qualis scilicet erat Judas. Sicut vero S. Doctor minime dubius erat, an dæmones ab igne infernali patiantur aliquid, licet non explicare posset, quid, quomodo et quantum ab igne paterentur.: sic etiam ex verbis recitatis concludi nequit, eum fuisse dubium, utrum infantes ab igne aliquid paterentur.

Ad 3um., dixisse tantum, quod *in hypothesi* creationis animarum singularum explicare nequeat, quomodo juste puniantur parvuli non solum pœna æterna, sed etiam temporali in hac vita, ut ejus verba continuo subjecta docent.

Ad 4um., permisso etiam, inquiunt, quod S. Doctor scribens libros de libero arbitrio incertus fuerit de pœnis parvulorum, ipse tamen Aug. nihil inde probari ostendit L. de dono persev. c. 12. n. 30. Quantum vero posteà ab hac dubitatione abhorruit, explicat ibidem paulo post : *Absit ut causam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in æternam salutem ; non regenerati autem transeant in mortem secundam ; quoniam quod scriptum est : Per unum hominem etc., aliter recte intelligi non potest : nec a morte perpetua, quæ justissime est retributa peccato, liberat quemquam pusillorum atque magnorum, nisi ille, qui propter remittenda et originalia et propria peccata nostra mortuus est.*

140. *Nota II.* Post seculum XII. *sententia negans* a Magistro sententiarum, D. Thoma, S. Bonaventura, Scoto aliisque scholarum Principibus adoptata sic invaluit, ut eam omnes aut fere omnes Scholastici sint amplexi, solis *Rigidioribus,* ut se profitentur, Augustini Discipulis exceptis ; quibus tamen accensos nolim *Calvinum, Jansenium* aliosque novos dogmatistas partem affirmantem sectantes, utpote de quibus suspicionem injicit Martinon supr. cit. Disp. 40. sect. 6., id ab iisdem forte fieri, ut minuant horrorem dogmatis alterius, quo dicunt adultos damnari ad ignem æternum propter opera facta sine usu liberi arbitrii et potestate abstinendi. Item ut acceptabile reddant dogma aliud, quod Deus ex massa generis humani per Adam corrupta, pro mera sua voluntate, seligat aliquos ad vitam æternam, alios destinet ad æternam mortem, destituatque mediis necessariis et sufficientibus, ut salvari possint.

Cæterum, ut Tournely recte ex Bellarmino notat, qui sententiam de sensibilibus parvulorum pœnis veriorem esse putant, ei absque ulla excessus formidine adhærere debent : quia misericordia nostra erga parvulos defunctos nihil eis prodesse potest, sicut nec eis obesse potest sententiæ nostræ severitas ; multum vero nobis obesset, si ob inutilem misericordiam contra Scripturam aut Patres pertinaciter aliquid defenderemus. Præterea quamvis cavendum sit Clericis, ne has scholæ opiniones *in Catechesibus* proponant, possunt tamen data occasione prudenter iidem *priore* opinione uti contra matres, quæ ex negligentia fœtus in utero suffocant, aut præmature effundunt : *posteriore* autem, ut leniant earum dolorem, quæ proles sine baptismo extinctas acerbius lugent ; utraque enim vere probabilis est, et neutra certa. Quænam vero probabilior nobis videatur, si aperiendum sit,

141. *Dico.* Probabilius videtur, infantes sine baptismo decedentes non puniri *pœna sensus.*

Prob. I. Scriptura, ubicumque mentionem facit *ignis æterni* seu pœnæ sensus, manifeste loqui videtur de tali pœna, quæ præsupponit *peccatum actuale.* Ejusmodi sunt omnes illi textus, qui contra nos afferuntur ab Adversariis, et speciatim sententia Christi judicialis, qua nititur S. Augustinus, Matth. 25. : *Discedite a me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum* etc. Idem Apoc. 18. 7. legitur : *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Denique Isa. ult. et Marci 9. conjungitur vermis cum igne : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Omissiones enim culpabiles in *primo,* delectatio in *secundo,* morsus vermis etiam, id est, conscientia mali operis pungens et affligens in *tertio,* sunt actualia peccata, aut ea supponunt. Ergo, cum infantes hujusmodi actualiter non peccaverint, pœna peccati actualis, hoc est, pœna sensus etiam illis tribuenda non est.

Conf. 1. Pœna sensus pro infantibus non est asserenda sine aperta auctoritate Scripturæ et SS. Patrum communi; quia *de Deo,* ut Scriptura ait, *est sentiendum in bonitate.* Sed nec Scripturæ auctoritas est aperta, ut proxime notatum : nec traditio etiam Patrum est communis, cum alii prioribus repugnent; scilicet Greg. Naz. or. 40. n. 23. in S. Baptisma; Greg. Nyss. orat. *de iis, qui mature abripiuntur,* sub finem (opp. t. 3. p. 338. A.) Euthym. ex S. Chrys. in Panoplia L. 2. c. 22.

Conf. 2. Innocentius III. c. *Majores,* de Baptismo §. *Sed adhuc,* sic ait : *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei : actualis vero peccati pœna est gehennæ perpetuæ cruciatus.* Hic vero membrum primum debere intelligi *exclusive,* ita ut sensus sit, peccatum *originale* mereri solum illam carentiam : *actuale* autem mereri ulterius cruciatum gehennæ, patet tum ex oppositione inter utrumque a Pontifice facta, tum ex ratione, quam ibidem urget. Loquitur enim hic de eo, qui simul peccato originali et mortali actuali habitualiter manente infectus est, in eoque negat posse remitti prius, manente posteriori.

Ex eo autem, quod remissio secundum *legem ordinariam* fiat per infusionem gratiæ justificantis, dantisque jus hæreditarium vitæ æternæ, infert, quod, si cui actuale mortale habenti remitteretur originale, haberet jus ad visionem Dei ob remissum per gratiam originale, et simul debitum ea carendi, æternumque gehennæ cruciatum patiendi propter actuale restans; quæ duo sibi adversari dicit verbis mox subjectis : *Unde, si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum, et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis. Sed hæc tanquam incompossibilia se minime patiuntur; imo sibi mutuo adversantur.*

Prob. II. Deus neminem punit *pœna positiva sensus,* nisi propter culpam personalem et propria voluntate commissam; tum quia pœna physice propria, qualis est sensus, videtur tantum congruere culpæ *personali,* seu physice propria voluntate commissæ, ut servetur inter culpam et pœnam proportio : tum quia pœna sensus est quædam exprobratio realis et *personalis,* quæ similiter culpæ duntaxat personali et propriæ voluntatis perver-

sitati deberi videtur : tum quia pœna sensus infligitur a Deo ad reparandum ordinem naturalem a culpa perversum : sola autem *personalis* culpa hunc violat; quia licet etiam originale peccatum supernaturalem ordinem, hoc est, conversionem ad Deum per donum gratiæ supernaturale sustulerit, in homine tamen non dissolvit ordinem naturalem. Patet autem *originale peccatum* nec personalem, nec physice propria voluntate commissam culpam esse; ergo.

Conf. 1. *Ecclesia* in imponenda pœna peccatis debita imitatur ordinem et modum præscriptum a justitia divina in delictorum punitione : sed nullam pœnam positivam aut satisfactionem pœnalem imponit pro peccato originali ; ergo.

Conf. 2. *Respublica* non solet aliquem plectere pœna positiva et sensibili propter habitualem carentiam virtutum ac pronitatem ad vitia; quamvis eos tanquam indignos rejiciat ab aliqua dignitate adipiscenda, qui virtutibus carent, et ad mala inclinant. Ergo infantes sine baptismo decedentes similiter juste repelluntur ab adeunda cœlesti beatitudine, non ita autem sensibili pœna affici posse videntur; quia propter originalem labem fere tantum habitualiter sunt aversi a Deo, et ad concupiscentiam contra rationem proni.

142. *Obj. I.* Etiam parvuli comparebunt in judicio extremo; ut patet Matth. 25. v. 32., ad Rom. 14. v. 10., 2. ad Cor. 5. v. 10., Apoc. 1. v. 7. : sed in hoc judicio futuri sunt in sinistra, et judicabuntur; ergo.

R. Nec major nec minor *de fide* videtur. Quod enim 1°. parvuli non sint comparituri, tenent Durandus et Albertus M. a Dionysio Carthus. relatus, et Cornelius a Lapide, licet nobis contrarius, probabile habet. Nec huic opinioni obstant textus citati ; tum quia vox *omnis* in Scriptura usurpatur sæpe pro parte longe majori, qualis est multitudo adultorum respectu infantium ; tum quia hi textus intelligi possunt de adultis, ad quos etiam propositiones universales restrictas ipse contextus in tribus prioribus ostendit. De primo enim patet ex commemoratione operum misericordiæ ibidem facta : de altero ex verbis subjunctis : *Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo* : de tertio ex ipso integre recitato : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

2°. Neque *fide* certum est, comparituros etiam in judicio infantes fore de numero judicandorum. Adfuturos enim duntaxat, ut videant judicis gloriam et judicium de aliis ferendum, censent Abulensis, Dion. Carthusianus, S. Thomas in 4. dist. 47. q. 1. a. 3. ad 3. et Suarez probabile dicit. Imo nec omnes adultos comparituros ut judicandos, sed aliquos tanquam judices et supremi judicis assessores manifestat promissum Christi Matth. 29. Apostolis datum.

3°. Multo minus *de fide* est, parvulos in sinistra locandos et cum hædis, cujusmodi adulti reprobi ob spurcitiam, petulantiam et fœtorem malorum operum vocantur, eadem sententia condemnandos. Quamvis enim *ex fide* noverimus regeneratos infantes participes cœlestis gloriæ, non regeneratos autem ab ea excludendos fore; non satis tamen ex Scriptura, Conciliis ac

Patribus constat, eos futuros in sinistra, aut secunda sententiæ parte afficiendos.

Inst. 1. *ex parabolis.* Matth. 3. v. 10. dicitur : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur.* Et v. 12. *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 13. parabola de sagena missa in mare, et bonos ac malos pisces congregante sic concluditur v. 49 : *Sic erit in consummatione seculi : exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.*

R. Has parabolas vel ipsa parabolarum ratio, vel S. Augustini etiam nobis oppositi explicatio ostendit non pertinere ad infantes : 1ª. enim de adultis loquitur, qui fructum facere cum possent, minime fecerunt. Nam *arbores* etiam ante unam vel alteram diem plantatæ in ignem non mittuntur, etiamsi fructum non ferant. 2ª. et 3ª. juxta S. Aug. L. contr. Donatist. post collationem c. 4. n. 6. et 10., nomine *areæ* et *sagenæ* intelligit Ecclesiam, atque hinc in illa positos et in hac inclusos tantum proponit fideles et baptizatos; unde ad infantes minime spectat, qui sine baptismo mortui in Ecclesiæ *area* aut *sagena* nunquam fuerunt.

Inst. 2. *ex sententiis.* Matth. 25. v. 41. legitur : *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : discedite a me maledicti in ignem æternum.* In Apoc. 20. v. 15. *Qui non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Et in symbolo, quod S. Athanasio adscribitur, habetur : *Omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem : et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.*

R. *Similiter.* Quamvis enim judicium universale futurum, et adfuturos etiam parvulos cum adultis, fideles cum infidelibus, justos cum peccatoribus teneamus; non tamen probatur, aut eamdem in omnibus formam judicii aut sententiam in omnes eamdem ferendam vel servandam esse. Jam vero

In *primo* describitur forma judicii circa *adultos* et quidem *fideles* servandi, ut ex ipsis Evangelii verbis liquet; tum quia multitudo judicandorum comparatur gregi *ovium* et *hædorum* sub uno pastore; constat autem Ecclesiam, in qua boni et mali sunt, similem esse gregi ejusdem pastoris : tum quia mali vocantur *hædi,* quod de fidelibus intelligendum; cum infideles in Scriptura dicantur lupi potius aut *canes* : tum quia ratio damnationis non affertur defectus fidei, sed omissio bonorum operum, qui vivæ fidei fructus esse debent. Atque sic etiam intellexit Aug. L. c. cont. Donatist. c. 4. n. 6., L. de fide et op. c. 15. n. 25. et in QQ. ad Dulcit. q. 1. n. 4. Quamvis vero idem S. Doctor hunc locum serm. 14. de verb. Ap. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.), retulerit etiam ad parvulos, hæc tamen extensio non colligitur ex textu sacro.

In *secundo* et *tertio* sermonem de adultis esse, vel ipsa verba manifestant; in Apocalypsi enim præmittitur : *Et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt : et alius liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum.... Et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant : et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* Ubi ne per *pusillos* quis putet intelligendos infantes, facit tum illud, quod sequitur, judicatos esse

secundum opera ipsorum : tum quia juxta interpretes recte hic indicantur, non ætate aut statura, sed dignitate et gradu inferiores.

Porro quænam forma judicii servanda sit et ferenda sententia in *parvulos*, aut *ethnicos*, vel non erat necesse promulgari in Evangelio, quod ad solos fideles pertinet, et ab his unis creditur : vel satis in genere declaratum est Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Et v. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam*. Item ad Rom. 5. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem*. Et v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*.

Inst. 3. Ex modo dictis liquet, infantes ob peccatum originale esse *condemnandos* : condemnatio autem dicit pœnas sensus; ergo. *Conf*. Apoc. 20. v. 6.dicitur : *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima ; in his secunda mors non habet potestatem*. c. 21. autem v. 8. legitur : *Pars illorum erit in stagno ardentis igne et sulphure : quod est mors secunda*. Ast parvuli non habent partem in resurrectione prima ; ergo in eis potestatem habebit mors secunda, per quam ex dictis intelligitur pœna sensus.

R. *D. m*. Condemnatio correspondens peccatis actualibus, et communiter sumpta dicit pœnas sensus *C*. correspondens tantum originalibus et proprie quidem non communiter sumpta; quia rarior de ea in sacris litteris fit mentio *N*. Infantes non regenerati vere dicuntur *damnati*, quia privantur omni beatitudine.

Ad Conf. R. Secundum superius dicta, sermonem ibi esse de *adultis*. Esto autem, hunc locum ac similes intelligi posse de infantibus, utpote qui dici possunt judicandi secundum *opera ipsorum*, non propria quidem voluntate, sed per Adamum facta, ac illos proin mittendos etiam in stagnum ignis; inde tamen eos *pœna sensibili* afficiendos necdum evincitur. Vel enim explicari potest, eos esse mittendos in locum, ubi est ignis, quin tamen ab eo inflammentur; quia pars hujus loci ab igne sejuncta est : vel ab igne quidem eos esse detinendos, non tamen cruciandos ; quia ignis infernalis non habet vim urendi, nisi ut *instrumentum divinæ justitiæ*, et propterea sicut alios magis, alios minus torquet, ita aliquos nihil lædere poterit.

Inst. 4. Conc. Florent. in litteris Unionis statuit, *illorum animas, qui in actuali peccato mortali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*. Sed infernus notat locum tormentorum sensibilium, et pœnarum disparitas innuit duntaxat inæqualitatem intensivam pœnarum; ergo.

R. Duriusculum est existimare, hac propositione a Concilio damnatam esse sententiam plurium SS. Patrum, scholarum Principum, et omnium ferme illius temporis Theologorum. Nec grave minus est asserere, Scholasticos prope omnes Concilii hujus definitionem ab ea ad nostram usque ætatem aut non perspexisse, aut irreverenter neglexisse. Unde *N. m*. Nomine enim *inferni* exprimitur æque limbus infantium, ac Patrum ante Christi passionem defunctorum.

Atque hoc sensu in symbolo Apostolorum dicitur Christus *descendisse ad inferos* : Gen. 37. v. 35. Jacob mortem Josephi deplorans aiebat : *Descendam ad filium meum lugens in infernum*. Per pœnarum disparitatem autem non indicatur hic parvulos quidem mitius, alios autem gravius igne torquendos; cum et hæc inter eos reperiatur, qui actu peccaverunt : sed quod illi solum

puniantur pœna damni, alii vero pœna damni simul et sensus; siquidem vox *dispar* non dicitur solum de inæqualibus in gradu, sed et de diversis in specie: ut cum homines et angeli disparis naturæ dicuntur.

143. *Obj. II.* Plures SS. Patres sunt contrarii, et S. Fulgentius etiam relatus in Can. *Firmissime*, de Consecr. Dist. 4. ait: *Firmissime crede, et nullatenus dubites, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, si sine Sacramento baptismi hoc de seculo transeunt, ignis æterni supplicio esse puniendos*; ergo ab illis non videtur esse dissentiendum.

R. 1°. Plures cum S. Thoma et Bonaventura negant, hos SS. Patres nobis reipsa esse contrarios, intelligendosque volunt, dum de igne loquuntur, de *pœna damni*; tum quia S. Augustinus, quem alii Patres hac in materia ducem secuti sunt, ipse q. 9. in Josue dicit, quamlibet pœnam significari posse *nomine ignis* juxta Scripturæ phrasin: tum quia allata ab illis argumenta plus non probant. Unde etiam Glossa in Can. *Nulla* de Consecr. Dist. 4. non aliam pœnam parvulis non regeneratis assignans, quam tenebras, h. e. privationem visionis Dei, subdit: *Et hæc carentia est pœna ignis, de qua intelligendus est Canon* Firmissime, *qui desumptus est ex Fulgentio.*

R. 2°. Alii, permissa Patrum contrarietate, volunt, quæ altera etiam est Doctoris Angelici et Seraphici responsio, plus quam vellent intelligi a Patribus dictum, eumque loquendi modum usurpatum, ut detestabilem redderent ac extirparent *Pelagianorum* errorem, qui in parvulis nullum esse peccatum, nec aliquam eis pœnam deberi asserebant. Præterea hæc Patrum sententia limites opinionis non excessit, et, ut Estius notat, ab ipsis suis auctoribus, excepto Fulgentio, nec tanquam fide tenenda asserebatur, nec opposita velut hæretica damnabatur. Quare sine omni irreverentiæ nota ab his ad alios Patres secessio fieri potest, et negari consequentia.

144. *Obj. III.* Parvuli sicut nascuntur, sic non baptizati in æternum manebunt *filii iræ* divinæ. Sed ira divina nihil aliud est, quam decretum damnationis ad pœnam æternam; cum Deus exinde æternum ejusmodi parvulos tanquam inimicos suos odio habeat et tractet; ergo.

R. *D. min.* Ira divina nihil aliud est, quam decretum damnationis ad pœnam æternam vel negativam damni, vel positivam sensus *T.* vel *C.* Solum, aut necessario ad pœnam positivam sensus *N. Ira divina* respectu peccatorum personalium est decretum divinum privans eos beatitudine, et addicens pœnæ sensus: respectu reorum peccati tantum originalis est solum privans beatitudine.

Ad rationem D. Deus parvulos tanquam inimicos odio habet et tractat illis infligendo pœnam sensus *N.* eos privando beatitudine *C.*

Inst. 1. Peccatum veniale actuale, licet levius originali, punitur tamen pœna sensus; ergo et originale; præsertim cum alias decedens cum originali et personali mortali non puniretur *gravius*, quam decedens cum solo personali mortali.

R. *N. Cons.* Quamvis originale non puniatur pœna sensus ex dict. *in thesi*, punitur tamen privatione conspectus divini, quæ de se major est omni alia pœna peccati venialis, quæ per se juxta Catholicos omnes ab æterna beatitudine non excludit,

Ad Prob. R. *D.* Non puniretur gravius quoad pœnam sensus, si nempe baptismum non contempsisset, aut culpabiliter neglexisset *C.* quoad pœnam damni *Subd.* Non gravius intensive *N.* extensive *C.* Pœna damni moraliter intenditur, quando, ut hic fieret, *ex multiplici titulo* debetur; sicut excommunicatus propter plura peccata, quorum singulis statuta est hæc censura, intensive magis excommunicatus a S. Th. in 4. dist. 18. q. 2. a. 3. dicitur.

Inst. 2. Christus pro peccato originis expiando pœnam sensus gravissimam subiit; ergo hæc pœna originali est debita.

R. *N. Cons.* Christus non pro originali duntaxat, sed et pro actualibus culpis passus est, quibus pœnam sensus deberi certum est. Cæterum non passus est pœnam peccatis *directe* debitam; cum nec pœnam damni nec gehennæ sustinuerit : sed aliam subiit, quæ, quia ob dignitatem personæ patientis infiniti meriti fuerat, plenissimam et superabundantem satisfactionem præstabat.

Inst. 3. Parvuli post judicii diem non habebunt corpora gloriosa, sed *passibilia;* ergo aliquid patientur, tum a mutatione rerum naturalium, tum ab igne, a quo saltem detinebuntur; in qua alligatione, juxta probabilem Theologorum sententiam, pœna ignis infernalis consistit.

R. *N. Cons.* Licet corpora parvulorum futura sint *remote* et *in actu primo* passibilia, non tamen erunt proxime, seu actu ipso quidpiam patientur; tum quia post judicium cessabit vicissitudo rerum naturalium : tum quia hæ non minus ac ignis agent ut instrumenta duntaxat divinæ justitiæ; quæ cum non exigat punitionem parvulorum, nec horum corpora inde lædentur. Porro an *in limbo,* an in ipso *igne* futuri sint parvuli, ex supra dictis definiri nequit. Ad hæc, quamvis concedatur detentionem damnatorum partialiter constituere pœnam sensus, si contraria sit, activa et afflictiva, pœnæ tamen rationem non habebit in parvulis; quia est *mere negativa* proveniens a negatione concursus divini, sicut fuit in Patribus antiquis ante passionis dominicæ tempus in limbo detentis.

Inst. 4. Parvuli baptizati non solum videbunt Deum, sed etiam fruentur bonis corporis, quæ *Beatorum dotes* appellantur; ergo a contrario non baptizati præter privationem visionis divinæ afficientur pœnis sensibilibus corporis. *Conf.* Iidem *in hac vita* puniuntur pœna sensus, cum sint obnoxii infinitis prope calamitatibus; ergo etiam in altera vita pœnam sensus patientur.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia illi, qui per gratiam in baptismo acceptam constituuntur filii Dei et hæredes regni cœlestis, habent jus etiam ad *dotes corporum* : hi vero ex hactenus dictis non incurrunt debitum ad pœnas sensuum subeundas. Licet vero major sit liberalitas Dei in præmiando quam severitas in puniendo, satis tamen magnum est malum, puniri pœna damni parvulum ex alieno peccato.

Ad Conf. R. 1°. Cum Bellarm. *D. A.* Puniuntur in hac vita pœna sensus per se *N.* per accidens *C.* Mors enim et alii corporales defectus, supposita amissione justitiæ originalis, sunt potius proprietates connaturales, quam pœnæ stricte dictæ. Cum vero in altera vita passibilitas et mortalitas ex ordinatione divina sit cessatura; ibi nequidem per accidens has pœnas patientur parvuli.

R. 2°. Cum S. Bonav. *N. Cons.* Quia *etsi temporaliter puniri pro peccato originali sit justum, non tamen sequitur, quod æternaliter.*

145. *Observa.* Sententia hactenus propugnata satis se discernit ab errore *Pelagianorum,* qui tria complectebatur : 1um., parvulos non baptizatos carere omni peccato : 2um., sine baptismo eosdem decedentes ad nullam damnationem pertinere : 3um., quinimo eos vitam æternam obtinere, qua ad minimum et juxta communiorem intellexere beatitudinem naturalem. Quantum autem a triplici hoc dogmate Doctores Catholici omnes abhorreant, nosque recesserimus, ex dictis liquet.

Quæres : *An parvuli sine baptismo decedentes patiantur internum animi dolorem ob privationem beatitudinis?*

146. R. Parvuli hujusmodi tristantur de privatione beatitudinis.

Prob. Ex auctoritate S. Aug. qui L. 6. contr. Julian. c. 10. n. 32. de his parvulis scribit : *Si hoc* (separari a regno cœlorum) *eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei? si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* L. 5. contr. eumdem c. 11. n. 44. ait, specialem pœnam futuram esse parvulis, separari a consortio *suorum parentum ;* majorem igitur pœnam habebunt, ex quo separati fuerint a fine suo ultimo et patria cœlesti. Item L. 3. cont. Julian c. 12. n. 25. asserit, parvulos *luctuoso puniendos exilio ;* si autem exules lugent, necessario tristabuntur. Ejusdem sententiæ est Fulgent., Greg. M. etc.

Conf. Supra ostensum est, parvulos nulla *felicitate* aut *quiete* fruituros : sed si nullo prorsus dolore nullaque tristitia corporis aut animi tangerentur, certe magna quiete fruerentur.

Prob. Ex Ratione. Tum quia naturale prorsus est dolere ob privationem boni nobis destinati vel debiti, quale pro parvulis est regnum cœlorum : tum quia parvuli cognoscent, amabunt et magni facient gloriam cœlestem; atque inde ejus privationem, hujusque causam non poterunt non ægre ferre.

Conf. Quia hactenus nulla solida ratio afferri potuit ab adversariis pro sua sententia. Non enim tenet 1°., quod infantes nunquam habituri sint *cognitionem* damni sustinendi; nam in die judicii saltem statum suum cognoscent, et ut probabilius est, eidem judicio assistentes videbunt, alios a peccato originali expiatos in cœlum evehi, se autem ab illo excludi ob idem peccatum. Cognitio autem beatitudinis tam parum vel requiritur vel desiderabitur in parvulis ad tristitiam, quam parum in *infidelibus adultis* ob peccata etiam personalia damnatis necessaria erit ad tristitiam concipiendam, aut deficiet. Nec 2°., quod parvuli non habuerint facultatem ad gloriam ; *remotam* enim illis facultatem in Adamo, et hinc quoddam quasi jus ad gloriam nemo certe negabit. Nec 3°., quod parvuli cognituri sint, se non propria sed *aliena culpa* illo bono excidisse; nam experientia docet, homines etiam de damno ex alterius culpa dato non minus, ac interdum multo magis dolere : aut lenire quidem illud dolorem potest, tristitiam tamen penitus non aufert. Nec 4°., quod cogitatio *damnationis,* quam evase-

rint parvuli, impediat tristitiam orituram ex consideratione amissæ beatitudinis; hæc enim cogitatio temperare quidem, non impedire poterit tristitiam in eo, qui desiderat utrumque, et evadere malum et adipisci bonum; præsertim cum gloria cœlestis multo æstimabilior sit præ liberatione a tormentis inferni. Nec 5°., quod partim ex prudentia et *rectitudine voluntatis parvulorum* se voluntati divinæ conformantium, partim ex *providentia Dei* suum concursum negantis accidat, ne illi tristitiam sentiant, aut ullum de amissa beatitudine dolorem; etenim præterquam quod hæc gratis et sine fundamento dicuntur, 1um. tristitiam similem nequidem impedit in animabus a purgatorio detentis, quantumlibet illæ videntur longe perfectius se divinæ ordinationi subjicere : 2um. vix credibile videtur, eo quod nihil sit, quod Deum munificum adeo ac liberalem fore persuadeat erga peccatores sibi invisos, iræ filios, et propter labem originalem damnatos.

Nec dicas : Parum nos constanter agere, qui hic auctoritatem S. Augustini appellemus, quem priori articulo negleximus : quin turpe esse, recedere nunc a S. Greg. Nysseno, cujus testimonium num. 141. laudatum in confirmationem nostræ sententiæ nuper adduximus.

R. Magnam quidem S. Augustini auctoritatem esse, non tamen irrefragabilem ; Item SS. Patrum testimonia nonnisi unanimia locum theologicum præstare, alibi ostendimus; unde, si iidem inter se divisi sint, partem unam sine alterius vilipensione sectari licet, quæ gravioribus fundamentis nititur. Cujus rei ipse nobis S. Aug. documentum præbuit, dum ep. 19. ad Hier. ita scripsit : *Ego enim fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Atque hoc ipsum in postremis quæstionibus circa S. Aug. observavimus. Porro vim verbis Nysseni non facimus, si dicamus eum de mœstitia loqui, quæ non ex pœna damni, sed ex pœna sensus consequitur.

DISPUTATIO IV.

DE GRATIA UNIVERSIM.

CAPUT I.

DE GRATIA ET DIVERSIS NATURÆ STATIBUS.

—

ARTICULUS I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT GRATIA DIVINA?

147. *Nota.* Gratiæ notio varie accipitur : 1°. Pro elegantia tum oris, tum sermonis; sic Prov. 31. v. 30. dicitur : *Fallax gratia et vana est pulchritudo.* Luc. 4. v. 22. *Mirabantur in verbis gratiæ,* h. e. suavitatem ac vim verborum. 2°. Pro favore, amore vel benevolentia, qua quis alteri acceptus est; sic dicuntur *invenisse gratiam* Gen. 39. v. 4. *Joseph coram Domino suo,* et Luc. 1. v. 30. *Maria apud Deum.* 3°. Pro gratitudine et gratiarum actione; sic 2. Reg. 2. v. 6. David ait : *Ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud,* et ad Coloss. 3. v. 16. *In gratia cantantes in cordibus vestris.* Sed hæ acceptiones sunt impropriæ. 4°. Pro dono gratuito, nec personæ nec naturæ debito; ad Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et c. 11. v. 6. *Si gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* Et de hac nobis sermo est, sumpta non pro quolibet dono gratuito, etiam ordinis duntaxat naturalis, sed magis proprie pro dono supernaturali. Hinc

148. *Dico I.* Gratia divina est *donum supernaturale absolute indebitum, gratis concessum a Deo creaturæ rationali, pertinens aliquo modo ad vitam æternam.* Ita fere Catholici omnes. Convenit autem hæc descriptio gratiæ *omni,* tum internæ, tum externæ, tum aliis quibuscumque : convenit etiam gratiæ *soli,* de qua hic disputamus.

Dicitur *donum;* quæ vox dilectionis divinæ erga hominem effectum significat.

Supernaturale; intellige tam philosophice, quam theologice tale : ex quo capite excluduntur tum gratiæ naturalis ordinis, tum etiam ordinis supernaturalis, quæ ad Deum tanquam gratiæ et gloriæ auctorem relationem non dicunt.

Absolute indebitum; quibus vocibus excluditur quidem omne debitum

naturæ et personæ naturaliter agentis; non tamen debitum naturæ ut elevatæ et personæ ex et cum gratia agentis : cujusmodi debitum homo ex operibus in gratia factis habet ad gratiam aliam et visionem beatificam, quæ secundum S. Aug. gratia ex gratia vel pro gratia vocantur. Dicuntur tamen et hæ dona absolute indebita, quia in his deveniendum est ad aliquam gratiam primam, quæ sit prorsus indebita.

Gratis concessum; quæ particula amovet etiam debitum ex parte dantis, cum Deus nulla lege absolute teneatur et obligetur ad gratiam conferendam; sicut priores removerunt debitum ex parte recipientis.

A Deo; ut indicetur causa principalis efficiens talis doni, de qua Ps. 83. v. 12. dicitur : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.*

Creaturæ rationali; angelo scilicet et homini, qui sunt subjectum gratiæ capax.

Pertinens aliquo modo ad vitam æternam; causa enim finalis gratiæ hic assignata non est finis tantum ultimus seu *vita æterna,* sed et intermedius et proximus, nempe *opus salutare,* meritum de congruo aut de condigno, *justificatio, augmentum gratiæ* etc., quæ de se et ex natura sua disponunt ad felicitatem supernaturalem.

149. *Observa.* Sicut a causa efficiente sive Deo gratiam appellavimus *divinam,* ita plures a causa ejus meritoria illam vocant gratiam *Christi,* eamque distinguunt a gratia angelis et homini in statu innocentiæ atque ipsi Redemptori nostro data; unde et illam definiunt esse donum *homini lapso ex meritis Christi* concessum. Verum hoc ex sententia dependet, quam quis de motivo Incarnationis tenet.

150. *Dico II.* Gratia *ratione finis* dividitur in gratis datam et gratum facientem. *Gratis data* est donum supernaturale indebitum non in propriam recipientis, sed in aliorum salutem per se et primario ordinatum; sic autem dicitur vel per antonomasiam, cum de ea Christus diserte enuntiet Matth. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date :* vel per usurpationem generis pro specie ignobiliore; nam gratia gratis data ignobilior a S. Th. 1. 2. q. 3. a. 5. dicitur, quia ex se hominem Deo immediate non conjungit, nec gratum reddit. *Gratum faciens* est donum simile ad propriam recipientis salutem per se et primario ordinatum; per hanc enim homo efficitur Deo acceptus vel dispositive vel formaliter.

Species *gratiæ gratis datæ* novem, juxta communem Theologorum, recensentur a S. Paulo 1. ad Cor. 12. his verbis : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Ubi tres priores referuntur ad plenam rerum divinarum cognitionem : quatuor sequentes ad confirmandam doctrinam : duæ postremæ ad instructionem et doctrinæ expositionem; in quibus ternis habentur dotes et officia eorum, quibus gratia gratis data collata est, ut aliorum saluti docendo et persuadendo consulant.

Est autem *Sermo sapientiæ* specialis notitia et facultas ex altissimis fidei principiis eliciendi conclusiones.

Sermo scientiæ est specialis notitia et facultas mysteria fidei declarandi per adjumenta rerum humanarum et exempla.

Fides hic vel sumitur pro intelligentia insigni rerum divinarum, et tunc ordine priora dona præcedit : vel pro constanti fiducia in Deum, ad quidvis impetrandum et miracula patrandum, quæ vel supponit vel includit fidem Theologicam.

Gratia sanitatum est virtus curandi corpora, modo facultatem naturæ superante.

Operatio virtutum est facultas operandi alia miracula in fidei confirmationem.

Prophetia est gratia cognoscendi et prædicendi, quæ sunt a cognitione hominum remota.

Discretio spirituum est donum scrutandi corda, et distinguendi inter ea, quæ a Dei Spiritu aut a dæmone in via salutis aguntur.

Gratia linguarum est peritia multiplicis idiomatis cum facultate expedita proferendi verba.

Interpretatio sermonum est gratia intelligendi abstrusos verbi divini sensus, eosque secundum Dei revelantis mentem aliis declarandi.

151. *Dico III.* Gratia, nempe gratum faciens, *ratione modi existendi* dividitur 1°. in increatam et creatam. *Increata* non dicitur tantum illa, quæ ex parte principii sumitur, uti est amor Dei erga homines æternus : sed quæ etiam ex parte subjecti attenditur et donum est, sed increatum, quemadmodum *missio Verbi* in carne, et *Spiritus sancti,* a Scriptura et Patribus vocatur. *Creata* est donum a Deo distinctum ac creatum.

2°. In externam et internam. *Externa* extrinsecus hominem afficit, uti est prædicatio Evangelii, institutio Sacramentorum ; item incarnatio, passio, exemplum Christi etc. *Interna* in ipsa anima recipitur, qualis gratia sanctificans, habitus infusi, illustrationes Spiritus sancti etc.

3°. In gratiam intellectus et gratiam voluntatis. *Gratia intellectus* est interna mentis illustratio divinitus proponens intellectui vel verum supernaturale credendum, vel bonum supernaturale agendum. *Gratia voluntatis* est facta divinitus immediata motio, inclinatio, excitatio aut provocatio voluntatis ad aliquid supernaturale.

4°. In actualem et habitualem. *Actualis* est, quæ per modum actus seu motionis transeuntis conceditur. *Habitualis,* quæ confertur per modum habitus, seu qualitatis fixæ et permanentis. Hæc subdividitur in gratiam sanctificantem vel justificantem, virtutes infusas et dona Spiritus sancti. *Sanctificans* dicitur illa gratia, qua homo fit justus formaliter : *Virtus infusa* est quæ naturæ viribus acquiri nequit, sed a solo Deo infunditur, estque vel theologica vel moralis : *Donum Spiritus sancti* vocatur habitus supernaturalis, quo quis proprie disponitur, ut a S. Spiritu ad actionem quamdam præstantissimam sibi utilem eliciendam moveatur.

Septem numerantur hujusmodi, quorum tria, scilicet *donum sapientiæ, intellectus* et *scientiæ* ad facultatem intelligendi ; quatuor alia, nempe *donum consilii, pietatis, fortitudinis* et *timoris* ad voluntatem spectant.

152. *Dico IV.* Gratia, videlicet actualis, *ratione diversi respectus ad liberum consensum,* dividitur

1°. In gratiam excitantem et adjuvantem, quarum mentionem facit Trid. Sess. 6. c. 6. et Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 18. n. 31. Item in gratiam operantem et cooperantem, quarum ex Apostolo meminit Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 17. n. 23. Denique in gratiam prævenientem, comitantem et subsequentem, quas notat Trid. Sess. 6. c. 16. Gratia *excitans, operans* et *præveniens* consistit tum in illustratione intellectus, tum in voluntatis motione, quas Deus in nobis, physice quidem, non tamen moraliter et libere agentibus, atque hinc sine nobis excitat, ut bene velimus et bene agamus. *Adjuvans, cooperans* et *comitans* consistit in auxilio supernaturali, quo Deus nobiscum libere agentibus ad omnes et singulos actus supernaturales liberos concurrit et influit. Huc etiam ab aliis reducitur gratia *subsequens*; ab aliis autem constituitur in auxilio divino, quo ad opus externum perficiendum, et in bono proposito perseverandum indigemus.

2°. In gratiam sufficientem et efficacem. *Sufficiens* pure talis et ut efficaci opposita, est illa, quæ dat quidem posse operari, sed non ipsum operari, ex defectu nempe voluntatis illam habentis, non autem ex ipsius auxilii defectu. *Efficax* est, quæ dat posse simul et operari, suumque effectum semper certo et infallibiliter assequitur. Hinc vero subdivitur in efficacem ex se et ab intrinseco, et in efficacem ab extrinseco; quod si in circumstantiarum congruitate stet, gratia vocatur congrua : si in prævisione divina, efficax ab eventu dicitur.

ARTICULUS II.

QUID ET QUOTUPLEX SIT NATURÆ HUMANÆ STATUS?

153. *Nota.* Nomine *status* in Jure Civili significatur personæ conditio, prout est sui vel alterius juris : in Jure Canonico ratio vivendi cum certa quadam obligatione vel immobilitate : in Theologia morali vel idem significatur, vel modus existendi in peccato vel gratia : in Theologia Scholastica vocatur a Scoto *stabilis permanentia legibus divinæ Sapientiæ firmata.* Nomine *naturæ humanæ* intelligitur genus humanum secundum suam essentiam et facultates naturales. Per *essentiam* denotantur tum partes metaphysicæ, tum physicæ; per *facultates naturales,* naturaliter debitæ et competentes potentiæ, tum internæ tum externæ, spirituales item et materiales.

154. *Dico.* Status *naturæ* est certa conditio totius generis humani, seu modus se habendi in ordine ad finem ultimum secundum divinæ Providentiæ legem. Hinc 1°. extrinsece connotat legem et ordinationem Dei ad finem ultimum : 2°. intrinsece importat vel accidentia et dispositiones, quibus homo ad eum finem consequendum juvatur; vel saltem circumstantias, quibus ab illius assecutione impeditur. Multiplex discernitur : videlicet

Status naturæ puræ, præter extrinsecum connotatum status naturæ universim descriptæ, dicit duplicem carentiam : *primam* peccati; quia homo in puris naturalibus creatus consideratur sine peccato : *secundam* gratiæ et donorum supernaturalium, atque etiam gratuitarum perfectionum; unde ejusmodi homo foret subjectus naturæ humanæ infirmitatibus, quibus nunc

subjacemus, neque ordinaretur ad visionem Dei intuitivam et supernaturalem, sed solum abstractivam et naturalem.

Status naturæ integræ nihil differt a priori, nisi quod specialem perfectionem sive naturalem sive supernaturalem, sive ab intrinseco sive ab extrinseco habeat, quæ in perfecta subjectione appetitus sensitivi ad rationem consistit, ita ut pars inferior contra superiorem moveri, aut rationem prævenire non permittatur. Quamvis enim *donum integritatis* sæpius magis diffusum et uberius sumatur, in assignata tamen perfectione præcise consistit, quatenus *naturæ puræ* integra opponitur.

Status naturæ elevatæ in eo superat naturam puram, quod dicat ordinationem ad beatitudinem supernaturalem; et consequenter gratias ac dona supernaturalia connotat, quæ ad eam disponunt aut requiruntur.

Status naturæ innocentis, seu originalis justitiæ, præter donum integritatis et elevationis includit duo alia; *primum,* gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis : *secundum,* immunitatem a morte, morbis reliquisque vitæ humanæ infirmitatibus ac miseriis per auxilium supernaturale vel naturale.

Status naturæ lapsæ, prout præcise opponitur statibus naturæ *puræ, integræ* et *elevatæ,* importat naturam obnoxiam peccato et peccati pœnis : prout autem opponitur *justitiæ originali,* et inductus est per peccatum Adami, dicit hominem reum culpæ, privatum gratia, subjectum rebellioni concupiscentiæ, morti, cæterisque vitæ hujus miseriis, tanquam statutis peccato pœnis. His accedunt etiam habitus vitiosi ex frequentatione peccatorum vel propria vel aliena progenitorum contracti, aliaque, ex quibus difficultas opera honesta exercendi oritur.

Status naturæ reparatæ, nempe *per Christum,* est, in quo per merita Christi liberamur a noxa peccati originalis cæterisque actualibus, restituimur gratiæ sanctificanti, et primævo illi juri ad æternam felicitatem; sic tamen, ut non omnia per peccatum Adami inflicta vulnera sanentur, sed omnes fere pœnalitates in nobis remaneant ad exercitium virtutis.

155. *Observa.* Status tres *priores* nec unquam extiterunt, nec nunc existunt; tres *posteriores* autem vel extiterunt, vel existunt. Fuit enim Adamus in statu *justitiæ originalis* : in statu naturæ *lapsæ* nascuntur omnes Adami posteri, et manent ante baptismum : demum in statu naturæ *reparatæ* sunt omnes homines per Christi merita redempti. Quæ quamvis apud Catholicos certa sint, disputatur tamen de statu justitiæ originalis cum *hæreticis* : cum iisdem est controversia de possibilitate status naturæ puræ : denique nec *Catholici* quidem consentiunt circa quæstionem : utrum natura lapsa debilior sit, quam fuisset natura pura.

ARTICULUS III.

AN ADAMUS IN STATU JUSTITIÆ ORIGINALIS FUERIT CONDITUS?

156. *Nota. Pelagius,* apud S. Aug. L. 2. de grat. Christi et de pecc. orig. c. 13. sic ait : *Infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo fuit Adam ante prævaricationem;* quibus verbis non tantum negavit peccatum originale, qui capitalis illius error est, sed negavit Adamo gratiam, eumque

rebellioni concupiscentiæ, doloribus, morbis, ipsique morti obnoxium statuit, cum nos sine gratia et illis miseriis subjecti nascamur; qua in opinione his etiam temporibus sectatores habet *Socinianos*. Duplex autem quæstio est: 1ª. An Adamus habuerit unquam justitiam originalem? 2ª. An illam primo instanti acceperit, seu in statu justitiæ originalis sit conditus seu creatus? Circa illam conspirant omnes Catholici : circa hanc, teste Suarez, nonnulli etiam Catholici a communiore sententia abeunt.

157. *Dico I.* Adamus habuit justitiam originalem. Est de fide, ex Trident. Sess. 5. Can. 1.

Prob. Justitia originalis potissimum includit gratiam sanctificantem, subjectionem appetitus, immortalitatem corporis, et immunitatem a reliquis vitæ miseriis. Hæc vero omnia Adamo concessa fuerunt; ergo.

Prob. 1ª. *p. min.* Eccl. 7. v. 30. dicitur : Fecit *Deus hominem rectum* : porro juxta Scripturæ phrasin nemo, nisi justus et in gratia Dei constitutus, dicitur simpliciter rectus, ut colligitur ex Job. 4. v. 7. et Ps. 7. v. 11. Item ad Eph. 4. v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Unde S. Aug. L. de Corr. et gr. c. 11. n. 29. *Quid ergo, Adam non habuit gratiam? imo vero habuit magnam* : et n. 32. *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum.* Per bonam vero voluntatem sæpe ab Aug. intelligi charitatem alibi dicetur.

Prob. 2ª. *p.* Ex S. Paulo ad Rom. 7. et Trid. Sess. 5. Can. 5. habetur, rebellionem concupiscentiæ in homine ortam esse ex peccato Adami; ergo ante peccatum non dabatur illa rebellio. Confirmat hoc S. Aug. L. 4. contr. Julian. cap. ult. n. 82. ita scribens : *Gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat.* Et apertius L. 2. de pecc. mer. c. 22.

Prob. 3ª. *p.* Sap. 2. v. 23. dicitur : *Deus creavit hominem inexterminabilem..... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Item ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.* Unde Conc. Carthag. an. 418. celebratum Can. 1. ita decernit (Labb. t. 2. p. 163. E.) : *Placuit..... ut quicumque dixerit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut, sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit...* Cui consentit Araus. II. et Trid. Sess. 5. Can. 1. et S. Aug. L. 6. de Genes. ad litt. c. 25.

Prob. 4ª. *p.* Ex Genes. 3., ubi et dolores partus Evæ, et labor ac fatigatio Adami tanquam pœnæ peccati imponuntur; immunitatem autem ab his malis tum L. 5. contr. Jul. c. 5., tum maxime L. 14. de Civ. Dei c. 26. S. Aug. explicat : *Vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur intrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio etc.*

158. *Dico II.* Probabilius etiam Adam *creatus* est in justitia originali.

Prob. Ex iisdem argumentis, quæ allata sunt pro parte prima asserti prioris; quo etiam pertinet textus ex L. Sap. cit. in prob. partis tertiæ.

Conf. S. Aug. passim asserit, Deum se erga primos parentes gessisse, sicut se gessit erga angelos. Sed hi creati sunt cum amore casto, h. e. gratia sanctificante, ut scribit L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. *Eos* (angelos) *cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit* (Deus), *simul eis et condens naturam et largiens gratiam*; ergo.

159. *Obj. cont.* 1um. Vix intelligi potest, qua ratione Adam peccaverit, si tam perfectus, justus et innocens fuerit. *Conf.* 1. Textus Geneseos aliique de morte Adami debent intelligi de morte animæ, non autem de morte corporis, ut illa verba Christi Matth. 8. et Luc. 9. *Dimitte mortuos sepelire mortuos. Conf.* 2. Plures Patres dicunt Adamum ante peccatum non fuisse immortalem.

R. Intellecta libertate Adami, et gratia ejus, tanquam non necessitante, cognita, concipi facile potest, qui peccare potuerit.

Ad Conf. 1am. De morte, cujus in Genesi mentio facta, S. Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 2. Pelagianis respondet : *Quid ergo respondebunt, cum legitur, hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando et damnando dixisse: Terra es, et in terram ibis? neque enim secundum animam, sed quod manifestum est, secundum corpus terra erat, et morte ejusdem corporis erat iturus in terram.*

Ad Conf. 2am. R. Patres solum voluisse, quod Adam non habuerit immortalitatem *naturalem*, neque etiam gratuitam illam, quæ gloriosis corporibus tribuitur.

160. *Obj. cont.* 2um. SS. Patres negant Adamum in primo creationis instanti jam fuisse justitia originali donatum. Nam Cypr. epist. 74. ad Pompeium n. 7. probaturus, quod sanctificatio per baptismum debeat tempore præcedere plenitudinem Spiritus sancti obtinendam per Confirmationem, id ostendit ab exemplo Adami, de quo ait : *Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ.* Similiter Greg. Nyss. or. 1. in hæc verba : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram,* dicit Adamum esse prius factum ad imaginem secundum naturalia, post ad similitudinem secundum supernaturalia.

R. *N. Ass. Ad Prob. D.* Dicitur Adamus ante plasmatus et prius ad imaginem secundum naturalia factus, quam insufflaretur, aut ad similitudinem secundum supernaturalia fieret, intelligendo utrobique prioritatem temporis *N.* prioritatem tantum naturæ *C.* S. Cyprianus enim non facit vim in ordine temporis, sed declarat duntaxat ordinem præsuppositionis, seu distinctionem inter actiones, quarum una supponit effectum alterius. Neque distinctio quæcumque, olim ex Nysseno inter imaginem et similitudinem a veteribus nonnullis asserta, temporis distantiam exigit.

Inst. Idem pluribus exponit S. Aug. Nam L. 13. de Civ. c. 24. dicit Adamum factum esse in *animam viventem*, non autem in *spiritum vivificantem*, h. e. accepisse vitam rationalem, non autem gratiæ. L. 2. de Genesi cont. Manich. c. 8. n. 10. ait eumdem non *fuisse effectum spiritualem*, h. e. gratia donatum, nisi postquam in paradisum translatus fuit. L. de Corr. et gr.

c. 10. n. 27. docet vitam angelorum et hominum ita esse a Deo ordinatam; *ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium : deinde quid posset suæ gratiæ beneficium.*

R. In *primo loco* differentia hæc assignata est a S. Doctore tum ad ostendendum, quod per *animam viventem* in L. Genes. non intelligatur Spiritus sanctus, ut sub initium Capitis legitur : tum ad explicandum, quod *spiritus vivificantis* nomine non intelligatur gratia sanctificans, sed conditio corporis immortalis et gloriosi, ut ex eod. Cap. sub finem habetur.

Secundo loco spiritualis perfectio non sumitur pro sola justitia originali, sed pro *omnimoda felicitate* status innocentiæ, qua Adam ante sui translationem in paradisum non est potitus.

Tertio loco sane non spectatur angelus et homo gratia destitutus, sed duntaxat non ornatus *gratia perseverantiæ,* quæ nunc homini prædestinato a Deo conceditur : quin, cum liberum arbitrium ad servandum salutariter præceptum haberi nequeat sine gratiæ adjutorio, sicut illud in textu allato diserte asseritur, sic hoc omnino ibidem supponitur.

Quæres : *An justitia originalis homini sit naturalis ?*

161. *Nota.* Catholicorum concors ad hæc usque tempora sententia fuit negativa : affirmativam docuerunt *Lutherus* in c. 3. Geneseos, *Calvinus* L. 1. Instit. c. 15. *Baius* in propositionibus pluribus damnatis, quarum in hac materia quasi compendium præfert propositio 26. : *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Baium secutus est *Jansenius* L. 1. de statu nat. pur. c. 15. 16. 17. docens, gratiam Adami fuisse sequelam creationis debitam naturæ sanæ et innocenti; in quo sectatores habet *Jansenianos* omnes, et inter hos *Quesnellum* præsertim propositionibus 35. et 37. in bulla *Unigenitus* damnatis. Contra quos

162. R. I. Justitia originalis, seu gratia sanctificans, nullatenus potest dici naturalis aut homini debita : Patet ex propositionibus Baii damnatis 21. *Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis :* item 23. et 24. Quesnelli 35. *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ.* 37. *Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata* etc.

Prob. I. Scriptura passim gratiam præcipue sanctificantem agnoscit tanquam beneficium naturam superans. Sic Ps. 8. v. 5. dicitur : *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.* 2. Petr. 1. v. 4. *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Et 1. Joann. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

Conf. Ex Patribus : S. Basil. L. de Spiritu sancto ad Amphil. c. 16. n. 18. : *Sanctificatio autem non est absque Spiritu. Neque enim cœlorum virtutes suapte natura sanctæ sunt; alioquin nihil differrent a Spiritu sancto : sed... a Spiritu habent sanctificationis mensuram.*

S. Joann. Chrys. in Gen. hom. 15. n. 4. : *Erant ambo nudi et non erubescebant. Peccato enim et prævaricatione nondum præsente, gloria, quæ superne venerat, vestiti erant.*

S. Cyrill. Alex. in Joann. L. 1. c. 9. (opp. t. 4. p. 75.) : *Facit profecto misericordias Dominus, qui res parvas et abjectas, si naturæ cujusque ratio spectetur, magnas atque mirabiles efficit..... quippe qui suis nos cumulare donis voluit ut Deus, atque idcirco Deos et Lucem appellavit.*

S. Aug. de Civit. Dei L. 12. c. 9. supr. (n. 158.) cit.

Ita etiam Cypr., Athan., Greg. Nazianz., Ambros., aliique, quos referunt Bellarm. L. de Grat. primi hom. c. 6. et Ripalda t. 3. L. 1. Disp. 8. sect. 3. etc.

Prob. II. Gratia proprie dicta est donum gratuitum, excludens omne meritum : sed justitia originalis seu gratia sanctificans vera est gratia, ut *Jansenius* L. 1. de statu nat. pur. c. ult. fatetur; ergo. *Item* : Possibilia sunt dona supernaturalia et stricte gratuita, et ejusmodi sunt illa, quæ hominem reddunt Dei filium, divinitatis consortem, et deiformem : sed Adam per originalem justitiam ad dignitatem talem evectus est, ut Patres passim loquuntur; ergo.

Conf. Nec *Baius* nec *Jansenius* discrepant in hoc errore a *Luthero* et *Calvino,* ut tamen ostendere conantur. Hi enim non adeo insani erant, ut dicerent gratiam sanctificantem esse *partem* naturæ humanæ aut *proprietatem* inseparabilem ; cum eam ab homine amissam faterentur. Ergo illi non possunt se ab his distinguere dicendo, gratiam sanctificantem pertinere ad integritatem et sanitatem naturæ; cum nec Hæretici illi aliter *naturale debitum* justitiæ originalis assertum explicare potuerint.

Nec obstant testimonia ex S. Augustino afferri solita. Nam 1°. dum L. 11. de Civ. c. 9. et 17., L. 12. c. 1. et in Enchir. c. 11. privationem justitiæ originalis dixit *vitium naturæ et privationem naturalium* ; admisit quidem justitiam originalem esse homini naturalem latiori modo, non autem proprie et stricte, cum similiter L. de prædest. Sanct. c. 5. dicat *habere fidem et charitatem esse naturæ hominum* etiam in statu naturæ lapsæ, alias vero L. 12. de Civ. c. 9. alibique manifeste distinguat naturam a gratia.

2°. Dum L. de Correpl. et grat. c. 10. n. 28. et in Enchir. c. 106. asserit, beatitudinem æternam primo homini futuram fuisse *mercedem meriti,* nunc autem post peccatum nobis esse *donum gratiæ*; imprimis nec negavit fuisse concessam gratiam primo homini, nec ejus meritum fuisse futurum sine gratia, ut patet ex L. de Corr. et gr. c. 11. n. 31. *Nec ipsum Deus voluit esse sine gratia sua... Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et ex Enchir. loc. cit. *Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset.* Deinde post lapsum naturæ æternam vitam etiam docuit esse mercedem, ep. 105. (al. 194. n. 20.) ad Sixtum ita scribens : *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Denique singulares causæ, cur post peccatum beatitudinem dixerit donum gratiæ, erant; tum quia major moraliter gratia exhibetur : tum quia vires physice majores requiruntur nunc ad beatitudinem consequendam.

3°. Dum L. 1. Op. imperf. cont. Jul. docet, æquitatem Dei non ferre, ut parvulo innocenti negetur *adoptio,* tanquam illi *debita*; loquitur ex suppo-

sitione naturæ elevatæ, in quâ nullum est medium inter peccatum et sanctitatem seu adoptionem filiorum Dei : atque hinc arguit contra *Pelagianos*, parvulos, si peccatum non haberent, sine baptismo decedentes tanquam filios adoptivos possessuros hæreditatem cœlestem, baptismum etiam fore frustraneum.

163. R. II. Nec obedientia appetitus sensitivi ad rationem est naturalis homini et debita. Patet ex propositionibus Baii damnatis, 26. : *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*; etc.

Prob. Naturale est homini, ut *animal* est, concupiscere bonum sensibile ; et naturale est eidem, ut *rationalis* est, concupiscere bonum spirituale. Sed si duo isti appetitus sibi ipsis relinquantur, non potest non oriri lucta inter utrumque et rebellio appetitus sensitivi contra rationem ; quia impossibile est, ut inter tot objecta delectabilia sensibus occurrentia non sint plura spirituali bono opposita, nec appetitus sensitivus in hæc bona feratur. Ergo hæc lucta et rebellio est naturalis, et obedientia indebita.

Conf. a priori. Si voluntas *suapte natura* posset sibi subdere appetitum sensitivum, id deberet facere vel impediendo, ne motus inordinati surgant, vel extinguendo eos, postquam surrexerint, vel etiam persistentes sopiendo, ne ad objecta vetita animum inclinent ac ferant. Sed nullo ex his modo potest voluntas id præstare virtute naturali, ut patet; ergo.

Conf. a posteriori. Rebellio universalis non est contracta post peccatum ex nativa et *directa* virtute peccati ; quia sicut olim ex Adami peccato in specie tantum intemperantiæ commisso orta fuisset inclinatio ad omne genus objecti delectabilis, sic etiam de facto ex unico peccato specifico personali commisso illa inclinatio generalis augeretur et cresceret; quod falsitatis ab experientia convincitur. Ergo *indirecte* tantum ex virtute peccati, scilicet removente donum justitiæ originalis motus inordinatos frænantis : directe autem ex ipsa naturæ humanæ conditione oritur rebellio universalis.

Conf. Auctoritate S. Augustini, qui rebellionem eamdem revocat ad amissionem gratiæ, et obedientiam tribuit speciali dono, ut patet ex L. 13. de Civ. c. 13. *Postquam præcepti transgressio facta est, gratia deserente divina, de suorum corporum nuditate confusi sunt.* Item L. 4. contr. Jul. et L. 3. de pecc. mer.

164. R. III. Nec immortalitas corporis, nec immunitas a vitæ miseriis fuit homini debita et naturalis. Patet ex propositionibus Baii damnatis 79. : *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.* 72. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job et Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.* Item 26. et 73.

Prob. 1ª. *p.* Natura humana, quia *corpore* constat, componitur ex intrinsecis principiis jugiter adversum se colluctantibus, subjecta est continuæ passioni et reactioni ciborum ac potus, est alterabilis ab extrinsecis cau-

sis etc.; ergo, quia hæc omnia, seclusa speciali et miraculosa providentia, necessario inducunt mortem, suapte mortalis est.

Conf. Ex S. Aug. L. 13. de Civ. c. 20. *Qui status* (immortalitatis) *eis de ligno vitæ, quod in medio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur.* Et L. 1. de pecc. mer. c. 3., ubi statum immortalitatis primorum parentum comparat cum incorruptibilitate *vestium* et *calceorum*, quam Israelitæ in deserto experti sunt : item cum *Enochi* et *Eliæ* immunitate a morte; quorum neutrum ex natura rei, sed miraculoso Dei beneficio evenit.

Prob. 2ª. *p.* Tum quia si homini non est debita immunitas a concupiscentiæ rebellione et morte corporis, multo minus illi debetur immunitas a reliquis malis corporeis : tum quia natura humana ex propria conditione sensitiva est et corporea, adeoque obnoxia externis agentium naturalium et liberorum impressionibus ; hæc autem necessario nonnunquam sensibus molestiam inferunt.

Conf. Fundamentum contrarii erroris est, quod *hominis afflictio* non possit contingere sine peccati merito. Sed hoc esse falsum patet tum ex Scriptura et Patribus, qui docent plures alios, quam ultionis, fines haberi afflictionum a Deo etiam infantibus immissarum; quales sunt *exercitatio justitiæ* et *meritum gloriæ*, quam homines in adulta ætate ex his molestiis haurire possunt : *utilitas objectiva* tum ipsius patientis, tum aliorum hominum, quibus humanæ miseriæ consideratio prodesse potest : *adimpletio muneris causæ primæ, recta ordinatio* et *pulchritudo providentiæ* dispensantis omnia in pondere et mensura secundum singularum rerum naturas etc. Hos fines plerosque attigit S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 23. assertaque ibidem contra Manichæos sibi postmodum adhuc probari scripsit L. de dono persever. c. 12. et L. 1. Retract. c. 9.

Nec obstat contr. 1ᵘᵐ. Quod 1ᵒ. Conc. Araus. II. Can. 2. dicat eum *injustitiam dare Deo,* qui putat, mortem non esse pœnam peccati, et Adamum moriturum fuisse, quamvis non peccaret. 2ᵒ. Quod Conc. Carth. Can. 1. (Labb. t. 1. p. 1663. E.) et S. Aug. L. 13. de Civ. c. 15. pronuntiet, *ipsam nobis corporis mortem non lege naturæ... sed merito inflictam esse peccati.* 3ᵒ. Quod homo innata inclinatione expetat beatitudinem, hæc autem cum debeat esse æterna, pugnet cum morte. Nam

Ad 1ᵘᵐ. R. Injustitia hæc non fundatur in jure naturali hominis innocentis ad immortalitatem corporis, sed in *gratuita Dei promissione* de illa conservanda homini non peccanti, utpote quæ jus qualecumque tribuit, ut durante conditione innocentiæ Deus non violet immunitatem a morte, homini innocenti promissam. Unde etiam patet, non ex conditione suæ naturæ, sed ex promisso Dei beneficio Adamum, si non peccasset, non fuisse moriturum.

Ad 2ᵘᵐ. R. Conc. Araus et Carthag. æque ac S. Augustini mens vera fuit, mortem *de facto* non ex lege naturæ, sed ex merito solo peccati contingere; quia quamvis homo ex natura sua sit mortalis, Deus legem naturalem dispensans stabiliverat, ut homo a morte immunis foret, dum per peccatum ab hoc beneficio non excideret.

Ad 3ᵘᵐ. R. Homo naturali inclinatione expetit beatitudinem, sed naturali

Dei providentia possibilem, consequenter anima a corpore separata, solum possidendam; unde immortalitatem corporis homini indebitam patet.

Nec obstat cont. 2um. 1°. Quod sit contra *legem æternam* Dei et ordinem universitatis, ut miseriæ homini accidant sine prævia culpa, ut docet S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 9. n. 25. 26., et L. 1. ibid. c. 6. n. 15., ac in Ps. 38., et L. 7. Conf. c. 3.

R. Hæc tantum tenere, et asseri a S. Aug., si miseriæ humanæ sumantur ut pœnæ et vindictæ *formaliter,* non autem si præcise spectentur ut afflictiones vel cruciatus.

Nec obstat 2°. Quod lædatur *divina providentia,* si homo absque culpa prematur jugo afflictionum temporalium, ut docet S. Aug. L. 1. de lib. arb. c. 1. n. 1., L. 3. ibid. c. 18. n. 51., L. 4. cont. Jul. c. 16. n. 83.

R. Hæc asseri a S. Aug., dum loquitur vel de pœna æterna, vel de afflictionibus *formaliter* pœnalibus, vel de providentia præsenti, qua Deus mala corporea a prima hominis institutione gratuito ablegavit et ablegare decrevit, donec ea peccato mereremur.

Nec obstat 3°. Quod, si homo absque peccato cruciatur, violetur *justitia divina,* ut S. August. docet generatim. L. 2. cont. Jul. c. 10., L. 6. c. 5., et passim L. 1. et 2. Op. imperf.; speciatim vero L. 2. cont. Jul. c. 4. 5. 6. 9., item L. de pecc. orig. c. 13.

R. S. Aug. arguere hic contra *Pelagianos* ex supposito a se probato, quod parvuli ex prima conditione sua sint omnis mali corporei expertes, siquidem natura humana condita fuit sine subjectione ad corporales miserias; unde sic recte argumentabatur: Parvuli ex prima conditione et legibus ipsi annexis non possunt innocentes affligi absque injustitia Dei: per te, *Juliane,* innocentes sunt, et plurimis tamen malis affliguntur; ergo eorum afflictio est injusta. Hoc vero argumentum contra nos non tenere ex ipso quæstionis statu patet.

Nec obstat 4°. Quod similiter sequatur, *clementiam divinam* destrui aut imminui; ut S. Aug. indicat contr. Fortunat. Manich. Disp. 1. et 2., L. 22. cont. Faust. c. 22. et in Ps. 134.

R. Crudelitatem Deo impingere *Manichæos* his in locis docet S. Aug. ex multiplici ratione; tum quia illi inter miserias, quibus animas innocentes subjici a Deo dicebant, numerabant peccatum: tum quia statuebant, animas a Deo destinatas æternis cruciatibus; tum quia causam immittendi miserias etiam humanas non revocabant ad Dei gloriam et animarum utilitatem, sed in vanam quamdam cautionem mali Deo imminentis ex gente tenebrarum; ut proin Deus homines tantum, ut miseri essent, affligeret.

ARTICULUS IV.

AN POSSIBILIS SIT STATUS NATURÆ PURÆ?

165. *Nota I.* Tres omnino in partes divisi sunt, qui de statu naturæ puræ aliquid enuntiarunt. Ad 1am. pertinent *Pelagiani,* qui non tantum possibilem hunc statum, sed reipsa etiam existere ac extitisse docuerunt. Hunc vero errorem invicte repressit S. Aug. libris præsertim contra *Julianum.*

Ad 2am, spectant, qui eum nec extitisse unquam, nec possibilem statuunt.

Inter hos *Lutherus* in L. 3. Genes. dixit, justitiam originalem homini tam naturalem esse, ac naturale est oculo, ut videat lumen. *Calvinus* L. 1. Instit. c. 15. §. 1. et L. 2. c. 1. §. 6. eamdem repetit ex attributis Dei : similis sensus fuit *Baii* in pluribus propositionibus ea de re damnatis; a quo non dissensit *Jansenius,* quamvis vocabula mutarit. Nec alia, quam quæ *Iprensis* præformavit, argumenta afferunt Catholici quidam Doctores, qui salva, quam Ecclesiæ debent, reverentia, conantur statum memoratum inter impossibilia rejicere.

3am. maximamque conflant reliqui Catholici, existentiam quidem negantes, sed passim asserentes hujus status possibilitatem ; quamvis nonnulla sit inter eos adhuc dissensio tum ex parte virium naturæ puræ, tum ex parte auxilii naturalis illi naturæ debiti.

166. *Dico.* Status *naturæ puræ* est possibilis, et nulla ex parte repugnat. Patet ex propositionibus Baii damnatis 21. 26. 55. 78. et 79. etc.

Prob. Possibilem esse statum *naturæ puræ* est, creari posse hominem cum perfectione sua *essentiali* omnibusque facultatibus et accidentibus *connaturalibus,* atque concursu divinæ providentiæ naturaliter illis debito; ac præterea sine *bono* vel *malo* naturæ superaddito, h. e. sine elevatione ad beatitudinem supernaturalem donisque supernaturalibus ex una parte, ex altera autem etiam sine peccato originali vel alio, pœnisque ei debitis et præternaturalibus. Atqui hominem sic creari posse non repugnat; ergo.

Prob. min. Hominem sic creari non repugnat ex parte *status*; quia in eo habetur omne, quod ad naturam humanam pertinet; nihil adest turpe, inhonestum aut vitii; nihil deesset, nisi gratuitum et indebitum : nec ex parte *hominis* ; quia capax est ex nativis et intrinsecis suis principiis non minus doloris et tristitiæ ac gaudii et voluptatis ; absente gratia et elevatione non habet defectum alicujus debiti et naturalis; gauderet naturali suo judicio, libertate aliisque facultatibus, quibus posset se ipsum excolere et debitum finem assequi : nec ex parte *Dei* ; quia non repugnat ulli divino attributo.

Conf. S. Aug. agens contra *Manichæos* et Deum liberaturus ab eorum blasphemia, qua illi creatorem tanquam auctorem mali vituperant ob *ignorantiam* et difficultatem seu *concupiscentiam,* quibus subjicimur, quatuor supponit modos, quibus animæ produci et corporibus uniri possunt, quin Deus creator esset auctor peccati aut vituperandus : 1us. est, si ex anima peccatrice reliquæ omnes per traducem descenderent : 2us. si ante peccatum præcedens singulæ animæ crearentur et unirentur corpori : 3us. si omnes animæ prius alibi existentes mitterentur ad informanda corpora : 4us. si ad eadem sponte sua delaberentur.

De secundo modo ita loquitur S. Doctor L. 3. de lib. arb. c. 20. n. 56. *Si ergo altera* (anima) *talis esse cœpit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat; quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus præcedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes : per quas et a difficultate cruciante et ab*

ignorantia cœcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium. Non enim ante omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori et quietem difficultati, ut ad hæc non nascendo, sed studendo perveniat.

167. Constat autem hanc hypothesin 1°. Esse eamdem cum statu *naturæ puræ*; 2°. Suppositam fuisse a S. Aug. tanquam possibilem, cum ea ad Manichæos refellendos eodem L. c. 22. n. 64. et c. 23. n. 68. utatur, illique vim magnam inesse alibi testetur: 3°. Nullatenus repugnare perfectionibus divinis; cum in ea haberet anima non parvum bonum, unde Conditori suo gratias ageret; se ipsam excolere ac virtutes acquirere posset; et ignorantia ac difficultas non forent supplicium peccati, sed proficiendi admonitio et perfectionis exordium, quæ ipsa verba sunt S. Doctoris.

168. *Excipit* Jansenius, et 1°. dicit (L. 3. de statu puræ nat. c. 19.), S. Augustinum retractasse, quæ scripserat loco laudato, cum ep. 28. (al. 166. n. 18.) ad Hier. de pœnis parvulorum, quarum præcipuæ sunt ignorantia et concupiscentia, hæc enuntiet: *Ego quidem... de pœnis parvulorum, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio: quod quale sit, et cur mihi in ista, quam habemus in manibus, quæstione non sufficiat, indicabo.*

R. Alia omnia ex ipso S. Aug. discimus; nam L. 1. Retract. c. 9. n. 6. ait: *Quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sit culpandus, sed potius laudandus esset Deus, sicut in eodem libro tertio* (de lib. arb.) *disputavimus.* Hoc ipsum repetit L. de dono persev. c. 11. n. 26; utrobique tamen addit, hanc disputationem valere contra *Manichæos,* non autem contra *Pelagianos,* licet utrique peccatum originale negarent, sed ex diversis principiis. Contra illos enim, qui Deum auctorem omnium malorum faciebant, et auctoritatem quidem Vet. Testamenti negabant, Novi autem testimonia eludebant, agendum erat variis rationibus et *hypothesibus,* ex quibus efficeret Deum non esse auctorem mali, quamvis ignorantia et difficultas essent naturæ primordia: contra hos autem qui ignorantiam, aliasque miserias naturæ primordia statuebant, ut eas negarent esse peccati pœnas, his armis uti non poterat, ideoque eos impugnat ex præsenti rerum statu ac ordine, atque ex Scripturis universis, quas *Pelagiani* admiserunt.

Unde ratio elucescit, quare verba superius relata ad Hier. scripserit; siquidem etiam ibidem unice contendit, quod ubi dixerat, *pœnas parvulorum* a Deo aliis bonis compensari, in statu præsenti intelligatur duntaxat de iis parvulis, qui vel martyrium pro Christo subeunt, vel baptismum obtinent.

2°. Dicit idem *Jansenius* (de stat. puræ nat. L. 3. c. 17.), hypothesin allatam esse diversam a statu *puræ naturæ;* tum quia supponit peccatum, ut patet ex L. 3. de lib. arbitr. c. 19. n. 54. ubi mentionem facit de peccato Adami: tum quia supponit gratiam, ut patet ex verbis c. 26. n. 56.: *Adjuvante creatore, seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere virtutes;* et ex doctrina ejusdem alibi sæpius data, quod concupiscentia et ignorantia nequeat vinci nisi gratia supernaturali.

R. *N. Ass.* cum utraque ratione. Patet enim ex verbis relatis: 1°. non

supponi hic peccatum, cum dicatur : *non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam;* et, *ignorantia ac difficultas essent primordia naturalia, non supplicium peccati.* Quod igitur de peccato Adami refertur, non ad hanc, sed aliam hypothesin pertinet. Neque 2°. supponi gratiam saltem *proprie* dictam et supernaturalem, ostendunt verba, queis dicitur anima ejusmodi *accipere naturale judicium,* h. e. dictamen rationis, *quo sapientiam præponat errori et quietem difficultati.* Hinc per *adjutorium creatoris, virtutes,* et quarum mentio c. 22. fit, *dilectionem* ac *beatitudinem,* intelliguntur auxilia, virtutes, amor et beatitudo (nisi hæc postrema referantur ad *tertium modum*) non supernaturalis, sed naturalis tantum ordinis. Quæ vero S. Aug. alibi de victoria concupiscentiæ dicit, alibi examinabuntur, nec ad hypothesin hic propositam, sed ad statum naturæ præsentem pertinent.

3°. Dicit (loco cit. c. 20.), eamdem hypothesin afferri, licet *falsa* esset et *impossibilis,* sicut eod. L. 3. de lib. arbitr. c. 16. n. 46. in hypothesi falsa, quod necessitemur ad peccandum, contendit S. Aug. nihilominus Deum esse laudandum.

R. Hypothesis data nec falsa est *ex se,* ut supr. ostensum, nec *falsa* et *impossibilis* est æstimata a S. Doctore; tum quia hoc nonnisi temere asseritur : tum quia ex ante dictis constat, eam omni ex parte possibilem ab eodem esse admissam : tum quia si hæc hypothesis fuisset æstimata impossibilis ratione repugnantiæ, scilicet cum æquitate divina, nec potuisset dici Deus in ea non culpandus, sed laudandus, nec S. Augustinus expedivisset se a difficultate *Manichæorum,* qui opponebant ignorantiam et difficultatem non posse nisi a malo principio oriri.

De alia hypothesi ex c. 16. allata discrimen est, quod hæc non tam hypothesis, sed *argumentum ad hominem* et dilemma conflatum ex hypothesi impossibili a Manichæis asserta, unde etiam absolute non asserit Deum in hac hypothesi esse laudandum, sed tantum concludit ex duobus principiis, quorum neutrum verum esse poterat, sed tamen alterutrum a *Manichæis* erat admittendum. Sic enim arguebat S. Aug. : In hypothesi naturalis necessitatis admissa, vel homo vituperari potest et culpari ut peccator, vel non : si *primum;* in tantum erit peccator, in quantum se avertit a creatore, atque adeo laudandus erit creator, a quo averti debet, qui vituperatur ut peccator : si *alterum;* jam homo non peccabit, et nihil erit, cur illius creator reprehendatur. In nostra vero hypothesi *absolute* et ex propria sententia affirmat Deum esse laudandum, neque id evincit ex falsis principiis, sed ex ipsa ignorantiæ ac difficultatis natura.

4°. Additur S. Doctorem revincere *Manichæos* ex illorum hypothesi, nihilque diserte addere de gratia supernaturali, quia illi cum Manichæis non erat controversia de gratia, sed de natura mali; quamvis cæteroquin illi certum fuerit, nec primum hominem nulla adversus se carnis pugna tentatum potuisse sine gratia in accepta justitia perseverare, ut liquet ex L. de don. persev. c. 12. n. 30. Et S. Thomas in Compend. Theol. c. 186. manifeste docet, non absque gratia Dei contineri posse inferiorem partem rationi rebellem.

R. *In primis* male dicitur hæc hypothesis fuisse propria *Manichæorum;* cum tertia et quarta hypothesis non minus eorum errori de malo rerum principio congruat, ac secunda; S. Aug. autem de omnibus quatuor, L. 3.

de lib. arb. c. 21. n. 59. dicat : *Harum quatuor de anima sententiarum..... nullam temere affirmare oportebit.* Idem *deinde* non ex allata tantum ratione nullam fecit mentionem gratiæ supernaturalis, sed quia existimabat non aliud auxilium nisi naturalis ordinis in ea hypothesi requiri, ut satis luculenter insinuat, dum animæ illi *naturale judicium et facultatem* tribuit, *qua seipsam excolat, et pio studio possit acquirere et capere virtutes.*

Quod *denique* S. Aug. alibi requirat *supernaturalem gratiam* ad perseverandum, non officit præsenti systemati; tum quod in alio naturæ statu non tantum supernaturalis gratia quæcumque, sed plane singularis requiratur : tum quod hic non examinetur, quodnam auxilium postuletur ad statum *naturæ puræ* penitus consummandum, sed constituendum duntaxat in ejus ortu; unde S. Doctor de lib. arb. L. 3. c. 20. n. 56. ait : *Quanquam enim in ignorantia et difficultate* anima *nata sit, non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur.* Posset autem in data hypothesi saltem ad perseverantiam admitti auxilium *philosophice* supernaturale et quoad modum.

Laudata D. Thomæ auctoritas *postremo* nihil quoque evincit, utpote de institutione Adami enuntians, cum nos de *natura pura* loquamur : de qua manifesta sunt Doctoris Angelici pro nobis testimonia. Nam in 2. Dist. 31. q. 1. a. 2. ad 3. sic loquitur : *Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem et in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis esset, et pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ naturæ derogatur, quia hoc ex naturæ principiis consequitur.* Statum autem naturæ hujus non involvere gratiam, patet ex ejusdem Angelici ratione, qua tum hic, tum alibi sæpius utitur, videlicet quod integritas et justitia primi hominis non fuerit secundum naturam, sed supernaturale donum gratiæ.

Vide ibid. q. 1. a. 1. Item de malo q. 4. a. 1. Et in Summ. p. 1. q. 5. a. 1. Denique contra Gentes L. 4. c. 52., ubi hoc non ut verum duntaxat, sed ut certissimum secundum fidei doctrinam tradit.

169. *Obj. I.* Homo creari nequit sine ordinatione ad finem ultimum : sed finis ultimus est *clara Dei visio;* quia extra hanc nihil est, quod hominem vere beatum reddere possit, ut ait S. Aug. L. 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te;* ergo homo sine ordinatione ad claram Dei visionem, et hinc in statu naturæ puræ creari non potest.

R. *D. M.* Nequit creari sine ordinatione ad finem ultimum saltem naturalem *C.* Ad finem ultimum supernaturalem, consistentem in visione Dei et amore beatifico huic visioni proportionato *N.* Finis autem ultimus naturæ puræ conveniens est *beatitudo naturalis,* quæ quatuor partes sive conditiones complectitur : nempe 1°. Quod homo post vitam innocenter actam habeat cognitionem Dei abstractivam in suo genere claram et perfectam, ex qua resultet amor Dei naturalis, etiam suo in genere perfectus. 2°. Quod careat omni peccato; unde parvuli in originali decedentes nequidem naturali beatitudine fruuntur. 3°. Quod excludatur omnis dolor, tristitia, anxietas etc. 4°. Quod hæc beatitudo sit perpetua, et certitudinem possessori suo afferat.

Ad rationem R. Similiter, nisi forte probabilius dicatur, S. Augustinum

locutum esse de statu naturæ *elevatæ* moderno, in quo per fidem cognoscimus possibilem esse visionem Dei.

Inst. 1. S. Aug. frequenter reprehendit *Pelagianos,* quod dicerent infantes nasci in statu naturæ *puræ,* et tamen excludi a *regno cœlorum,* si morerentur sine baptismo; atque hinc docebat Dei visionem esse connaturaliter debitam creaturæ rationali.

R. *D.* Reprehendit *Pelagianos,* supponentes ordinationem parvulorum ad beatitudinem supernaturalem et peccati omnis absentiam, et eatenus statum naturæ puræ admittentes *C.* Absolutum ex omni parte statum puræ naturæ nobiscum admittentes ac supponentes *N.* Urgebat sane argumentum S. Doctoris : cum enim *Pelagiani* parvulis ordinationem ad visionem Dei tribuerent, eo quod hos dicerent suscepto baptismo participes futuros regni cœlorum; ipse vero eos convicisset, in ejusmodi ordine nec esse medium inter *peccatum* et *sanctitatem* seu adoptionem filiorum Dei, nec medium inter *cœlestem beatitudinem* et *damnationem;* recte contra eosdem tum ex ostensis tum ex concessis est argumentatus, qui admissa ordinatione ad visionem Dei et parvulorum immunitate a peccatis, hos tamen excludi dicebant a regno cœlorum, et ulla pœna affici negabant. Quam vero nos ab his omnibus sumus longissime remoti, tam parum etiam nobis hæc omnis argumentatio obest.

Inst. 2. Juxta S. Aug. Deus absque injustitiæ labe non posset creaturæ rationali *innocenti* regnum cœlorum denegare; ergo cum hoc in natura pura non ordinata ad supernaturalem beatitudinem faceret, hic status tanquam justitiæ divinæ repugnans non est possibilis.

R. *N. Cons.* Disparitas patet ex modo dictis; quia loquitur etiam hic S. Aug. de præsenti rerum statu et ex supposito naturæ ad *finem supernaturalem* gratuito ordinatæ. Hac autem facta suppositione clarum est, regnum cœlorum esse communem omnium hominum patriam, hæreditatem et patrimonium, atque hinc exclusionem ab eo regno habere se instar exilii et pœnæ gravioris, quam Deus justus nulli *innocenti* infligere potest; quod ipsum argumentum est, quod L. 3. contr. Jul. c. 12. n. 23. et serm. 14. de verb. Ap. (al. serm. 294. c. 3. n. 3.) aperte urget. Sicut vero nullibi hæc contendit probare in statu naturæ quocumque, sic etiam in statu præsertim *naturæ puræ,* quem nos ponimus, non tenent.

Inst. 3. *Pelagiani* statum naturæ puræ non tantum possibilem, sed existentem asserebant : imo eum ab illis in scholas Catholicas invectum ait *Jansenius*; ergo male dicitur Aug. arguisse in hypothesi ordinationis supernaturalis, quia sic perpetuo laborasset vitio petitionis principii.

R. A Pelagianis statum naturæ puræ admissum non esse absolutum *ex omni parte,* sed tantum ex ea, qua gratiam et peccatum adesse negabant. Cæterum inter plurimas a *Jansenio* in Scholasticos conjectas calumnias hæc etiam una est, qua dixit puræ naturæ systema acceptum esse in scholas Catholicas a Pelagio. Præcipuum siquidem caput hujus systematis a Scholasticis recte ponitur in negata ordinatione ad *finem supernaturalem;* tum quia hac asserta penitus negari non potest gratia, utpote medium unicum ad hunc finem requisitum; tum quia ea etiam posita potest saltem ad tempus abesse gratia, ut Theologi supponunt, qui Adamum in gratia conditum negant.

Porro non intervenisse in argumento S. Aug. *petitionem principii* constat;

partim quia S. Doctor sæpius ex Scriptura et traditione probaverat dari nunc ordinationem supernaturalem : partim quia Pelagiani eam admiserant, ut supra dictum est, et habetur serm. 14. de verb. Apost. Qui autem vel probat, quod supponit, vel ab adversario concessum assumit, non laborat vitio petitionis principii.

Inst. 4. Homo creari nequit sine ordinatione ad id, quod naturaliter appetit, et id quod homo naturaliter appetit ex S. Aug. L. 13. de Trin. c. 8. n. 11. est beatitudo : vera autem et solida hominis beatitudo consistit in visione Dei; ergo.

R. *D.* 1am. *p. min.* Id, quod homo naturaliter appetit, est beatitudo in communi *C.* est beatitudo in particulari *subd.* quod appetit naturaliter, h. e. ad quod appetendum et desiderandum impellit ipsa natura hominem, supposita revelatione de vera et solida hominis beatitudine et ejus promissione *C.* h. e. ad quod impellit etiam non supposita hac revelatione et promissione *N.* S. Aug. libro citato c. 3. docet omnes homines *naturaliter* velle esse beatos; c. 4. inquirit, unde existat de ipsa beatitudine tanta diversitas voluntatum; c. 6. respondet id esse ob pravitatem generis humani, qua interdum eligitur, *unde magis a beata vita receditur*; c. 7. infert necessariam esse *fidem*, quæ nobis veram beatitudinem in particulari et præsenti scilicet statu proponat, nempe Dei visionem.

Inst. 5. Homo habet naturale desiderium videndi ipsam *substantiam Dei*, ut docet S. Thomas, maxime L. 3. contr. Gent. c. 50 et alibi sæpius; ergo habet appetitum innatum visionis beatificæ.

R. Habet naturale desiderium videndi substantiam Dei sub ratione causæ primæ, et quatenus præcise relucet in creaturis ut auctor naturæ, atque hinc etiam modo solis naturæ viribus congruente, seu per cognitionem abstractivam *C.* sub ratione objecti beatifici, et prout est auctor gloriæ, atque hinc visione intuitiva *subd.* habet hoc naturale desiderium modo supra exposito, posita revelatione et cognitione affectuum gratiæ et gloriæ *C.* his non suppositis, sed cognitis duntaxat effectibus naturalibus a Deo præcise ut auctore naturæ procedentibus *N.* Sicut enim S. Th. generatim dixerat p. 1. q. 12. a. 1. *Inest homini naturale desiderium intuendi causam, cum intuetur effectum*; sic loco supra citato etiam loquitur speciatim de Deo: *Ex cognitione effectuum incitatur desiderium ad cognoscendam causam..... non quiescit igitur sciendi desiderium, naturaliter omnibus substantiis intellectualibus inditum, nisi cognitis substantiis effectuum, etiam substantiam causæ cognoscant. Per hoc igitur quod substantiæ separatæ cognoscunt omnium rerum, quarum substantias vident, esse Deum causam; non quiescit naturale desiderium in ipsis, nisi etiam ipsius Dei substantiam videant.*

Hinc vero sequitur male inferri, inesse homini appetitum innatum visionis beatificæ; quia Angelicus manifeste loquitur de desiderio, quod cognitionem subsequitur, et sic de appetitu elicito, cum e contra innatus nihil aliud sit, quam pondus quoddam et inclinatio naturæ seu potentiæ naturalis tendentis in bonum sibi conveniens absque prævia cognitione.

Inst. 6. Homo sola duce natura appetit videre Deum; tum quia *Platonici*, teste Aug. de Civit. L. 10. c. 1. ponebant beatitudinem hominis in fruitione Dei : tum quia Aug. ex eo maxime urget Pelagianos negantes parvulis non baptizatis regnum cœlorum, quia eorum anima sit *imago Dei* : et ex hac

ipsa ratione L. 4. contr. Jul. c. 3. dicit hominis naturam mereri gratiam Dei; ergo.

R. *N. A. Ad rat.* 1am. R. *D.* Platonici ponebant beatitudinem in fruitione Dei per cognitionem abstractivam *C.* per claram et intuitivam Dei visionem *subd.* aliqui sic ponebant id edocti ex sacris litteris et sic præsupposita revelatione divina *C.* solo naturæ lumine id consecuti *N.* S. Aug. ibid. c. 11. declarat se multis adduci, ut credat *Platonem* Moysis libros legisse; in his autem, nempe Exod. 33., fit mentio visionis Dei intuitivæ.

Ad rat. 2am. et quidem *text.* 1um. redit responsio data, nempe S. Augustinum recte hæc urgere contra *Pelagianos*, et ab exclusione imaginis Dei à vita æterna probare in parvulis peccatum originale, cum illi faterentur vitam æternam nobis revelatam et promissam. *Ad text.* 2um. R. per illud meritum naturæ ad gratiam intelligi duntaxat capacitatem, quam homo ut rationalis et *imago Dei* habet ad gratiam, non autem lapis, lignum aut pecus. En ipsa verba Augustini Julianum alloquentis n. 15. c. 3. *Bonam dicis hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur. Quod gratanter audirem, si hoc propterea, quia rationalis creatura est diceres. Neque enim gratia Dei per J. C. D. N. lapidibus aut lignis pecoribusque præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam : non tamen, ut ejus bona voluntas possit procedere præter gratiam, ne vel ipsam prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita.*

Inst. 7. Natura humana in puris naturalibus condita frustra ordinata foret ad beatitudinem naturalem; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Quia beatitudinem illam assequi non posset; cum S. Aug. L. 10. de Civ. c. 2. aperte pronuntiet neque sine gratia obtineri posse beatitudinem illam naturalem, quam Platonici statuebant in contemplatione Dei. 2°. Quia beatitudo hæc in abstractiva solum cognitione consistens non haberet reliquas proprietates beatitudinis.

R. *N. A. cum* 1a. *Prob.* Natura enim pura tum physice tum moraliter posset mereri beatitudinem naturalem per bona opera naturalia; ut mox dicetur. S. Augustinus loquitur de natura *lapsa* et peccato corrupta; nos autem de natura *pura* et *innocente*.

Ad 2am. *Prob. N. Ass.* Nam non repugnat, ut intra latitudinem cognitionis *abstractivæ* detur aliqua tam clara et perfecta, quæ per se moraliter saltem necessitet voluntatem ad inhærendum Deo per amorem ipsius naturalem; item quæ conjuncta cum speciali Dei protectione extrinseca peccatum omne et proximam peccandi potentiam excludat. Nec repugnat, ut Deus hominem in *pura natura conditum* post vitam innocenter actam transferat aliquem in locum, ubi illa cognitione et protectione perpetuo fruatur, ac una reddatur certus de hujus perpetuitate status.

Quibus positis partes vel conditiones beatitudinis supra requisitæ adsunt. Neque timenda hic est *inquietudo* aliqua ob carentiam beatitudinis perfectioris, qua fruuntur beati in cœlo; vel enim naturaliter beatus hanc non suspicatur esse possibilem, vel certo judicat eam sibi non deberi : unde aut nullo aut inefficaci solum et conditionato ejus desiderio tenebitur, quod sicut se habet per modum simplicis cujusdam velleitatis, sic naturale gaudium et quietem non turbat.

Inst. 8. Dici nequit, quod homo eam solum consequatur *in anima;* cum

totum nullum pro fine ultimo habeat bonum solius partis, sed totius : nec quod eam consequatur simul etiam *in corpore*; cum in corpore naturaliter obtineri nequeat beatitudo naturalis, eo quod ad corporis beatitudinem necessaria sit ejus resurrectio, quæ est supernaturalis, et hinc cum statu naturæ puræ concinnari nequit.

R. Utrumque esse probabile. Qui *primum* tenent, contendunt resurrectionem esse proprie et *stricte supernaturalem*, ideoque homini in natura pura prorsus indebitam : ad argum. vero respondent hoc esse intelligendum de toto *partes similes* habente, non autem de eo, quod unam partem mortalem, aliam immortalem complectitur, uti in homine accidit, cujus pars immortalis, scilicet anima, est nobilissima et toto præstantior. Rationem dant; quia finis naturalis totius hominis est naturalis beatitudo naturaliter obtinenda : sed naturaliter obtineri nequit nisi in sola anima, quæ una cognitionis et amoris Dei capax est; ergo.

Qui *secundum* tuentur, dicunt resurrectionem corporum esse *minus stricte supernaturalem*, h. e. supernaturalem quidem ex parte principii; quia nulla causa secunda naturaliter, sed solus Deus potest esse principium activum hujus resurrectionis : naturalem vero ex parte termini; quia resurrectio terminatur solum ad effectum intrinsece naturalem, nempe compositionem totius hominis et vitam naturalem. Quod autem hoc modo supernaturale est, non semper est supra naturæ exigentiam, ut patet in *creatione mundi*; imo potest esse secundum exigentiam, ut liquet in creatione animæ rationalis ad exigentiam materiæ dispositæ. Hoc posito dicunt resurrectionem corporum non esse supra, sed juxta exigentiam animæ rationalis tanquam formæ corporis in suo termino constitutæ, ideoque ipsi naturaliter debitam esse æque, ac ipsi beatitudo sua debetur. Porro huic opinioni non obest, quod sic immortalitas corporis foret debita naturæ puræ; nam quod hic conceditur, spectat ad statum termini.

170. *Obj. II.* Non potest creari homo sine notitia et amore veritatis, sine amore justitiæ, sine amore ipsius Dei, quia hæc sunt media ad obtinendum finem ultimum hominis. Sed in statu naturæ puræ hi amores haberi nequeunt; tum quia S. Aug. variis in locis requirit gratiam supernaturalem : tum quia distinctio duplicis amoris naturalis et supernaturalis juxta *Jansenium* conficta est.

R. Augustinus loquitur, ut solet, de virtutibus *æternæ vitæ* meritoriis, quas unas virtutum nomine censendas esse docet pluribus in locis et maxime L. 4. cont. Julian. c. 3. Fundamentum autem distinctionis inter amorem Dei *naturalem* et *supernaturalem* habetur ex ep. ad Rom. c. 1. v. 20. ubi Apostolus docet gentiles naturali rationis lumine *cognovisse* Deum : c. 2. v. 14. autem affirmat gentes, quæ legem non habebant, naturaliter *fecisse* ea, quæ legis erant. Adde quod Paulus c. 1. v. 21. et seqq. dicat gentiles *inexcusabiles* esse, eo quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed *coluerunt* et servierunt creaturæ potius quam Creatori; juxta S. Aug. autem ep. 120. (al. 140. c. 18. n. 45.) *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Item ex Araus. II. Can. 25. et Trid. Sess. 6. Can. 3. quæ dum definiunt *auxilium Spiritus sancti* necessarium esse ad diligendum Deum, non id absolute et ad diligendum quomodo-

cumque dicunt, sed addunt : *sicut oportet ad salutem,* vel : *sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur.* Hæc autem limitatio foret frustranea, nisi alius amor Dei possibilis foret. Unde a Pontificibus damnata est propositio Baii 34.

Inst. 1. Nequit homo creari sine facultate amandi Deum propter se, seu amoris casti et recti : sed talis nequit haberi sine magna et proprie dicta gratia, ut affirmat Aug. L. 5. contr. Jul. c. 3. n. 9., ep. 120. (al. 140. n. 85.) et L. de corr. et grat. c. 2. n. 3.; ergo. *Conf.* Capitalis *Pelagianorum* error fuerat, posse amorem castum haberi naturæ viribus, et de hoc illos inter et Catholicos concertationem fuisse, testatur Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 18. Attamen L. de nat. et gr. c. 2. ait, sine gratia Christi nihil recti facere etiam eos, qui fide Christi destituti naturaliter faciunt, quæ recta sunt.

R. *D. min.* Amor castus et rectus supernaturalis ac meritorius vitæ æternæ haberi nequit sine gratia proprie dicta *C.* naturalis *N.*

Ad Conf. R. Controversiam fuisse de charitate *supernaturali* et *meritoria,* ut vel ex ipsis locis objectis manifestum est. Apertius id ipsum declarat loc. ult. citato : *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna.*

Inst. 2. Ipsi gentiles Philosophi agnoverunt, amorem Dei in homine non posse nasci sine magno Dei beneficio et gratia; quam eorum sententiam approbavit Aug. L. 8. de Civ. c. 5. 9. 10. etc.; ergo.

R. Philosophorum sensus erat, amorem illum ac Philosophiam aliaque id genus non posse haberi sine beneficio intra ordinem naturalem contento ac providentia quadam *speciali*; quæ tamen naturæ limites non excedat. Atque hæc responsio tenebit, arbitro vel ipso *Jansenio* qui objectionem movit, cum idem L. 1. de statu nat. pur. c. 13. dicat, *Philosophos ethnicos nihil omnino de elevatione naturæ ad statum supernaturalem disseruisse aut cognovisse.* Unde et S. Aug. approbatio huc pertinet. Dum is ibidem alibique ait, gratiam ejusque suavitatem debere nobis dari, ut diligamus Deum; intelligit, ut diligamus *perfectius,* quam Philosophia doceat, aut natura possit : sicut de patientia aliisque virtutibus dicit L. 22. de Civ. c. 22.

Inst. 3. Secundum doctrinam S. Augustini plurimis in locis omnis creaturæ rationalis amor vel est *charitas,* h. e. amor Dei propter se diffusus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, vel *cupiditas,* h. e. amor, quo creatura rationalis vitiatur et corrumpitur; ergo nullus amor naturalis Dei propter se est possibilis.

R. S. Augustinum per *charitatem,* quam opponit *cupiditati* vitiosæ, non semper intelligere amorem Dei propter se et super omnia dilecti, sed amorem boni et honesti ut talis, quemadmodum ait L. 2. ad Bonif. c. 9. n. 21. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Sufficiat interim damnata *Baii* propositio 38., cui consimiles sunt plures in *Quesnello* condemnatæ.

Inst. 4. Homini debetur de facto *gratia sufficiens* ad implendum præceptum supernaturale, et tamen juxta omnes hoc auxilium est supernaturale; ergo non est contra doni supernaturalis rationem, quod sit naturæ debitum.

R. *D. Gratia sufficiens* homini debetur debito fundato in natura rationali secundum se, vel in gratia minus proprie tali, qualis dicitur illa, qua creati sumus *N.* debito fundato in gratia priore stricte tali et naturæ omnino inde-

bita *C. Primus* sensus aperte coincidit cum sensu *Lutheri,* qui gratiam dixit naturæ debitam, ut lumen debetur oculo : *Secundus* est Catholicorum, juxta quos gratia sufficiens vel in se vel in prima sui origine semper est gratuita et naturæ prorsus indebita ; cum debeatur vel illi, in quo aliquod *meritum* ex gratia priore et indebita elicitum præcessit : vel homini justificato ad *perseverandum,* in quo justificatio et perseverantia sumit initium a gratia omnem naturæ exigentiam prævertente : vel illis omnibus, quibus eam Deus *promisit* et supernaturalium actuum exercitium præcepit, ubi hæc ipsa promissio et præcepti impositio magnum et gratuitum Dei beneficium est, teste Aug.

Inst. 5. *Sanctificatio* est donum supernaturale, ut omnes admittunt : nec tamen sine injustitia subtrahi potest naturæ innocenti, ut sæpius supra ex S. Aug. est dictum. Sed quod *sine injustitia* alicui subtrahi nequit, est illi aliquo pacto debitum ; ergo aliquid potest esse gratiæ donum et una naturæ debitum. *Conf.* Non adhærere Deo etiam per supernaturalem dilectionem, vitium est *contra naturam,* ut docet S. Aug. L. 12. de Civ. c. 1. n. 3. ; ergo.

R. *D.* 2am. *p. Ass. Sanctificatio* non potest sine injustitia subtrahi naturæ innocenti in præsenti providentia, ubi Deus eam promiserat *C.* in alia quacumque *N.* Sicut Deus sanctificationem et jus ad gloriam Adamo gratis in prima sui creatione contulit, sic utrumque omnibus ejus posteris nullo peccato maculatis promisit. Hinc S. Aug. sæpe et optime contra *Julianum* intulit, vel parvulos sine baptismo decedentes in pœnam alicujus peccati, et quidem originalis, cum actuale per ætatem committere nequiverint, sanctificatione et beatitudine privari : vel, si omni peccato careant, Deum adversus illos injuste agere, utpote qui fidem fallat, innocentibus neget, quod ipsis se daturum promiserat. Similis autem promissio ad statum *puræ naturæ* non pertinet.

Ad Conf. D. A. Vitium est contra naturam præcise secundum se spectatam *N.* contra naturam ut ordinatam ad finem supernaturalem *C.* De postrema autem duntaxat loquitur S. Aug., quia de natura agit *in præsenti providentia* constituta.

171. *Obj. III.* Repugnat hominem innocentem naturaliter obnoxium esse illis miseriis, quas modo nonnisi in pœnam peccati patimur : sed in statu naturæ puræ homo esset obnoxius miseriis, ignorantiæ, concupiscentiæ, morbis, morti etc., quas nos in pœnam peccati subimus ; ergo.

R. *N. M.* Quæ aperte coincidit cum propositione *Baii* 55. damnata. Nam si id, quod naturaliter debetur vel ex naturæ principiis sequitur, est *naturalis defectus,* qui ante culpam per donum gratuitum et indebitum fuit impeditus, facile intelligitur, qua ratione hoc dono per culpam amisso naturalis defectus habeat *rationem pœnæ* ; siquidem tunc culpa est causa moralis, cur idem defectus redeat in pœnam, qui ante per gratuitum et indebitum donum impediebatur. Sic si homini plebeio, ad nobilitatem prius gratia principis evecto, postea in justam sceleris commissi vindictam nobilitatis insignia rursus demantur, *ignobilitas* ei incipit esse *pœna,* quæ antea fuit nascendi conditio, et sic naturaliter quodammodo debita. Simile etiam potest evenire in præmio. Si enim vir genere nobilis, in pœnam perduellionis, annexos nobilitati honores amiserit, postea vero propter insigne aliquod

meritum priori dignitati restituatur, jam incipiet illi esse *præmium*, quod olim fuerat jure generis hæreditario debitum.

Inst. 1. Juxta S. Aug. L. 1. Op. imperf. n. 39. *Sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest* : Et L. 3. de lib. arb. c. 9. n. 26. *Si peccatis* (animarum) *detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis*; ergo hominem innocentem naturaliter miseriis obnoxium esse repugnat.

R. *D. Cons.* Ergo hominem innocentem repugnat esse obnoxium miseriis ut pœnalibus, seu quas patiatur in pœnam peccati *C.* miseriis ut defectibus præcise creaturæ limitationem ac conditionem naturaliter consequentibus *N.* Adde S. Aug. in Ps. 70. dicentem, a Deo, si is supremo suo dominio et *absoluta potentia* uti velit, sine cujusquam injuria damnari, h. e. affligi malis inferni peccatum non connotantibus posse etiam justum. Quin ipsa *peccandi potentia*, sæpius id testante S. Doctore, magna miseria est, imo aliarum miseriarum quodammodo radix ; nec Deus tamen injustus est, quod angelos et primum hominem cum hac potentia creaverit. Cur igitur foret injustus, si cum aliis illis defectibus crearet hominem ?

Inst. 2. Philosophi quidam gentiles apud S. Aug. contr. Julian. L. 5. c. 15. n. 78. et L. 4. n. 83. ex sola miseriarum consideratione peccatum aliquod prævium agnoverunt : ipse vero passim contra *Pelagianos* ex hujus vitæ miseriis peccati originalis existentiam colligit ; ergo videtur esse intrinseca connexio inter peccatum et miserias humanas.

R. *N. Cons.* Certa peccati originalis existentis notitia, ut testis est L. 6. cont. Jul. c. 4. n. 10. S. Augustinus, ex *una fide* haberi potest ; unde vel Philosophi illi, qui, teste eodem Aug. supra citato, nonnullam fidei cognitionem habebant, ex principiis revelatis hanc illationem fecerunt, vel nonnisi *conjecturaliter* peccatum aliquod prævium agnovere. Usurpavit autem S. Aug. hoc quantumvis conjecturale argumentum ex Philosophorum cognitione contra *Julianum*, qui in sui erroris patrocinium vocaverat Philosophos. Idem vero hoc argumento ex miseriis contra eumdem recte usus est, qui locutus fuit de miseriis in *præsenti statu* et facta hypothesi primi hominis in justitia originali conditi, ubi hæ miseriæ pœna sunt peccati. Hanc porro hypothesin contra *Pelagianos* fuse probaverat præsertim in Libris de pecc. mer. et contra *Julianum*.

Inst. 3. Ex S. Aug. L. 1. ad Bonif. c. 15. n. 31. nefas est de opere Dei erubescere. Sed ex eod. L. 1. de nupt. et concup. c. 22. de concupiscentia erubescit homo, et in statu naturæ puræ etiam erubesceret, cum nemo nisi impudentissimus non erubescat de inordinatis concupiscentiæ motibus, ut S. Aug. *Juliano* frequenter objicit ; ergo.

R. *D. M.* Nefas est de opere Dei erubescere tanquam de defectu morali et formaliter culpabili *C.* tanquam de defectu physico et ad culpam non imputabili *N.* vel *subd.* in quantum is est opus Dei *C.* in quantum est opus hominis *N.* Inordinati concupiscentiæ motus secundum se sunt aliqua *erubescendi* materia, sicut sunt plures necessitates et aliqua officia, quibus satisfacere coram aliis quilibet honestus, licet sine peccato fiant, erubescit : si autem spectentur relative, non sunt nisi *materialiter* mali et denominative morales defectus, in statu quidem naturæ lapsæ effectus peccati, in eodem autem et naturæ puræ principia et dispositiones peccati. Cæterum licet *ipsa*

potentia concupiscendi sit opus Dei sicut potentia peccandi in creatura rationali, tamen motus concupiscentiæ inordinati non sunt opus Dei, sed hominis; cum hi ut repugnantes rationi non habeant causam efficientem, sed deficientem.

Inst. 4. Juxta S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 18. n. 53. concupiscentia est *affectio quædam malæ qualitatis,* ac proin et ipsa mala est; cum hac vero in statu naturæ puræ conderetur homo, utpote qui in hypothesi illa S. Aug. superius a nobis statuta deberet se liberare a *difficultate cruciante;* ergo cum concupiscentiam fatetur esse malam, negat autem eam esse a peccato, sed vult esse a Deo, cum Manichæis facit Deum auctorem mali. *Conf.* S. Aug. non physicum duntaxat, sed et *morale malum* dixit concupiscentiam tum rebellem, licet sine consensu voluntatis, tum indifferentem etiam ad voluptatem licitam vel illicitam; ut patet quoad 1um. ex L. 6. cont. Julian. c. 19. n. 60., quoad 2um. ex eod. c. 16. n. 50.

R. *D.* S. Aug. fatetur concupiscentiam esse malam moraliter et culpabiliter *N.* malam duntaxat physice aut denominative, sed non formaliter moralem, et hinc inculpabiliter malam *C.*

Ad Conf. Similiter sub distinctione mali materialiter vel denominative moralis et formaliter et culpabiliter talis *C. M.* Primum enim genus mali evincit tantum textus primus, uti verba : *Neque nulla est iniquitas,* satis arguunt, et alibi laudata S. August. doctrina certo declarat; in cujus confirmationem hæc habe ex L. 1. de nupt. et concup. c. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Idem dicendum esse de secundo, postrema textus verba docent.

Certe mirum est, *Jansenium* tanta contentione impossibilitatem naturæ puræ ex relatis principiis urgere, cum tamen vi auctoritatis S. Augustini coactus L. 3. de statu nat. pur. c. 18. fateatur, potuisse *hominem innocentem* concupiscentiæ obnoxium a Deo creari, dummodo simul ipsi daretur auxilium, quo concupiscentiam vincere posset. Unde jam non est audiendus amplius, dum negat hominem a Deo condi posse cum concupiscentia, sicut is nequit condi cum *habitu vitioso;* præterquam enim, quod habitus vitiosus per se et unice inclinet ad malum, concupiscentia autem tantum per accidens, eo quod hæc ex natura operis sit tantum inclinatio ad bonum sensibile corpori proportionatum, oriatur autem ex imperfectione naturali hominis, qui plus afficitur sensibilibus, quam spiritualibus, quod ea inclinatio mentem a spiritualibus avertat; Jansenii testimonium vim hujus argumenti enervat.

Inst. 5. Saltem concupiscentia rebellis non fuisset *utilis* ad ullum bonum, imo tanquam perpetuus ad peccatum stimulus fuisset valde noxia; ergo dari nequit in statu naturæ puræ. *Conf.* Hæc concupiscentia intulisset *moralem impotentiam* servandi legem naturalem saltem diu et constanter; ratio enim, cur homo in natura lapsa diu et constanter servare legem nequeat sine gratia, assignatur a Theologis concupiscentia : in statu autem naturæ puræ nulla gratia locum habet; ergo.

R. *N. A.* Aliquoties jam ex Aug. dictum est, concupiscentiam in hoc statu fore *proficiendi admonitionem et perfectionis exordium;* addimus ex eodem, non superbiendi commonitionem : *Dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admonetur, ne securus infletur.*

Ad Conf. D. In hoc statu locum non habet gratia ordinis theologice supernaturalis *C.* ordinis naturalis *N.*

Inst. 6. Quodcumque in hoc statu admittatur auxilium, vel fuit debitum, vel non : si 1um.; ergo gratia dici nequit: si 2um.; ergo poterit Deus illud negare, et sic hominem naturæ puræ relinquere in impotentia morali servandi legem et necessitate peccandi.

R. Auxilium *sufficiens,* quo homo *possit* servare legem in statu puræ naturæ, est *debitum* debito vel fundato in ipsa natura vel in perfectionibus divinis, atque hinc est gratia tantum ex gratia ordinis naturalis, scilicet ex supposito, quod natura pura et innocens creetur a Deo; cum ejusmodi naturæ videatur absolute debitum *auxilium naturalis ordinis,* quo possit moraliter per aliquod tempus legem creatoris sui servare, ne scilicet necessitate moraliter ineluctabili incurrat peccatum et sine sua culpa æternam damnationem, quod infinitæ sapientiæ et bonitati repugnat.

Auxilium vero *efficax,* seu quo legem *actu* impleat, licet naturalis ordinis, est favor specialis et prorsus indebitus; quia concesso auxilio sufficiente jam non potest peccatum et damnatio refundi in Deum, sed in hominem, qui eo auxilio uti potuisset, ac debuisset. Hinc vero explicatur, quomodo homo ejusmodi haberet potentiam moralem *inchoatam,* tanquam sibi naturaliter debitam, servandi diu et constanter legem naturalem; quia si homo per aliquod tempus, quantum moraliter potest faciat, Deus negare non potest ulteriora ordinis naturalis auxilia.

ARTICULUS V.

AN NATURA LAPSA DEBILIOR SIT AD OPERANDUM BONUM MORALE NATURALIS ORDINIS, QUAM ESSET NATURA PURA?

172. *Dico I.* Homo in statu naturæ lapsæ vi *solius peccati originalis* non est factus *intrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in statu naturæ puræ.

Prob. I. Nec assignari potest, quid homini vel ex corporis aut animæ substantia, vel ex utriusque aut alterutrius potentia naturali, vel ex aliqua forma substantiali aut accidentali, quæ naturæ humanæ connaturaliter debebatur, *detractum* sit, homoque nunc non habeat, et natura pura foret habitura. Et plerique jam concedunt, diminutionem hanc non esse factam per *additionem* habitus vel qualitatis morbidæ; cum neque generentur ab aliquo actu, neque vel per se vel per accidens a Deo infundantur.

Conf. Ex *removente prohibens* non sequitur effectus major vel minor, quam ex ipsa natura nullo prohibente sequeretur : sed *peccatum originale* solum removet id, quod in primo parente erat prohibens inordinatos motus concupiscentiæ aliasque infirmitates humanas, h. e. *justitiam originalem;* ergo ex peccato originali nec major debilitas nec minor facultas intrinseca sequitur ad morale bonum, quam esset in natura pura nullo peccato infecta.

Prob. II. Juxta S. Aug. L. 1. Retract. c. 9. n. 6. in natura pura potuit dari tanta difficultas ad bonum, quanta vi peccati originalis nunc datur in natura lapsa; ergo major facilitas non erat naturaliter debita naturæ puræ

et innocenti : atque hinc vires naturaliter debitæ per peccatum originale non sunt diminutæ. *Conf.* ex S. Th. p. 1. q. 95. a. 1. in θ.

173. *Dico II.* Homo in statu naturæ lapsæ vi peccati originalis factus est *extrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam foret in statu puræ naturæ.

Prob. Homini in statu naturæ lapsæ, seclusa gratia Christi, moraliter est impossibilis observantia totius legis naturalis : homini autem in statu naturæ puræ ea est moraliter possibilis ; ergo cum hoc non proveniat ab intrinseco, oritur ab extrinseco, et natura lapsa extrinsece debilior est, quam foret natura pura.

Major autem difficultas ad bonum et naturæ debilitas dupliciter potest provenire ab extrinseco : 1°. Quidem spectando *causas extrinsecas* impedientes facultatem operandi bene, aut præbentes occasionem operandi male, *mundum* scilicet et *dæmonem;* quatenus nempe objecta concupiscentiam irritantia, exempla pravorum, morum perversitas et similia, item tentationes et infestationes copiosiora aut vehementiora sunt.

2°. Spectando *providentiam Dei* et auxiliorum dispensationem, quatenus hæc vel parciora sunt vel non ita congrua et valentia ad difficultatem superandam. Itaque adjutorium extrinsecum, ex cujus defectu natura fit extrinsece debilior, consistit in *speciali Dei protectione.* Hæc vero ex parte Dei est actus liber divinæ voluntatis, quo Deus decernit removere causas illas extrinsecas, vel negare illis concursum, ne tentationes et incitamenta ad malum prorsus aut saltem vehementiora oriantur : quod si vero hæc quandoque permittat, simul ex parte intellectus et voluntatis tribuat æquipondium, nempe cognitionem naturalem motivi vehementer inclinantis ad resistentiam et naturalem hujus resistentiæ vel boni honesti amorem.

174. *Obj. I.* Conc. Trid. Sess. 5. Can. 1. ait, *totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse.* Conc. Araus. II. Can. 25. (Labb. t. 4. p. 1671. C.) et Trid. Sess. 6. c. 1. docent, liberum arbitrium peccato originali fuisse *viribus attenuatum et inclinatum.* Coelestin. I. in ep. ad Episcopos Galliæ (Labb. t. 2. p. 1614. E.), determinans quid contra hæreticos a Catholicis tenendum sit, affirmat in prævaricatione Adæ omnes homines *naturalem possibilitatem* et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere ; ergo facta est mutatio intrinseca.

R. Concilia et Pontifex in assertis non instituerunt comparationem inter naturam lapsam et puram, sed inter lapsam et integram ; quod colligitur tum ex occasione certaminis *Pelagianos* inter et Catholicos, quorum primi cum infirmitates vitæ humanæ statuebant esse naturæ primordia, postremi contenderunt primum hominem habuisse justitiam originalem, eaque per peccatum amissa, infirmitates illas evenisse tanquam peccati pœnas ; tum ex S. Aug., qui voluntatem integram L. 1. de pecc. mer. c. 37. vocat *mentis valentiam,* et L. 11. de Genesi ad lit. eamdem dicit *posse naturæ* ac *possibilitatem naturalem;* quem sensum illa Concilia et loquendi etiam modum Pontifex retinuerunt. Unde per commutationem in deterius, per attenuationem et inclinationem virium, per naturalis possibilitatis perditionem, si

intrinseca spectentur, nihil intelligitur aliud, quam jactura donorum naturam integram et *originaliter* justam constituentium, non autem extinctio aut læsio virium *naturaliter* debitarum.

Inst. 1. Homo per peccatum originale *spoliatus* est *gratuitis* et *vulneratus* est *in naturalibus*, ut habet axioma theologicum; ergo natura lapsa etiam intrinsece est debilior.

R. *D. A.* Vulneratus est *in naturalibus* comparate ad naturam integram, quantum nempe vires sanas et integras homo ante peccatum originale habuerat *C.* comparate ad naturam puram, quantum nempe natura lapsa aliquid amisisset intrinsece, quod naturæ puræ connaturaliter erat debitum *N.* Homo enim recte dicitur *vulneratus in naturalibus,* quia ob ignorantiæ, malitiæ, concupiscentiæ et infirmitatis pœnas, ex peccati originalis merito, intellectui, voluntati et utrique appetitui sensitivo illatas, debilior est, quam fuerit in statu naturæ integræ, ut explicat S. Thom. 1. 2. q. 85. a. 3., ubi cum dicit hominem destitutum esse *ordine proprio, quo naturaliter ordinatur ad virtutem,* non sumit ordinem proprium secundum se et physice spectatum, et in quantum est ex intrinsecis naturæ principiis, sed secundum *perfectionem,* quam habuit in statu naturæ integræ ex dono justitiæ originalis.

Inst. 2. Viator ille Luc. 10., et hinc etiam natura lapsa, est *semivivus relictus.* Hoc autem in nostra sententia explicari nequit.

R. *N. min.* Natura enim lapsa vix ac ne vix quidem habet amplius *dimidium* illius vitæ, qua fruebatur natura integra, etsi natura lapsa nihil perdiderit de vita et viribus naturalibus. Sane ob *mortalitatem corporis,* quæ non est major in natura lapsa, quam esse posset in natura pura, dicitur nihilominus homo vulneratus in naturalibus et semivivus relictus; eccur igitur idem de ignorantia, concupiscentiæ fomite, aliisque defectibus dici nequeat?

Inst. 3. Spoliari gratuitis in hoc axiomate idem est, ac amittere bona naturæ indebita; ergo vulnerari in naturalibus idem erit, ac amittere aliquod bonum naturæ debitum.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia 1um. intelligi non potest nisi de amissione boni indebiti, cum solum bonum gratuitum sit naturæ indebitum : at 2um. potest duobus modis contingere vel cogitari : *imprimis* per amissionem boni naturæ debiti, vel saltem per aliquam ejus diminutionem ; *deinde* per amissionem boni naturæ quidem indebiti, sed tamen antea habiti et vires ejus naturales perficientis in ordine etiam ad bonum naturale. Priore modo vulneratam esse naturam negamus, postremo concedimus : addimus etiam, naturam debilitatam esse ob amissionem extrinseci.

Inst. 4. Homo in statu *naturæ puræ* nequit dici vulneratus in naturalibus ac semivivus relictus; ergo hoc plus dicit, quam hominem tantum carere donis justitiæ originalis vel naturæ integræ.

R. *N. Cons.* Ideo enim homo in *natura pura* nequit dici vulneratus et semivivus relictus, quia vulneratio naturæ est dissolutio ordinis, qui prius inter vires superiores et inferiores fuerat ; et quia metaphora etiam semivivi relicti non importat carentiam vitæ vel vigoris *simpliciter,* sed amissionem vitæ vel vigoris præhabiti. Cum itaque ille ordo, vita et vigor, qui in Adamo fuit, non præsupponatur ad naturam puram, quamvis hæc æque debilis esset quoad *vires intrinsecas* ac est natura lapsa, homo in illa nequit

dici vulneratus et semivivus relictus, sed debilis et ad summum semivivus creatus. Cæterum quamvis vulneratio in naturalibus non indicet quid distinctum a spoliatione gratuitorum naturæ integræ donatorum, non frustra tamen in axiomate additur; quia *apte explicat,* quomodo et quam male hæc gratuitorum spoliatio naturam afficiat, ita ut per eam dicatur vulnus accepisse in natura; siquidem illa dona ex pacto et promissione divina erant naturæ antecedenter unita, et quodam jure naturalibus ejus facultatibus tum quoad se, tum quoad usum propria : ictu autem peccati exinde sint *separata,* quæ separatio vel divisio dicitur vulnus ad instar vulneris corporalis, quo partes antea continuæ ac unitæ a partibus separantur.

175. *Obj. II.* Si homo in natura pura conditus peccaret, imminueretur ejus inclinatio naturalis ad bonum; ergo et hoc accidit in natura lapsa per *peccatum originale,* et datur intrinseca debilitas major. *Conf.* Per originale natura est aversa a fine ultimo etiam *naturali*; ergo necessario est debilior ad bonum etiam naturale, quia bonitas actuum moralium pendet præcipue ex fine ultimo.

R. Pejor omnino in hoc casu foret *naturæ puræ* conditio, non ex aliis tantum hujus status capitibus, sed quia *actuale peccatum* est conversio ad creaturas, et relinquit speciem inchoativam habitus vitiosi; quorum neutrum ex originali peccato qua tali habetur; unde *N. Cons.*

Ad Conf. T. vel *C. A.* et *N. Cons.* Quia aversio præcise a fine ultimo non est aliqua *forma physica* residens in Adæ posteris, nec privatio perfectionis naturalis; sed solum moralis quædam habitudo et denominatio, reddens quidem subjectum Deo invisum, at nihil post se relinquens in natura, ratione cujus naturalis ejus perfectio dici possit imminuta.

Inst. Ex variis naturæ affectionibus intrinsecis aperte prodit se major debilitas naturæ lapsæ. Nam 1. Rebellio concupiscentiæ *regnat* de facto in carne peccati : non regnaret in statu naturæ puræ. 2. Concupiscentia in homine lapso, juxta probabilem D. Thomæ, est *materiale* peccati originalis; ex eo autem sequi videtur, quod habeat aliquid plus, quam in natura pura, scilicet majorem reluctantiam contra rationem, et majorem inclinationem ad bonum sensibile rationi contrarium. 3. Homo in statu naturæ puræ ex sibi debitis posset mereri apud Deum *præmium naturale*; hoc vero non posset homo lapsus. 4. Nihil obest, quominus natura lapsa amittat inclinationem naturalem ad bonum; tum quia eamdem etsi connaturalem amittunt *damnati :* tum quia *beati* amittunt etiam potentiam peccandi, quantumvis connaturalem.

R. *N. Ass. Ad Prob.* 1am. *C. A.* sub propria vocum significatione, et *N. Cons.* quæ inferri posset. *Rebellio* proprie est vis subditi aggredientis aliquid contrarium principi : hinc cum in natura lapsa insurgat concupiscentia contra rationem, cui in statu innocentiæ fuit subjecta et mansisset subdita in nobis, nisi originale peccatum intercessisset, recte dicitur *rebellare :* non ita in natura pura ob rationem contrariam.

Ad Prob. 2am. *T. supp. N. seq.* Concupiscentia quoad esse physicum et reale nihil habet nunc, quod non haberet in natura pura : habet quidem plus quoad *esse morale,* nempe privationem ordinationis præhabitæ inter vires inferiores ac superiores, cum S. Thomas formale originalis peccati statuat in

privatione gratiæ et justitiæ originalis ; per hoc tamen, quod concupiscentiæ in natura pura deest, nihil amittit naturalium virium, aut accipit naturalis nocumenti concupiscentia in homine lapso.

Ad prob. 3am. *D. Cons.* Ergo debilior est natura lapsa quam pura ad merendum *C.* ad honeste præcise agendum, abstrahendo a ratione meriti *N. Meritum* passim requirit, ut obsequium præstetur saltem a non inimico ; hoc vero in natura lapsa, præscindendo a redemptore, non haberetur : quod ipsum tamen non pertinet ad aliquod intrinsecum, sed ad extrinsecam indignitatem.

Ad Prob. 4am. *N. Ass. Ad prob.* R. *Disparitas* est, quia 1°. in *damnatis* inclinatio ad bonum extinguitur ratione obstinationis, quæ involvit actualem deordinationem peccati, conjungiturque cum supplicio æterno sine spe veniæ; non autem eousque *connaturalis* homini est inclinatio in bonum, ut comprimi non possit per actualem a bono aversionem, præsertim ubi non est spes conjunctionis possibilis. 2°. Potestas peccandi est ita connaturalis creaturæ, ut non sit impeditiva majoris boni et finis ultimi, qui cum componi nequeat cum hac potentia, debet per hanc posse tolli. Aliter res habet cum inclinatione et potentia ad bonum comparate ad peccatum originale respectu naturæ, quæ adhuc in via est. Cum enim illa homini aliunde sit *connaturalis* : peccatum autem originale secundum se ei non opponatur, nec etiam adsit aliquid cum ipsa incompossibile ; non est, cur debeat dici ablata vel imminuta, saltem quoad habitudinem intrinsecam.

CAPUT II.

DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Cum in disputationibus de gratia potissimum circa ejus *necessitatem, existentiam* et *agendi modum* versemur, res nobis maxime est cum Pelagianis, Semi-Pelagianis, Luthero, Calvino, Baio, Jansenio et Quesnello, utpote qui ea in materia ab orthodoxa doctrina plurimum aberrarunt.

ARTICULUS I.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES HÆRESIS PELAGIANÆ CIRCA GRATIAM?

176. *Dico I. Auctor* fuit *Pelagius,* natione Britannus seu Anglus, professione monachus, ingenio fortissimo, celerrimo et acutissimo præcellens, moribus etiam pietatis laudem consecutus, et scriptis clarus, quorum præcipua sunt Liber unus de natura, Libri quatuor de libero arbitrio, Libri tredecim expositionum in omnes Pauli epistolas, Libellus fidei ad Innocentium, et variæ ad varios epistolæ. Errores suos præformatos ab Origene, Ruffino, et Theodoro Mopsuest. Romæ spargere cœpit circa annum Christi 405. ea

eloquentia et calliditate, ut plures etiam probos ac litteratos falleret, sibique adjungeret, artibus non unis ac fraudibus tum in disseminando, tum in defendendo usus.

Propugnatores hæreseos et *Discipuli* Pelagii præcipui fuerunt : *Celestius* natione, ut conjicitur, Campanus, vitam monasticam professus et post presbyter, acerrimi ingenii homo, Pelagio vafritie non inferior, superior etiam audacia, et actione potius, quam scriptis clarus.

Julianus in Apulia natus, tum ob patris memoriam, tum ob egregiam, quam adolescens præ se ferebat, indolem, S. Augustino primum carus, ad Eclanensem Episcopatum junior provectus, acer ingenio, sermone eloquens, virtutis specie nomen etiam magnum adeptus, sed Episcopatu post susceptam Pelagii hæresin pulsus; contra fidem Catholicam et S. Augustinum multa scripsit, præsertim Libros quatuor contra Librum unum S. Aug. de nuptiis, et Libros octo contra Libros sex S. Doctoris Juliano oppositos.

Annianus natione Italus, ordine Diaconus, latinæ et græcæ linguæ peritissimus, Pelagio plurimum utilis ad emundandam sermonis in eo barbariem, S. Augustini contemptor mordax in homiliarum quarumdam S. Chrysostomi edita ab eo versione latina, et S. Hieronymi oppugnator, cujus ad Ctesiphontem epistolæ aliquot libros opposuit.

177. *Dico II. Debellatores* Pelagianæ hæreseos dicuntur vel Patres in Conciliis congregati, vel Patres singuli dogmatica scripta opponentes, vel summi Pontifices Constitutionum decreta edentes.

Concilia in causa Pelagianorum congregata sunt 24.

I. Carthagine an. 412. præside Aurelio, ubi Celestius anathemate damnatus appellavit Sedem Apostolicam.

II. Hierosolymis an. 415. præside Joanne Hierosol., qui cum Pelagii patronus esset, tanquam judex rejectus, et causa ad Innocentium I. Pont. max. delata fuit.

III. Diospoli, in civitate Palæstinæ, sub finem ejusd. an. 415. præside Eulogio Cæsariens., ubi Pelagius objecta ab Erote et Lazaro hæreseos capita ancipiti responsione exposuit, et Patribus illusit, hinc errore facti ab iis Catholicus pronuntiatus.

IV. Carthagine an. 416. præside Aurelio.

V. Milevi in Numidia circa finem Octobr. ejusd. anni, præside Sylvano; ab utroque Pelagius et Celestius ut hæreseos auctores delati sunt ad Innocentium P. M.

VI. Carthagine sub finem ejusd. an. 416. præside Aurelio, ubi eadem delatio repetita fuit.

VII. Romæ in Januar. an. 417. sub Innocentio. Damnata hic fuit hæresis Pelagiana cum suis auctoribus et sectatoribus.

VIII. Constantinopoli eod. anno, præside Attico contra Celestium.

IX. Antiochiæ anno eod. præside Theodoro contra Pelagium.

X. Romæ circa initium Septemb. ejusd. an. 417. sub Zosimo P. M. ubi comparuit Celestius, allata est Pelagii epistola et fidei professio.

XI. Carthagine ineunte Novembri ejusd. anni, ubi Innocentii damnatio, sub anni initium in Pelagium Celestiumque lata, est acceptata, et litteræ ad Zosimum de causa eorumdem hæreticorum datæ fuerunt.

XII. Romæ circa medium Aprilis an. 418. sub Zosimo, ubi detecta Pelagii ac Celestii tum hæresi tum fraude, uterque repetita auctoritate damnatus est.

XIII. Carthagine Calend. Maii ejusd. anni, Aurelio vocante, convenerunt ex omnibus Africæ provinciis Episcopi, unde et Africanum dictum est. Hic Pelagiana hæresis rursus anathematizata, et Canones octo, in priore Synodo Carthaginensi conditi, sunt promulgati.

XIV. Carthagine medio Junii an. ejusdem, similis conventus est coactus, et hinc Africanum Concilium posterius nuncupatus.

XV. Iterum Carthagine in autumno an. 418., ubi epistolæ Zosimi et damnatio Pelagianorum communi plausu excepta fuerunt. Dicitur et hoc Concilium Africanum, nempe tertium.

XVI. Etiam Carthagine an. 419. præside Aurelio, quod nomen quoque Africani quarti habet, et plures Canones edidisse refertur, qui in Codice Afric. Ecclesiæ notantur.

XVII. In Cilicia an. 423. adversus Julianum.

XVIII. Constantinopoli an. 424. in causa Episcoporum ex Italia ejectorum propter hæresin Pelagianam.

XIX. Romæ an. 425. sub Cœlestino I. P. M.

XX. Carthagine hoc vel priore anno, præside Aurelio, in causa Leporii, qui prius hæresi favens libellum satisfactionis dedit.

XXI. In Gallia anno et loco incerto, a quo missi Germanus Antissiodorensis et Lupus Trecensis Episcopi ad Pelagianos in Anglia debellandos.

XXII. Verolamii in Anglia an. 429., ubi duo illi Galliæ Episcopi Pelagianos convicerunt.

XXIII. Romæ an. 431. sub Cœlestino P. M., quod fuit quasi præparatio Concilii generalis.

XXIV. Ephesi an. 431. Conc. generale contra Nestorium et Celestianos, quo nomine dicebantur a Celestio, qui alias audiebant Pelagiani a Pelagio.

Patres, qui grassanti Pelagianæ hæresi scripta dogmatica opposuerunt, potissimi fuerunt S. Hieronymus, Augustinus, Orosius, Sixtus et Marius Mercator. Primo tribuitur, quod primus in aciem contra Pelagianos prodierit : secundo, quod eo præcipue duce bellum contra eos feliciter fuerit confectum. Unde posterioris hujus, nempe S. Augustini, opera contra *Pelagianos* scripta breviter recensere juvat ; omissis tamen libris, quibus eorum errores, antequam vulgarentur, jam præfocasse censeri potest, quales erant Libri tres *de libero arbitrio*, Liber unus *de duabus animabus*, Libri duo *de diversis quæstionibus ad Simplicianum*. Sunt autem secundum seriem chronologicam sequentia.

Anno 412. Libri tres ad Fl. Marcellinum *de peccatorum meritis et remissione*, in quibus peccati originalis existentiam et baptismi parvulorum necessitatem demonstrat : Pelagium adhuc commendat, eo quod ejus vita etiamnum a pluribus commendaretur. Item Liber unus ad eumd. Marcellinum *de spiritu et littera*, in quo impeccantiam Pelagianorum oppugnat, et hominem sine gratia, præter legem necessaria, ad justitiam pervenire posse negat. Data etiam est hoc anno epistola 120. (al. 140.) ad Honoratum, novos hæreticos exagitans.

Anno 413. Sermo 14. de verbis Apostoli (al. serm. 294.) quo Pelagianos perstringit.

Anno 414. Epistola 89. (al. 157.) ad Hilarium contra Pelagianos in Sicilia commorantes.

Anno 415. Liber unus *de natura et gratia* contra Pelagii librum de natura priore anno editum, quem tacito adhuc nomine refutat, et quid de natura, quid de gratia certum sit, edocet. Item Liber unus *de perfectione justitiæ* adversus definitiones Celestii, quam per solas naturæ vires possibilem, et ex gratia etiam in præsenti vita futuram negat. Ejus non meminit in LL. Retract., quia, cum ad Eutropium et Paulum scriptus sit, videtur ad seriem epistolarum pertinere. Scriptæ etiam hoc anno sunt epistolæ 28. et 29. (al. 166. 167.), ad Hieronymum, in quibus de origine animarum, et de loco Jacobi : *qui offenderit in uno* etc. tractatur.

An. 416. Epistolæ 252. (al. 179.) ad Joan. Hieros., 94. (al. 178.) ad Hilarium Narbon., 92. (al. 176.) ad Innocentium, quibus damnatio Pelagii in Conc. Carthaginensi et Milevitano narratur.

An. 417. Liber unus *de gestis Pelagii* vel *Palæstinis,* ubi de Synodo Palæstina, calliditate Pelagii et chartula defensionis ab hoc ad Augustinum missa agit, simulque ostendit ipsam hæresin damnatam fuisse, licet ejus auctor fraude damnationem evaserit. Item sermo 2. de verb. Apost. (al. serm. 131.), in quo causam Pelagianorum Sedis Apostolicæ judicio finitam docet. Adde epistolas 143. (al. 188.) ad Julianum, 57. (al. 187.) ad Dardanum, 106. (al. 186.) ad Paulinum, contra Pelagianos scriptas.

An. 418. Libri duo, alter *de gratia Christi,* alter *de peccato originali:* in quorum primo Pelagii artes et fucum circa gratiæ confessionem aperit et refellit : in secundo de peccato Adæ, de nuptiis, libidine, et de effectibus baptismi tractans, damnatam in Celestio Pelagii doctrinam convincit. Item epistolæ 105. (al. 194.) ad Sixtum postea P. M. et 157. (al. 190.) ad Optatum, quarum illa compendium quasi Catholicæ doctrinæ contra Pelagianos refert, hæc vero circa originem animarum versatur.

An. 419. Liber *primus* ad Valerium Comitem *de nuptiis et concupiscentia,* in quo de nuptiarum bono, concupiscentia ac pudore accurate agit. Item Libri quatuor *de anima et ejus origine,* quibus tum Manichæi, tum Pelagiani in iis, quæ ad ignorantiam et difficultatem spectant, confutantur.

An. 420. Liber *secundus de nuptiis et concupiscentia,* in quo depelluntur argumenta, quæ ex libris Juliani contra priorem S. Augustini de nuptiis et concupiscentia librum excerpta illi fuerant transmissa. Item Libri quatuor ad Bonifacium P. M. *contra duas epistolas Pelagianorum,* in quibus Catholica dogmata de reatu originali et gratia Christi contra Pelagianorum cavillationes vindicantur. Ad eumdem annum pertinet epistola 107. (al. 217.) ad Vitalem, in qua necessitas et gratuitas gratiæ adstruitur.

An. 421. vel sub initium sequentis, Libri sex *contra Julianum,* quibus illius libros quatuor, quorum excerpta in L. 2. de nupt. et concup. refutaverat, penitus excutit et refellit. Item *Enchiridion* ad Laurentium, sive Liber unus *de fide, spe et charitate,* in quo plura contra Pelagianos extant argumenta.

An. 424. Liber unus ad Valentinum et Monachos Adrumetinos *de gratia et libero arbitrio,* in quibus concordiam gratiæ et liberi arbitrii exponit, et controversias apud illos ortas, nonnullis nempe contendentibus, gratia ad pie-

tatis opera absolute necessaria, de libertate actum esse, S. Augustinus componere satagit.

An. 425. Liber unus ad eosdem *de correptione et gratia,* in quo ostenditur nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam, et discrimen gratiæ ante et post lapsum exponitur.

An. 426. et 427. Libri duo *Retractationum,* in quibus libros a se scriptos recenset, partim corrigit, partim confirmat, et dicta contra hæreticos explicat et urget.

An. 428. vel 429. Liber unus *de prædestinatione Sanctorum* et unus *de dono perseverantiæ* ad SS. Prosperum et Hilarium, quorum epistolis de Semi-Pelagianorum erroribus certior factus fuit S. Doctor. Hos autem in iis debellat, probatque, non solum incrementum, sed ipsum etiam fidei initium ac perseverantiam esse donum Dei.

Annis iisdem vel 430. Libri sex *contra Julianum,* dicti vulgo *opus imperfectum,* quia S. Augustinus morte occupatus relinquere hoc opus imperfectum coactus est, utpote an. 430. quinto Calend. Septemb. mortuus. In eo respondet ad libros octo a Juliano contra librum secundum Augustinianum de nuptiis et concupiscentia editos, quorum sex priores refutantur per sex a S. Doctore jam confectos, duo posteriores autem ob mortis interventum responsione caruerunt.

Pontifices summi, præter alios posteriores, omnes Pelagianæ hæresi coævi eamdem damnarunt, de quibus Gelasius P. M. ep. ad Honorium Dalmatiæ Episcop. ita scribit (Labb. t. 4. p. 1173. A.): *An fortasse nescitis hanc hæresin... et ab Apostolica dudum Sede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zosimum, Bonifacium, Cœlestinum, Sixtum, Leonem continuis et incessabilibus sententiis fuisse prostratam?* De his porro observandum :

1°. Innocentium inter Pontifices maximos fuisse primum, qui Pelagianam hæresin damnaverit, ejusque auctoribus et sectatoribus dixerit anathema, datis ad Patres Concilii Carthaginensis et Milevitani litteris.

2°. Zosimi in Pelagianos sententiam promulgatam esse per epistolam, quæ *Tractoria* vocatur, eratque prolixa, integram causam Pelagianam complexa, ad omnes Christiani orbis Episcopos directa, ut huic nempe formulæ singuli subscriberent; quod etiam ab omnibus est præstitum, exceptis cum duce *Juliano* Episcopis octodecim, qui cum interposita appellatione ad Œcumenicum Concilium provocassent, excommunicati, depositi, et e civitatibus suis expulsi fuerunt.

3°. A Cœlestino, in scripta ad Galliæ Episcopos epistola, laudatum et a sinistræ suspicionis rumore liberum semper habitum esse S. Augustinum. Huic annexa leguntur *decem decreta,* nomine auctoritatum præteritorum sedis Apostolicæ Episcoporum vulgata, quæ eidem Cœlestino adscribuntur a plurimis, a Petro Crabbo autem, Sirmondo et aliis adjudicantur.

178. *Dico III.* Errores Pelagianorum *universim* ad tria capita referuntur : 1°. Gratiam Dei secundum merita, solius naturæ seu liberi arbitrii viribus facta, dari. 2°. Hominem per easdem arbitrii vires posse divina omnia implere mandata, et sine omni peccato vivere, adeoque gratiam Dei necessariam non esse, ut homo legem servare et a peccatis abstinere possit; sed solum per eam fieri, ut facilius hæc homo possit. 3°. Peccatum primi pa-

rentis ipsi, non posteris nocuisse, seu non dari in nobis originale peccatum. Recensuit hæc S. Augustinus L. 3. ad Bonif. cont. duas ep. Pelag. c. 8., et L. de don. persev. c. 2. n. 4.

179. *Dico IV.* Errores Pelagianorum *speciatim et circa gratiam* colligi possunt ex systemate *Pelagii,* quod tres partes complectitur. 1ª. Est ejus distinctio inter *possibilitatem, voluntatem* et *actionem,* de qua S. Aug. L. de gr. Christi c. 3. n. 4. et c. 4. Quamvis enim Catholici etiam et Concilia hæc tria in homine etiam distinguant, et liberum arbitrium seu possibilitatem faciendi bonum vel malum fateantur esse a creatore Deo : negant tamen arbitrium illud se solo et sine gratia posse facere bonum, aut sine ea volitionem et actionem bonam a libero arbitrio procedere.

2ª. Est ejus distinctio inter *possibilitatem* et *adjutorium possibilitatis,* ubi per illam solam intellexit naturam; per adjutorium autem indicavit legem ac doctrinam, revelationem, exemplum Christi, remissionem peccatorum, et ad summum interiorem intellectus illustrationem de qua S. Augustinus L. de grat. Christi c. 6. 7. 8. 9. 10.

3ª. Est adjecta ab eo gratiæ duplex conditio. Qualecumque enim possibilitatis adjutorium Pelagius admitteret, 1°. negabat illud esse *gratuitum;* 2°. negabat esse *simpliciter necessarium,* sed tantum *ad facilius* duntaxat *agendum.* De utroque testatur S. Aug. L. de gr. Christi c. 26. et 31.

180. *Observa* varios Pelagianæ hæresis *status* : *Primus* fuit velut *Ethnicismus,* in quo, nulla gratiæ facta mentione, Pelagiani naturam hominis sufficere dicebant ad bene agendum, vitandum peccatum, vincendas passiones et beatitudinem consequendam. *Secundus* fuit velut *Semi-Ethnicismus,* in quo naturam ipsam tanquam gratiam agnoscere et prædicare cœperunt. *Tertius* fuit velut *Judaismus,* in quo aliud genus gratiæ, nempe legem seu doctrinam divinam, exempla Christi, et remissionem peccatorum admiserunt. Atque hi tres status ponuntur fuisse ante latam a Zosimo sententiam : post eam vero et ab anno 418. successit major, ex opinione *Jansenii,* mutatio dogmatis Pelagiani. Hinc juxta eum *quartus* fuit *Semi-Christianismus,* in quo concesserunt quidem veram gratiam etiam voluntatis, quæ nempe faciat velle et operari, sed tantum ad perficiendum bonum, non autem inchoandum, adjectis simul duabus conditionibus gratiam evertentibus.

181. *Dico V.* Fundamenta hæresis Pelagianæ tria colliguntur ex scriptis SS. Patrum adversus Pelagianos. *Primum* et principale, quod existimarent Pelagiani necessitatem gratiæ ad bene operandum repugnare *libero arbitrio* et inducere fatum. Docemur id ex S. Augustino de gestis Pelag. c. 35. n. 65.

Secundum, quod Deus non præcipiat, nec præcipere possit *impossibilia;* unde, cum homo secundum se sit capax legis et præcepti, statuebant, eumdem etiam secundum se posse implere præcepta a Deo imposita, ac proinde gratiam ad ea implenda non esse simpliciter necessariam. Habetur id ex ipsa Pelagii ep. ad Demetriad. c. 4. 16. et 18. (inter opp. Hieron. t. 11.).

Tertium, quod alias videretur Deus *acceptor personarum,* si gratiam suam unis negaret, aliis concederet, nullis eorum præcedentibus meritis; propter quod Pelagius censuit gratiam Dei secundum merita nostra dari, ut ex

erroribus in Conc. Diospolitano damnatis, L. de gest. Pel. c. 14. et L. de hæresib. hær. 88. liquet.

His tamen fundamentis quantumlibet positis, haud gravate Pelagius admisit *adjutorium legis* ac *doctrinæ*, exemplum item Christi et adminicula. Cum enim hæc omnia non nisi ad intellectum pertineant et solam suscitent cognitionem illius, quod faciendum vel omittendum est; in ejus systemate remanebat tota facultas *voluntatis* et *liberi arbitrii nativi*, sufficiens sibi vis ad bonum quod lex ostenderit, licet in actum exire non posset, nisi cognitio præcessisset, non quidem defectu potestatis, sed solius illuminationis.

QUÆRES I. *An et qualem gratiam illustrationis interiorem tandem admiserit Pelagius?*

182. R. I. Pelagius admisit interiorem gratiam, qua intellectus intime a Deo illustratur.

Prob. S. AUG. de Pelagio L. de gr. Christi c. 41. *Ipsas quoque*, inquit, *ut in scriptis suis apertissime affirmat* (Pelagius), *orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione et actione perficiat.* His autem manifeste designatur, præter legis doctrinam exteriorem et revelationis propositionem, vera et interna illustratio; quia, qui orat, jam lege et revelatione prævia instructus est, et aliam adhuc doctrinam utique petit.

Conf. S. AUGUSTINUS, dum ibidem c. 29. recitasset hæc Pelagii verba : *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam*, subjungit : *Tolle facilius, et non solum plenus, verum etiam sanus est sensus.*

Nec dicas : S. AUGUST. hæc et similia omnia ferme semper revocat ad legem et doctrinam, ut vel ex uno c. 7. de gr. Chr. manifestum est.

R. *D.* Revocat ad legem, quatenus hæc omnia tantum manifestant Dei voluntatem, non autem vim agendi libero nostro arbitrio suppeditant, quod ipsum duntaxat lex et doctrina facit *C.* quatenus hæc omnia habeant se omnino exterius ut lex, vel forsan mere ex parte objecti, ut potest esse doctrina et revelatio *N.* Primum sensum fuisse genuinum S. AUG., probat tota disputatio laudati libri, et verba ex eod. c. 10. huc referenda : *In lege namque et doctrina* sanctarum Scripturarum *futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo : ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur.*

183. R. II. Pelagius illustrationis gratiam, quam admisit, simul duplici errore fœdavit, 1°. volens nos eam promereri per naturæ vires : 2°. putans eam non esse simpliciter necessariam, sed tantum ad operandum facilius.

Prob. ex dictis n. 179.

Conf. S. AUG. L. de hæresib. c. 88. de Pelagio scribens : *Gratiam Dei*, inquit, *qua liberamur ab impietate* (dicunt) *secundum merita nostra dari.* Exin colligunt nonnulli, gratiam illustrationis hac duplici proprietate vitiatam non esse veram illustrationem supernaturalem, quæ intellectum elevet ad actus similes eliciendos : adeoque gratiam hanc a Pelagianis admissam

referri posse ad illustrationem quidem intra intellectum existentem, sed tamen ex parte objecti, quod tantum proponit et ostendit, se tenentem.

Nec dicas 1°. Pelagius anathematizavit eos, qui gratiam Dei et adjutorium non ad singulos actus dari opinantur, et illud putant in libero arbitrio esse, vel in lege Dei ac doctrina, ut Aug. docet L. de gest. Pel. c. 14. Ergo admisit gratiam illustrationis interiorem a lege scilicet distinctam ut necessariam.

R. *D. Cons.* Admisit ut necessariam simpliciter *N.* ut necessariam ad facilius observanda præcepta et operandum *C.* S. Aug. ex Pelagii doctrina L. de hæres. exposita colligens observat : *Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia divina facere jussa divina.*

Nec dicas 2°. S. Aug. alibi sæpius et L. de gr. Chr. c. 47. unum adversus Pelagianos contendit, ut non solum fateantur adjuvari a Deo possibilitatem per mentis illuminationem, verum etiam voluntatem et actionem per subministrationem Spiritus sancti; hoc enim concesso, *nihil,* inquit, *de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur;* ergo Pelagius in nullo dissensit ab Aug. circa illustrationem internam.

R. *D. A.* Dixit nihil futurum controversiæ de adjutorio Dei, quantum præcise pertinet ad substantiam vel genus gratiæ *C.* quantum spectat ad conditiones vel proprietates gratiæ *N.* Gratia Christi *propria* et *completa* quoad substantiam quasi complectebatur duo genera auxiliorum internorum, unum ex parte *intellectus,* alterum ex parte *voluntatis;* primo itaque concesso a Pelagio, exigebat Aug. ut et alterum admitteret, et sic quoad hoc nulla futura erat controversia. Sed eadem gratia essentialiter etiam requirebat tanquam prædicata propria, ut esset *gratuita,* et daret *simpliciter* posse vel potentiam actus salutares eliciendi. Atque Pelagium non minus urgebat S. Augustinus, ut duplicem hanc proprietatem agnosceret in ea, quam admittebat, gratia, ac illud voluntatis adjutorium.

Quæres II. *An Pelagiani admiserint tandem gratiam inspirationis, seu auxilium internum voluntatis?*

184. R. I. Nec Pelagius, nec Celestius admiserunt gratiam interiorem voluntatis.

Prob. de Pelagio. S. Aug. de universa Pelagii doctrina L. de gr. Chr. c. 5. sic enuntiat : *Scire quippe debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio; sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo; tanquam hoc sit infirmum, quod Deus ipse posuit in natura : cætera vero duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma et fortia et sibi sufficientia, ut nullo indigeant ejus auxilio : et ideo non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle et agere valeamus.* Idem judicavit S. Aug. de scriptis Pelagii singulis, ad quæ hic provocavit.

Prob. de Celestio. Testatur S. Aug. L. de gr. Chr. c. 30. n. 32. *Nam ut de Celestii opusculis interim taceam, vel libellis ejus, quos judiciis ecclesiasticis allegavit, quæ vobis omnia, cum aliis quas necessarias existimavimus litteris, mittenda curavimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis advertere non eum ponere Dei gratiam, qua juvamur, vel ad declinandum a malo, vel*

ad faciendum bonum præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina.

Nec dicas 1°. Pelagius ultro concedebat *possibilitatem* boni, seu potestatem bene agendi esse a Deo, et simul etiam *adjutorium possibilitatis,* ut constat ex c. 3. et 4. L. de gr. Chr. : sed adjutorium istud vera est et interna voluntatis gratia ; ergo. 2°. Pelagius admisit interiorem illustrationis gratiam; agnovit pariter ex illa illustratione oriri quosdam voluntatis motus indeliberatos : sed hi motus sunt ipsissima voluntatis gratia ; ergo.

R. *Ad* 1um. *N. m.* Præter hactenus dicta id liquet ex L. de gr. Chr. c. 41. ubi S. Aug. de Pelagianis ait : *Nullum auxilium gratiæ credunt, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege atque doctrina.*

R. *Ad* 2um. *D.* 2^{am}. *p. M.* Agnovit motus indeliberatos mere naturales ex ipsa scilicet voluntate prosilientes occasione illustrationis intellectus *C.* motus supernaturales *N.* vel *subd.* qui a divina gratia proprie, immediate et efficienter in ipsa voluntate excitati promanant *N.* qui et quatenus metaphorice, mediate et objective, ratione scilicet objecti supernaturaliter propositi, dicuntur supernaturales *C.*

185. R. II. Nec Pelagiani reliqui, etiam post damnationem hæreseos a Zosimo latam, admiserunt interiorem voluntatis gratiam.

Prob. universim de Pelagianis ex L. de hæresibus, quem S. Aug. scripsit post libros Retractationum, ut patet, tum quod ejus recensio nulla fiat in his libris, tum quod id ipsum testetur epistola ad Quodvultdeum huic libro præfixa; unde et Lovanienses operum S. Aug. editores in Tomi 6. initio notant, eum vel postremum, vel inter postremos esse scriptum.

Prob. speciatim de Juliano. Quamvis concedamus hunc, pluribus loquendi formulis, visum fuisse declinare ad *Semipelagianismum,* tamen non minus ille, ac ante Pelagius, variatione verborum qualicumque potuit duntaxat facere fucum, et revera nec recedere a Pelagiano systemate, nec aliam gratiam admittere, quam quæ per revelationem sapientiæ et mentis illuminationem, non vero per virtutis subministrationem operetur. Atque hoc etiam evenisse probabilius persuadet tum Juliani ingenium acre ac tortuosum : tum Augustini in L. de hæresibus ad Quodvultdeum c. 88. testimonium, quod Juliano et reliquis Pelagianis injuriosum ac calumnia plenum foret, si illi reipsa mutassent de gratia voluntatis sententiam : tum quod S. Aug. Juliano æque ac aliis post an. 418. eumdem errorem, quem antea tenuerant, objiciat et oppugnet.

Nec dicas : S. Aug. in posterioribus suis libris docet 1°. Julianum admisisse gratiam, qua *in ipso opere* homo *adjuvetur* ; patet ex L. 1. cont. duas ep. Pelag. ad Bonif. c. 18. etc. 2°. Eumdem et reliquos Pelagianos convictos agnovisse gratiam, per quam *bene operamur,* per quam *lex impletur, et natura liberatur,* per quam fit, *ut peccatum non dominetur*; liquet ex L. de gr. et lib. arb. c. 14. 3°. De iisdem testatur unicum eorum effugium jam esse, quod dicant gratiam præcedere *merita naturæ,* ut loca modo indicata docent ; aut eo etiam deflectere, ut dicant Dei gratiam esse *adjutricem ad facilius faciendum,* ut habetur in serm. 13. de verb. Apost. c. 11. et 12. (al. serm. 156. n. 12. 13.) Unde etiam S. Doctor totus est in debellandis duntaxat his effugiis Pelagianorum, tum in LL. cont. duas ep. Pelag. ad Bonif.

et de gr. ac lib. arb., tum in illo sermone. 4°. Recensens L. de don. persev. c. 2. n. 4. ea, quæ contra Pelagianos Catholica tenet Ecclesia, nihil circa gratiam commemorat, quam quod ipsa *necessaria* sit et *gratuita;* ergo non obscure indicat, eos tunc recte sensisse circa substantiam gratiæ, et sic internum voluntatis auxilium admisisse.

R. Cum et *Jansenius* et reliqui Doctores, qui nobis hic contrariantur, admittant plerique a Pelagio non fuisse admissam gratiam voluntatis, inde manifesta contra illos potest formari instantia. Nam et hic æque energice, ac Julianus et reliqui Pelagiani, dixerat *Deum operari in nobis velle, quod bonum, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem,* quin tamen his formulis veram actionis gratiam fateretur. Nec minus ille etiam dilabebatur ad duo illa effugia, et S. Aug. jam in libris suis prioribus hæc præcludere laboraverat; et tamen inferri hinc aliquid contra communem, quam nobiscum tenent sententiam, non patiuntur adversarii.

Unde *ad* 1um. *et* 2um. R. Admissam esse gratiam, qua Spiritu sancto interius illuminante illustratur intellectus, atque sic *mediate* juvetur homo in opere, lex impleatur, natura liberetur, peccatum non dominetur : non vero talem, quæ subministratione virtutis et *immediata* efficacia ipsam voluntatem et actionem juvet intime atque perficiat.

Ad 3um. R. Pelagianos hic et suum ingenium et communem hæreticorum morem observasse, ut jam huc jam illuc dilabi conarentur : S. Doctorem autem pro suo ardore et copia fecisse, ne locum elabendi ullum pateretur. Cæterum labor ille in asserenda *necessitate* et *gratuitate* gratiæ conferebat quoque plurimum ad ipsam gratiæ naturam et substantiam evincendam; atque hinc posteriorem quæstionem quasi concessam, et ideo omissam esse, nullatenus dici potest.

Ad 4um. R. *similiter.* Quod vero in L. de don. persev. referre omisit, quia id materia quæstionis non exigebat, retulit tamen luculenter tum post ætatem hujus libri in L. de hæres. c. 88., tum paulo ante in L. de gr. et lib. arb. ubi c. 11. *Quid est ergo,* inquit, *quod vanissimi homines et perversissimi Pelagiani legem dicunt esse Dei gratiam, qua juvamur ad non peccandum.*

Quæres III. *An Pelagiani admiserint gratiam habitualem?*

186. R. I. Si verba Pelagianorum spectentur, certum videtur, ab illis agnitam et admissam esse gratiam habitualem.

Prob. Julianus apud S. Aug. L. 1. contr. eumdem c. 6. n. 21. sic ait, citans verba Joann. Chrys. hom. ad Neophytos : *Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.*

Conf. Ex *effectibus,* quos Pelagiani gratiæ Christi a se receptæ tribuerunt. Ii autem sunt 1°. Abstersio peccatorum; sic Julianus apud S. Aug. L. 2. op. imperf. n. 212. *Gratia... infusa semel uno virtutis suæ impetu atque compendio, diversa et plurima delet crimina.* 2°. Instauratio et Innovatio naturæ; sic Julian. apud Aug. L. 3. contr. eumd. c. 3. n. 8. *Christus... auget circa imaginem suam continua largitate beneficia; et quos fecerat condendo bonos,*

facit innovando adoptandoque meliores. Et Pelagius ep. ad Demetriad. *Instaurati per gratiam Christi et in meliorem hominem renati sumus.* 3°. REGENERATIO; sic Julian. apud AUG. L. 5. cont. eumd. c. 3. et Pelagius apud AUG. L. de hæres. c. 88. similiter de regeneratione per baptismum loquuntur. 4°. JUSTIFICATIO et SANCTIFICATIO; sic enim Julian. apud S. AUG. L. 2. op. imperf. n. 212. *Ideo ait* (Apostolus) *ex multis delictis in justificationem; id est, ex multis delictis liberatos homines ad gloriam perducit justificationis indultæ.* Pelagius vero in Comment. ad c. 5. ep. ad Rom. et ad c. 5. ep. 2. ad Cor. idem ait. 5°. ADOPTIO et HÆREDITAS; sic enim Pelagianos S. AUG. L. 2. ad Bonif. c. 6. n. 11. compellat : *Regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis, imo etiam prædicatis.* 6°. INFUSIO vel COLLATIO VIRTUTUM; sic Julianus apud S. AUG. L. 1. op. imperf. n. 53. ait : *Hanc* (baptismatis) *gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus, pro infirmitatum generibus et humanorum statuum diversitatibus, una, tam remediorum collatrice quam munerum, virtute medicatur.*

187. R. II. Si artes et subdolæ Pelagianorum explicationes attendantur, *incertum* videtur an gratiam habitualem admiserint.

Ratio est, quia sicut variæ et energicæ loquendi formulæ, quibus videbantur asserere *adjutorium voluntatis,* erant compositæ ad fucum Catholicis faciendum, nihilque reipsa præter legem, doctrinam, revelationem et internam illustrationem concedebant : ita totus etiam ille verborum apparatus ex simili arte videtur esse profectus, nec *gratiam habitualem* in sensu Catholico asserere. Probabiliter enim opinari licet, Pelagianos tantum intellexisse *remissionem* evenire per simplicem externam peccatorum condonationem : *sanctificationem,* regenerationem et adoptionem similiter per externum favorem Dei ad regnum destinantis; sicut sola Principis voluntate quis ad regni dignitates destinari potest, quin aliqua illi virtus interna communicetur : *virtutum* etiam collationem, cum hæ sint illa ipsa gratiæ opera et munia, fieri et explicari per intrinsecam condonationem vel favorem.

Fundamentum hujus assertionis præbet S. AUGUSTINUS, qui 1°. DE REMISSIONE PECCATORUM sensum Pelagianum sic explicat L. 6. contr. Julian. c. 23. n. 72. eumdem alloquens : *Tu a vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per J. C. D. N. sic in sola peccatorum remissione versari, ut non adjuvet ad vitanda peccata et desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis.* 2°. DE INSTAURATIONE ET REGENERATIONE similiter loquitur S. AUG., L. de gr. Ch. c. 38. n. 42. 3°. DE JUSTIFICATIONE ET SANCTIFICATIONE ad eumdem sensum pertinet S. AUGUSTINI effatum, ex L. de gr. Christi c. 30. n. 31. *Istam gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii et Celestii scriptis... nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* 4°. DE VIRTUTIBUS ac nominatim de fide nihil probant; verba enim Juliani supra cit. : *Sed hanc gratiam locupletem spiritualibus donis credimus, quæ multis opima muneribus ac reverenda virtutibus* etc., vel ipso *Jansenio* hic adversario judice, intelligi possunt de gratia baptismi intransitive sumpta, id est, de baptismo, qui vires habeat ad multos effectus præstandos ratione et modo nuper assi-

gnatis. Adhæc S. Aug. L. 6. contr. Julian. c. 3. n. 6., ubi eatenus parvulos tantum ex eorum sententia dicit fideles, quatenus per alios credunt. *Velitis, nolitis,* inquit, *parvulos credere confitemini in Christum per corda et ora gestantium.*

ARTICULUS II.

QUINAM PRIMI FUERINT SEMIPELAGIANI EORUMQUE DEBELLATORES ET ERRORES?

188. *Nota. Semipelagiani* eo nomine appellati, quod multa Pelagianorum dogmata ejurantes aliqua tamen retinuerint, dimidiato quasi errore ea secuti, in quibus, teste Prospero, non mediocris pestilentiæ fibra nutritur. Dicti etiam sunt *Reliquiæ Pelagianorum,* quod ex eorum cineribus excitati partem aliquam erroris jam prostrati superstitem facerent: dicti item *Massilienses* ab urbe Massiliensi in Gallia, in qua Semipelagiani existebant, de quorum erroribus S. Prosper et Hilarius ad S. Augustinum retulerunt.

189. *Dico I.* Inter Semipelagianorum principes numerantur 1°. *Joannes Cassianus,* natione Gallus, vitam monasticam primum in Palæstinæ et Ægypti cœnobiis professus, dein Diaconus a S. Joanne Chrysost. ordinatus, post ejus obitum Massiliensis Presbyter factus, in extructo Massiliæ cœnobio subsistens. *Collatoris* nomen nactus est, ob scriptos de Institutis Monachorum Ægypti commentarios et Patrum Collationes, in quarum decima tertia præsertim Semipelagianos errores diserte docuit.

2°. *Faustus* natione Britannus, primum cœnobii Lirinensis Abbas, post Rejensis in Gallia Episcopus, errorum a Joanne Cassiano haustorum propugnator acerrimus, post an. 475. Libros 2. de gratia et libero arbitrio edidit, in quibus Massiliensium dogmata et calumnias contra S. Augustinum, ejusque præsertim librum de prædestinatione, instauravit.

3°. *Vincentius,* de quo inter eruditos est controversia, secundum Norisium et Nat. Alexandrum est ille, qui Tulli natus, cœnobii Lirinensis in Provincia Monachus et Abbas, scripsit Commonitorium duplex adversus Hæreticos, et hinc ab iisdem Vincentianarum, numero sexdecim, objectionum auctor habetur, atque in ipso Commonitorio tecte et per cuniculos S. Augustinum ac ejus discipulos impugnasse perhibetur, ante annum 450. mortuus. His secundum communiorem addendus venit

4°. *Gennadius* Massiliensis Presbyter, cujus animus factioni Semipelagianæ addictus ex libro colligitur, quem de Viris illustribus anno circiter 490. conscripsit.

Præter hos in Semipelagiano errore se aliquando versatum fatetur S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 3., et hinc quasdam propositiones Expositionum in epist. ad Roman. ante Episcopatum scriptarum in LL. Retract. emendat. In eumdem errorem prolapsi fuerant *Vitalis* quidam Carthaginensis et nonnulli *Monachi Adrumetini,* quorum tamen primum revocavit S. Aug., ut ex ejus epist. 107. (al. 217.), liquet: postremos autem idem etiam statim corripuit. *Severum Sulpitium* Semipelagianum putavit Baronius; sed edidit pro eo apologiam Guibertus Abbas Gemblacensis, et ex Chronologia eum vindicavit Labbeus: *S. Honoratum* Massiliens. Ep. in similem suspicionem deduxit Norisius, sed ab eadem liberavit eum Nat. Alexander: Jansenius denique *S. Joannem*

Chrysost., *S. Hieronymum* aliosque nonnullos Patres, maxime Græcos eadem fuligine aspersit, quam injuriam deterserunt plures tum Scholastici, tum Historici.

190. *Dico II.* Præter S. Augustinum, qui delatum ad se Semipelagianismum Libris de prædestin. Sanctorum et de dono perseverantiæ impugnavit, contra Gallos Lugdunensis et Arelatensis Provinciæ in novam sectam circa an. 428. coeuntes, tum Patres, tum Pontifices, tum Concilia decertarunt, et hæresin tandem contriverunt.

Inter Patres referuntur S. Prosper Aquitanus, et Hilarius, qui cum priore Semipelagianos ad S. Augustinum detulit; S. Fulgentius Ruspens. Ep., S. Cæsarius Arelatensis, Joannes Maxentius et Petrus Diaconus; quorum tamen primus ut tempore, sic et ardore et victoria fuit S. Prosper. Nam eam in rem jam an. 429. scripsit epistolam ad Ruffinum : an. 432. exagitavit Joan. Cassianum libro contra Collatorem scripto : an. 434. respondit ad Capitula 15. Gallorum calumniantium : edidit Responsiones ad excerpta Genuensium, in quibus difficultates quasdam in S. Augustini libris inventas Camillus et Theodorus Genuenses Presbyteri proposuerant : adjecit etiam Responsiones ad Capitula objectionum Vincentianarum. Sub hæc tempora ex simili occasione scripsit Epigrammata plurima et celeberrimum Carmen de ingratis.

Inter Pontifices locum præcipuum habet Cœlestinus I., qui an. 432. data ad Gallicanos Episcopos epistola S. Augustini doctrinam contra Semipelagianorum calumnias vindicavit; quod idem præstitit Gelasius I. in epist. ad Picenos an. 494. Concilium, ante Synodum Valentinam imperante Lothario an. 840. celebratam, et præter Valentinam a Cæsario Arelatensi an. 529. indictam, celeberrimum in hac materia est Arausicanum II. eod. an. 529. a 14. Episcopis habitum, quod 24. Canonibus ex Augustini scriptis ad verbum expressis, et a Felice Rom. Pontifice ad Concilium transmissis, errores Semipelagianorum damnavit, altero mox anno 530. a Bonifacio II. P. M. data ad Cæsarium Arelat. epistola confirmatum ; atque sic aliis per orbem Episcopis silentibus facta est decisio, *quam non sequi nemini permissum erat,* ut ipsemet Quesnellus in Libro, cui titulus : *Traditio Ecclesiæ Romanæ,* loquitur.

Ab hoc tempore *Semipelagiani* haberi hæretici cœperunt, cum antea Catholici nominis honore non exciderint, ut ex S. Augustini et Prosperi operibus constat, qui illos etiamnum *Fratres* et *dilectores suos, Catholicos, Concorporales* suos et *participes gratiæ Christi,* imo *Sanctos* compellabant. Hinc liquet, cur non obstantibus erroribus suis, se scilicet viventibus necdum ab Ecclesia damnatis, Joannes Cassianus a S. Greg. M. L. 6. ep. 12. dicatur Sanctus, ejusque memoria Massiliæ colatur die 23. Junii : cur Fausti nomen sacris Gallicanæ Ecclesiæ Fastis sit adscriptum : cur auctoritas Commonitorii a Vincentio Lirinensi scripti, ejusque tradita ibidem de Traditionibus et Patrum usu doctrina, non debeat rejici ab Heterodoxis; præsertim cum in his fidei regulis hic scriptor nec a S. Augustino, nec ab aliis Patribus, nec ab Ecclesiæ doctrina dissentiat.

191. *Dico III. Semipelagiani* de peccato originali et necessitate gratiæ Christi ad illius remissionem ac justitiam et salutem recte senserunt : Capitalis autem illorum error fuit, *initium* aliquod fidei, justitiæ ac salutis esse

a nobis. Quippe in *fide* Semipelagiani distinguebant tria : initium, augmentum et perseverantiam. *Initium fidei* dicebant complecti 1°. fidem, per quam aliqui intelligunt actum fidei inchoatæ et pium credulitatis affectum, alii fidem et actum perfectum ; hæc, quia vel sola externa prædicatione Evangelii excitari poterat, a Semipelagianis non reponebatur in numero bonorum operum : 2°. desiderium salutis inde ortum : 3°. orationem ac imploratione opis et benignitatis divinæ.

Hæc omnia ex *solis viribus naturæ* haberi statuerunt, ad id explicandum, teste Hilario in sua ad S. Aug. epistola (inter August. 226.), hac usi *similitudine :* Ægrotus, inquiebant, non advocaret medicum, nisi præcederet bona de eo existimatio, h. e. humana credulitas, qua credit eum posse et velle sanare : et tamen neque bona hæc de peritia et benignitate medici existimatio, nec vocatio illius, nec sanitatis per ipsum consequendæ desiderium, partem in opere curationis ullam habent, utpote quæ adscribenda est potius medici industriæ et medicamentorum virtuti. Per *augmentum fidei* intelligebant ipsum opus bonum, quo putabant fidem augeri, atque hinc illud nonnunquam fidei incrementum vocabant. *Perseverantia fidei* autem complectebatur tam fidem, quam ipsa etiam opera bona diu, constanter, vel ad finem saltem perducta. De *initio boni operis* autem aliter ac de fidei initio loquebantur.

Discrimen enim ponebant inter bonorum operum initium et inter eorum voluntatem, desiderium et conatum ; quia initium boni operis est operis boni actus et exercitium quantumvis tenue ac imperfectum, sicut initium fidei est fidei actus imperfectus : sed velle, desiderare et adniti ad opus bonum non est bonum opus ; sicut nec velle, desiderare et adniti ad sanitatem est sanitas.

Hinc in *Semipelagianorum* sententia hic ordo actuum occurrebat : 1us. actus erat *actus fidei,* quo in Christo creditur, quem sola præcedebat Evangelii annuntiatio ; quia vero non tantum ministerio Evangelicæ prædicationis poterat excitari in homine affectus ad bonum, sed etiam per exhortationes et comminationes humanas, hinc nonnunquam in scriptis Semipelagianorum hujus actus præambuli mentio dissimulatur : 2us. erat *simplex voluntas* vel complacentia in sanitate acquirenda, naturaliter omnino ad fidem sequens, qua homo infirmitatem suam virtute Christi sanari posse credebat : 3us. erat *desiderium* sanitatis, quod ex illis præcedentibus naturaliter emicabat : 4us. erat iners quidam surgendi *conatus* ex desiderio sanitatis similiter exortus. Hunc vero cum vires fractæ et debilitatæ non sequerentur, accedebat 5us. quo voluntas exclamabat, petebat, quærebat, pulsabat, et dexteram sibi porrigi postulabat.

Denique his naturalibus actibus prægressis, gratia jam ad incipiendum et perficiendum virtutis opus necessaria tanquam *merces* retribuebatur a Deo, quam ultro et gratis dari incredulis et otiosis Semipelagiani inficiabantur. Patent hæc ex S. Aug., S. Prosp., Hilar., etc. infr. referendis.

192. *Dico IV. Fundamentum* hujus erroris erat idem, quod principale Pelagianorum ; unde Prosper in sua ep. ad S. Aug. observavit, quod *egregiis viris* (Massiliensibus) *spiritus Pelagianæ impietatis illudat.* Putabant nempe penitus sublatam fore *libertatem humanam,* nisi a peccato Adami superesse

id naturali arbitrio diceretur, ut medicum saltem, in quo crederet, posset accersere, et ad salutem ipsius ope dein procurandam ægrota voluntate suspirare; hoc enim sublato nec in nostra libertate quidquam reliquum esse, ut salvari possimus, et Deum *personarum,* non voluntatum *acceptorem* fore causabantur, si quos vellet, immerentes vocaret ad fidem. Patet hoc ex Cassiani Collat. 13. c. 12.

193. *Dico V.* Ex hoc errore et fundamento plures errores alii Semipelagianorum pullulabant.

1us. Erat circa *perseverantiam* Sanctorum in bono. Hanc voluntate efficaci quibusdam a Deo donari, aliis non donari, admittere recusabant : sed sicut Adamo datum fuit adjutorium, quo poterat perseverare, si vellet, ipsaque perseverantia fuit arbitrio ipsius relicta ; ita et nunc nobiscum agi putabant, ut omnibus hominibus, qui fidem *naturæ conatu* amplecti et Dei medentis auxilium implorare vellent, huic merito gratia retribueretur, qua perseverare possent, ipsa interim perseverantia ipsorum arbitrio relicta. Proponit hoc Hilar. in ep. ad S. Aug. n. 6.

2us. Erat, Deum paratum esse *indifferenter* sua omnibus dona communicare, sed expectare solummodo *conatum naturæ,* nec ante, quam vocatum accurrere, atque hinc creaturam vi naturali promereri et arripere gratiam. Sic Prosp. testatur in ep. ad S. August. n. 6. Unde patet, hæresin Semipelagianorum non stetisse in eo, quod admitterent dogma Catholicum de *gratia sufficiente* omnibus parata; sed quod hanc ex merito naturali, et quidem non sine illo dari assererent.

3us. Erat, Deum *æque velle* omnes homines salvos fieri, si ipsi conatu naturali velint. Hunc sensum Prosp. ibid. immediate ante designaverat. Hic vero orthodoxa quidem est propositio illa : *Deus vult omnes salvos fieri, si ipsi velint,* modo hæc salutis voluntas in Dei gratiam prævenientem refundatur, nec libero arbitrio *solis naturæ viribus* quærenti tribuatur. Similiter Deum velle omnes homines salvos fieri *generali voluntate,* et quidem proprie tali, bona, beneplacenti, et, quantum ex parte ipsius est, perfecta et sincera, Catholicum est : sed Deum singulari voluntate, consilio et proposito nolle *prædestinatorum salutem* magis efficaciter quam aliis, id Semipelagianum ; quod Prosp. refellit in Carm. de ingratis c. 13. (L. 2. vers. 309. et seqq.)

4us. Erat, simili ratione *Christum* pro omnibus hominibus esse *mortuum,* et a redemptione sanguinis atque a beneficio ejusdem neminem esse exceptum, sed omnes æque esse participes. Sensum hunc iterum exposuit S. Prosp. in ep. cit. n. 6. Ubi non est *Semipelagianum* dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse ; asserentem enim id propositionem Jansenii damnarunt Pontifices : sed hæresis erat in hoc, quod dicerent *Semipelagiani* Christum esse mortuum, ut iis succurreret et gratiam vitamque æternam largiretur, qui hæc naturali desiderio et fidei naturalis merito impetrarent.

5us. Erat circa *prædestinationem.* Nullam enim electorum vocationem secundum propositum et prædestinationem gratuitam admittebant Semipelagiani ; sed 1°. principium *discretionis* fidelis ab infideli non a gratia Dei, sed a fidei naturalis merito petendum putabant. 2°. Cum interrogarentur cur his potius nationibus prædicaretur *Evangelium,* vel his potius hominibus

daretur prædestinatio, quam aliis nationibus vel hominibus, cum apud neutros merita præcessissent prædicationem vel gratiam; respondebant id factum propter *præscientiam* naturalis fidei et primæ voluntatis, quæ in his potius, quam illis futura erant. 3°. Cum urgerentur exemplis *parvulorum*, quorum aliqui baptismo initiati, alii sine eo infantes decedunt, et sic discretionis causa non potuerit esse etiam naturalis meritorum diversitas futura; responderunt, consequenter errando, hunc baptizari, istum negligi, quia hujus merita naturalia, quæ habiturus fuisset, si ad maturam ætatem pervenisset, prævisa a Deo fuerint, istius non item. De singulis testantur SS. Prosper n. 3. et Hilarius n. 6. in ep. ad S. Aug.

Ad hunc errorem non pertinere sententiam plurimorum Theologorum, tum *gratuitam prædestinationem* negantium, tum asserentium *scientiam mediam*, vel ex uno Natali Alex. colligi potest, cujus testimonium minus potest esse suspectum, quo magis ipse sua in opinione a gemina illa sententia recedit. Hic enim ubi postremum hunc errorem retulisset ad Secul. V. c. 3. art. 8. hæc monet : *Cavendum, ne recentioribus quibusdam Theologis, qui prædestinationem electorum ad gloriam intuitu meritorum* (nempe supernaturalium) *a Deo fieri contendunt, et scientiam quamdam mediam propugnant, semipelagiani erroris nota inuratur ; quod imprudenter et temere novi quidam auctores fecerunt, vel semipelagianorum dogmatum ignari, vel studio partium in transversum acti. Magnum enim est discrimen, quantum ad hoc utrumque dogma inter Semipelagianos ac illos Theologos. Nullam enim vero prædestinationem gratuitam Semipelagiani admittebant, nedum ad gloriam, sed nec ad gratiam : electionem scilicet ad gloriam merito operum* (intellige, in naturalibus initiis fundatorum) *tribuebant, electionem ad gratiam merito fidei, h. e. naturalis. Theologi vero laudati prædestinationem ad gratiam omnino gratuitam profitentur : solam electionem ad gloriam intuitu meritorum* (scilicet supernaturalium) *fieri volunt.*

Post pauca in propriam opinionem addita pergit : *Quod spectat ad scientiam illam, quæ media nuncupatur, non in hoc fuerunt hæretici Semipelagiani, quod eam admiserint ac propugnarint ; sed quod ex præscientia meritorum vel peccatorum, quæ nusquam essent futura, Deum hominum sortes definire assererent, et alios prædestinare ad gloriam, alios damnare ad pœnam : idque etiam locum habere in parvulis. At recentiores illi Theologi longe sunt ab istius erroris flagitio. Quod enim propugnant scientiæ mediæ genus circa merita vel peccata sub conditione, quæ nusquam ponenda sit, futura, non ita versatur, ut Deus in prædestinationis et reprobationis negotio rationem eorum aliquam habeat.*

194. *Observa.* Theologi quidam periti in duas generatim classes Semipelagianos distribui posse putant. In laxiores, qui a Pelagii placitis minus declinantes asserebant non solum voluntatem credendi vel initium fidei, sed initium etiam bonorum operum esse a nobis sine gratia : et in strictiores, qui a Pelagio longius distantes, solo sibi reservato initio fidei vel pio credulitatis affectu, cætera omnia gratiæ adscribebant. Videtur tamen postrema classis fuisse communis *Semipelagianis omnibus*; cum omnes videantur asseruisse prævenientis interioris gratiæ necessitatem ad quodvis opus bonum perficiendum, vel etiam incipiendum. Colligitur id ex S. Aug., qui

de Semipelagianorum opinionibus a Prospero et Hilario plenissime instructus, *universim* de Semipelagianis L. de prædest. Sanct. c. 1. id pronuntiat.

Quæres : *An Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constanter negaverint?*

195. *Nota.* Jansenius, duplici Semipelagianorum classe L. 7. de hæres. Pelag. c. 2. supposita, postmodum nempe L. 8. c. 6. scribit : *Itaque Massiliensium opinionibus et Augustini doctrina quam diligentissime ponderata, certum esse et indubitatum esse debere sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam et internam et actualem gratiam ac ipsam etiam fidem, quam humanæ voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur.* Et infra addit : *In hoc ergo proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant ; quo sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum ; ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet : neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio ; cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio ac potestate.* Contra hunc

196. R. I. Omnes Semipelagiani constanter negarunt ad initium fidei necessitatem gratiæ interioris, h. e. illustrationis simul et inspirationis.

Prob. I. Ex ipsis Semipelagianis. *Vitalis* Carthaginensis sententia liquet ex ep. 107. S. Augustini ad eumdem (al. 217. n. 1.) ubi S. Aug. : *Quomodo dicis,* inquit, *quod te audio dicere, ut credamus in Deum et Evangelio consentiamus, non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a nobis, id est, ex propria voluntate, quam nobis in nostro corde non operatus est ipse.* S. Aug. errorem suum, quem antea cum *Semipelagianis* communem habebat, sic exponit L. de prædest. Sanct. c. 3. n. 7. Errabam *putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis... Neque fidem putabam Dei gratia præveniri,... nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Ut autem prædicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium et nobis ex nobis esse arbitrabar.*

Cassianus de fide Centurionis Evangelici sic Coll. 13. c. 14. loquitur : *Non enim illam fidem, quam ei Dominus inspirabat, sed illam, quam vocatus semel atque illuminatus a Domino, per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia.* Similia refert c. 8. 11. 12. 15. *Faustus* autem L. 1. de lib. arb. c. 17.

Nec dicas 1°. *Cassianus* Collat. 3. item Collat. 13. c. 3. fatetur dari hominibus a Deo *inspirationem quamdam immissam in cor nostrum,* et statuit, *non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium.* 2°. *Gennadius* L. de Eccl. dogmat. c. 21. *Manet itaque,* inquit, *ad quærendam salutem arbitrii libertas..... sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut..... agat occasione salutis, hoc est, inspiratione* Dei.

R. *Ad* 1um. Præterquam quod *Jansenius* fateatur, Cassianum non admisisse reipsa gratiam ad initium fidei ; vel *inspiratio* a Cassiano sumitur pro sola *doctrina externa,* ut exempla de Abrahamo et B. Antonio ibidem allata persuadent : vel pro gratia tali, quæ aliquando immittitur a Deo, non autem semper, ut Collat. 3. c. 13. 14. et 19. explicat; unde propriam inspirationis gratiam ab eo intellectam non fuisse apparet. Quod alterum textum attinet,

St. Albert's College Library

constat ex eo, Cassianum subinde more Catholico locutum, sed inconstantem fuisse, uti S. Prosp. in L. contra Collatorem expendens Collationem 13. ostendit, et hinc Cassianum exagitat.

Ad 2um. R. Nat. Alexander probabilius existimat librum hunc a Gennadio ex hæresi Semipelagiana resipiscente fuisse scriptum, eo quod eumdem Gelasio P. M., qui *Cassiani* et *Fausti* libros censura notaverat, transmittere non esset ausus : atque hinc verba allata in sensum Catholicum explicat. In cujus confirmationem accedit, librum hunc ab Hadriano I. in ep. ad Carolum M. cum ipsius Gennadii elogio, quem Sanctum appellat, fuisse missum. Alii negant nomine inspirationis a Gennadio intellectam gratiam interiorem, cum ea dicatur *occasio salutis,* et verba *admonente Deo et invitante,* solum adjutorium in lege et doctrina positum sonent. Ubi vero dicitur nostræ potestatis, non autem divini muneris esse, quod acquiescamus inspirationi, Semipelagianus error profertur.

Prob. II. Ex Semipelagianorum Oppugnatoribus. Hilarius in sua ad Aug. epist. n. 2. *Quod dicitur,* inquit, *crede et salvus eris : unum horum exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate creatoris concessum est.* Similia refert S. Prosp. in sua ad S. Aug. epistola, quæ alias jam retulimus. S. August. etiam Semipelagianorum communem errorem confutaturus L. de præd. Sanct. c. 2. n. 3. scribit : *Prius itaque fidem, qua christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere.* Et postea n. 5. *Attendant hic et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum.*

Nec dicas : Contrarium videntur illi ipsi insinuare. Nam 1°. Hilarius ibidem dicit : *Cæterum ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* 2°. S. Prosper ibid. n. 5. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non prævium, humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* 3°. S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 1. n. 2. *Pervenerunt isti Fratres nostri..... ut præveniri voluntates hominum Dei gratia fateantur.*

R. *N. Ass. Ad* 1um. *et* 3um. R. Aliud juxta Semipelagianos fuisse initium *fidei,* aliud initium *boni operis.*

Ad 2um. R. Doctrinam Semipelagianorum fuisse, quod aliud sit *meritum,* quo meremur gratiam, aliud, quo vitam æternam meremur. *Primum* dicebant fidem naturalem seu fidei initium supr. explicatum : *secundum* opera bona seu justitiæ, quæ et quorum operatricem voluntatem non negabant a Deo præveniri. Distinxerunt inter *gratiam initialem,* h. e. initium fidei, seu meritum naturale, et inter *gratiam salvantem,* h. e. gratiam operum bonorum, seu justitiæ.

Unde constat, quare in loco nobis objecto Semipelagiani negent gratiam Dei esse *prævium humanorum meritorum,* et tamen non negent *voluntates a gratia* esse *præventas.* Non enim hic pugnantia loquuntur ; quod si fecissent, S. Prosper non omisisset vitium contradictionis objicere : sed præviam fidei initio gratiam negant, qua præveniri voluntatem in operis boni etiam initio affirmant. Constat præterea, quomodo gratiam etiam *illis voluntatibus sub-*

derent, quas ab ea *secundum suam phantasiam* non negabant præventas; dicebant enim internam gratiam, qua in Christo renascimur, et prævenniuntur opera justitiæ, merito *naturalis fidei* et *initialis,* h. e. creationis, gratiæ ope acquiri, et secundum hunc erroneum ac hæreticum sensum subdebant gratiam veram nostris voluntatibus.

Prob. III. Ex Damnationibus Semipelagianismi. Conc. Arausicanum II. damnans dogmata Semipelagianorum Can. 5. Apostolicis dogmatibus dicit adversari, qui *sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum non per gratiæ donum, sed nobis naturaliter inesse dicit.* Similia sunt, quæ Can. 4. 6. 7. et 25. damnantur. His adde sententias Bonifacii II. illud Concilium confirmantis : denique quartam propositionem e quinque Jansenianis damnatam ceu *falsam* et *hæreticam.*

Nec dicas 1°. Semipelagiani non solum negabant donum Dei esse initium fidei, sed etiam *finalem perseverantiam* : sed ad finalem perseverantiam non denegabant gratiæ indifferenter præmoventis necessitatem; ergo nec eam negabant ad initium fidei.

R. *D. M.* Eatenus etiam negabant finalem perseverantiam esse donum Dei, quatenus negabant prævenientem Dei gratiam interiorem dari ad perseverandum, sicut negabant hanc gratiam dari ad credendum *N.* quatenus *voluntatem perseverandi* negabant esse partum *gratiæ,* et volebant ita effectum esse *naturæ,* ut hæc voluntas etiam ipsam gratiam præveniret, utpote cujus piis conatibus ac desideriis ista gratia a Deo tribueretur *C.*

Nec dicas 2°. Iidem, teste Hilario ep. ad Aug. n. 7., moleste ferebant discrimen traditum ab Augustino inter gratiam collatam Adæ, sine qua per liberum arbitrium perseverare non poterat, et gratiam nunc *prædestinatis* præparatam, qua perseverantia ipsa donatur; et in hoc solo volebant a primo homine distare omnium naturam, *ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat : hos autem amissis et perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* Si ergo Semipelagiani non denegabant in Adam adjutorium *sine quo* ad omnia opera salutaria et volendum, neque illud negabant in hominibus lapsis ad fidem et credendum.

R. 1°. Semipelagiani hoc discrimen moleste ferebant ex non intellecta S. Augustini sententia. Putabant enim *perseverantiæ donum,* quo nunc prædestinati perseverant, esse gratias actuales, sicut erant illæ Adamo datæ, sine quibus perseverare non poterat; cum tamen S. Doctor *perseverantiæ donum* constituerit in speciali Dei providentia et misericordia erga prædestinatos, qua eorum vitæ seriem inter tot pericula tentationum, et bonarum malarumque actionum vicissitudines ita moderatur et gubernat, ut non sinat eos finire hanc vitam, cum sunt impii, sed tunc rapiat, cum sunt pii, ut infra ex S. Aug. præsertim L. de prædest. Sanct. exponemus.

R. 2°. Falsum esse, quod objectio supponit, Semipelagianos nempe admisisse in Adamo gratiam actualem *prævenientem,* sine qua in bono, in quo creatus erat rectus, perseverare non poterat. Admiserunt quidem, Adamo datam fuisse gratiam actualem *adjuvantem,* qua in fide et justitia permanere, vel ab ea deficere posset, si vellet; sed velle permanere in fide et justitia, poterat juxta ipsos Adam *incipere* solis naturæ viribus. Nos autem in hoc solo distare ab Adamo contendebant, quod *fidem* tantum, non autem

opera justitiæ, viribus solius naturæ incipere possemus; quod ipsum manifeste indicant verba Hilarii objecta. Porro observandum, voluntatem aliam esse *operatricem,* quæ boni initium et hinc bonum jam inchoatum est: aliam *præambulam tantum,* quæ dispositio duntaxat ad bonum ac ejus desiderium est, non autem bonum nequidem inchoatum.

Nec dicas 3°. pro Jansenii propositione damnata: 1. Primam ejus partem esse quæstionem *facti,* quæ proprie fidem non spectet: et hinc hæreseos notam in eam non cadere. 2. Eam quidem jure damnatam, sed ideo, quia *indefinita* est, et de Semipelagianis omnibus loquitur; cum tamen aliqui gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, non admiserint. 3. Eamdem partem primam merito fuisse damnatam, quamvis *Semipelagiani* gratiam interiorem ad fidei initium admiserint, sed ex eo, quia gratiam proprie et vere prævenientem non admittebant; cum gratia ex sensu *Semipelagianorum* ad nutum voluntatis se accommodans ipsique serviens, voluntatem reipsa non præveniat.

R. Audiendus hic iterum videtur Nat. Alexander loc. supr. cit. *Sed de isto Semipelagianæ hæresis capite in Dissertationibus uberius agam contra Jansenium, Franciscum Macedo Minorem, Gonetum nostrum et alios, qui nulla habita ratione Propositionis quartæ in Constitutione Innocentii X. damnatæ, temere asserunt Semipelagianos gratiam aliquam internam ad initium fidei admisisse.* Et vero quanta temeritate id agant, patet ex his ipsis exceptionibus.

Ad 1um. R. Imprimis nota *falsitatis* saltem in eam cadit; ergo qui primam partem veram putant, quam Rom. Pontifices et cum iis Ecclesia *falsam* declarant, et ut talem damnant, hos errare et cæcutire contendunt; quod factum a temeritate saltem excusari nequit. Deinde quæstio hæc, quid de initio fidei senserint Semipelagiani, sic est facti, ut jus involvat in damnata propositione. Si enim prima pars, quam facti vocant, quod scilicet *Semipelagiani admiserint prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad initium fidei,* vera sit; secunda, quæ juris est, per errorem a Pontificibus damnata est ut hæretica. Nam si quis admiserit primum, neque in eo constituat eorum hæresin, sequitur, Semipelagianos in eo tantum *fuisse hæreticos, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare;* et Pontifices errasse in quæstione juris, hanc partem 2am hæreseos damnantes.

Ad 2um. R. Et sensus Jansenii et sensus Pontificiæ Constitutionis huic exceptioni repugnat. *Primum* quidem; quia *Jansenius,* in cujus sensu damnata est propositio duas Semipelagianorum classes distinguens, de una earum solum asserit, ipsos prævenientis gratiæ necessitatem ad fidei initium admisisse; ergo de iis, de quibus Jansenius asserit, negant Pontifices. *Secundum* vero; quia Pontifex secundam propositionis partem damnans declarat, nullos Semipelagianos fuisse hæreticos in eo, quod gratiam vellent esse talem, cui posset resisti vel obtemperari; ergo sensus ejus quoad *primam* partem est, nullos Semipelagianos gratiæ prævenientis necessitatem ad fidei initium admisisse; cum unum ex altero necessario sequi proxime dictum sit.

Ad 3um. R. Vanitas exceptionis ex ipsa propositione damnata dilucescit. Cum enim Pontifex dicat, Semipelagianos non fuisse hæreticos, quod vellent talem esse gratiam, cui voluntas posset obtemperare consensu et resistere

dissensu; hoc ipso patet, quod eos non damnaverit ut hæreticos, quod non admiserint gratiam per se efficacem, quam quidam proprie et vere prævenientem nominant; ut ipse NAT. ALEXANDER, quantumvis gratiæ *per se* efficacis patronus, in dissert. 4. Sec. V. respondet.

197. R. II. Theoph. Raynaudo, Petavio, aliisque non videtur negandum, a Semipelagianis ad fidei initium admissam esse *gratiam illustrationis;* idque ex variis textibus SS. PROSPERI et AUGUSTINI; sed ab aliis forsan responderi potest, hæc omnia probare duntaxat admissam a Semipelagianis gratiam illustrationis ad *opus bonum :* minime autem ad fidei initium; utpote inter quod et illud statuebatur juxta dicta discrimen, et *fides* a ratione *boni operis* discernebatur.

ARTICULUS III.

QUINAM FUERINT AUCTORES, DEBELLATORES ET ERRORES RECENTIORUM SECTARUM CIRCA GRATIAM?

198. *Nota.* Joannes *Wicleffus* natione Anglus, vehementis ingenii et ambitionis homo, Ecclesiæ de Lutthewoorth in Lincolniensi Diœcesi Rector, ubi a præfectura Cantuariensis Collegii docendique Theologiam munere ob contrariam ipsi consuetudinem et jus erat rejectus, præterea etiam spe Wigorniensis Episcopatus exciderat, ad turbandam Ecclesiam se convertit, sparsis sub an. 1375. erroribus variis dogmata de Deo, Christo, Sacramentis, Ecclesia, membris ejus ac ordinibus et libero arbitrio concernentibus, quos Thomas Waldensis maxime ex libro ejus, *Trialogus* inscripto, et aliunde collegit.

Concilia contra eumdem tum Romæ tum in Anglia, et GREGOR. XI. P. M. hæresin hanc in exordio statim opprimere laborarunt : tandem vero confecerunt Synod. CONSTANTIENSIS Sess. 8. et MARTINUS V. edita Bulla. Damnatorum dogmatum similitudo et singulare studium, quod *Lutherus* in *Wicleffo* et *Joanne Huss* ejus discipulo defendendo tum alibi tum in thesibus Lipsiæ contra Eckium propositis impendit, fundamentum præbet, cur *Wicleffus* a pluribus sectarum recentiorum Patriarcha dicatur. Quoniam vero ejus errores quæstiones de gratia minus attingunt, eosdem etiam hic referre aut de illo uberius agere supersedemus.

199. *Dico I.* Sectarum, quæ a seculis aliquot prope innumeræ emersèrunt, auctores vel præformatores præcipui sunt Martinus Lutherus et Joannes Calvinus.

Lutherus natione Saxo, natus an. 1483. Islebii in Comitatu Mansfeldensi, Litteris humanioribus Magdeburgi et Isenaci, Philosophiæ studiis Erfordiæ absolutis et degustata per annum Jurisprudentia, inopino socii fulmine icti exterritus fato, Ordinem Erem. S. Augustini ibidem an. 1504. suscipit. Aliquot annis post, Wittenbergam studiorum causa missus, subin Romam digressus, redux deinde ibidem in Academia, quam Dux Saxoniæ nuper erexerat, Theogiæ Doctor et Professor creatur.

Hic ex occasione Jubilæi et Indulgentiarum a LEONE X. P. M. concessarum, quarum promulgationem Albertus Archiepiscopus Moguntinus Tezelio Dominicano commiserat, contra indulgentias et earum præcones an. 1517. debacchari cœpit. In alios exinde errores prolapsus, cum nec scripta contraria nec disputationes habitæ nec pontificii Legati adhortationes eum reducerent, *damnationem* primum 41. propositionum an. 1520., deinde excommunicationem et hæretici stigma an. 1521. a LEONE X. tulit.

Inde efferatior factus nihil omisit, quod ad devastandam Ecclesiam facere posset, editis voluminibus pluribus, e quibus præter errores, morum ejus characteres, superbiam, ambitionem, impudentiam, scurrilitatem, irreverentiam in Principes, propensum ad seditiones concitandas animum, impudicitiam et impietatem factis alibi comprobata haurire licet. Vestem sacram, quam hactenus retinuerat, an. 1524. exuit. Sequenti anno *Catharinam de Bore* raptam e Monasterio monialem uxorem duxit, an. 1546. demum mortuus.

Sectarios Hæresiarcha iste numeravit plurimos, quorum præcipuos hic nominasse duntaxat sufficiat : Andream nempe *Carolostadium,* Huldricum *Zwinglium,* Joannem *Œcolampadium,* Philippum *Melanchtonem,* Martinum *Bucerum,* Gasparem *Schwenckfeldium,* Joannem *Agricolam,* Andream *Osiandrum,* Joannem *Brentium,* Mathiam *Flaccum Illyricum,* Franciscum *Stancharum* etc., qui ipsi subinde in varias sectas abierunt. Eæ vero tres potissimum revocantur.

1ª. Est Lutheranorum *rigidiorum* pura Lutheri dogmata sectantium, quorum facile princeps fuit Illyricus, Centuriarum Magdeburgensium præcipuus editor. 2ª. Est *molliorum* Lutheranorum, h. e. eorum, qui Confessionem Augustanam, ubi non nihil emollita fuerunt Lutheri placita, sectari se protestantur. Continet hæc Confessio 28. articulos, exarata a Melanchtone, qui et Apologiam postmodum pro ea edidit, et a Germaniæ Principibus Protestantibus an. 1530. in Comitiis Augustæ Vindelicorum habitis CAROLO V. Imp. oblata ; unde et horum dux Melanchton dicitur. 3ª. Est *Sacramentariorum,* qui a doctrina Lutheri circa Eucharistiam digressi, profitentur in ea Corpus Christi non esse nisi in signo. Horum antesignanus Carolostadius, cui sese adjunxerunt Zwinglius et Œcolampadius, et *Calvini* hæresin præformarunt.

Calvinus natione Picardus, natus Novioduni an. 1509. humanioribus et philosophicis disciplinis Parisiis imbutus, primum ad Jurisprudentiam Aureliæ et Avarici Biturigum animum applicuerat, dein ad Theologiam addiscendam animatus, novæ doctrinæ, qua jam a cognato Petro Roberto Olivetano afflatus erat, principia postremo in loco hausit a Melchiore Wolmaro, iisdem mox uberius tinctus Lutetiæ, ibidem cum *Lutheranis* et *Zwinglianis* ac præsertim Nicolao Copo familiaritate inita.

Quæstionem de *dogmatibus* hic imminentem subterfugiens Basileam primum, post Engolismam se contulit; unde rursus decedens Basileæ Institutiones suas edidit, an. 1536. Genevæ Concionatoris et Theologiæ Professoris spartam adeptus. Dissidio autem inter ipsum et Symmistas, Genevenses item et Bernenses orto, pulsus urbe proripuit se Argentoratum an. 1538., ubi et suadente Bucero uxorem duxit.

Revocatus subin an. 1541. Genevam, omnem sectæ suæ disciplinam consti-

tuit probante senatu, legesque præscripsit, a quibus postea discedere nec ipsis Ministris, nec Civibus liceret. Reliquum vitæ tempus ibidem motibus adversis nonnunquam agitatus, in dilatanda sua hæresi et variis scriptis edendis strenuus, sed arrogantia, impudentia, crudelitate et impietate infamis contrivit, an. 1564. defunctus. Famosum et exitiosum *Institutionis* opus ex Melanchtonis præsertim, Œcolampadii ac Brentii libris magnam partem consarcinatum, sed methodo nova et purioris latinitatis elegantia adornatum delineare cœpit Engolismæ, edidit an. 1535. Basileæ, auxit an. 1539. Argentorati.

Calviniana itidem *factio* in plures sectas scissa fuit, quarum tres sunt præcipuæ : 1ª. Eorum, qui Calvinum ad amussim sequuntur, quales sunt Genevenses : Reformati in Gallia et Palatinatu, plerique etiam in Belgio et Helvetia : Puritani item in Anglia et Scotia, a quibus parum discrepant Independentes et Presbyteriani ibidem, quibus admodum favit Oliverius Cromwellus Regni Protector nuncupatus.

2ª. *Anglo-Calvinianorum*, qui nec meri Lutherani, nec Calviniani, adhærent congerici errorum, quos Crammerus Lutheranus et Regina Elisabeth Calvinismo favens schismati Henrici VIII. addiderunt, servatis semper nonnullis ad Hierarchiam pertinentibus; unde et dicti sunt Episcopales, ac a Presbyterianis differunt, dum agoscunt Episcopos non solum ordine, sed et jurisdictione Presbyteris jure divino superiores.

3ª. *Arminianorum*; sic dicti a Jacobo *Arminio* Ministro Amstelodamensi, postea ad docendam Theologiam in Academia Lugduni Batavorum evocato, qui plura dogmata de gratia, libero arbitrio, justificatione, perseverantia, prædestinatione et peccato originali emollivit, et communia sectæ Calvinianæ placita disputationibus convulsit. Huic cum se opponeret Calvini adorator et vindex Franciscus Gomarus ejusdem Academiæ Professor, scissa est in partes primum Academia, tum tota Batavia, et demum Nationalis Synodus de utriusque partis dogmatibus Dordraci an. 1618. habita, quæ sequenti anno contra Arminianos pronuntiavit sententiam. Dicti sunt iidem ob dogmata sua Calvinistæ *molles*, ob libellos supplices ordinibus Hollandiæ et Frisiæ porrectos *Remonstrantes* : cum pars illis opposita a Duce suo *Gomaristæ*, a doctrina Calviniani *rigidi*, a libellis oppositis *Contraremonstrantes* vocantur.

Addunt quidam 4ªm. *Piscatorianorum*, qui nomen a Joanne Piscatore Argentinensi, Calvinianæ Theologiæ in Gymnasio Herbornensi Professore acceperunt. Is ad an. 1600. scholarum reformationem meditatus in dogmatibus pluribus a reliqua Calviniana secta dissensit, censuram ideo aliorum passus, qui ejus opiniones tanquam hæreses rejecerunt, quidam etiam ut hæreticum anathemate damnandum pronunciarunt.

200. *Dico II.* Debellatorum utriusque hæresis nomine intelligi possunt : 1°. Doctores singuli, qui hæreticis dogmatibus vel scriptis libris, vel habitis disputationibus, vel susceptis cum adversa parte colloquiis se strenue ac fortiter opposuerunt : 2°. Universitates promeritam erroribus censuram affigentes : 3°. Synodi Diœcesanæ aut Nationales sententiam enuntiantes : 4°. Pontifices definientes et Trident. Concilium Generale tum cogentes, tum moderantes, tum confirmantes ; quorum singularis notitia ex historia Ecclesiastica seculi XVI. petenda est.

201. *Dico III.* Ex Erroribus prope innumeris, quos Hæresiarcha uterque de omnibus ferme dogmatibus profudit, eos duntaxat breviter recensemus qui liberum arbitrium et gratiam spectant. Eorum 1us. est, *liberum arbitrium* post Adami lapsum esse figmentum et titulum sine re. Ita Luth. in Assertione suorum articulorum ad Leon. X. art. 36. Et Calvin. in Antidoto Tridentini ad Can. 5. Sess. 6.

2us. Vel explicatio potius prioris est, liberum arbitrium hominis eatenus admitti, quatenus voluntas hominis libera est *a coactione,* non tamen a necessitate. Ita Luth. L. de servo arbitrio : et Calv. L. 2. in Pighium etc.

3us. Est, hominem lapsum non posse resistere gratiæ, si velit, adeoque *necessitari absolute* sive ad bonum, si gratiam habeat, sive ad malum, si ea careat. Ita Luth. L. de serv. arb. Clarius Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. de gratia sic loquitur : *Voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum : ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari... Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram partem inclinare : sed cum suo exemplo docuerit, quam miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit, et possit : quid fiet nobis, si ad eum modulum suam gratiam nobis impertitur?*

4us. Est, hominis voluntatem sub gratiæ impulsu habere se *mere passive* instar trunci, stipitis alteriusve inanimis, uti Lutherus in Operation. in Psalmos Ps. 5. in digressione de spe loquitur. Hujus porro erroris sensus non fuit, quod voluntas in opere bono plane iners et otiosa sit, et nullatenus nequidem *vitaliter* se moveat. Contrarium enim patet ex verbis Lutheri de serv. arb. *Necessario dico, non coacte : h. e. homo, cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et lubenti voluntate facit.* Genuinum hunc etiam Calvini sensum intelligere licet tum ex L. 2. Instit. c. 5. §. 14., tum ex L. 3. cont. Pighium, maxime vero ex L. 5. cont. eumdem, ubi *hominem,* inquit, *sic quidem docemus agi Dei gratia, ut simul tamen agat : sic tamen ipsum agere, ut penes Dei spiritum tota sit, ac maneat actionis efficacia.*

Eodem sensu errorem intellexerunt Card. Osius, Bellarm., Stapleton; aliique controversiarum scriptores; atque hinc etiam Concilium Trident. Lutheranorum et Calvinistarum errorem referens ac damnans sic habet : *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest etc.* Ubi Patres Tridentini hominem se non *mere passive* habere probant ex eo, quia libere agit, et inspirationem ita recipit, ut illam abjicere possit. Idem repetitur in Can. 4. Sess. 6.

5us. Est, nullam de facto dari gratiam sufficientem, quæ simul non sit *efficax.* De hoc errore ita Lutherus L. de serv. arb. : *Humana voluntas in medio posita est ceu jumentum. Si insederit Satan, vult et vadit, quo vult Satan : si insederit Deus, vult et vadit, quo vult Deus.* Et Calvinus L. 2. Inst. c. 3. §. 10. *Medium, quem Sophistæ imaginantur, motum, cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus, ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.* Item alias docet, *motum Spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat.*

Denique 6us. est, præcepta Dei homini esse *impossibilia,* nec posse ab ho-

mine per gratiam impleri. Ita Lutherus in Resp. ad Dialogum Sylvestri : *Pessime facis, quod negas Salvatorem impossibilia jussisse : plus quam pessime facis, quod hoc falsitatem audes appellare ; non possumus in hac vita mandata Dei implere.* Calvinus etiam L. 2. Instit. c. 7. §. 5. *Quod autem impossibilem legis observationem diximus, id est paucis verbis explicandum simul et confirmandum.... etc.*

ARTICULUS IV.

QUÆ SIT BAIANISMI HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

202. *Nota.* Michael *Baius* sive *de Bay,* natione Belga, natus an. 1513. Melini in territorio Athensi, Presbyter secularis, laurea doctorali an. 1550. in Facultate sacra Lovaniensi donatus, anno altero eadem in Academia regius sacrarum litterarum Professor institutus fuit : vir ingenii nimium præfidentis et scientiæ suæ æstimator immodicus ; id quod *Ruardo Tappero* Baii olim magistro ansam dicendi dedit, se ab hoc juvene nonnisi schisma exspectare.

Non vanum fuisse præsagium eventus docuit ; inita enim cum *Joanne Hesselio* paris conditionis et animi Professore Lovaniensi amicitia, a suscepto mox docendi munere nova disseminare cœpit : quod studium nec ipse nec ejus nuper laudatus socius Tridenti dedidicerunt, quorsum ineunte anno 1563. ad ultimas tres Concilii sessiones *Commendoni* consilio delegati a Rege Catholico fuerunt, ut legatorum sortia ibidem conciliarentur. Rejectis tamen postremo erroribus, diem extremum obiit an. 1589.

203. *Dico I. Exordium Baianismi* in an. 1551. incidit, quo Professor publicus novas et erroneas doctrinas tum voce, tum scriptis proferre cœpit, Ruardo Tappero sub an. 1552. ex Conc. Trid. reduce strenue cum Ravestheinio, Richthovio et Cunero Theologis Lovaniensibus illi obsistentibus. Baianæ doctrinæ nihilominus adhærentibus multis, ac e sua etiam sacra familia quibusdam duo Fratrum Minorum Guardiani selectos inde octodecim articulos ad Parisiensem Facultatem judicii ferendi causa an. 1560. miserunt, quæ eodem adhuc anno, 27. Junii, lata censura illos confixit, et erroris aut hæreseos notavit. Quo tamen nihil permotus *Baius* non modo perrexit ruere, quo cœperat, sed partes etiam suas multum auxerat ; illis nempe Doctoribus, quos nominavi, aut fato functis aut e scholis ad Episcopales sedes evectis, jam ipse antiquissimus Academiæ relictus et auctoritate apud juniores prævalens.

Unde partibus hinc inde non sine animorum æstu contendentibus an. 1561. Pius IV. P. M. silentium imposuit. Id vero cum minime teneret *Baius* cum asseclis, redux a Tridentino varia in lucem opera edens ; novis dissidiis recrudescentibus, censuras etiam suas contra *Joannis Hesselii* et *Michaelis Baii* propositiones plures strinxerunt an. 1566. Academiæ Complutensis, Salmanticensis et variæ in Italia, donec tandem de pluribus articulis Romanæ Sedi denuntiatis inde judicium veniret. Itaque

Progressus et exitus causæ Baianæ cœpit an. 1567., quo Pius V. P. M. Calend.

Octobr. Bullam articulos doctrinæ Baianæ, nomine Baii tacito, sub variis censuris damnantem, quæ incipit : *Ex omnibus afflictionibus,* emisit. Hanc jussu Cardin. Granvellani tum Romæ commorantis, Maximilianus Morillonius, Præpositus Ariensis et illius Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius Generalis, eod. an. die 23. Decembris, prælegit Facultati Lovaniensi : Doctoribus omnibus obsequium pollicitis, unus Baius reluctans a Morillonio frustra eum ad saniora reducere conato non quidem tum fuit ursus; quod hic fuerit monitus omnia cum suavitate ac prudentia agere : ille vero altero mox anno apologiam suarum opinionum ad Pontificem mittendam adornarit.

Expensis his litteris apologeticis, Pontifex rursus *Baium* ad damnatos articulos ejurandos cohortatus Brevi ad eumdem dato an. 1569. confirmans priora scripsit : *Quæ super hoc ipso jam decreveramus, eadem de integro decernenda statuendaque esse judicamus.* Hic tandem post tergiversationes nonnullas cessisse Baium et ejurasse propositiones omnes damnatas, notant Acta Facultatis Lovaniensis, idemque an. 1570., quo Nationalis Belgii Synodus *Pianam Bullam* solemniter acceptavit, et nova in scholis Lovaniensibus promulgatio facta est, una cum reliquis Doctoribus confirmasse; quanquam id alii negent, refellantque tum ex historia Baianismi brevi a Decano Capituli Mechliniensis edita, tum ex ipsis Facultatis Actis ad an. 1571., ubi narratur *Baium* aliquando in Facultate auditum esse, cum diceret : *Quod pro illis articulis deberemus forsitan mori potius, quam eos damnare.* Certe eventus probavit, minus sinceram saltem aut inconstantem fuisse eam obedientiam, cum duodecimo post illam Bullam anno res eodem, si non pejore, loco fuerit; unde Gregor. XIII. Pii successor quarto Calend. Febr. an. 1579. nova Constitutione, quæ incipit : *Provisionis nostræ,* edita, præcedentem confirmavit, ac Franciscum Toletum suum e Soc. Jesu Theologum misit, qui coram Baium ad revocanda perperam dicta omni conatu pertraheret. Is vero an. 1580. jussit Bullam in frequentissimo totius Academiæ conventu recitari : tum ad Baium conversus petiit ex eo, an agnosceret in Bulla multos ipsius articulos damnari, et quidem in sensu ab eo intento? Affirmante Baio rogavit, an eosdem aliosque in Bulla contentos et recitatos damnaret? ille, *damno,* inquit, *secundum Bullæ ipsius intentionem et sicut Bulla damnat;* quod ipsum postea solemni ad Pontificem Max. scripto confirmavit. Eadem vox fuit Theologiæ Doctorum, Licentiatorum, Baccalaureorum et Studiosorum Lovaniensium, qui uno ore conclamabant : *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.*

Porro ne malum aliquando revivisceret, Joannes Bonhomi, Vercellensis Episcopus et per utramque Germaniam Nuntius Apostolicus, Facultatem Lovaniensem rogavit et ursit, ut doctrinam, quam posteros suos sequi oporteret, *Baii* damnatis articulis opponeret. Explevit vota Facultas, et formulam doctrinæ deinceps tenendæ concepit illa quidem, et tum Nuntio, tum per eum *Duacenæ Facultati* communicavit, suppressam tamen eamdem fuisse colligere licet tum ex Steyartio Lovan. Theologo in Theol. Morali, tum ex causa, quæ Lessium inter et Lovan. Facultatem, Baio etiamnum vivente, orta est, de qua forsan alibi.

204. *Dico II. Systema errorum Baii* a quibusdam ad tria generatim capita, nempe quæ spectant statum vel naturæ innocentis, vel lapsæ, vel reparatæ:

revocatur : ab aliis paulo distinctius ad octo capita speciatim refertur; quorum singula breviter recensebimus.

I. Est circa *gratiam angelorum et primi hominis*. De hac, cum in L. de prima hominis justitia statuisset, nullam creaturam rationalem creari posse sine ordinatione ad intuitivam Dei visionem, asseruit 1°. *gratiam sanctificantem* annexaque illi dona, fuisse debita naturæ innocenti et naturalia; atque hinc non esse stricte gratuita et supernaturalia; quo spectant septem articuli in Bulla damnati, nempe 9. 21. 23. 24. 26. 55. 79. 2°. Simili ratione *immunitatem ab omni malo* homini innocenti debitam et naturalem prædicavit iisdem et articulo 78.

II. Est circa *merita operum*. Et quidem in *statu innocenti* merita omnia ponebat mere humana et naturalia, adeo ut nec merita, nec merces primi hominis et angelorum fuerint, aut essent gratia : ut enuntiant artic. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. In *statu* autem *quocumque* asserebat, quodlibet opus bonum ex natura sua esse meritorium vitæ æternæ; sic enuntiant propp. 2. 4. 11. 12. 13. 15. 17. Atque hinc negabat aliquid meritorii operi accedere ex adoptione aut gratia ; ut patet ex propp. 17. 18. 19. 62.

III. Est circa *liberum arbitrium et ejus vires*. Quoniam in *Baii* sententia primus homo peccando omnibus gratiæ donis, quæ secundum ipsum naturalia adjumenta ad vitandum peccatum et bonum operandum erant, prorsus privabatur, atque hinc cujuslibet boni incapax et solius capax iniquitatis effectus erat; consequenter statuit 1°. Liberum arbitrium hominis lapsi sine gratia nonnisi ad peccandum valere ; ita loquitur in propp. 27. 28. 29. 30. 2°. Quidquid ex homine gratia destituto procedit, et ipsam etiam infidelitatem negativam, esse peccatum; sic habetur in artic. 22. 25. 68. 3°. Non dari aliquem actum liberi arbitrii moraliter tantum bonum; ut constat ex artic. 34. 36. 37. 65. 4°. Statuit liberum arbitrium et libertatem in immunitate a coactione, non autem exclusione necessitatis; ita legitur in propp. 39. 41. 66.

IV. Est circa *peccatum personale*. De hoc ex jactis circa liberum arbitrium fundamentis docet 1°. Ad peccatum non requiri libertatem a necessitate; ita in artic. 46. et 67. 2°. Peccatorem in omnibus actionibus suis peccare, quod est argumentum articulorum 35. et 40. ; ubi tamen notandum, nomine peccatoris non intelligi a *Baio* præcise eum, qui gratia sanctificante caret, sed eum, qui nondum elicuit charitatis actum, quo deponeret affectum peccati. 3°. Concupiscentiæ indeliberatos quoque motus in non renatis, vel etiam in renatis, sed postea in peccatum mortale lapsis verum esse ac proprie dictum peccatum, quod ipsis imputatur sine respectu etiam ad voluntatem Adami, a qua originem sumpsit concupiscentia ; quia in sententia *Baii* hæc concupiscentia illis voluntaria est voluntate habituali, et habitualiter dominatur, quatenus non habent contrariam voluntatem : secundum eumdem vero concupiscentiæ indeliberati motus sunt veræ legis : *Non concupisces,* inobedientiæ.

Excipit tamen justos, quibus contra concupiscentiæ motus certantibus et non consentientibus non imputatur in peccatum, utpote apud quos concupiscentia non dominatur actu vel habitu. *Ratio* et pars asserti 1ª. desumitur ex propp. 48. 49. et 74. 2ª. ex propp. 50. 51. et 76. 3ª. sive exceptio ex prop. 75. 4ª. denique statuit nullum esse peccatum ex natura sua veniale;

sed omne mereri pœnam æternam ; quæ verba sunt propos. 20ab., et partem etiam 2ac. constituunt.

V. Est circa *peccatum originale*. Hujus naturam cum L. de pecc. orig. statuisset in *concupiscentia* seu inclinatione ad bonum sensibile contra rationis præscriptum : transfusionem autem et communicationem nihil habere singulare ab aliorum peccatorum communicatione docuisset; 1°. Ponit hoc principium, *sceleris* nempe *cujuslibet naturam esse, ut ex sese et propria vi ac independenter a pacto vel ordinatione divina auctorem suum ipsiusque posteros eo modo inquinare et inficere possit, quo infecit prima transgressio*; hujus compendium sunt propp. 52 et 53. 2°. Peccatum originale in posteris peccatum esse sine relatione ad voluntatem Adami, ut ait prop. 47. Quia vero concupiscentia est peccatum originale, concupiscentia autem voluntate habituali voluntaria est, nisi quis habeat voluntatem contrariam; hinc docet 3°. Peccatum originale habitualiter dominari parvulo, quia non gerit contrarium voluntatis arbitrium, quæ phrasis est prop. 48. Ex eodem capite addit 4°. Fieri, ut parvulus non renatus Deum actualiter odio habeat, blasphemet, ejusque legi repugnet, in prop. 49. 5°. Denique afflictiones et mors tum justorum omnium, tum B. Virginis dicuntur ultiones peccati vel originalis vel actualis in propp. 72. et 73.

VI. Est circa *charitatem et impletionem legis*. De *prima* docet 1°. Non dari amorem bonum nisi charitatem theologicam; ita asserit prop. 34. 2°. Non esse alios amores nisi vel charitatem theologicam vel cupiditatem vitiosam ; ita prop. 38. 3°. Actum charitatis etiam intensive perfectæ, sed tamen non dominantis, h. e. affectum cupiditatis habitualem non expellentis, posse stare cum peccato et reatu æternæ damnationis ac sine remissione peccatorum; ut liquet ex propp. 31. 32. 33. 70. 71.

De *altera* docet 1°. Deum præcepisse homini impossibilia; habetur in prop. 54. 2°. Legem non posse impleri nisi per charitatis theologicæ actum ; ita legitur in propp. 16. et 61. 3°. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, eum non facere præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* quæ sunt verba prop. 76.

VII. Est circa *justificationem et Sacramentorum effectum*. De *prima* docet 1°. Hominem formaliter fieri justum bonis operibus et legis obedientia, non autem gratia aliqua animæ infusa ; ut loquuntur propp. 42. et 69. 2°. Hinc etiam rejicit distinctionem tum justitiæ, tum vivificationis, quæ per gratiam habetur, propp. 54. et 64. 3°. Tamen sicut de charitate dixerat, sic justificationem veram haberi posse sine remissione peccatorum aut incremento virtutum, propp. 43 et 44.

De *altera* vero, quia 1°. tantum distinguit in peccato, actum scilicet et reatum pœnæ, omittitque reatum culpæ, ut liquet ex prop. 56. Hinc 2°. in Sacramentis Baptismi et Pœnitentiæ docet hominem non vivificari ministerio Sacerdotis, nec reatum culpæ dimitti, sed pœnæ reatum duntaxat tolli, patet ex propp. 57. et 58.

VIII. Est circa *solutionem pœnæ temporalis*. Hanc negat fieri sive per eleemosynas et pietatis opera juxta prop. 59., sive per satisfactiones laboriosas justorum juxta prop. 77., sive per passsiones Sanctorum in indulgentiis communicatas juxta prop. 60.; sed asserit proprie nonnisi meritis Christi et Sanguinis divini pretio adscribendas juxta prop. 10. et alias modo indicatas.

205. *Dico III. Fundamentum errorum omnium* statuitur a Tournely in illo axiomate, ad quod prop. 38. spectat : *Non sunt nisi duo amores*; aut charitas virtus theologica, quæ Deum diligit tanquam finem ultimum, quæque primo præcipitur Decalogi præcepto; aut vitiosa cupiditas, quæ creaturæ inhæret tanquam fini ultimo absque ullo ad Deum respectu, atque tota lege prohibetur.

Cæterum *universim* de Baiano systemate enuntiari non absque manifesta ratione potest, *Pelagianismi*, nec non *Lutheranismi* et *Calvinismi* absurda dogmata, licet subinde emollita, in omni ea congerie alternare, et adeo manifeste a Tridentino damnatos, aut aliunde apertos errores ibidem occurrere, ut, nisi plurimam partem in ipsis *Baii* libris clare expressi legerentur, vix credi posse videretur, eos traditos fuisse a viro catholicæ professionis, et eo, qui ipse Concilio Trident. interfuit.

Libri autem a *Baio* editi numerantur, duo de meritis operum : unus de prima hominis justitia : duo de virtutibus impiorum : unus de libero hominis arbitrio : tres de charitate, justitia et justificatione : unus de peccato originis : unus de sacrificio; cum Tractatibus quatuor de Sacramentis in genere, de forma baptismi, de indulgentiis, de oratione pro defunctis.

206. *Dico IV.* De *sententia* in Baianismum per geminam Bullam pontificiam lata, sive de ipsarum Bullarum argumento et forma, quædam observanda veniunt. Et quidem *de propositionibus damnatis*, 1°. Eas continuata serie et sine characteribus numeralibus in Bullis editis fuisse lectas; unde alii propp. 76., alii 80., plerique 79. recensent. 2°. Nonnullas propositiones continere plures partes, de quibus dubitari potest, an illæ quoad partes omnes, an quoad unam duntaxat, et quamnam, damnentur ; cujus exempla afferunt in 35. et 74. propositione. 3°. Aliquas propositiones non agnitas fuisse tanquam suas a Baio, nempe 35. et 40. : plures vero non reperiri in ejus operibus, nempe 55. 64. 65. 67. 68. 73. 74. 78. et 79. Additæ tamen sunt et cum aliis Baianis damnatæ; tum quia a Baianæ factionis hominibus, præsertim *Hesselio*, tunc temporis docebantur : tum quia vel verbo in Scholarum disputationibus, vel in privatis discipulorum manuscriptis fuerunt a *Baio* traditæ. 4°. Quasdam Baianas continere non solum doctrinam, sed etiam contrariæ censuram sententiæ, qualis v. g. est hæc 28. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum* : plures vero esse, quæ solam doctrinam contineant, qualis v. g. est illa 20. *Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

De ipsa damnatione propositionum, 1°. Propositionum censuras et notas numerari in Bulla sex, nempe *hæreticas, erroneas, suspectas, scandalosas, temerarias, in pias aures offensionem mittentes*, de quarum legitimo sensu consule Tract. de Fide n. 225. et seqq. 2°. Damnationem propositionum, respectu notarum singulis convenientium, fuisse *indeterminatam* et generalem, et, ut aiunt, *in globo*. Non enim omnes notæ in singulas assertiones cadunt, sed cum proportione accommoda ; quare additur *respective*. Hac ratione etiam articuli *Wicleffi* et *Hussi* a Concilio Constantiensi Sess. 8. et 15., item articuli *Lutheri* a Leone X., et alii ab aliis Pontificibus damnati fuerunt : et satis quidem clare, quamvis non omni cum claritate et evidentia, venenum propositionum etiam singularum ostendi solet. Quæ porro nota

unicuique propositioni *Baii* determinate conveniat, declarat Ripalda Tom. 3. de Ente supernaturali. 3°. Nullam contentarum in Bulla propositionum esse, quæ excipiatur ab aliqua censura et nota ex sex supra dictis; cum illa post omnes propositos articulos a Pontifice immediate subjuncta relatio : *Quas quidem sententias* etc., et illa alia universalis : *Quæcumque super his verbo scriptoque emissa,* omnes universim propositiones prius in Bulla memoratas sine exceptione complectatur.

Quæres I. *An Baianæ propositiones omnes notentur propter doctrinam, an aliquæ propter solam contrariæ sententiæ censuram?*

207. *Nota.* Pius V. post relatas in sua Bulla propositiones *Baii,* continuo hæc subjicit : *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas etc. damnamus, circumscribimus et abolemus.* Occasione hujus interjectionis : *quanquam nonnullæ* etc. non tantum Baiani, sed et alii Auctores celebres existimant, si non omnes, saltem aliquas propositiones censuram contrariæ sententiæ continentes, esse damnatas duntaxat ratione *modi,* seu propter hanc censuram, non autem ratione *dicti,* seu propter doctrinam. Alii e contra, quamvis concedant propositiones quasdam in aliquo sensu sustineri posse, negant tamen eas in *sensu proprio verborum* ab assertoribus intento probabiles esse, et hinc quoad doctrinam fuisse damnatas asserunt. Cum his

208. R. Probabilius videtur omnes propositiones notatas esse *propter doctrinam.*

Ratio est, tum quia Pontifex damnando *sententias* intellexit doctrinam; siquidem et sententiarum nomine communiter ipsa propositionis doctrina venit, et alias pontificia damnatio confunderetur, si de aliis propositionibus doctrinam, de aliis solam censuram excepta doctrina rejectam interpretari liceret : tum quia Pontifex, licet insinuaverit nonnullas propositiones *aliquo pacto* sustineri posse, tamen eas non damnat propter assertoris audaciam ac censuram, sed quia in *rigore et proprio verborum sensu* ab assertoribus intento erroneas etc. censet : tum quia nonnullæ etiam propositiones earum, quæ *aliquo pacto* sustineri possunt, nullam continent censuram, quales sunt propositiones 27. 55. etc.; ergo.

Conf. 1. *Censuræ illæ* propositionibus a *Baio* et ejus sociis appictæ, vel sunt duntaxat prohibitæ a Pontifice potestate *directiva morum,* tanquam contrariæ charitati et paci fidelium; vel potestate *definitiva veræ et sanæ doctrinæ,* tanquam contrariæ integritati religionis et fidei. Si 1um; ergo non potuissent a Pontifice damnari tanquam dignæ censura theologica et falsæ; sed solum fuisset prohibita censuratio, uti accidit jam sæpius, ac maxime in causa de auxiliis gratiæ Dominicanos inter et Jesuitas agitata. Si 2um; ergo hoc ipso falsitas etiam propositionis Baianæ et non tantum censuræ emergit; cum *damnatio* sit declaratio et pronuntiatio falsitatis sententiæ, ex qua sequitur, nos non solum exterius, sed etiam interius debere propositioni damnatæ dissentire, ut patet in propositionibus Jansenii damnatis; cum e contrario *sola prohibitio* non sit declaratio falsitatis sententiæ, sed interdum

obligationis cohibendi illam propter vitanda mala paci et bono fidelium nociva, quæ vel ex sententia, vel censura nascuntur. Ex quo ruit primum fundamentum adversæ partis : videlicet quod moris sit in Ecclesia infames notas, a Doctoribus receptis opinionibus subinde inflictas, interdicere.

Conf. 2. Nullus est ex omnibus Baii articulis, cujus vitium et falsitas, etiam abstrahendo *à notis*, deprehendi aut probari non possit; uti fecerunt Doctores Lovanienses ad postulationem Morillonii, Universitas Duacensis in Declar. edita an. 1649. sub hoc titulo : *Veritas et æquitas censuræ Pii V.*, in qua doctrina singularum propositionum per antitheses Estii et Sylvii refelluntur; et qui ante hanc declarationem libros duos adversus articulos olim a Pio V. et Greg. XIII. et novissime ab Urbano VIII. damnatos edidit Joann. Martinez de Ripalda S. J. sub nomine appendicis ad disputationes de Ente supernaturali, et Tomi tertii. Unde et vanitas fundamenti secundi cognosci potest; scilicet quod plures Baii propositiones sint probabiles et inter Catholicos Doctores receptæ opiniones.

Quæres II. *Quid de famoso commate in Bulla Piana sit tenendum?*

209. *Nota I.* Verba Bullæ quoad interpunctionem ab aliis sic referuntur : *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas etc. damnamus.* In aliis vero exemplaribus sic leguntur : *quanquam earum nonnullæ aliquo pacto in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri possent.* Postremam lectionem non esse germanam patet tum ex repugnantia reliquorum exemplarium omnium, tum ex evidenti diremptione litis, cui sub hac formula ne probabilis quidem locus esse potuerat.

Lis enim erat : an in lectione priore comma (,) subjiciendum sit vocibus *sustineri possent*, adeo ut sensus sit, sententias in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento damnari tanquam hæreticas, erroneas etc., quamvis aliquo pacto, seu alio in sensu sustineri possent ; an vero subjiciendum sit voci *intento*, ut hic factum videmus, adeo ut sensus sit, damnari has propositiones, licet in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri queant, h. e. veræ sint ?

Porro quemadmodum postrema hæc lectio et signorum interpositio *Baio* et *Baianis* eatenus favet, quatenus eorum opiniones nihil probabilitatis per damnationem Pianam amitterent ; sic eamdem *Baius* statim usurpavit contra Morillonium ; ideo se Bullæ subscribere non posse causatus, quod Pontifex diceret sententias has *aliquo pacto sustineri posse in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.*

Quamvis vero postea de pontificiæ damnationis sensu melius a Toleto edoctus subscriberet propositionum damnationi, eumdem tamen cavillum acrius repetierunt Baiani, et variato commatis loco adulteratam clamaverunt Bullam, ut a Jacobo Jansonio Doctore Lovan. Baii primum discipulo, dein collega an. 1618. in scholis publicis factum legimus. Id ipsum urserunt paulo clamosius quidam Lovanienses Doctores, ubi *liber Jansenii*, eo quod plures propositiones a Pio V. et Greg. XIII. damnatas contineret, ab Urbano VIII. fuit prohibitus ; atque hanc ob rationem Joannem *Sinnichium* Lovaniensem

Romam miserunt, Urbani Bullam recipere nolentes et eam subreptitiam prætextentes. Neque a tricis in hoc commate faciendis etiam hoc seculo destiterunt quidam, ut ex historia controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis Auctore Eleutherio seu Livino de Mayer patet.

210. *Nota II.* Styli Romani esse, ut duo singularum Pontificiarum Bullarum manuscripta Romæ fiant : alterum autographum interpunctis et commatibus distinctum, quod in Archiviis S. Officii deponitur : alterum continua serie, nullo commate adjecto, scriptum, quod in Regesto Summi Pontificis notatur, ex quo et secundum fidem Regesti, ac proinde sine punctis, describuntur exemplaria Bullarum, quæ conceduntur aut ad Provincias mittuntur, nisi aliter expresse mandetur. Porro *Bullæ Pianæ* quinque extant exemplaria celebriora.

Primum sine punctis juxta morem proxime memoratum habuit Morillonius an. 1567. *Secundum* commissum est an. 1580. Toleto, ob litem de commate a Baio jam motam interpunctis distinctum. Neutrum tamen transumi aut exscribi a Lovaniensibus permiserunt vel Morillonius vel Toletus. *Tertium* ad interventionem Toleti Gregorius XIII. concessit Baio eodem adhuc an. 1580; sed quod nullo commate distinctum fuisse, patet ex ejus editione per Facultatem Lovaniensem curata, et confessione Baianorum, præcipue Macarii Havermanns. *Quartum* fuit Romæ an. 1642. cum interpunctionibus excusum, in quo comma post verba *sustineri possent*, omittitur. Sed error hic ex incuria typographi ortus ille est, de quo loquitur Urbanus VIII. in Brevi ad Archiepiscopum Mechliniensem, et hinc illius jussu restitutum fuit comma in editione Coloniensi. *Quintum* est Romæ an. 1644. eodem Urbano jubente editum, et a sacra Congregatione *Sinnichio* traditum et consignatum cum mandato Apostolico, ut huic exemplari fides adhiberetur. In hoc legitur comma post voces *sustineri possent*. Ex his

211. *Dico I.* Ipso facto famosum *comma* in Bulla Piana additum fuit post voces *sustineri possent*; adeoque nulla *Baii* propositio in proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri potest.

Prob. I. Ex exemplari Toleti, quod teste Ripalda Romæ impressum habet genuinum comma, dividens verba illa Bullæ : *aliquo pacto sustineri possent* a sequentibus : *in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento.*

II. Exemplari Romano jussu Urbani an. 1644. impresso, et authentice consignato, ubi idem commati locus datus perspicitur.

III. Ex ipso Pii V. Autographo in *Archiviis S. Officii* custodito, in quo idem comma et eodem loco vidisse se an. 1644. die 2. Octobr. testatur Cardinalis de Lugo.

Nec obstat 1°. Quod Granvellanus in epist. die 13. Nov. 1567. ad Morillonium scripta dicat, Baianarum propositionum aliquas, *tametsi in rigore aliquo sensu exponi possint, ut excusentur, pios tamen lectores offendere.*

R. Equidem possunt aliquæ propositiones in rigore sensu aliquo exponi, ut excusentur, qualis est v. g. illa 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur* : si enim quispiam hanc addat expositionem, *id est, cum peccato originis*; fatebuntur omnes, propositionem sic expositam habere sensum Catholicum. Sicut vero hunc sensum damnare

nunquam PONTIFEX intendit, sic etiam sensus is Baii vel assertoris Baiani non fuit. Unde patet, qua ratione dixerit Granvellanus aliquas propositiones *in rigore sensu aliquo* exponi posse, ut excusentur; nempe sensu *peregrino* et *alieno*, non vero ab assertoribus intento.

Nec obstat 2°. Quod Morillonius in ep. die 20. Jun. an. 1569. ad Granvellanum data narret, quod *Baio* tergiversante, causanteque in Diplomate Pontificio scriptum esse, nonnullas propositiones defendi posse in proprio verborum sensu, ipse nihil reposuerit; unde inferunt *silentio suo* assensisse exceptioni Morillonium.

R. Silentium hoc alii melius tribuunt Morillonii prudentiæ, ob timorem schismatis, et, ne exulceratus *Baii* animus irritaretur acerbius, ad tempus conniventis; præsertim cum ex Bullæ exemplari sibi transmisso, utpote nullis interpunctionibus distincto, *Baium* manifeste convincere non posset. Unde satis habuit Morillonius, adigere *Baium* ad ejurandas propositiones *juxta decretum, censuram et mentem Sanctitatis suæ*; quod et a *Baio* præstitum Morillonius ibidem scribit. Cæterum hæc objecta vim non habent post damnationem URBANI et sensum Bullæ Pianæ clare distinctum.

212. *Dico II.* Jure etiam famosum *comma* post memoratas voces in Bulla Piana additum fuit.

Prob. I. Quia illa verba : *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, per illa adversativa *aliquo pacto* opponi debent sequentibus : *in rigore et proprio verborum sensu;* cum alia non sint, quibus opponantur.

II. Quia si in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento aliquæ sententiæ *Baii* sustineri possent, immerito Pontifex eas damnasset; cum nulla fere sit Catholica sententia, quæ in sensu improprio et ab assertoribus extorto damnabilis non sit.

III. Quia hac expositione admissa nulla *Baii* propositio foret, quam non liceret impune defendere; cum nulla in Bulla definiatur determinate, quæ in rigore et proprio verborum sensu sustineri non possit. Ad quid ergo et damnatio Pontificia, et particula exceptiva *nonnullæ?* Hinc vero constat vanitas illius asserti, quod ob duplicem interpunctionem, alteram post vocem *possent*, alteram post vocem *intento* in Bulla additam, adhuc sensus maneat obscurus.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SIT JANSENISMI HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA?

213. *Nota I.* Causa Baiana finita videri poterat rescriptis Roma Pontificum sententiis; sed error finitus non fuit, multis adhuc in Belgio et Gallia Baii discipulis aut sectatoribus relictis. Hos inter fuit Cornelius *Jansenius*, alius ab ejusdem etiam pronominis Jansenio, Gandavensi Episcopo, Hulstii in Flandria nato, et Commentarii in concordiam ac totam historiam Evangelicam auctore optime Catholico. Is natione Batavus, natus est anno 1585. loco exiguo, Accoy dicto, in territorio Leerdamensi. Ultrajecti humanioribus litteris excultus, Lovanii Philosophiæ ac Theologiæ operam dedit, magistro usus Jacobo Jansonio. An. 1604. Parisios abiens, exceptus est a Joanne du

Verger de Haurane, famoso Abbate *San-Cyrano,* in cujus amicitiam Lovanii jam se insinuaverat.

Hujus commendatione per aliquod tempus ibidem filiorum Consiliarii Regii Parisiensis moderatorem domesticum egit : inde Baionam cum eodem decedens, Collegioque principali recens erecto Director datus, una cum illo in novum systema circa gratiam adumbrandum per annos duodecim incubuit. Lovanium an. 1617. reversus Doctorali laurea donatur, Collegio S. Pulcheriæ præficitur, a Philippo III. Hispaniarum Rege etiam an. 1630. S. Litterarum professor renuntiatur. Interea temporis ter legatione in Hispanias ad Regem nomine Academiæ perfunctus, occasione libri, quem *Martem gallicum* inscripsit, a se editi ad infulas Iprenses an. 1635. promotus, tertio ab inauguratione anno, die scilicet 6. Maii an. 1638. lue, quæ Ipras invaserat, extinguitur.

Ut vitæ ejus synopsis testatur, præditus erat ingenio acerrimo, judicio gravissimo, memoria capacissima, in rebus semel susceptis magnanimus, in pervolvendis S. Augustini operibus assiduus, cujus libros universos decies; illos vero, quibus Pelagiana hæresis confutatur, facile trigesies perlegisse memoratur. Abbas autem a S. Germano familiariter *Jansenio* usus hanc illi notam figit : *Sancte dicere possum et coram Deo, me non vidisse hominem magis superbum, qui se unum ita æstimaret, reliquos omnes contemneret.*

214. *Nota II.* Præter alia ejus scripta famosum est opus, cui titulus præfigitur : *Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Augustinus.* Volumen est grandius in tres tomos distinctum : 1us. complectitur libros octo de hæresi Pelagiana : 2us. librum unum de ratione et auctoritate in rebus Theologicis; unum de gratia primi hominis et angelorum; libros quatuor de statu naturæ lapsæ ; libros tres de statu naturæ puræ : 3us. in duas partes distribuitur : in prima continentur libri decem de gratia Christi Salvatoris, qui sunt finis et scopus totius operis : in altera unicus continetur liber, quem vocat Parallelum erroris Massiliensium et opinionis quorumdam Recentiorum. Operis hujus prima rudimenta formavit *Jansenius* Baionæ, elaboravit Lovanii, absolvit Ipris, postquam viginti annos in eo efformando posuisset : edendi vero curam commisit Capellano suo Reginaldo Lamæo, re prius communicanda cum Liberto *Fromondo* et Henrico *Caleno.*

Cunctos suos libros, et hoc præsertim opus non tantum in libro proœmiali et epilogo protestatus est se submittere Apostolicæ Sedis judicio, sed et testamentum suum vix media hora ante mortem dictatum his verbis concludit : *Sentio aliquid* (in dicto opere) *difficulter mutari posse. Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita mea suprema voluntas est.* Unde nec *Jansenius,* sicut nec olim *Baius,* dici hæreticus potest, licet ejus liber post mortem sit damnatus : et Jansenii sectatores habent obedientiæ exemplum, quod a magistro suo discant et imitentur.

215. *Dico I. Historica* Jansenismi synopsis ex sequentibus epochis commode perspici et teneri potest.

Epocha I. Utprimum *Augustinus Jansenii* an. 1640. typis Lovaniensibus

fuit editus, ingentes in Belgio motus excitari cœperunt, *Calvinistis* quidem quasi triumphum agentibus ob errorem suum de libero arbitrio et gratia novo hujus libri systemate confirmatum; Catholicis autem pluribus atque e Societate nostra theses publicas contra nova dogmata opponentibus, Jansenii e contrario sequacibus pro libro ejusque doctrina defensionem suscipientibus. Rumore ejusmodi suscitatus URBANUS VIII, cum novi hujus operis editione fervente singula folia recens impressa Romam ad examen jam missa fuerant, 4. Maii 1641. solemni Constitutione, quæ incipit : *In eminenti*, librum proscripsit, eo quod in eo multæ ex propositionibus, nempe Baianis, damnatis continerentur.

Hujus vim declinaturi *Jansenii* sectarii, evulgare cœperunt Bullam esse subreptitiam, et Jesuitarum fœtum, qui ad doctrinam Molinæ tuendam fraude Pontificem circumvenerint. Hoc subterfugium præclusurus Pontifex, ad Belgii Gubernatorem, Archiepiscopos ac Universitates datis an. 1643. litteris, ursit debitam Bullæ obedientiam; an. 1644. autem Joanni *Sinnichio* et Cornelio *Pape* Lovan. Doctoribus Romam missis exemplar illud Pianæ Bullæ, de quo supra dictum, tradi curavit, et formulam, cui Lovanienses subscriberent, transmisit.

His tamen, et tum Regis Catholici imperio, tum Universitatis Parisiensis censura septem Jansenii propositionum, quæ præter *quinque famosas propositiones* ad aliam materiam spectabant, non obstantibus, virus serpebat in dies in Belgio quidem latius, et in Gallias etiam diffundebatur. Unde an. 1649. oblatæ Facultati sacræ Parisiensi sunt propositiones quædam damnandæ : ab hac vero cognitione causæ ad Episcoporum judicium perlata, horum octoginta quinque an. 1650. ad INNOCENTIUM X. direxerunt epistolam, in qua *Jansenii* quinque propositiones famosas denuntiarunt, solemnem de illis sententiam Apostolicæ Sedis rogantes.

Epocha II. Postulationis gravitate permotus PONTIFEX instituit Congregationem selectorum quinque Cardinalium et tredecim Consultorum, qui has propositiones, ad quas præcipua libri Janseniani doctrina revocatur, per duos et amplius annos habitis triginta sex congregationibus, quarum decadi postremæ INNOCENTIUS ipse præsedit, accurate examinarunt, admissis etiam ad causam propositionum defendendam *Ludovico de Saint Amour*, et aliis Jansenii sectatoribus. Completo examine, Pontifex definitivam in propositiones sententiam censuramque tulit, edita 31. Maii an. 1653. solemni Constitutione, cujus initium est : *Cum occasione impressionis libri.*

Eam Galliæ Episcopi cum gratiarum actione susceperunt, Rex Christianissimus Edicto publico servandam imperavit, et orbis fere universus unanimi consensu acceptavit, solis *Jansenistis* varios cavillos suæ obstinationi et inobedientiæ prætexentibus. Causabantur enim 1°. propositiones has *in libro Jansenii* non contineri : 2°. *in sensu Jansenii* non fuisse condemnatas : in cujus confirmationem addebant 3°. Pontificem quidem in quæstione *juris*, an scilicet aliqua propositio sit hæretica, posse dici infallibilem; sed in quæstione *facti* : an scilicet propositiones illæ damnatæ sint in sensu ab auctore intento, non esse adeo infallibilem, quin de ejus definitione dubitari prudenter queat; sed ad summum *reverenti silentio* obediendum, servata libertate aliter interius sentiendi.

Epocha III. Novis his Jansenianorum molitionibus occursuri, Galli Anti-

stites in Comitiis an. 1654. utrique subterfugio contrarium decreverunt. Facultas Parisiensis eadem adhuc et aliam de gratia, quæ justo ad vincendam tentationem sufficeret, deficiente docere ausum *Antonium Arnaldum* gravi censura an. 1655. perstrinxit, et pertinacem e numero Doctorum expunxit. INNOCENTIUS X. Brevi an. 1654. dato, et ALEXANDER VII. Constitutione 16. Octobr. an. 1656. quæ incipit: *Ad Sanctam B. Petri Sedem,* edita declararunt ac definierunt, *quinque propositiones ex libro Cornelii Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse.*

Ad cujus definitionis ampliorem fructum habendum, et Jansenistas detegendos, præeuntibus rursus et petentibus Galliæ Episcopis, idem ALEXANDER an. 1664. die 15. Febr. Constitutionem edidit, quæ incipit: *Regiminis Apostolici,* et qua formularum fidei ab omnibus posthac præstandæ præscripsit, cujus hic erat tenor: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maii* 1653. *et Constitutioni Alexandri VII. datæ die* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio: et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* AUGUSTINUS, *excerptas, et in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno et ita juro: sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.*

Epocha IV. Cum Pontificiæ Constitutioni Regia etiam auctoritas in Galliis accederet, gravissimis in refractarios statutis pœnis, scissa est in partes factio Janseniana. *Rigidiores* enim negabant ejusmodi formulæ subscribi posse, et ad evadendas pœnas hinc sibi imminentes in Hollandiam secesserunt: *Molliores* perjurium subscribendo formulæ non timuerunt; in quam rem varia effugia excogitaverunt, ut, sensu Jansenii mente retento, verbis tamen et calamis ejus propositiones abjurare possent.

Inter Galliæ Episcopos autem, qui et formulæ subscripserant, et a suis subscribi curabant, soli quatuor, nempe *Alectanus, Bellovacensis, Andegavensis,* et *Apamiensis* in suis pro subscriptione formularii mandatis factum a jure sic distinxerunt, ut assererent, quæstioni *juris* internum fidei assensum deberi; pro *facto* autem, quo damnatæ propositiones libro Jansenii tribuuntur, solam exigi posse silentii reverentiam. Hæc Episcoporum decreta die 20. Julii ejusdem anni rescidit Rex Christianissimus, et contra dictos Episcopos Romæ causa judicialis parabatur; sed orta primum contentione de numero judicum, secundum Galliæ jura in causis contra Episcopos requisitorum, quæ triennio agitata fuit, res hæsit suspensa: deinde autem interventu mediatorum Archiepiscopi *Senonensis,* Episcopi *Catalaunensis,* ac maxime Episcopi *Laudunensis,* Cæsaris d'Estrées, postea Cardinalis, eo perducta est, *ut, omissa ac insufficiente judicata priori subscriptione, nova præstaretur et imperaretur a quatuor Episcopis, qua sine ulla restrictione quinque propositiones in sensu Jansenii damnarentur.*

Quod cum ab illis præstitum fuisse Romam significatum fuit, CLEMENS IX. datus ALEXANDRO demortuo successor, eisdem benevolentiam et pacem restituit an. 1669. die 19. Januar., quia didicisset, inquit, ipsos tandem meliora consilia secutos, *juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum..... sincere subscripsisse et subscribi fecisse formulario.*

Epocha V. Unde extincta videbatur controversia, inde acerbius recruduit in Galliis. Hanc enim Episcoporum reconciliationem *Janseniani* in suas partes

detorquere conati sunt, passim asserendo, in nova horum quatuor subscriptione, prout in *actis verbalibus* Synodorum Diœcesanarum continebatur, insertam fuisse distinctionem facti a jure et limitationem de religioso silentio; hinc autem concludendo, rescissam a CLEMENTE IX. fuisse legem de intimo, puro ac simplici subscribentis obsequio et consensu præstando, et approbatum sufficere religiosum silentium; cum hic Pontifex illis Episcopis, suas subscriptiones ad *religiosum silentium* limitantibus, pacem dederit.

Ad hos ac alios similes cavillos in Belgio præcludendos, cum Episcopis ibidem an. 1692. visum fuisset aliquid addere *formulæ Alexandrinæ*, de hac autem additione Libertus Hennebel nonnullorum Lovaniensium nomine querelas ad INNOCENTIUM XII. P. M. detulisset; Pontifex, dato an. 1694. ad Belgas Brevi, imposuit omnibus silentium de interpretatione formularii, et ipsarum etiam propositionum Jansenii, quas *in sensu obvio, quem verba ipsa præseferunt*, damnandas decernit; unde jam rursus reformatam ALEXANDRI VII. Bullam clamaverunt Janseniani, quia INNOC. XII. omissa illa quæstione: an sensus obvius sit a *Jansenio* intentus, contentus fuit, si in obvio sensu propositiones damnarentur. Sed postremam cavillationem dissipavit non multo post idem INNOCENTIUS, misso in Belgium an. 1696. Apostolico Brevi: utramque penitus sustulit CLEMENS XI. Bulla an. 1705. edita, de qua proxime.

Epocha VI. Hactenus *Janseniani* pro suis erroribus ac effugiis pugnabant editis libellis plurimis quasi singuli; sub finem vero seculi prioris res accidit, quæ eorum plures una in publicum educeret. Prodiit enim tunc libellus quidam auctore Anonymo sub inscriptione: *Casus conscientiæ*. In eo Clericus inducitur, cui sacramentalis absolutio negata fuerat, ex eo quod declarasset se quidem revera quinque propositiones simpliciter et absolute damnare quoad *jus*, seu doctrinam in iis expressam; nihilominus quantum ad quæstionem *facti*, seu attributionem illarum libro Jansenii, existimare se, sufficere religiosum silentium. *Casu hoc conscientiæ* pluribus Doctoribus Parisiensibus proposito, eorum quadraginta, resolutione 20. Jul. an. 1701. facta, responderunt, illi Clerico, sic de *Jansenii* libro sentienti, absolutionem denegandam non fuisse.

Decisio hæc evulgata motus magnos concitavit, plurimis contra eam pugnantibus, Doctoribus autem, qui hæc definiverant, ob sententiam suam typis datam commotis, et vario nomine *reverentiale silentium* excusare conantibus. Re Romam delata, resolutionem Brevibus tribus CLEMENS XI. sub initium an. 1703. damnavit, quod idem Card. de *Noailles* Archiep. Paris. et præstitit, et effecit, ut Doctores omnes illi quadraginta, revocata priori sua sententia, resipuerint, uno excepto, qui ob contumaciam suam ex albo Doctorum fuit expunctus.

Denique ad sedandas aliquando controversias omnes, rogatus a Christianissimo et Catholico Regibus Pontifex CLEMENS XI. Constitutionem solemnem, quæ incipit: *Vineam Domini*, die 16. Jul. an. 1705. edidit, qua, postquam Constitutiones INNOCENTII X. et ALEXANDRI VII. confirmasset ac renovasset, Brevia CLEMENTIS IX. et INNOCENTII XII. a pravis Jansenianorum exceptionibus vindicasset, doctrinam in *Casu conscientiæ* expressam variis notis severe perstrinxit et damnavit. Hac porro Constitutione ab universa Ecclesia acceptata, et a Clero etiam Gallicano in generalibus Comitiis an. 1705. habitis

solemniter suscepta, causa Janseniana finita fuit. *Utinam et error aliquando finiatur!*

216. *Dico II. Systema* Jansenii ostendunt quinque ejus propositiones sæpius damnatæ et earumdem principia ac fundamentum.

Propositiones Jansenii sunt:

I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque iis gratia, quâ possibilia fiant.* Habetur apud Jansenium L. 3. de Gr. Chr. c. 13.

II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Sæpius repetita legitur in Libris Jansenii de Gratia Chr., maxime L. 2. c. 24. 25. 27. 32. etc.

III. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Extat in L. 4. de stat. nat. lapsæ c. 24, L. 6. de Gr. Chr. c. 4. et L. 8. c. 19. etc.

IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Pars 1ª. invenitur L. 7. de Pelag. hær. c. ult. et L. 8. ib. c. 6. etc. 2ª. eod. L. 8. c. 8. et L. 2. de Gr. Chr. c. 15. alibique.

V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.* Legitur L. 3. de Gr. Christi, cujus c. 21. totum eo spectat.

Principia systematis Janseniani sunt: I. Voluntas humana per peccatum primi hominis *liberum* amisit *arbitrium*, h. e. vim sese flectendi pro suo nutu ad opposita. Hoc sæpius, sed maxime L. 2. de Gr. Chr. c. 3. et 12. inculcat Jansenius. II. Loco liberi arbitrii *duplex* successit *delectatio*: terrena scilicet, quæ ad malum; et cœlestis, quæ ad bonum impellit. Patet id ex Jansenii L. 2. de Gr. Chr. c. 3. item L. 5. et 7. c. 3. III. Delectationes hæ agunt *per gradus* in invicem; ita ut superior semper vincat inferiorem. Ita Jansen. L. 8. de Gr. Chr. c. 2. et 6. IV. Voluntas non solum semper, sed et *necessario* sequitur majoris delectationis impulsum. Liquet ex loc. proxime cit. et illo S. Augustini a Jansenio toties decantato: *Secundum id operemur necessum est, quod amplius nos delectat.* V. Necessitas hæc non est absoluta, sed *relativa*, h. e., in præsentibus circumstantiis, seu dominante ad unum delectatione, voluntas non potest hic et nunc aliter agere; licet possit in aliis circumstantiis, si nempe aut ista delectatio imminueretur, aut opposita augeretur. 1um. membrum explicationis legitur L. 2. de Gr. Chr. c. 4. etc. 2um. vero L. 2. de Gr. Chr. c. 17. et L. 3. c. 13. etc.

Fundamentum denique totius systematis Janseniani in delectatione superiore seu *relative victrici* consistit. Liquet id tum ex ipso Jansenio, qui L. 7. de Gr. Chr. c. 6. de superiore delectatione loquens: *Hoc est*, inquit: *vera et genuina basis doctrinæ cœlestis Doctoris*, nempe S. Augustini... *huic veluti cardini innititur, eoque subtracto eam tueri impossibile est*; quibus similia repetit L. de Gr. primi hominis et angelorum c. 17. etc.: tum ex demonstratione, quam Tournely methodo geometrica ad deducendas ex hoc fonte ac radice propositiones Jansenianas adornat. Ponit enim hæc ex Jansenio supra citato.

Axiomata. 1um. Omnis voluntatis virtus sese flectendi et determinandi sive ad bonum sive ad malum oritur in præsenti statu *a delectationibus.* 2um. Vis agendi delectationum *relativa* est, seu repetitur a superioritate in gradibus, adeo ut delectatio gradibus superior etiam dicenda sit superior viribus : ac proinde delectatio superior inferiorem necessario vincit; inferior autem non habet satis virium, nec vim agendi relative proportionatam superiori debellandæ.

Theoremata. 1um. Gratia victrix Jansenii, seu superior delectatio cœlestis necessitat ad *bonum. Prob.* Ex axiomate *primo* voluntas nunc omnes vires suas sive ad bonum sive ad malum habet a delectationibus : ex *secundo* autem delectatio inferior non habet vires sufficientes vincendæ delectationi superiori, imo ab illa necessario vincitur; ergo. 2um. Concupiscentia victrix, seu delectatio terrena superior necessitat ad malum. *Prob.* simili ratione, qua theorema prius. 3um. Nulla datur gratia vere et pure sufficiens : seu omnis gratia vere sufficiens reipsa est relative victrix et efficax. *Prob.* Gratiæ delectatio vel est superior delectatione concupiscentiæ, vel inferior : si *primum;* necessario rapit plenum ac perfectum voluntatis consensum juxta theorema primum ; sicque pure sufficiens non est, sed efficax : si *secundum;* non habet satis virium ad debellandam superiorem concupiscentiam juxta axioma secundum, sicque non erit vere sufficiens. Ex his tanquam

Corollaria deducuntur *Jansenii* propositiones : I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus* etc. *Prob.* Mandata iis sunt impossibilia, secundum præsentes quas habent vires, quibus deest gratia vere sufficiens. Atqui justis nonnunquam, tametsi velint et conentur, deest gratia vere sufficiens; quia justi illi quandoque peccant, adeoque carent gratia efficaci : distincta autem gratia sufficiens ab efficaci non datur ex theoremate tertio; ergo.

II. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Prob.* Resistere gratiæ est eam frustrari effectu, quem possit habere iis in circumstantiis, in quibus datur, ut alibi probatum est et probabitur. Atqui hujusmodi effectu gratia privari nequit. Vel enim est superior; et tunc necessario habet effectum ex theoremate primo : vel est inferior; et necessario carebit effectu, videlicet reluctante concupiscentia superiore, quæ voluntatem ad malum necessitat ex theoremate secundo : vel est æqualis; tunc *alternante,* ut ait Jansenius, *delectationum fluctu, in medio remanebit,* nec voluntas ex defectu superioris delectationis ad unam partem se inclinare potest; ergo.

III. *Ad merendum vel demerendum non requiritur libertas a necessitate* etc. *Prob.* Homo in statu naturæ lapsæ per superiorem gratiæ delectationem necessitatur ad bonum, et per superiorem concupiscentiæ delectationem ad malum ex theoremate primo et secundo. Atqui homo operando bonum meretur, operando malum demeretur; ergo necessitatur ad merendum; et sic ad id non requiritur libertas a necessitate : et sic de demerito loquendum.

IV. *Semipelagiani... in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam esse* etc. *Prob.* Semipelagiani in hoc erant hæretici, quod negarent veram gratiam Christi. Porro nulla est vera gratia Christi, nisi sit vere sufficiens; nulla est vere sufficiens, nisi sit efficax, ex theoremate tertio; nulla efficax, nisi necessitet ex theoremate primo. Sequitur ergo Semipelagianos in eo fuisse hæreticos, quod assererent gratiam esse talem, cui voluntas posset resistere vel obtemperare.

V. *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus mortuum* etc. *Prob.* ex corollario præcedente. Semipelagianum est asserere veram Christi gratiam esse talem, cui voluntas possit resistere vel obtemperare. Sed qui asserunt Christum mortuum pro omnibus, ii necessario admittunt tales Christi gratias; cum, qui damnantur, gratiæ Christi resistant; ergo.

217. *Dico III. Sententiæ* contra Jansenii librum et dogmata, ac Jansenistarum effugia, a Summis Pontificibus latæ fuerunt Bullis ac Brevibus;

Urbanus VIII. in Bulla, *In eminenti,* librum Jansenii proscribens hanc addit rationem: *Eo quod ex diligenti ac matura ejusdem libri lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propositionibus a prædecessoribus nostris damnatas contineri, et magno cum Catholicorum scandalo et auctoritatis sanctæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes et prohibitiones defendi.*

Innocentius X. in Bulla, *Cum occasione impressionis libri,* §. 4. sententiam de singulis Jansenii propositionibus enuntiat his verbis: *Primam prædictarum propositionum* « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant » *temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, et hæreticam declaramus et uti talem damnamus.*

Secundam « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur » *hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

Tertiam « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » *hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

Quartam « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare » *falsam et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

Quintam « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse » *falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, et hæreticam declaramus, et uti talem damnamus.*

Mandat deinde Pontifex omnibus Christi fidelibus, *ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, sub censuris et pœnis contra hæreticos et eorum fautores.* Præcepto de eadem re Præsulibus et Inquisitoribus dato, tandem concludit: *Non intendentes tamen per hanc declarationem et definitionem, super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii.*

Alexander VII. in Bulla, *Cum ad sanctam B. Petri Sedem,* effugia Jansenianorum ex Actis sub Innocentio X., quibus ipse præsens aderat, refellens, et ejusdem Constitutionem confirmans ac innovans, hæc postea addit: *Quinque illas propositiones ex libro præmemorati Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est:* Augustinus, *excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, definimus et declaramus, ac uti tales,*

inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione et definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus.

Clemens XI. tandem in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, occursurus reliquis Jansenianorum usurpatis subterfugiis, fraudibus et cavillationibus, de iis sic conqueritur, quod *inquieti homines variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam turbent.*

Deinde innovat atque confirmat Constitutiones Innoc. X. et Alex. VII., quibus, qualis obedientia sit exhibenda, et qua mente formulario sit subscribendum, ita declarans, *Ut omnes*, inquit, *Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum* (*nam et impii in tenebris conticescunt*), *sed interius obsequendo, quæ vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant.* Tum decernit, *obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri : sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solum, sed et corde rejici ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.*

Denique Clementis IX. mentem exponens, eos severe perstringit, qui ejusdem Brevia in sui erroris patrocinium advocare præsumunt : *Perinde ac si*, inquit, *memoratus Clemens prædecessor, qui eisdem suis litteris se Innoc. X. et Alex. VII. prædecessorum Constitutionibus firmissime inhærere, ne a dictis quatuor Episcopis veram et totalem obedientiam, adeoque formulæ a præfato Alexandro editæ, sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se nunquam admissurum fuisse protestatus fuit, reipsa admisisset.*

218. *Observa.* Equidem integrum *Jansenii* opus, teste Bossuet, recte dicitur contineri in quinque propositionibus famosis ; ex recitatis tamen num. præced. Urbani verbis et conclusione Bullæ Innocentianæ non leve argumentum extat, plures etiam errores in eo libro haberi : atque hinc Stephanus de Champs S. J. in suo de hæresi Janseniana ab Apostolica Sede merito proscripta opere, duos adhuc errores de necessitate peccandi et ignorantia invincibili addit, vel enucleatius proponit. Opus hoc eximium in tres libros dispescitur, quorum 1°. Jansenius hæreticorum *plagiarius* proponitur : 2°. Jansenius cum hæreticis *damnatus* evincitur : 3°. Jansenius hæreticorum exemplo S. Augustini Patrumque *corruptor* demonstratur ; quæ tria Auctor ille ita probavit, ut, quantumvis Jansenistæ alias lingua calamoque prompti innumeros prope ediderint libellos apologeticos, illud tamen opus nullus adhuc eorum impugnandum, nedum refutandum susceperit.

Plures etiam numerari possent errores, si, quæ falsa dogmata ex *Jansenii doctrina* ejus sectarii desumpta postmodum sparserunt, addere liberet. Certe propositiones triginta et una, quas Alexander VIII. die 7. decembr. an. 1690. confixit, facile quis Jansenianæ doctrinæ corollaria dixerit, cum pleræque a Jansenistis vel assumptæ vel effusæ fuerint. Ut quis tamen *Jansenista* nuncupari debeat aut queat, non cujuscumque Janseniani erroris defensio aut adoptatio sufficit ; prohibuit enim Innoc. XII. in Brevi an. 1694. ad quosdam Belgii Episcopos directo, *ne ulla ratione quemquam vaga ista*

accusatione et invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinant, nisi prius suspectum esse legitime constiterit, aliquam ex his (quinque Jansenii) *propositionibus docuisse aut tenuisse.*

Quæres I. *Quinam sint sensus veri ac legitimi, alieni et extranei Jansenianarum propositionum : quique illis aut ambigue aut certo oppositi et orthodoxi ?*

219. *Nota I.* Duodecim diebus ante condemnationem Innocentianam propositionum Jansenii oblatus est Innocentio X. a Jansenii defensoribus libellus supplex hoc signatus titulo : *Brevissima quinque prepositionum in varios sensus distinctio* : qui vulgo *libellus* vel *scriptum trium columnarum* appellatur. 1ª. columna sive ordo exhibet sensum Calvini, *qui propositionibus maligne affingi posset, quem tamen legitime sumptæ non habent.* 2ª. seu media, proponit juxta Jansenianos sensum S. Augustini, quem tanquam verum, germanum ac legitimum ipsi *intellexerunt* et *defendendum* putarunt. 3ª. non continet nisi *propositiones* quinque accusatis propositionibus *contrarias, ut ab adversariis*, nempe Jesuitis et aliis Molinæ sequacibus, defenduntur.

Improbaverat quidem jam ante D. de Sainte Beuve *columnæ primæ* inscriptionem, prævidens hac declaratione præclusum iri aditum ad defendendum sensum Jansenii; cum vero Pontifex post propositiones Jansenii, utique in sensu *vero* ac *legitimo* Jansenii, non autem *alieno* et *extraneo*, qui illis maligne affingi posset, damnasset : Janseniani tamen inaudita hucusque et priori sententiæ contradicente distinctione sensum *Calvini* dixerunt strictum, rigorosum et naturalem; sensum autem, quem S. Augustino tribuerunt, retentis vocibus, appellarunt verum, germanum et legitimum.

Non minor eorum fraus fuit in designandis *sensibus oppositis* damnatarum propositionum. Cum enim Convennarum, postea Tornacensis Episcopus, jussus a Christianissimo Rege, viam an. 1663. inquireret, litem inter Theologos componendi, oblati sunt quinque *doctrinales articuli* a Doctoribus *de la Lane* et *Girard*, cæterorum Jansenistarum nomine, subscripti, cum declaratione, his suam doctrinam damnatis oppositam contineri, seque paratos esse in omnibus S. Sedi obtemperare, quidquid de illis decerneretur. Hi a Convennarum Episcopo Alexandro VII. P. M. transmissi fuerunt, quamvis specietenus a doctrina Thomistica non admodum abhorrerent, atque hinc a pluribus Thomistis essent approbati; tamen cum Roma per Henricum de la Motte Rhedonensem Episcopum moneretur, caveret sibi ab insidiis Jansenistarum, sperantium hac ratione a Sede Apostolica sententiam, qua prior elidatur; exquisitis desuper Qualificatorum S. Officii sententiis et habita quinque Cardinalium Congregatione, judicatum fuit, nihil esse respondendum de his articulis ambiguis et quasi adornatis ad eliciendum responsum aliquod, quo Janseniani contra Constitutiones abuterentur.

220. *Nota II.* Hactenus relata non spectant ad vanas Jansenianorum cavillationes et triumphos, inde inaniter desumptos, retundendos; hoc enim a Tournely aliisque anti-Jansenianis abunde præstitum legi potest : sed ut occasionem duntaxat et locum designemus, unde varii propositionum sen-

sus desumantur. *Verum* enim et *legitimum* aperiemus ex ipsis Jansenii libris supr. num. 216. indicatis, et scripto trium columnarum ; *alienum* et *extraneum* ex eodem scripto trium columnarum tantum afferemus; *ambigue oppositum* dant articuli quinque, quos P. Fontaine in Bullæ *Unigenitus* theologice propugnatæ prolegomenis c. 8. fallaces et cum doctrina Jansenii consentientes ostendit : denique *orthodoxe oppositum* desumimus ex contradictorio propositionis damnatæ et veritate Catholica e contrario a Pontificibus definita, quem plurimis SS. Patrum, præcipue autem S. Augustini et Divi Thomæ testimoniis confirmatum dedit Tournely in Synopsi Historica Jansenismi.

222. *Dico I.* Propositionis Jansenianæ primæ sensus *verus* et *legitimus* est *ex doctrina Jansenii* : Aliqua Dei mandata justis, qui divina transgrediuntur mandata, volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent ex gratia *parva* vires, sunt impossibilia comparate ac *relative* ad eorum majorem hic et nunc titillantem concupiscentiam ; deest quoque illis gratia sive *actionis,* qua possibilia fiant immediate, sive *orationis*, qua possibilia fiant mediate. Unde conatus illi et volitiones, de quibus propositione prima mentio fit, sunt tantum effectus gratiæ parvæ orationis, sed quæ ipsa hic et nunc sufficiens non est ad orandum, sicut oportet. Similia habentur in scripto *trium columnarum.*

Sensus *alienus* est : Mandata Dei impossibilia sunt omnibus justis, quamcumque voluntatem habeant et quemcumque conatum adhibeant : quamvis in se habeant omnes vires, quas confert gratia maxima et efficacissima : et ipsis per totam vitam semper deficit gratia, qua possint etiam tantum unum præceptum adimplere sine peccato.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : Justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent ex gratia vires, mandata Dei non esse impossibilia, nec deesse illis saltem *gratiam orationis,* qua possint uberius impetrare auxilium, ut mandata hic et nunc implere valeant : seu, quod idem est, justos urgente præcepto ea instructos esse gratia, qua *relative* ad actualem hic et nunc sollicitantem concupiscentiam voluntas illorum potest illam superare et observare mandatum ; aut ad utrumque præstandum necessarium Dei auxilium implorare et impetrare.

223. *Dico II.* Propositionis secundæ sensus *verus* et *legitimus* est *ex doctrina Jansenii* : Nullam dari in præsenti statu interiorem Christi gratiam, quæ privetur eo effectu, quem habere potest *relative* ad concupiscentiam hic et nunc oppositam. Si enim cupiditas sit inferior; gratia est victrix, et plenum ac perfectum opus producit : si cupiditas sit superior ; gratia quidem non est victrix, neque producit effectum plenum, ad quem ex sese propriaque natura absolute ordinatur; sed tamen imprimis proprie loquendo illi non resistitur, quia in doctrina Jansenii *relative* ad cupiditatem majorem oppositam effectum plenum consequi non potest, et hinc sub illo respectu illi proprie non resistitur : deinde vere adhuc est efficax, quia gratia in his circumstantiis inefficaces adhuc et imperfectos ad bonum motus excitabit, seu, ut Jansenius loquitur, animus in solis desideriis inefficacibus hærebit.

Ex scripto trium columnarum : Gratiæ Christi ad singulos pietatis actus

proxime necessariæ nunquam resistitur : hoc est, nunquam frustratur illa eo effectu, ad quem a Deo *proxime* datur.

Sensus *alienus* est : Interiori gratiæ efficaci in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur ; quia voluntas hominis se habet pure passive respectu gratiæ efficacis, et sicut res inanimata nihil facit, neque cooperatur, neque consentit libere.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : In statu naturæ lapsæ quamlibet gratiam actualem interiorem voluntatis non eum *omnem semper effectum* sortiri, quem intendit Deus spectatis subjecti circumstantiis, et quem voluntati permittit operari gradus concurrentis ac oppositæ actu delectationis terrenæ. Quamvis enim gratia *Thomistice* etiam sufficiens illustrando intellectum et movendo voluntatem sit efficax, tamen est efficax duntaxat respectu actus indeliberati ; non autem deliberati sive perfecti sive imperfecti, de quo quæstio hic est.

224. *Dico III.* Propositionis tertiæ sensus *verus* et *legitimus* est *ex doctrina Jansenii* : Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri immunitatem a necessitate saltem *simplici, voluntaria, mutabili* ac *relativa;* sed sufficere libertatem a coactione, seu ut homo hic et nunc voluntarie, et non coacte agat. Ad quem sensum intelligendum notanda est doctrinæ Jansenianæ circa libertatem œconomia, ex Tract. de Act. Hum. num. 114.

Sensus *alienus* est : Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas exempta a necessitate naturali, etiam illa, quæ datur in motibus indeliberatis ; sed sufficit, ut homo sit liber a coactione.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ, præter immunitatem a coactione, requiri immunitatem ab *omni necessitate* etiam simplici, voluntaria, mutabili ac relativa ; proindeque voluntarium, si sit necessarium, non esse liberum ea libertate, quæ sufficiat ad meritum vel demeritum præsentis vitæ : seu requiri libertatem, quæ excludat illam voluntatis ad unum determinationem, quæ a delectationis relative superioris ineluctabiliter prævenientis et invincibiliter flectentis virtute proficiscitur.

225. *Dico IV.* Propositionis quartæ sensus *verus* ac *legitimus* est *ex doctrina Jansenii* : Semipelagiani admiserunt prævenientis gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei ; et in hoc erant hæretici, quod rejecta gratia Christi *efficaci,* h. e. delectatione cœlesti superiori voluntatem necessitate insuperabili et indeclinabili determinante, vellent gratiam Christi esse talem, cui relative ad actualem hic et nunc titillantem concupiscentiam posset humana voluntas obtemperare vel resistere. Eumdem sensum scriptum *trium columnarum* indicat.

Sensus *alienus* est : Gratia Jesu Christi præveniens est talis, ut liberum arbitrium hominis, motum et excitatum per illam, non possit resistere, quamvis vellet. Aliter asserere est loqui cum Semipelagianis.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; et in hoc non fuissent hæretici, si etiam eam admississent, quod vo-

luissent eam gratiam talem esse, cui etiam relative sumptæ humana voluntas hic et nunc posset resistere vel obtemperare.

226. *Dico V.* Propositionis quintæ sensus *verus* et *legitimus* est *ex doctrina Jansenii* : Christus non est mortuus ea intentione, ut aliis quam prædestinatis promereretur gratias *vere* et *relative* sufficientes ad obtinendam salutem ; et mortem Christi cum hac intentione extendere ad omnes omnino homines, Semipelagianum est.

Sensus *alienus* est : Jesus Christus mortuus est solum pro prædestinatis, ita ut nemo, nisi ipsi soli, recipiant veram fidem et justitiam per merita mortis Christi.

Sensus *orthodoxe oppositus* est : 1°. Falsum, temerarium ac scandalosum est dicere, Semipelagianum esse, affirmare, quod Christus ea intentione mortuus sit, ut omnibus hominibus promereretur gratias, quibus salutem vere ac relative possint obtinere. 2°. Impium, blasphemum et hæreticum est, affirmare Christum pro æterna solorum prædestinatorum salute sanguinem fudisse, ita ut omnibus reprobis negata sint auxilia ad salutem hic et nunc obtinendam vere sufficientia.

Quæres II. *An Pontifices ab initio, et constanter damnaverint famosas quinque propositiones in sensu a Jansenio intento?*

227. *Nota.* Quæstio præsens potissimum versatur circa Innocentium X. Alexandrum VII. et Innocentium XII. Primum enim Jansenistarum, post latam ab Innocentio X. Constitutionem, effugium fuit, damnatas esse quinque propositiones in se ac independenter a sensu Jansenii.

Alterum ex facto Alexandri VII. extorquere conati sunt. Cum enim is, propositis per Convennarum Episcopum quinque articulis doctrinalibus, dato ad Episcopos Galliæ Brevi scriberet : *Illud autem non mediocri gaudio animum nostrum perfudit, quod litteris ex Gallia recens allatis accepimus, illorum in dies crescere numerum, qui recta sapiunt, præfatis Constitutionibus se subjicientes... Is fuit egregius sane laborum vestrorum fructus, ut multi, iique cæterorum nomine primarii, exemplo vestro, consilio et opera ad saniorem doctrinam inducti, ea, qua par est, ut credimus, animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda, quæ ipsis a Sede Apostolica præscribentur.* Janseniani continuo jactarunt, ab Alex. VII. probatos fuisse memoratos quinque articulos, quos ambigue oppositos supra retulimus ; atque hinc a sensu Jansenii propositionum damnatarum digressionem esse factam.

Postremum desumunt ex Brevi Innocentii XII. an. 1694. in Belgium misso, in quo cum imponeretur silentium super interpretatione formularii, et præscriberetur, propositiones damnatas rejiciendas esse *in sensu obvio*, gloriari cœperunt Jansenistæ, sensum Jansenii damnationi non amplius fuisse propositum ; cum *obvius sensus* sit ille, quem verba cuique statim offerunt in ea significatione, quam nacta sunt ex hominum institutione, quin ad sensum et doctrinam veram ac legitimam auctoris necesse sit advertere.

228. *Dico I.* Innocentius X. propositiones damnavit in sensu a Jansenio intento.

Prob. Innocentius damnavit propositiones in *sensu Jansenii,* et sua damnatione *proprium* ac *naturalem* Jansenii sensum est assecutus; ergo.

Prob. 1ª. *p. Ant.* 1°. Quia Innocentius, cum in sua Bulla clausulam illam num. 217. recitatam, *Non intendentes* etc. addidit, et hinc quinque propositiones ab aliis opinionibus, quæ in libro Jansenii continentur, distinxit; manifeste indicavit, quinque propositiones similiter in eodem libro contineri, et ut ejusdem libri opiniones damnari. 2°. Quia idem in Brevi ad Galliæ Episcopos die 29. Septembr. an. 1654. dato de sua Constitutione inquit: *Per quam damnavimus in quinque propositionibus Cornelii Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus* Augustinus. 3°. Quia eo sensu ab Innocentio propositiones damnatæ sunt, quo fuerunt *delatæ,* utrinque *impugnatæ* et *propugnatæ,* atque a Romanis Censoribus *discussæ:* sed hæc omnia contigerunt in sensu Jansenii, ut constat ex historia Jansenismi apud Tournely; ergo.

Prob. 2ª. *p. Ant.* 1°. Quia Innocentius non damnavit propositiones in *sensu alieno* aut distorto; sed in sensu proprio et naturali, ut fatentur ipsi Jansenistæ, et eorum defensio propositionum ac *scriptum trium columnarum* probant. Atqui proprius et naturalis propositionum sensus ipsissimus est sensus totius libri Jansenii, ut patet ex propositionum in Jansenii libro extantia, et totius systematis data superius notitia; ergo. 2°. Si errasset Innocentius et ejus damnationem sequens Ecclesia; ergo vel ex defectu *attentionis,* vel ex defectu *intelligentiæ,* vel ex defectu *sinceritatis:* nihil horum dici potest, attendendo ad historiam damnationis et Ecclesiæ infallibilitatem; ergo. 3°. Si doctrina Jansenii sit orthodoxa, et ejus legitimum sensum Innocentius non est assecutus; ergo Jansenismus nihil est, nisi *merum phantasma:* atqui hoc dici nequit sine injuria tum Pontificum plurimorum, tum Episcoporum per universum prope orbem, tum Ecclesiæ, qui centum prope annis repetitis anathematibus damnarunt Jansenii doctrinam; ergo.

Conf. utraque pars. Quia Alexander VII. in sua Constitutione an. 1656. Innocentius XII. in Brevibus an. 1694. et 1696. Clemens XI. in Constitutione an. 1705. eumdem naturalem sensum tum propositionum, tum libri Jansenii esse declararunt et damnarunt.

Nec dicas 1°. Quod Innocent. X. Sorbonicis, pro defensione Jansenii Romam profectis, aliquoties declararit, nolle se omnino, ut de *Jansenio* mentio fieret.

R. Noluit fieri de Jansenio mentionem quoad *personam;* cum is in pace Ecclesiæ et cum facta suorum librorum submissione Romanæ Sedi decessisset: neque quoad *librum* aut absolvendum, utpote qui jam ab Urbano VIII. damnatus erat; aut ab erroribus repurgandum, quod Jansenniani desiderabant. Cæterum *Jansenii* mentionem factam ab eo fuisse, constat vel ex Bullæ initio: *Cum occasione impressionis libri, cui titulus: Augustinus Cornelii Jansenii Ep. Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis* etc.

Nec dicas 2°. Quod idem non constituat *novum jus* et censuram; cum in Constitutione dicat, primam propositionem jam anathemate damnatam

fuisse, scilicet a Tridentino in sensu Calvini et Lutheri; atque hinc verbo *declaramus* utatur in damnandis propositionibus.

R. *N. Ass. Ad rat.* 1am. R. Illam Pontifex damnavit, sive dicatur cum *Calvino* impossibilitatem observandi præcepta oriri ex labe concupiscentiæ omnibus justorum operibus adhærente, sive dicatur cum *Baio* et *Jansenio* eam nasci ex majore vi delectationis terrenæ. Inde vero constat, quomodo propositio hæc jam anathemate damnata dici potuerit, et quomodo etiam damnata sit in sensu Jansenii; præsertim quia diversitas utriusque propositionis *Calvinianæ* et *Jansenianæ* patet ex trium columnarum scripto.

Ad rat. 2am. R. Adhibitam recte fuisse vocem *declaramus;* quia Ecclesia non constituit nova fidei dogmata vel articulos, sed tantum, quæ in verbo Dei scripto vel tradito habentur, declarat et fidelibus credenda proponit.

Nec dicas 3o. Quod Episcopi Galliæ in sua ad Pontificem hunc epistola scripserint, motus illos occasione propositionum ortos *sedari oportuisse auctoritate Concilii Tridentini;* hoc autem tantum pertinet ad hæresin Calvini vel Lutheri.

R. 1o. Idem addiderunt, hos motus sedari oportuisse *auctoritate Bullæ Urbani;* quæ Jansenium ob resuscitatos Baii articulos damnavit.

R. 2o. Jansenii propositiones etiam prædamnatas fuisse in Luthero et Calvino, quarum cum horum doctrina consonantiam videre licet, si vacat, in Libro P. de Champs sup. laudato.

Nec dicas 4o. Quod Card. Spada Jansenii defensoribus dixerit, propositiones in Congregationibus considerari præcise secundum *se ipsas,* abstrahendo a sensu unius vel alterius.

R. Per id indicavit, excludi tantum sensum *Calvini,* et sensum gratiæ efficacis ad mentem *Thomistarum* vel *Molinæ,* quos distingui debere contendebant Janseniani; non autem sensum Jansenii.

Nec dicas 5o. Quod Vincentius de Pretis in suo suffragio de 1a. propositione asserat, eam propositam fuisse *in abstracto;* ac idem de omnibus propositionibus testetur Wadinghus in sua Relatione.

R. 1o. Similiter, ut ad priorem objectionem responsum est.

R. 2o. Testimonium magis authenticum audire licet ex Bulla Alex. VII. ubi hic Pontifex, antea Card. Chigius dictus, sic causam enarrat: *Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse; vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter et attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii prædecessoris nostri jussu, dum adhuc in minoribus constituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica auctoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset* etc. Ubi demum confirmata et innovata Innocentii Constitutione sententiam subjungit n. 217. recitatam.

Nec dicas 6o. Quod Constitutio Innocentii lata sit *nullo respectu* ad varios sensus in scripto trium columnarum distinctos habito, neque assignatus sit sensus, in quem censura caderet.

R. In sensum *obvium* et *naturalem,* qui erat ipsissimus Jansenii sensus, latam fuisse censuram ex hactenus dictis abunde liquet. Unde distinctionis

sensum in scripto trium columnarum merito ratio habita non fuit; tum quia in eodem non erat reipsa nisi unicus sensus propositionum, scilicet ordine *secundus*, quandoquidem *primus* erat tantum maligne affictus; *tertius* vero ex systemate Jansenii doctrinæ penitus opposito desumptus : tum quia sine respectu ad hanc distinctionem obtinuerunt Janseniani, quod prætendere poterant, nempe gratiam *a se* efficacem mansisse illæsam : tum quia de illo sensu, quem forte distinxisset et designasset Pontifex, Janseniani tamen quæsivissent adhuc, num in Jansenio reperiretur; unde materia tamen cavillationum illis subtracta non fuisset.

229. *Dico II.* Alexander VII. non approbavit *quinque articulos doctrinales*, atque hinc a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento non discessit.

Ratio est, quia pro contrario nullum adest fundamentum. Nam 1°. Alexander præsumi nulla ratione potest approbasse eos articulos, quos ut fallaces et ad dolum compositos tum ex alienis monitis, tum ex Qualificatorum et Cardinalium instituto examine noverat, ut num. 219. dictum. 2°. In Brevi ac litteris nec mentionem quidem ullam eorum articulorum facit. 3°. Ibidem respondet duntaxat ad epistolas Episcoporum Galliæ, qui de articulis illis nihil retulerant, non autem ad litteras Convennarum Episcopi. 4°. Dum in eodem Brevi significat se gaudere, quod crescat numerus eorum, qui *recta sapiunt, et ad saniorem doctrinam inducuntur*; loquitur de iis, quos per aliorum, quam Convennarum Episcopi, litteras intellexerat, ad doctrinam orthodoxam accessisse : aut si fabricatores quinque articulorum etiam intelligit, eatenus eos laudat, quatenus in Instrumento articulis addito profitebantur Janseniani, *se esse paratos Constitutionibus Apostolicis eam reverentiam et observantiam, quam Sedis Apostolicæ majestas et summa auctoritas exigit, impendere; eaque alia omnia præstituros, quæ ab ipsis Summus Pontifex exigere voluerit.*

230. *Dico III.* Innoc. XII. in suis Brevibus nihil remisit a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento.

Prob. I. De Brevi an. 1694. edito. In eo sic loquitur : *Præcipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debeant sincere sine ulla distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas propositiones, ex libro Jansenii excerptas, in sensu obvio, quem ipsum et verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt Summi Pontifices prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus.* Unde constat sensum obvium propositionum, quem Pontifex hic damnat, esse illum ipsum, quem damnaverunt Innoc. X. et Alex. VII., atque hinc a Jansenio intentum.

Quod vero addat : *Cæterum ad præcavendas omnes dissidiorum causas nos quoscumque alios sensus formularii, præter eum, quem ipsius verba exhibent, afferri vel usurpari, aut de his disputari interdiximus et prohibuimus, ac super ejusdem formularii interpretatione, sicut et prædictarum propositionum, in alios sensus præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus*; hoc, inquam, jure optimo fecit; quia ad privatos Episcopos non pertinet, formulam a Sede Apostolica præscriptam immutare, demendo quidpiam vel addendo; ut quidam *Episcopi Belgæ* fecerant, qui

a jurantibus exigebant, ut formulario adderent, 1°. *non tantum in reverentiam Constitutionum Apostolicarum, sed etiam in veritatem earum* : 2°. *non tantum in veritatem eorum, quæ in prædictis Constitutionibus spectant ad quæstionem juris, sed etiam in veritatem ejus, quod spectat ad quæstionem facti ab Alex. VII. definiti* se jurare.

Prob. II. De Brevi an. 1696. ad eosdem Belgii Episcopos dato, quo Jansenistis omnem effugii locum præcludit, ita scribens : *Non sine admiratione intelligimus, nonnullos istis in Diœcesibus reperiri, qui verbis et calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alex. VII. an.* 1656. *editam, nec non formularium ab ipsomet pronuntiatum; cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, et omnino intenderimus et intendamus iisdem adhærere, et nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur a prædicto formulario etc.*

Quæres III. *An quæstio facti, quo sensu damnatæ sint propositiones, sit ejusmodi, in qua decidenda Ecclesia non sit infallibilis?*

231. *Nota.* Supra jam observatum fuit, præcipuum Jansenianorum effugium fuisse asserentium, Pontificem et Ecclesiam erravisse in quæstione facti circa sensum propositionum. Ad quod tum perspiciendum, tum occludendum distingui debent varii generis facta.

1°. Enim aliqua sunt immediate a Deo *revelata,* uti sunt Incarnatio, institutio sacramentorum etc., quæ simul sunt dogmata fidei.

2°. Alia sunt facta mere *historica* et *personalia,* quæ scilicet præcise rei gestæ veritatem aut personæ cujusdam statum, internum animi sensum, crimen etc. concernunt; quale est, quod Jansenius Episcopus Iprensis conscripserit librum, cui titulus est *Augustinus,* hæc verba et sententia in libro contineantur, hunc sensum internum habuerit, dum hæc scriberet.

3°. Alia sunt *facta dogmatica,* quæ scilicet, præter factum, involvunt jus, seu dogma verum aut falsum; ad quod pertinet quæstio illa : An auctor, qui conscripsit librum, cui titulus *Augustinus,* docuerit hæresin?

Jam vero dum quæritur, an Pontifex vel Ecclesia sit infallibilis in *quæstione facti,* non quæritur de factis *primi* generis; quia certum est etiam apud Jansenianos, Ecclesiam ob infallibilem Spiritus sancti assistentiam errare non posse in discernendis fidei dogmatibus : neque quæritur de factis *secundi* generis; quia etiam apud Anti-Jansenianos certum est Ecclesiam, quæ circa ejusmodi facta fert judicium vel in sensuum vel in hominum fallibilibus testimoniis fundatum, esse errori obnoxiam. Atque hinc Ecclesia non definit, sed, dum de *libris* judicat, potius supponit, hunc vel illum librum esse hujus vel illius auctoris, sub cujus nomine circumfertur : Item non decernit de sensu, quem auctor in mente habuit; quamvis enim *sensus auctoris internus* ex verbis, quibus utitur, merito præsumi possit, nisi quis auctorem vel inscitiæ vel mendacii aut fraudis insimulare velit; tamen, quia de internis et occultis non judicat, nihil etiam de *interno* et *personali* sensu definit.

Quæritur itaque duntaxat de factis *tertii* generis, in quibus tamen adhuc distinguendum quidpiam restat. Potest enim fieri quæstio de sensu *externo* et *litterali* alicujus propositionis separatim et *in se* spectatæ; sed sicut hic

nudum jus et dogma spectat, sic etiam circa illum, fatentibus Jansenianis, Ecclesia errare non potest : atque hinc de eo etiam non quæritur. Sed et quæstio potest moveri de sensu *externo* et *litterali* propositionis *relative* ad totam doctrinam et systema auctoris; quæ est de facto dogmatico, seu tali, quod jus simul et factum complectitur. Dum enim quæritur, an sensus propositionis orthodoxus sit, an hæreticus? *jus* seu *dogma* attingitur : dum quæritur, an sensus ille ab auctore expressus sit in libro, spectata tota ejus œconomia et doctrina? *factum* innuitur. Atque de hoc postremo versatur præsens controversia, quam tamen delibabimus duntaxat, cum ejus pertractatio ad materiam de Fide pertineat.

Quæritur itaque, an Ecclesia judicio *certo* et *infallibili* statuere possit, sensum unius vel plurium propositionum, prout sensus hic eruitur ex doctrina vel libro alicujus auctoris, verum esse et orthodoxum, aut e contrario falsum et heterodoxum : ac proinde an Ecclesia errare potuerit in damnandis propositionibus Jansenii, earumque sensu ?

232. *Dico.* Ecclesia in decidendis quæstionibus *facti dogmatici,* atque hinc in definiendo hæretico propositionum Jansenii sensu, non potest falli.

Ratio unica hic interim sufficiat. Ecclesia ipso *usu* ac *praxi* semper supposuit, datam sibi a Christo esse auctoritatem judicandi de sensu librorum, et fideles sub anathemate adstringendi, ut huic judicio internum præberent mentis assensum; ergo judicium Ecclesiæ de sensu librorum vel propositionum, prout in libris exprimuntur, certum est et infallibile. *Conseq.* tum ex se patet, tum probatur a Bellarm. L. 3. de Eccl. milit. c. 14.

Prob. Ant. 1°. Conc. Nicænum damnavit librum Arii, quem *Thaliam* inscripserat, et anathema non tantum in errorem, sed etiam in Arii personam pronuntiavit : neque *Eusebium* Nicomediensem et *Theognem* Nicænum ante ad communionem admisit, quam et errori et personæ anathema dixissent, et sic facto dogmatico susbscripsissent.

2°. Conc. Ephesinum, examinatis *Nestorii* epistolis et sermonibus, errorem ipsius et personam damnavit, atque Joannem Antiochenum aliosque Nestorii patronos, licet dogmatibus Concilii jam consensissent, ad pacem et unionem prius non suscepit, quam damnationem Nestorii ratam habuissent, damnando scilicet sensum ab illo intentum.

3°. Conc. generale V. non tantum libros *Origenis* damnavit, sed exegit anathematizari *Tria Capitula, id est,* ut loquuntur Patres in Concilio, *Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis, et quæ impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, et defensores eorum.*

4°. Conc. Constantiense Sess. ult. præscripsit formulam, juxta quam examinari debeant, qui suspecti sunt de erroribus : Interrogentur, *utrum credant, teneant, asserant, Joannem Wicleff de Anglia, Joannem Huss de Bohemia, et Hieronymum de Praga fuisse hæreticos, et pro hæreticis nominandos ac deputandos, et libros et doctrinas eorum fuisse et esse perversos, propter quos et quas et eorum pertinacias per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati ?*

Hic porro adverte, *fidem internam* a Conciliis nominatis fuisse exactam tantum circa hoc, quod illi, contra quos agebant, perversum sensum expres-

serint in suis libris ac scriptis. Quia tamen constabat, ejusmodi *libros* ac scripta ab illis auctoribus emanasse, et præterea ex sensu verborum externo et litterali prudenter præsumitur sensus auctoris internus et personalis; ideo Ecclesia jure illos damnavit tanquam *hæreticos*, quamvis ipsius judicium de auctore libri et sensu interno non habeat infallibilitatem ex promissione Christi et Spiritus sancti assistentia, sed nitebatur solum partim notorietate facti aut testimoniis humanis, partim præsumptione legitima, mentem auctoris fuisse verbis conformem; ex queis postremis capitibus judex etiam civilis suam sententiam in personam vel factum edicit. Alias tum probationes, tum objectionum solutiones v. in Tr. de Principiis Theol.

Quæres IV. *Quid sentiendum de pace Clementis IX?*

233. R. Data quatuor Episcopis a Clemente IX. pax non probat, *silentium obsequiosum* sufficere pro facto Jansenii; adeoque is Pontifex nunquam aliquid Jansenianis in damnando sensu propositionum concessit.

Prob. I. Clemens IX. non cognovit factam fuisse a quatuor Episcopis distinctionem juris a facto; quia reipsa existimavit, ab illis pure et simpliciter subscriptum fuisse formulario : ut liquet 1°. ex ipsius Clementis Brevibus, in quorum altero dato ad Regem die 29. Septembr. 1668. scribit, se *in pura et simplici subscriptione formularii agnovisse quatuor Episcoporum obedientiam et obsequium* : in altero autem ad Episcopos die 19. Jan. an. 1669. dato, præter alia sic loquitur : *Cum tamen nova et gravia isthinc accepimus documenta veræ et totalis obedientiæ vestræ, qua et formulario sincere subscripsistis, damnatis absque ulla exceptione aut restrictione quinque propositionibus, in omnibus sensibus, in quibus a Sede Apostolica damnatæ fuerunt..... tribuere vobis voluimus hoc paternæ benevolentiæ nostræ argumentum.* 2°. ex Bullæ Clementis XI. verbis ultimo num. 217. recitatis.

Prob. II. Clemens IX. pro sua prudentia non potuit suspicari, quatuor Episcopos distinxisse jus a facto; cum omnia scripta Romam de hoc negotio missa nihil ejusmodi meminerint : ut liquet 1°. ex litteris Regis Christianissimi, quarum argumentum ex Brevi responsorio supra citato manifestum est. 2°. ex litteris Episcoporum mediatorum an. 1668. Romam missis, quibus declarant, quatuor illos Episcopos *optima fide egisse, damnasse propositiones cum omni sinceritate, absque ulla prorsus exceptione seu restrictione, et in eo omni sensu, quo sunt ab Ecclesia damnatæ.* 3°. ex litteris ipsorum quatuor Episcoporum an. 1668. die 1. Sept. datis, quibus profitentur, nova subscriptione se imitatos esse *formam disciplinæ Gallicanorum Episcoporum*; et quamvis hoc ipsis fuerit *arduum ac difficile opus*, quod in ipsos *malevolorum voculas excire posset*, tamen id a se libenter susceptum, quia id erat sanctæ Sedi *honorificum, ipsique gratius.* Denique 4°. ex testimonio publico eorumdem Episcoporum syngraphis munito, quod ab eis exegit postea Clemens IX., dum a quibusdam eorum subscriptio suspecta nihilominus haberetur. In eo autem postulabatur, fidem facerent, *se sincere prorsus et ad sensum in Constitutionibus Innoc. X. et Alex. VII. expressum formulæ subscripsisse, utque eidem subscriberetur, curasse.*

Nec dicas 1°. Episcopus Catalaun. declaravit Clementi IX., quod quatuor Episcopi in sua subscriptione quæstioni *juris* simplicem et perfectam, quæ-

stioni autem *facti* eam deferant obedientiam, quæ juxta Cardin. et Theologos Baronium, Bellarm. Richel. Pallav. Petav. et Sirmondum sufficiat ex eo quod nihil dicatur, scribatur aut doceatur contrarium : sed hæc est *obsequiosum* duntaxat *silentium*; ergo Papa agnovit factam in subscriptione quatuor Episcoporum distinctionem inter jus et factum. Nam

R. 1°. Agnovit Papa tum ex prima parte Declarationis, quod quatuor Episcopi pure ac simpliciter damnaverint doctrinam Jansenii in omni sensu ab Ecclesia damnato; tum ex novo et publico quatuor Episcoporum testimonio, quod uti exegit Papa, sic illi Romam miserunt his verbis : *se sincere prorsus et ad sensum in Constitutionibus Innoc. X. et Alex. VII. expressum formulæ subscripsisse.* Ac idcirco Papa acquievit, interim dissimulans circa *factum ;* tum quod nosset, nihil de *facto* definitum fuisse ab Innoc. X. et Alex. VII.; tum quod crederet, per *factum,* juxta relationem Rospigliosi Cardin., solum intelligi factum aut *personale* aut *grammaticale.* Hinc

R. 2°. Quod tum temporis Romæ et in Gallia nomine *facti* intellectum fuerit vel *mere personale,* h. e. sensus internus et personalis Jansenii, vel *mere grammaticale,* h. e. quinque propositionum totidem verbis continentia in libro Jansenii : patet 1. ex relatione Rospigliosi n. 153.. . *prima,* quæstio, *quænam illius occulta mens et cogitatio fuisset, quibusque signate verbis quinque propp. ille,* Jansenius, *expressisset. Hæc quæstio intra facti limites se tenet, quam doctiores propterea negant definitionibus fidei divinæ subjectam.* 2. Ex epistolis Cleri Gallicani an. 1654. et 1656. ad Innoc. X. et Alex. VII., in quibus observant Jansenianos ad *facti* quæstionem, h. e. ut ipsi exponunt, *ad tricas syllabarum* conatos fuisse controversiam deducere.

R. 3°. Ex ipsis Jansenianis, qui sæpenumero pontificiam definitionem ad hanc *facti* speciem extendendam esse contendunt : *Pascalius* ep. 17., *Quesnellus,* sive auctor Præf. Apolog. pag. 86. et 87., Auctor *Apologiæ* panegyreos Jansenianæ pag. 12., quin et laudatus a Quesnello P. *Liberius* de Jesu, Carmelita Rom. in Colleg. de propag. in Opere : *Controversiæ dogmaticæ adversus hæreses.*

R. 4°. Nec propterea sequitur, ut male infert Quesnellus, *divisionem* Declarationis Episc. Catal. esse mancam, eo quod unum membrum, scilicet 2um. de sensu libri Jansenii, in primo membro de omni sensu ab Ecclesia damnato contineatur. Nam membrum 2um. de quinque propositionum attributione libro Jansenii potuit ex dictis cum fundamento intelligi vel de sensu personali, vel de grammaticali. Imo ne, contra *leges divisionis,* unum membrum alterum includeret, debuit Catalaunensis in primo loqui de sensu *naturali,* qui est ille præcipue, unice ac nominatim damnatus; et in secundo non loqui de eodem, sed de *personali* vel *grammaticali.*

Nec dicas 2°. Episcopus Catal. in tertia *parte* Declarationis affirmat, quod subscriptio quatuor Episcoporum quoad *factum* omnino sit conformis illorum in *Actis verbalibus* subscriptioni : sed de hac constat, quod facto etiam *doctrinali* solum exhibeat obsequiosum silentium; ergo Pontifex non potuit dissimulare quæstionem *facti,* ceu mere personalem aut grammaticalem; maxime cum *Acta verbalia* omnibus nota et perspecta, a Papa et ejus in Galliis Nuntio, Bargellino, ignorari non poterant. Nam

R. 1°. Papa ad concedendam pacem motus non fuit ex sola Declaratione Episc. Catal., sed etiam ex epistola Harlæi, in qua diserte asseritur, quatuor

Episcopos damnasse quinque propositiones in sensu Jansenii, et quia hic Illustriss. Præsul miratur, Jansenianos hucusque tandem progressos; hos non tantum obsequiosum silentium antehac semper præstitum, sed assensum mentis *facto* dogmatico præstitisse, manifeste sequitur. Adde relationem Rospigliosi, quæ n. 163. ita habet : *Visum fuisse Pontifici, ex Declaratione Episc. Catal., ex legitima fide, quam quatuor Episcopi fecerant Nuntio, suæ in sancienda adjectis nominibus formula sinceritatis ; eque luculentis D. Lionœi et Archi-Episcopi Rothom., aliorumque testimoniis argumentum conflari longe usquequaque validius contrario quovis rumore, quem de Actis verbalibus incerti libelli et privatæ dissipaverant litteræ.*

R. 2°. Falsum, quod Clemens IX. rumore Romam delato de *Actis verbalibus* ante pacem non reclamaverit; siquidem teste Rospigliosi n. 161. pacem cum quatuor Episcopis interea suspenderit, obfirmatus, eam nunquam concedere, *si asseruissent se nolle pro hæreticis agnoscere quinque propositiones in sensu Jansenii, quemadmodum ab Apostolica Sede fuerant damnatæ.* Si vero post pacem nec Clemens seu IX., seu X., nec Innoc. XI. reclamarint contra Acta verbalia etiam publicata cum plurimorum subscriptionibus, *ratio* est, quia vel ignorabant, vel rumorem et factam delationem vilipendebant, eo quod Romæ haberent quatuor Episcoporum subscriptiones propriis manibus signatas, uti et aliorum Episcoporum, in quibus nonnisi sinceritas, perfecta obedientia, et condemnatio quinque propositionum in *omni sensu* ab Ecclesia damnato.

R. 3°. Demum inter Declarationem quatuor Episcoporum, et *Acta verbalia* multiplex discrimen est : 1. In his damnant quinque propositiones in eo omni sensu, quem damnat Ecclesia, sed mox excipiunt sensum illum, quem vocant *doctrinam SS. Aug. et Thom. de gratia efficaci per se,* quippe in phrasi janseniana ipsummet sensum Jansenii de gratia relative per gradus necessario victrici. 2. In his *factum*, cui defertur obsequiosum silentium, non vocatur factum simpliciter, uti in declaratione, sed *factum contentum in formulario,* quod vero non est personale, sed dogmaticum, scilicet attributio sensus hæretici quinque propositionum libro Jansenii. 3. In Verbali Episcopi Alectensis legitur, quod non habetur in Declaratione : *neminem vi solius auctoritatis judiciorum Ecclesiæ teneri ad assensum circa facta, quæ respiciunt sensum auctorum aut eorum librorum* : in hoc autem uno stat totum systema silentii obsequiosi.

Nec dicas 3°. Harlæus in epist. ad Rospigl., quæ velut commentarium est prædictæ Declarationis, asserit, quatuor Episcopos damnare quinque propositiones Jansenii, sed *tacito Janseniani sensus nomine;* ergo eas non damnarunt in omni sensu ab Ecclesia damnato.

R. Non negat Harlæus, quatuor Episcopos damnare quinque propositiones in sensu libri Jansenii ; quia et ipse, uti Catalaunensis, testatur, quod absque ulla exceptione aut restrictione eas damnent in omni sensu, quo ab Ecclesia damnantur. Insuper autem *instar miraculi* habet eam subscriptionem, utpote *quam ab ipsis necdum obtinere potuerit Ecclesia;* at miraculum certe non erat illa nova subscriptio cum distinctione juris et facti, jamdum centies, ut ait Quesnellus Tom. II. Relat. de Pace Clem. IX. pag. 518. oblata, semperque rejecta. Solum proin asserit, quatuor Episcopos in Actis verbalibus non agnovisse *Jansenium* tanquam hæreticum, nec quinque proposi-

tiones ceu *totidem verbis* contentas in libro Jansenii; uti et in illa epist. quædam generatim dicta de censura librorum exponenda sunt de factis personalibus, aut dogmaticis *fide divina* credendis.

Mirum sane, quod Harlæi epistolam aperta fronte sibi adversantem Jansenianí objiciant; et Harlæi quidem, quem omnes, ac præprimis Papa, probe noverant, semper alienum fuisse a partibus Jansenianorum, et subscripsisse Comitiis de an. 1660. 1661. etc., in quibus diserte statutum legitur, unumquemque teneri, intus et ex animo damnare quinque propositiones in sensu Jansenii. Ac tandem quomodo Papa sibi in animum inducere potuisset, sinceram ac perfectam secundum *omnem sensum* vocari eam subscriptionem, quæ facta fuisset cum exceptione hujus præcise sensus, qui *specifice* exprimitur ac damnatur in formulario : propter quem damnandum unice instructum fuerat formularium : et quem sensum, qui subscribit formulario, sincero animo damnare se atque rejicere, interposito solemni juramento, publice testatur?

Nec dicas 4°. Quatuor Episcopi subscripserunt, non sicut *Gallicani Episcopi,* sed sicut *multi* Gallicani Episcopi, nempe ii, qui jus a facto dogmatico distinxerant, inter quos sunt 19. illi Præsules, de quibus testatur tum Catalaunensis, tum ipsi illi 19. Præsules in sua ad Clem. IX. epist., quod idem sentiant cum quatuor illis quoad sua *Mandata* circa subscriptionem : sed quatuor Episcopi in his Mandatis aperte distinxerant inter jus et factum dogmaticum, pro quo non aliud, quam silentium religiosum exigebant; ergo.

R. *Ad* 1um. Falsum, quod in epist. quatuor Episcoporum Romam missa legatur, non simpliciter, sicut *Gallicani Episcopi,* sed tantum, sicut *multi Episcopi;* tum quia in Regesto Nuntii, Bargellini, asservatum ejus epist. apographum non habet τὸ *multi* : tum quia aliud exemplar, quod descriptum tenent DD. de Saint-Sulpice juxta prædictum apographum, eam vocem pariter non habet. Porro ipse Jansenianus *Apologet. Præf.* auctor pag. 57. post multa hinc et inde prolata, tandem haud obscure declarat, vocem *multi* prætermissam fuisse in eo exemplari, quod Romam missum fuerat. Demum si etiam inserta fuisset, aliud Papa exin non potuisset concludere, quam quatuor Episcopos aliis Episcopis consensisse, ad sensum epistolæ, in qua Episcopus Laudun. d'Estrées ad Clem. IX. de quatuor Episcopis scribit : *nova, nec non sincera subscriptione aliis Episcopis consentiunt.*

R. *Ad* 2um. Non hic agitur de eo, ut generaliter sciatur, quem sensum habere possit epistola 19. Episcoporum, sed quo sensu Papa eam intellexerit : si enim de *assensu mentis* eam intellexit, res pro nobis decisa est : si de silentio tantum obsequioso, evidens est, quod epistolam sic intellectam damnaverit, declarans in suis Brevibus, quod nunquam admissurus fuisset quatuor Episcoporum subscriptionem, nisi fuisset pura, simplex et sine omni restrictione, prout testatur Rospigliosus, de sui patrui mente optime instructus. *Nec obstat,* quod Clemens IX. nuspiam expresse eam 19. Episcoporum epistolam damnaverit, siquidem ad damnationem doctrinæ non requiratur, ut omnes libri nominatim, in quibus ea doctrina continetur, proscribantur : sed sufficiat, eam *universim* condemnari.

Propterea illa epistola non tam aperte loquitur de silentio obsequioso, ac prætenditur; et Clemens prudenter sibi poterat persuadere, quod distinctio

inter jus et factum cadat super factum *personale* et *grammaticale* : tum quia 19. Episcopi formulario subscripserunt pure ac simpliciter, et sine omni restrictione : tum quia idem sunt, subscribere damnationi doctrinæ libri Jansenii, et subscribere formulario sine restrictione. Utramque rationem confirmat Illustriss. de Gondrin Archiep. Senon., qui primus fuit inter illos 19. Episcopos : is autem an. 1656. in conventu Cleri edixit, *credere se obligatum in conscientia, ad subscribendum Bullæ Innoc. X. quoad damnationem quinque propositionum Jansenii in ejus libro contentarum.* Idem sensit adhuc an. 1661. 8. Jun. in Decreto quodam pronuntians, quod *quinque propositiones sint hæreticæ in sensu Jansenii, et quod hic sensus non sit sensus Augustini.* Idem sensit an. 1663. subscribens epistolæ 19. Episcoporum, quia priora sensa non revocavit. Idem ergo dicendum de reliquis 18. Episcopis, qui Senonensi uniebantur in subscriptione ejusdem epistolæ, ac pariter formulario pure et simpliciter subscripserunt.

Adde, quod 19. Episcopi tantum excluserint *fidem divinam,* non item humanam Ecclesiasticam, de qua loquitur Perefixius Archiep. Paris., uti testatur Episcopus Pontiensis, unus de illis 19. Episcopis, in epist. ad Episc. Camerac. *Injuriosum dicit, quod dicerentur in subscriptione formularii rejecisse omnem credulitatem circa factum Jansenii, siquidem alia ipsis intentio non fuerit, quam excludere necessitatem fidei divinæ decisionibus Ecclesiæ præstandæ circa facta non revelata : et cum Perefixe in suo Mandato, ante nostram epistolam ad Papam et Regem, perscriberet, facto Jansenii non deberi aliam fidem, quam humanam Ecclesiasticam : neque nos, neque quatuor Episcopi vel verbo uno in nostris scriptis contradiximus Perefixio.*

Nec dicas 5°. Si Clemens IX. non approbavit silentium respectuosum circa factum dogmaticum, explicari non potest, in quo pax illa Clementis IX. consistat. Nam

R. *N. seq.* Et quidem 1°. Clemens IX. quatuor Episcopos non adegit *ad expressam revocationem* suorum Decretorum in suis Diœcesibus. Id testatur Rospigliosus, quod Bargellinus Romam scribens ad secretum concilium nuntiaverit, *videri parcendum quatuor Episcopis circa expressam abolitionem Decretorum, et urgendam duntaxat subscriptionem formularii*; et D. Lionæus spem fecerit finiendi hoc medio totam causam; Roma vero rescriptum fuerit, ut allaboret uterque pacem restituere, *posthabito retractationis consilio.* Idem testatur Cardinalis d'Estrées in Congreg. quadam coram Pontifice 1693. 4. Jun. habita, qui se illorum omnium, quæ tunc gesta fuerant, testem optimum asserebat.

2°. Concessit Papa quatuor Episcopis formularii subscriptionem *cum explicatione magis diffusa,* ad tres quæstiones, quæ moveri poterant circa quinque propositionum attributionem libro Jansenii : videlicet 1ª. an quinque propositiones totidem verbis aut expressis aut æquivalentibus contineantur in libro Jansenii? 2ª. an sensus naturalis quinque propositionum sit sensus internus Jansenii? 3ª. an sensus naturalis quinque propositionum sit sensus naturalis libri Jansenii? Cum enim Romæ et in Galliis quæstio 3ª. haberetur ceu quæstio *juris,* sed 1ª. et 2ª. ceu quæstiones *facti* : cumque Rospigliosus, post explicatam declarationem Catalaunensis, Clementi retulisset, quod quatuor Episcopi decisioni Apostolicæ quoad *factum* deferant obedientiam respectus ad mentem et sensum Cardin. et Theologorum,

formulario autem pure, simpliciter, et sine quacumque restrictione subscripserint, damnantes doctrinam Jansenii in omni sensu, quem damnat Ecclesia, Papa, teste eodem Rospigl. et Harlæo tum Archiep. Paris., existimavit, sibi esse dissimulandum circa alia puncta.

3°. Papa, non obstante quodam rumore de subscriptione minus sincera, a quatuor Episcopis exigere noluit, ut Romam mittant *Acta verbalia*; contentus interim perquisitione sui Nuntii, attestatione Episcopi Catalaunensis, litteris aliorum Episcoporum, ac demum novo et publico quatuor Episcoporum testimonio de sincera subscriptione propriis syngraphis munito.

Nec dicas 6°. Edictum Regium de anno 1676. in castris prope Ninovam Flandrorum datum ait, quod Papa condescenderit cum Episcopis formulario subscribentibus : sed ille *condescensus* seu indulgentia Papæ non respicit factum personale aut grammaticale, circa quod semper fuit licitum pro libitu opinari; ergo factum dogmaticum. Unde *Arnaldus* Episc. Andegav., annis octo post pacem Clementis, Decretum edidit, in quo liberrime asserit, hanc pacem fundari in distinctione juris et facti, eamque turbari ab eo, qui exigat subscriptionem quoad doctrinæ damnatæ attributionem libro Jansenii; dein vero prohibet sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ subscriptionem formularii sine distinctione juris et facti, aut sub alia obedientia, quam respectuosi silentii. Nam

R. 1°. Dictum satis, quod ille condescensus Papæ intelligendus sit de tolerantia, qua permisit Papa, quatuor Episcopos subscribere *cum expositione diffusa,* permittendo duntaxat silentium obsequiosum pro *facto* in mente Clementis IX. personali aut grammaticali. Esto autem semper licitum fuisse, de ejusmodi facto pro libitu opinari, non item liberum fuit, inter subscribendum inserere distinctionem ac explicationem : hæc quippe ratio subscribendi haud parum periculosa foret, cum ex ea non pauci sensum Jansenii censuræ subducere tentarent; prout reipsa contigit tempore Arnaldi Andegav.; isque ut præcaveretur abusus, latum fuit illud Edictum Regium.

R. 2°. Si decretum Arnaldi veritate nitebatur; ut quid communis adversus illud exorta contradictio est? scilicet aliud pacis Clementinæ fundamentum noverat Francia, quam illud Arnaldinum. Et quam imprudenter Janseniani allegant illud Edictum Regium, in quo contra Jansenii defensores clare asseritur, Arnaldum Episcopum per suum Decretum manifestam erga Regias ordinationes inobedientiam exhibuisse, *eum conari suum Decretum tueri per fundamentum falsum, perniciosum et periculosum, adeo prohibendo subscriptionem formularii cum attributione doctrinæ damnatæ libro Jansenii, quo tamen modo faciendam ordinaverant Conventus Cleri, Bullæ Pontificum, litteræ patentes Regis et edictum consilii Regii..... scilicet, ut pace illa, quam pro libitu suo interpretatur, manifeste abuteretur, ad abolendum in sua diœcesi formulare, et subscriptionem juxta Constitutiones Apostolicas receptas, acceptatas et publicatas per Regnum.*

R. 3°. *Quæ tamen condescendentia Papæ* (verba sunt Edicti Regii) non est *revocatio Bullæ, quæ præscribit formularii sub juramento subscriptionem sine facta mentione ejus interpretationis.* Fuisset autem ipsum hoc Edictum revocatio Bullæ Alex. VII, si permisisset ac approbasset silentium obsequiosum. Tandem ipsi Jansenii defensores subscriptionem cum diffusa explicatione concessam fuisse fatentur, *in favorem scrupuli quorumdam particu-*

larium; hic vero scrupulus jam nunc sublatus est, cum permissum sit, in subscriptione formularii notare, quod *fide divina* non credas Ecclesiæ infallibilitatem circa sensum aut personalem aut grammaticalem.

Nec dicas 7°. Arnaldus, quamvis suum decretum non revocasset, tamen ab Illustriss. Perefixio receptus est in pacem Ecclesiæ, item Moniales Portus Regii, D. Dorat Curatus etc. Idem vero Arnaldus jamdum octogenarius, et ex illis quatuor Episcopis solus ipse superstes, apud Innoc. XI. conquestus est de falsis rumoribus, quos velit Papa refellere; utpote queis ipse cum tribus aliis Episcopis pie defunctis traducatur, quod dolosa subscriptione Clementem IX. circumvenerint; cum tamen tempore Clementis IX. juxta Theologos et Consultores, quorum aliquos adhuc superstites dignetur sua Sanctitas interrogare, plus non fuerit a quatuor Episcopis postulatum, quam obsequium mentis circa dogma, et obsequiosum silentium circa factum dogmaticum. At siluit Innoc. XI., et nihil respondit Arnaldo, qui si falsum dixisset, quod quidem de Antistite magni nominis et morti proximo credi haud potest, Papa silere non debuisset.

R. 1°. Silentium Innocentii XI. non tam veritatem, quam falsitatem manifestat eorum, quæ in Arnaldi epistola referebantur; quam si non confutavit Roma, prudentis œconomiæ id fuit; ne scilicet pax et tranquillitas Ecclesiæ Gallicanæ, quæ a tot et tam diuturnis discordiis aliquantum respirabat, continuo turbaretur, responsum commodiori occasioni reservatum est.

R. 2°. Tametsi non asseramus, illis quatuor Episcopis fuisse animum fraudulenta formularii subscriptione circumveniendi Sedem Apost.; tamen vel ex eo quod ipsis, teste D. Valloni in quadam epist., *difficilis et ardua* fuerit subscriptio, subveritis, ne Clemens IX. eam ceu puram ac simplicem agnosceret; atque idipsum, quod timebant, reipsa contigerit; sat clare evincitur, quod ex subscriptione quatuor Episcoporum Romam missa, Papa non agnoverit, nec prudenter suspicari potuerit illam circa jus et factum distinctionem, utpote cum qua non stat simplex et pura subscriptio.

234. *Observa I.* Ubi de *pace* vel transactione *publica* agitur; publicis duntaxat instrumentis, quæ pacis conditiones enuntiant, fides adhibenda est; quidquid sit de obscuris et ambiguis quibusvis aliis actis, et privata judicis, contrahentium, pacificatoris ac paciscentium sententia; alioqui enim nihil in Republica, nihil in Ecclesia ratum foret ac fixum, omniaque fœdera, pacta et contractus nutarent, ac corruerent. Sed Brevia Apostolica de pace Clementis IX. edicunt omnia, quod quatuor Episcopi pure et simpliciter subscripserint, atque ideo unice recepti in communionem Ecclesiæ; quin et ipse Clemens IX. in Brevi reconciliationis ad quatuor Episcopos dato, disertis verbis testatur, se non aliis conditionibus pacem et communionem ipsis restituere, quam quia solemniter significassent, se juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum *sincere subscripsisse et subscribi fecisse formulario Alex. VII.*; ergo, cum non obstantibus Actis verbalibus, aut privata quacumque sententia, agendique ratione, semper tota lex viguit de pura et simplici subscriptione, nec contra diplomata Pontificia unquam reclamarunt quatuor Episcopi, nec conquesti, quod suæ subscriptionis verba a Sede Apost. perperam intellecta aut exposita fuerint; evidens est, quod

Clemens XI. ex illorum subscriptione nullam agnoverit limitationem aut restrictionem.

Demum si quid ex declaratione Catalaunensis, atque ex omnibus aliis subscriptis in causa quatuor Episcoporum editis inferri possit; id, credo, erit, quod pleraque sint *obscura* et *ambigua*; prout in Jansenii defensoribus semper deprehensum, et ab ipsis Jansenianis reprehensum fuit; tum a *Quesnello* non semel conquesto, quod res suo nomine non compelletur, tum a *Gerberonio,* qui hanc scribendi agendique rationem, bonæ fidei, justitiæ, sinceritati et candori Christiano adversam, Jansenianis exprobravit.

235. *Observa II.* Permisso etiam, agnovisse Clementem IX., quod quatuor Episcopi inter jus et factum distinxerint : nihil inde evincitur in gratiam *silentii obsequiosi.* Nam 1°. Clemens IX. privatis Brevibus approbando illam quatuor Episcoporum distinctionem, non potuit infringere Alexandri VII. publicam ac solemnem legem puræ ac simplicis subscriptionis, ab Episcopis acceptatam, auctoritate Regia munitam. 2°. Quod Clemens IX. privata auctoritate potuit contra constitutionem Alex. VII., hoc ipsum certe potuit Clemens XI. solemni Constitutione contra privata Brevia Clementis IX. : sed in Bulla *Vineam Domini,* quæ ipsis fatentibus Jansenianis est judicium Ecclesiæ irretractabile, lex Alex. VII. jubetur ex integro servari ; ergo. Demum pro invictissimo argumento sunt testimonia ipsorum et insigniorum *Jansenistarum,* qui familiaribus ad amicos litteris et colloquiis confessi sunt, nihil plane certi ex dicta Clementis IX. pace colligi posse : videlicet D. Valloni, Romæ Jansenianorum actor, in epist. ad Quesnellum 2. Jun. an. 1696. ; in alia ad eumdem mense Jul. ejusd. anni; idem in epist. 27. Mart. 1700. etc. Vide Tournely hic.

ARTICULUS VI.

QUENAM SIT QUESNELLISMI HISTORIA, QUOD SYSTEMA, QUÆ IN ILLUM LATA SENTENTIA ?

236. *Nota I. Quesnellismi* nomine nihil aliud intelligimus, quam *Baianismum* ac *Jansenismum,* tum accessione aliorum errorum auctum, tum majori pertinacia et Ecclesiæ contemptu defensum. Appellatur a Paschasio *Quesnello,* qui natione Gallus, patria Parisinus, natus est an. 1634. Is in Parisiensi Universitate artium studiis an. 1653. confectis, et cursu Theologico in Sorbona absoluto, an. 1653. nomen dedit Congregationi Presbyterorum Oratorii a Card. Berullo in Galliis institutæ. Sacerdotio an. 1659. initiatus, totum se dedit libris conscribendis, inter quos an. 1673. edidit opera S. Leonis Papæ una cum scholiis et dissertationibus, quæ Romæ an. 1676. graviter prohibita fuerunt.

Ea prohibitione irritatus, cum ex decreto in Comitiis generalibus Oratorii Gallicani an. 1678. edito, juberetur una cum cæteris formulam adversus *Baium* et *Jansenium* subscribere, renuit, neque Regis etiam imperio ad saniorem mentem revocari potuit. Quare Parisiis excedere coactus, Aureliam se primum recepit : post, anno scilicet 1685. pœnarum metu Galliis desertis, in Belgium se contulit Bruxellas.

Hic cum *Arnaldo* factionis Jansenianæ duce latitans, per novem annos, si paucos menses excipias, quibus ambo Delphos in Hollandia, inde in Leodiensem tractum declinandi periculi causa secesserant, commoratus, auxiliarem calamum ad spargenda pro Jansenismo Opuscula, Libellos et Tractatus præbuit : ab anno autem 1694., quo *Arnaldus* decessit, Janseniani agminis jam factus antesignanus, ibidem totus incubuit ad subruendos pestilentissimis scriptis, tum Ecclesiasticorum, tum Politicorum Magistratuum pro veritate Catholica conatus.

Anno 1703. cum Gabriele *Gerberon* O. S. B. Congreg. S. Mauri quidem presbytero, sed ob Jansenianam hæresin in Belgium etiam profugo detectus, captus, et per trimestre in carcere Ecclesiastico detentus fuit. Hoc postmodum Jansenianorum ope effracto, elapsus in Hollandiam decessit, ibique asylo securus ac tectus usque ad mortem suam infinita prope scripta pro se et Janseniana hæresi spargere in publicum perrexit. Obiit renovata ante vitæ exitum *appellatione ad œcumenicum Concilium*, et in erroribus pertinax, gravissimis censuris Pontificiis irretitus, Amstelodami die 2. Dec. an. 1719. ætatis 85.

Characterem vitæ ipsius præbent criminationis capita, propter quæ rite probata, et in *Causa Quesnelliana* seu *Motivo juris pro Procuratore Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis Actore contra Paschasium Quesnellum citatum et fugitivum* etc. uberius deducta, Humbertus a Præcipiano Mechliniensis Archiepiscopus in eum tanquam Baianismi et Jansenismi, aliorumque excessuum convictum an. 1704. tulit sententiam.

Sunt autem hæc præcipua 1. Quod formulæ a Congregatione Oratorii ad rejiciendam hæresin Jansenianam injunctæ subscribere recusarit, et Gallia deserta in Belgio Catholico, quamvis presbyter, sub veste laica latuerit.

2. Quod ibidem et in vicinia excitatis turbis, commoverit Presbyteros contra Episcopos proprios, et Clerum Batavicum adversus S. Pontificem.

3. Quod Baii dogmata renovarit, laudaritque operum ejus novam editionem.

4. Quod hæresin Jansenianam propugnaverit, et scriptis suis passim inseruerit.

5. Quod Pontificiis decretis in causa Jansenii latis liberaliter detraxerit.

6. Quod scripserit esse sacrilegum et Ecclesiæ injuriosum, exigere subscriptionem formulæ Alexand. VII.

7. Quod adhæserit factioni Jansenianæ Ecclesiæ et Principibus rebelli, illam post Arnaldi obitum rexerit.

8. Quod in litteris factionem concernentibus passim usus fuerit cifra fictorum nominum.

9. Quod scripserit et ab intimis suis receperit litteras utrique Magistratui graviter obtrectantes.

10. Quod reimprimi et distrahi curaverit scripta a Pontificibus prohibita, et ediderit similia scripta anonyma plurima.

11. Quod præparaverit compilationem 156. opusculorum, a nata hæresi Janseniana editorum, quorum etiam plurima a Sede Apostolica fuerunt damnata.

12. Quod secreto administraverit Arnaldo ultima Sacramenta. Item ausus

fuerit in ædibus suis privata sua auctoritate erigere oratorium domesticum, et in eo dicere sacrum.

237. *Nota II.* Inter plurimas *Quesnelli* scriptiones nominatissimus est liber anonymus, Gallico idiomate impressus hoc titulo : *Novum Testamentum cum reflexionibus* seu *observationibus moralibus,* vel : *Epitome doctrinæ moralis Evangelii;* ex quo centum propositiones et una, postmodum damnatæ, extractæ sunt. In eo perficiendo et penitus absolvendo *Quesnellus* 22. annos impendit, in textu versionem Gallicam Montensem, alias jam proscriptam et prohibitam, in reflexionibus autem *Baium, Jansenium* et *Richerium,* cujus systema de potestate ecclesiastica et politica jam seculo decimo sexto reprobatum fuerat, secutus.

Prima hujus libri editio adornata fuit an. 1671. a *Quesnello* in Galliis adhuc degente : complectebatur quatuor duntaxat Evangelia cum brevioribus quibusdam reflexionibus moralibus : constabat unico volumine in-12., approbata erat a Felice *Vialard* Ep. Catalaunensi. In hac reperiuntur quinque tantum propositiones, nempe 12. 13. 30. 62. et 65. ex propositionibus 101. postea damnatis.

Altera facta est an. 1687. Complectebatur, præter quatuor Evangelia, etiam reliquos N. T. libros cum observationibus moralibus : constabat tribus brevioribus voluminibus in-12. In ea, præter quinque prioris editionis, extant quadraginta octo propositiones ex damnatis.

Tertia absoluta est an. 1693., et erat idem, quod editionis secundæ, opus, sed variis et gravioribus a *Quesnello* amplificatum additamentis : prodiit Parisiis quatuor jam et grandioribus in-8 distinctum tomis. In hac et sequentibus editionibus omnes et singulæ deprehenduntur 101. propositiones damnatæ.

De his porro editionibus adhuc notandum 1°. editiones an. 1693. 1694. et 1699. esse eas, e quibus damnatæ propositiones de verbo ad verbum extractæ sunt. 2°. Antonium de *Noailles* tunc Episcopum Catalaunensem, postea Cardinalem et Archiepiscopum Parisiensem, dato pastorali documento an. 1695., approbasse editionem ejusdem libri anno eodem factam, postquam postulasset, ut in editione an. 1693. leviores quædam correctiones et nonnullæ verborum mitigationes fierent : editionem autem an. 1699. ex occurrentibus quibusdam causis non probasse, quamvis novo Pastorali illam probare instituisse videbatur.

238. *Dico I. Historica* Quesnellismi synopsis (quam ab an. 1693., ubi liber *Quesnelli* perfectus tandem ac penitus absolutus fuit, repetendam censemus) ex sequentibus epochis potissimum intelligi potest.

Epocha I. Novum Testamentum cum observationibus *Quesnelli,* quod vel ob exiguam suam molem vel ob minorem errorum numerum, præsertim alio Catholicorum animos avocantibus Jansenianis turbis, illæsum aut certe dissimulatum manibus fidelium terebatur, notari statim cœpit, ubi editionibus semel ac iterum jam repetitis novisque adjectionibus grandius, ac postremis curis ad perfectionem elaboratum prodiit an. 1693. Ab eo enim tempore sicut illud opus a *Jansenistis* celebrari laudibus, sic a Catholicis versutiarum Jansenianarum magis gnaris virus sub sermonis elegantia et

pietatis specie delitescens detegi et notari cœpit. Et quidem D. *Fromageau* Doctor Sorbon. mox an. 1694. ex eo propositiones 199. erroneas et censura dignas collegit. De pluribus aliis Quesnelliani fœtus aut improbatoribus aut censoribus vel ipsi Jansenianarum partium coryphæi D. *du Vaucel* et D. *Willart* suis in epistolis an. 1697. datis queruntur et testantur.

Sub hæc vero tempora, inclinantis nempe seculi prioris et exordientis postremi, partim reprobarunt, partim legi prohibuerunt Archiepiscopi Lugdunensis, Viennensis et Narbonensis, nec non Episcopi Ambianensis, Massiliensis, Valentinus, Biterrensis, Castrensis, Lexoviensis, Meldensis, qui erat celeberrimus Bossuetius, et alii. Demum ubi in Belgio contra *Quesnellum* profugum et contumacem causa agi cœpit, Gallia apertius in partes scissa est, majore quidem et saniore parte illum ut *Jansenismi* innovatorem, et ejus librum damnandum censente : aliquibus et auctorem et librum ab omni erroris labe purgare conantibus.

Iis dissidiis excitus Clemens XI. P. M., examini accurato subjecit memoratum librum, eumque edito die 13. Jul. an. 1708. decreto in forma Brevis, quod incipit : *Universi Dominici gregis,* legi prohibuit, et sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ amplius imprimi vetuit, et ne simplices deinceps deciperentur, eumdem flammis publice tradi mandavit.

Epocha II. Cardinalis *Noallius* libri damnatione, quem antea approbaverat, vehementer jam commotus, cum legeret commune Mandatum *Lucionensis* et *Rupellensis* Episcoporum an. 1710. et pastorale monitum anno sequenti a *Vapincensi* Episcopo promulgatum, queis præfatum opus confutarunt et proscripserunt, accedentibus Quesnellistarum cavillationibus magis irritatus, hæc Mandata tanquam supposititia, proscriptis olim erroribus faventia, et ab inimicis Episcopatus laxiorisque moralis defensoribus elaborata, an. 1711. damnavit. Contra hanc damnationem cum priores Episcopi suas quærelas ad Ludov. XIV. Regem Christianissimum deferrent, Quesnellistæ autem libri damnationem sine designatis erroribus ægrius ferrent, Rex, consentiente etiam et postulante *Noallio,* a Pontifice novum examen et distinctiorem sententiam de libro petiit.

Postulationi huic deferens Clemens XI. integro biennii spatio renovari examen curavit, et habitis etiam coram se pluribus S. Officii Congregationibus, ex plurium Cardinalium et Episcoporum votis tulit tandem sententiam solemniori forma, edita nempe 8. Septemb. an. 1713. Constitutione, quæ incipit : *Unigenitus Dei Filius,* qua centum et unam propositiones ex Novo Testamento cum reflexionibus moralibus *Quesnelli* edit. an. 1693. 1694. 1699. verbotenus excerptas, ipsumque librum damnat sub variis censuræ notis.

Epocha III. Constitutionis hujus adventum in Gallias prævertens Card. *Noallius* edicto, sed generalibus terminis concepto, damnavit librum *Quesnelli.* Transmissa vero ad Regem Bulla, variæ de ejus acceptatione difficultates exortæ sunt ; ubi enim in Comitiis Cleri Gallicani an. 1714. habitis, duce Card. Armando de Rohan, quadraginta Præsules præsentes hanc Bullam omnino acceptarent, octo alii duce Card. *Noallio,* primum sua suffragia reticuerunt : deinde autem obtenderunt circa nonnullas e damnatis propositionibus aliquid difficultatis occurrere, cujus elucidationem a S. Pontifice requirendam censerent.

Rex majori et saniori Præsulum parti subscribens, edictum pro Bullæ

observatione expediri jussit : Præsules addiderunt pastorale Mandatum de ejusdem acceptatione et observantia ad omnes Galliæ Episcopos, quorum plerique omnes Constitutionem susceperunt et promulgarunt gravissimis hanc in rem editis Mandatis, quorum exemplum inter reliquas Universitates etiam secuta est an. 1714. Parisiensis. His tamen adeo non acquieverunt Episcopi illi detrectatores, ut potius eorum aliqui edicta contra Constitutionem suis Diœcesibus emiserint.

Quin post Ludovici XIV. fata, Duce Aurelianensi Regni habenas moderante, eo refractariorum processit audacia, ut an. 1717. quatuor Episcopi, nempe Mirapicensis, *de la Broue*; Montispessulanus, *Colbert de Croissi*; Boloniensis, *de Langle*; Senecensis, *de Soanen*, instrumentum publicum ediderint interjectæ a se appellationis a Constitutione *Unigenitus* ad Concilium œcumenicum libere ac legitime celebrandum; quo in facinore sectatores habuerunt postmodum Card. *Noallium* aliosque Episcopos duodecim una cum privatis quibusdam ex diverso statu, ac tribus Facultatibus Theologicis, inter quas Parisiensis falsum esse declaravit, a se nuper Constitutionem fuisse acceptatam.

Epocha IV. Audax ejusmodi molitio non displicuit duntaxat regni gubernatori, et regi Ludovico XV. sub susceptæ gubernationis exordium, sed auctoritatem etiam Ecclesiasticam ex omni parte contrariam sensit. Præterquam enim quod aliarum regionum omnium Præsules ac Universitates pro acceptatione Constitutionis Pontificiæ starent; appellationes illæ an. 1718. et a Gallicanis Præsulibus, et a Clemente XI. reprobatæ et confixæ fuerunt : quod idem ab iisdem Præsulibus et Clementis successore Innocentio XIII. actum est an. 1722. contra litteras septem Episcoporum appellantium schismaticas et hæretico spiritu plenas.

His Constitutionis sæpius memoratæ confirmationibus accesserunt, præter decreta plura Regis Christianissimi Bullam hanc tanquam *legem* non *Ecclesiæ* minus quam *regni* sui subditis proponentia, Concilium sub S. P. Benedicto XIII. an. 1728. Romæ a Cardinalibus omnibus, Episcopis suburbicariis et aliis pluribus celebratum : et aliud Provinciale mense Octobri ejusdem anni Avenione a Præsulibus Comitatus Avenionensis conflatum, in quibus Bulla *Unigenitus* debitis laudibus celebrata, ipsiusque observantia et obedientia commendata, et rursus imperata fuit.

Quibus tamen adeo fracta non fuit *Quesnellistarum* pertinacia, ut potius libris ac scriptis ab hac factione schismaticis et refractariis sic tanquam diluvio Gallia et Belgium oppleretur. Inter Episcopos autem ejusmodi eminuit pertinacia D. *de Soanen* Ep. Senecensis, quam ille tum factis contestatus est sæpius, ubi, quotquot a Jansenistis ex Hollandia ad eum dirigebantur, solo Episcopi in Protestantium regionibus intrusi testimonio contentus, ad Sacros Ordines publice admittebat; tum scriptis etiam memoriæ prodidit, ubi edita an. 1726. Instructione pastorali vexillum schismatis et rebellionis contra Ecclesiam, reprobata Constitutione *Unigenitus*, apertius extulit.

Epocha V. Tam noxiæ ad exemplum machinationi occursurus Archiepiscopus Ebredunensis *Petrus de Tencin*, modo S. R. E. Cardinalis et Archiep. Lugdunensis, annuente Rege Christianissimo, Episcopos Comprovinciales, inter quos et Senecensem, ad Concilium Provinciale evocavit, quod 16. Aug. an. 1727. Ebreduni initium habuit. In eodem comparens Ep. Sene-

censis, postquam ante protestatus esset, se illud Concilium nec suæ personæ, nec suorum scriptorum judicem agnoscere, rogatus, num pastorale illud documentum, quo damnaverat formularium ALEX. VII. et Bullas *Vineam Domini* ac *Unigenitus* CLEM. XI., nec non librum *Moralium Reflexionum* QUESNELLI probaverat, tanquam suum agnosceret, id verbis et scriptis est professus, seque illius defensionem suscipere declaravit, donec convinceretur, errores in eo reperiri.

Patribus damnationem illius Instructionis pastoralis meditantibus, Senecensis objecit rursus suam protestationem, et Præsules omnes ac singulos ob certas et distinctas causas scripto expositas recusavit judices, quin tamen causarum probationes palam adducere vellet. Sub hæc Antistites congregati, ne quid ad duritiem hominis emolliendam omitterent, ex vicinis quinque Provinciis accersivere Episcopos decem, nulla a Senecensi notatos exceptione; quibus ubi omnia Concilii gesta communicata fuissent, cognitio causæ denique suscepta est.

Interim per tres septimanas laboratum fuit in Episcopo Senecensi ad saniorem frugem reducendo; sed cum nihil proficeretur, trina monitio canonica facta est : hac quoque effectu suo frustrata, unanimi Patrum consensu ipsa quidem Instructio pastoralis confixa est tanquam *temeraria, scandalosa, seditiosa, Ecclesiæ, Episcopis et auctoritati Regiæ injuriosa, schismatica, hæretico spiritu plena, erroribus referta ac hæreses fovens* : De persona autem fuit pronuntiatum, *ut dictus Episcopus sit et maneat suspensus ab omni officio et jurisdictione Episcopali et ab omni exercitio Ordinis tum Episcopalis, tum Sacerdotalis*.

In cujus vim Synodus omnes a Senecensi illo Episcopo constitutos officiales Ecclesiasticos exauctoravit, elegitque in locum suspensi et interdicti Episcopi ad Diœcesin Senecensem regendam Dominum de Saleon, nunc Viennensem Archiepiscopum. Acta hujus Concilii omnia BENEDICTUS XIII. Brevi die 27. Decembr. an. 1727. dato plenissime confirmavit, et Rex Christianissimus sua auctoritate munivit.

Epocha VI. Dum Concilium hoc universæ Catholicæ Ecclesiæ acclamatione susciperetur, et ex omnibus fere Europæ provinciis Præsules litteris vel decretis illud laudarent; uni *Quesnellistæ* refractarii in illud surrexerunt ope Parlamenti Parisiensis. Hujus enim Advocati seu Causidici quinquaginta, Synodi acta infirmare, et omnes errores in ea damnatos tueri conati sunt, edita in hanc rem famosa Consultatione ab illis die 30. octobr. an. 1727. subscripta. His accesserunt e numero appellantium *Episcopi duodecim,* qui biduo ante data ad Regem epistola patrocinium Senecensis et oppugnationem Concilii susceperunt.

Verum nec Rex, nec Gallicani etiam Episcopi veritati et justitiæ defuerunt, qui tum sententia Ecclesiastica, tum Edicto regio, utrumque et consultationem et epistolam diluerunt, rejecerunt et prohibuerunt. Subsecuta est an. 1728. a Card. *Noallio* interjectæ olim appellationis constans ad mortem usque revocatio, puraque ac simplex ab eodem Constitutionis *Unigenitus* acceptatio. Editum quoque est an. 1729., et sequentibus annis sæpe confirmatum sacræ Facultatis Parisiensis decretum super acceptatione ejusdem Constitutionis, et punitionis in refractarios, qui exclusionem e sinu suo, ipso facto incurrerent; quod exemplum Facultas artium Parisiensis decennio

post, nempe an. 1739. secuta est sub Rectoratu Academico Armandi Principis de Rohan-Ventadour, nunc Episcopi Argentoratensis et S. R. E. Cardinalis.

Epocha VII. Hæc inter novam suæ factioni speciem confirmationis *Quesnellistæ* a fictis miraculis aucupati sunt. Jactabant enim prodigia quædam, quæ in Cœmeterio S. Medardi Parisiis ad sepulcrum Diaconi cujusdam, nomine *Paris,* in Appellatione constantis et cum sanctitatis fama defuncti, ad ejus invocationem fierent. Eorum vero miraculorum triplex classis erat: 1ª. complectebatur nudas convulsiones, seu membrorum distensiones aut contractiones absque prævia vel subsecuta curatione: 2ª. curationes convulsionibus annexas, h. e. quæ fuerint causæ vel effectus convulsionum: 3ª. sanationes morborum absque præviis aut subsequentibus convulsionibus factas.

Sed suscepto tandem *prodigiorum istorum examine,* præter alios Gallicanos Antistites, D. de Vintimille, suffectus Noallio Archiep. Parisiensi, eadem Mandatis pastoralibus an. 1731. et 1735. ostendit et juridice declaravit, nec vera, nec certa, nec *divina* censeri posse *miracula;* sed ficta, dubia, absona et ab omni fide prorsus abhorrentia; unaque acta plurium Parochorum ac scripta edita alia, partim omni fide destituta, partim variis notis confixa damnavit.

Hoc ipsum egit Clemens XII. P. M. contra libellum, *Vita Domini Paris* inscriptum, et Mandatum de simili miraculo Antissiodorensis Episcopi; quorum illud an. 1731., hoc an. 1734. gravibus censuris confixit; Rex vero Christianissimus ad scenicas istas et scandalosas miraculorum exhibitiones proscribendas Cœmeterium S. Medardi claudi an. 1733. jussit. Atque ex hac synopsi apertum est, quæ fuerint hactenus fraudes et diverticula non minus, quam pervicacia *Quesnellianæ factionis,* quæ etsi compressa multum sit, nondum tamen eam in Gallia penitus extinctam dolent Catholici omnes, et, ne etiam in alias orbis partes occultas doctrinæ damnatæ fibras vel radices illa emittat, exoptant.

239. *Dico II.* Systema errorum Quesnelli in Bulla *Unigenitus* damnatorum universim reducitur ad tria capita: 1ᵘᵐ. est de gratia, ad quod spectant propositiones 43. priores: 2ᵘᵐ. est de virtutibus theologicis ac timore gehennæ, iisque vel oppositis vel annexis; ad quod referuntur 28. propositiones sequentes: 3ᵘᵐ. est de Ecclesia et Ecclesiæ disciplina; ad quod 30. postremæ propositiones spectant. Qui singulas propositiones accurate perstrictas legere cupit, adeat, duce Vincentio Ludovico Gotti, opusculum Mediolani an. 1723. impressum, vel Tomum secundum Trutinæ theologicæ auctore Dominic. Viva, vel Constitutionem *Unigenitus* a Jacobo Spreng vindicatam, vel eamdem theologice propugnatam a P. Fontaine.

I. *Circa gratiam* Quesnellus 1°. Adami gratiam facit naturalem et non gratuitam, neque merita producentem, quæ Deo tribuantur, propp. 34. et 35. 2°. Hanc inter et datam nobis gratiam discrimen statuit, quod nobis ea non sit intrinseca, neque intrinsece nos sanctificet, propp. 36 et 37. 3°. Omnem et veram gratiam Christi docet semper esse efficacem, cui resisti nequeat, nec in hominis potestate sit, recusare assensum, propp. 9. 10. 11. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. et sub aliis phrasibus in propp. 22. 23. 24. 25. 4°. Sine gratia efficaci negat in homine omnem potentiam ad quodcumque

opus bonum, propp. 1. 2. 3. 4. 5°. Sine eadem addit hominem nihil posse neque habere, nisi malum, propp. 1. 5. 38. 39. 40. 41. 42. 6°. Denegat infidelibus omnibus et peccatoribus gratiam; his quidem ante peccatorum remissionem, illis vero ante fidem, propp. 26. 27. 28. 29.; quamvis baptismi gratiæ vim tribuat reddendi homines impeccabiles, prop. 43. 7°. Inficiatur Judæis in lege veteri datam esse gratiam, et Christianos gratia efficaci carentes fœderi antiquo annumerat, propp. 6. 7. 8. 8°. Titulum Salvatoris tribuit Christo respectu prædestinatorum duntaxat, propp. 30. 31. 32. 33. Item propp. 12. et 13.

II. *Circa virtutes theologicas, timorem, iisque vel opposita vel annexa* docet 1°. Præter Dei amorem benevolum et supernaturalem, alium amorem omnem esse malum, propp. 44. 45. 46. 48. 49. Hinc 2°. negat fidem operari aut esse sine charitate, prop. 51. et 52. : negat spem esse in Deo, ubi non est amor Dei, prop. 57. : negat veram legis obedientiam, si sit sine charitate, prop. 47. : negat sine charitate orationem haberi aut esse fructuosam, propp. 50. et 54. : negat sine charitate meritum dari, aut esse Christianum, aut coronari, propp. 53. 55. et 56. : negat denique Deum esse aut religionem, ubi non est charitas, prop. 58. 3°. Timorem supplicii vel pœnæ non excludit tantum a salutarium operum numero, sed infamat variis nominibus, propp. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 4°. Præter fidem et preces, charitate scilicet formatas, nullam virtutem aliam ad salutem exigit, prop. 68. Et ita in fide laudat Dei beneficium, ut destruat hominis meritum, prop. 69. 5°. Peccatoris tamen orationem tanquam novum peccatum rejicit, prop. 59. omnem autem afflictionem homini vel ad puniendum peccatum vel ad purificandum a peccato servire docet, prop. 70. 6°. Denique concedit homini, ut sibi ad sui conservationem dispenset a lege omni, prop. 71.

III. *Circa Ecclesiam et Ecclesiæ disciplinam.* Et quidem circa *priorem* partem docet 1°. Ecclesiam conflari et constare ex unis justis et electis, propp. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 2°. Ecclesiæ per primos pastores auctoritatem excommunicandi non tribuit, nisi ex consensu totius corporis saltem præsumpto, prop. 90. 3°. Ecclesiæ modernæ seditiose et schismatice affingit dominatum in fidem fidelium et ignorantiam veritatis juxta primam partem propositionis 94. et 95.

Circa *alteram* 1°. vult licitam cuilibet etiam rudi et ignoranti lectionem Scripturæ sacræ propp. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 2°. Usum Sacrificii ita jubet institui, ut populus omnes orationes dicat cum Sacerdote, prop. 86.; peccatores vero excludantur ab eo audiendo, prop. 89. 3°. Modum administrandi Sacramenti Pœnitentiæ præscribit severissimum, et vult differri absolutionem ante satisfactionem pœnitentis præstitam, propp. 87. et 88. 4°. Probat contemni censuras et excommunicationem, dum quis sibi imaginatur, se injuste esse censuratum, propp. 91, 92. et 93. 5°. Dum, sensu ad Jansenianæ factionis facta accommodato, proponit supremorum Magistratuum præventionem obstinatam ac persecutionem injustam tam in personas, quam scripta suorum, planissimam ad seditiones et schismata viam aperit, propp. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. Denique 6°. prop. 101. rite intellecta, ubi monet vitari juramenta non necessaria, respicit unice juramentum ex formulario Alex. VII. præstandum.

240. *Dico III.* Fundamentum Quesnellismi conquiescit in tribus principiis, quæ correspondent tribus capitibus, in quæ sicut articulos damnatos, sic etiam omnem Quesnelli doctrinam divisimus; quod enim supra de Jansenii libro dictum est, ejus compendium quasi in quinque damnatis propositionibus exhiberi; id etiam hic dici potest, nempe 101. propositiones Quesnelli damnatas totum complecti opus Reflexionum moralium cæterasque ejus elucubrationes. Est autem respectu *capitis* 1i. circa *gratiam*

I. Principium. Duplex in præsenti statu naturæ lapsæ est *delectatio indeliberata* : altera *cœlestis* ad bonum, altera *terrena* ad malum ; quarum altera præponderante voluntas movetur ac rapitur ad id, ad quod delectatio propendet. In hoc Quesnellus Jansenium sequitur , eum centies in suis *memorialibus* et *apologeticis* tuetur, et cum eo præpostere usurpat celeberrima S. Augustini verba : *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* Atque hinc in plurimis Quesnelli articulis 43. prioribus aperte proferuntur propositiones Jansenii damnatæ, præsertim 2a. et 5a.

II. Principium, quod pertinet ad alterum de *virtutibus theologicis* etc. caput, est : Nullus *amor medius* est inter supernaturalem *charitatem*, qua Deus gratis et propter se diligitur, ac inter vitiosam *cupiditatem*. Ex hoc enim tanquam corollaria fluunt, quæcumque de fide, spe, oratione, obedientia, timore aliisque sine charitate inutilibus, imo vitiosis edixit Quesnellus; secutus in eo ducem *Baium*, qui idem principium, articulo 44. inter 101. propositum, exhibuerat in prop. 38. a Pontificibus Pio V. Greg. XIII. et Urb. VIII. damnata.

Jansenius quidem eumdem errorem sæpius, maxime L. 5. de gr. Chr. c. 6. docuerat ; cum tamen eumdem non penitus in materia de charitate cum Quesnello consentire ostenderit P. Fontaine ad art. 44. in Const. Unig. theologice propugnata, in hoc puncto ducis partes *Baio* potius , quam *Jansenio* tribuendas putamus. Cæterum si altius ascendere lubeat, utriusque magistrum deprehendemus *Calvinum*, qui in Antidoto ad Sess. 6. Can. 25. *Dei judicio*, inquit, *nihil est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.* Et ad Can. 31. *Cum ingenuam a filiis suis obedientiam requirat Deus, servile ejusmodi obsequium* (nempe spe cœlestis retributionis præstitum) *non repudiabit modo, sed procul etiam rejiciet.*

III. Principium, ad tertium de Ecclesia caput spectans, est illud pronuntiatum : Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores, de consensu saltem præsumpto totius corporis. Quamvis enim hoc radicis locum non habeat, ex qua, quod de Ecclesia ipsa et ejus disciplina erronee effutiit, deducatur ; id tamen si valeat, habebit *Quesnellus*, quo damnationes Ecclesiæ et censuras omnes circa suas propositiones omnes earumque assertores eludat. Desumptum autem illud est ex damnato Edmundi *Richerii* Doctoris Sorbonici libello an. 1611. edito *de Ecclesiastica et Politica Potestate*. Quas enim is eo in libro contentas propositiones contra sanctam Sedem Apostolicam contumeliosiores in palinodia posteriore retractavit, earum ad præsentem materiam spectantes numerantur hæ quinque :

1a. Christus, suam fundando Ecclesiam, prius, immediatius et essentialius claves seu jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ, quam Petro et aliis Apostolis.

2ª. Tota jurisdictio Ecclesiastica primo, proprie et essentialiter Ecclesiæ convenit : Romano autem Pontifici atque aliis Episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo competit.

3ª. Christus non tam Petro uni, quam unitati infallibilem clavium potestatem detulit.

4ª. Status Ecclesiæ ab ejusdem regimine distinguitur ; status enim monarchicus est etc. Regimen vero aristocraticum etc., quia omnium optimum et natura convenientissimum.

5ª. Petrus claves jurisdictionis accepit a Christo Domino, non pro se, sed pro Ecclesia et nomine totius Ecclesiæ; non ut pastor œcumenicus et princeps, sed ut minister tantum et executor decretorum Ecclesiæ. Quanquam, cum ipse *Richerius* in damnatione harum propositionum profiteatur, earum dogmata ex putridis *Calvini, Lutheri* et *Hussi* fontibus a se fuisse hausta, abunde liquet, quosnam prædicti principii auctores primos laudare conveniat.

241. *Dico IV.* Sententia contra Quesnellismum lata ex condemnatione Reflexionum moralium in N. T. Pontificia, et aliis circa eamdem tum Conciliorum, tum Pontificum sub diversa ratione confirmationibus perspicitur.

I. *Condemnatio* Libri Reflexionum moralium 1ª. a Clem. XI. in Brevi 13. Jul. an. 1708. his verbis pronuntiatur : *Sacrum ipsum N. T. textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, et alteri versioni Gallicæ, dudum a fel. rec. Clemente Papa IX. prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die* 20. *April.* 1668. *expeditas litteras damnatæ, in multis conformem, a vulgata vero editione, quæ tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem et aberrantem : notas insuper et observationes continet, habentes quidem speciem pietatis, sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinæ et propositiones seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, alias damnatæ, et Jansenianam hæresin manifeste sapientes.*

2ª. In Constitutione *Unigenitus* die 8. Sept. an. 1713. ab eod. Clem. XI. edita. In ea Pontifex de doctrina libri Quesnelliani sic post Bullæ exordium enuntiat : *Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus hujusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies non nisi secto ulcere foras erumpat; cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula; et quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius aut salubrius præstari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus* (nempe in Brevi an. 1708.) *indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius et apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis et quasi in propatulo positis, non uno quidem aut altero, sed plurimis gravissimisque tum pridem damnatis, tum*

etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus benedicente Domino fore, ut omnes tandem apertæ jam manifestæque veritati cedere compellantur.

Enarratis deinde sollicitationibus ad ferendam sententiam factis, et 101. propositionibus recitatis ita prosequitur : *Omnes et singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus et quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis continentur, manifeste innovantes, respective hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus et reprobamus.*

Porro infra de aliis libri propositionibus subjicit : *Cæterum per expressam præfatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones, illis, quæ ut supra damnatæ fuerunt, consimiles et affines, iisdemque erroribus imbutas, nec sane paucas etc.*

II. *Confirmatio* tum hujus Constitutionis, tum factæ per eam condemnationis, reperitur *imprimis* in plurimis ad hanc usque ætatem nostram Pontificum summorum Declarationibus ac Brevibus. Innocentius XIII. quidem decreto Romæ die 8. Jan. 1722. promulgato Constitutionem *Unig.* amplissime confirmavit, contrariamque illi epistolam a septem Galliæ Episcopis anno priore ad se datam meritis censuris confixit et damnavit, *tanquam continentem multas propositiones Episcopis Catholicis, præsertim Gallicanis, memoriæ Clementis XI., Apostolicæ Sedi injuriosas omnino, schismaticas et hæretico spiritu plenas.*

Benedictus XIII. autem idem luculentius præstitit in Synodo Romana sub suo præsidio celebrata, et Ebredunensi *plenissime* a se confirmata. Ejusdem generis specimina videre licet in Brevibus Clementis XII., altero an. 1731. in signum suæ benevolentiæ ac paternæ charitatis ad Facultatem sacram Parisiensem dato, altero, quo an. 1734. Mandatum Antissiodorensis Episcopi confixit.

Perspectum denique est adeo Benedicti XIV., qui munus Apostolicum tanta cum laude gessit, studium singulare ad doctrinæ fideique puritatem tuendam, ut eam in rem non unas tantum aut alteras litteras, sed integrum jam Decretorum præclarissimorum Tomum publicis typis evulgatum adducere liceat.

Præterea vero confirmatio eadem extat in Conciliis supra jam nominatis. Romanum enim tit. 1. c. 2. ad rem nostram his verbis utitur : *Cum ad fidei Catholicæ professionem integre inviolateque retinendam et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per hæc recentia tempora circa eamdem fidem errores, a Sede Apostolica damnatos, fideles omnes vigilanti studio præcaveant et abominentur; idcirco ab omnibus Episcopis et animarum Pastoribus tota, ut hactenus, sollicitudine curandum est, ut Constitutio a s. m. Clemente XI. edita, quæ incipit :* Unigenitus, *ab omnibus cujuscum-*

que conditionis et gradus, omnimoda ac debita obedientia et executione observetur etc.

Avenionense ad Romani exemplum similia urget et tit. 2. *Serio invigiletur,* inquit, *ne quis e Provinciæ Clero ad sacros ordines, ad beneficia, maxime curam animarum habentia, et ad sacrorum quorumcumque administrationem admittatur, quin de ejus sincera supradictæ Bullæ* Unigenitus *acceptatione, de debita et omnimoda obedientia, legitimis, pro Episcoporum conscientia et judicio, constiterit argumentis.*

Ebredunense demum Sess. 5. hoc de dicta Bulla promulgavit Decretum : *Constitutio* Unigenitus, *qua centum et una Quesnelli propositiones damnatæ sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est dogmaticum, definitivum et irretractabile judicium illius Ecclesiæ, de qua divino ore dictum est : Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si quis igitur eidem Constitutioni corde et animo non acquiescit, aut veram et sinceram obedientiam non præstat, inter eos habeatur, qui circa fidem naufragaverunt,* etc. Provocatio vero a dicta Constitutione ibidem declaratur *ipso jure irrita, scandalosa, schismatica, jam damnatis erroribus favens, Sedi Apostolicæ et Ecclesiæ injuriosa.*

Huc etiam referri possunt *Comitia Generalia* Cleri Gallicani, in quibus Præsulum numerus nonnunquam centenario accessit, vel cum exæquavit; quorum ingentes pro Bullæ confirmatione et damnatione Quesnellismi labores sera posteritas debitis laudibus semper prosequetur.

Tandem et postremo latissime diffusa est per universam Ecclesiam utraque confirmatio. Liquet id ex luculentis omnium ferme orbis Catholici Metropolitanorum testificationibus, quibus diserte declarant, *se suosque Suffraganeos dictæ Constitutioni* Unigenitus *constanter adhærere; eamque pro recta ac sancta lege tenere, cui omnes fideles integrum mentis obsequium exhibere tenentur.* Documenta hæc asservantur in Regia Bibliotheca Parisina, edi vero curavit Card. et Archiepiscopus Mechliniensis in volumine gallice inscripto : *Testimonia Ecclesiæ universalis in favorem Bullæ* Unigenitus. Ex eo pro Germaniæ Ecclesiis hæc retulisse sufficiat.

Archiepisc. et Elector Moguntinus ad Card. de Bissy ita 14. Mart. 1718. scribit : *Certam facio Eminentiam vestram, quod Constitutio* Unigenitus *jam ante annos aliquot in mea Archidiœcesi non minus, ac in meo Episcopatu Bambergensi fuerit promulgata; quodque utrobique secundum omnes partes ab omnibus tanquam doctrina Ecclesiæ suscepta sit ea obedientia, quæ S. Sedi debetur. Neque aliter sentire Episcopos, Suffraganeos meæ Metropolis, novi.*

Archiep. et Elector Trevirensis in Mandato 22. jun. 1717. reprobat *uti Ecclesiæ et pacis perturbatores* eos, qui a Clementina Bulla ad futurum Concilium provocant; ac specialiter declarat, neminem posthac ad ullum admissum iri ministerium Ecclesiasticum, nisi declaraverit, *se dictam Bullam ea, qua par est, integritate et devotione recipere, ejusque tenorem quoad omnia sequi, nec eidem in minimo directe vel indirecte contrarie velle.*

Archiep. et Elector Coloniensis, qui una erat Leodiensis ac Ratisbonensis Episcopus, solemni Mandato die 29. Jan. 1715. Constitutionem Unigenitus promulgavit, *eosque nomine Catholico indignos pronuntiat, qui debitam dictæ Constitutioni obedientiam detrectent.*

Archiep. Salisburgensis, Germaniæ Primas, epistola ad Card. de Bissy die 21. Oct. an. 1717. *Certissimum est,* inquit, *quod Episcopi mei Comprovin-*

ciales ad meum exemplum Constitutionem UNIGENITUS *æstiment et habeant tanquam æquissimam, illique profundissima cum veneratione adhæreant.*

His addi meretur recentius testimonium, nempe acceptationis formula an. 1740. ab Episcopo et Capitulo LEODIENSI præscripta, cujus hic est tenor : *Ego accepto pure, nude et simpliciter absque ulla restrictione, ne quidem mentali, Constitutionem fel. rec. Clementis Papæ XI. quæ incipit :* Unigenitus, *tanquam legem dogmaticam Ecclesiæ et regulam fidei, condemnoque centum unam propositiones ex libro vulgo* Reflexiones Morales *extractas in omnibus sensibus ac qualificationibus, sub quibus prædicta Constitutio illas condemnavit. Et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

ARTICULUS VII.

AN CONSTITUTIO UNIGENITUS SIT SENTENTIA ET DEFINITIO DOGMATICA : AN LEX TANTUM ET REGULA DISCIPLINÆ VEL ŒCONOMIÆ.

242. *Nota.* Inter dogmaticam definitionem et meram legem disciplinæ id discriminis intercedit, quod illa *credendum* aliquid *proscribendumve* proponat, judicium universale ad omnes Ecclesias et fideles directum inviolabiliter ferat, non meras voces, sed doctrinam pro objecto habeat, præterea etiam a legitimo superiore debito modo feratur; cui quidam accedere exigunt consensum Ecclesiæ. Hæc vero intelligitur, si vel ex illis requisitis aliquod desideretur, vel maxime, si sententia ad *usum* duntaxat *doctrinæ* vel propositionis pertineat, adeo ut censura tantum sit propter abusum vel periculum dissensionis, aliarumque turbarum; quod si abesset, etiam ipsa doctrina, quæ in se vera ac bona est, rursus defendi posset.

Porro duplex est *Quesnellistarum* circa hanc materiam sententia vel potius aberratio. 1ª. *Rigidiorum,* qui Bullam *Unigenitus* fatentur esse definitionem dogmaticam, sed simul tanquam iniquam, malevolam et falsam impugnant. 2ª. *Molliorum,* qui quidem eam Bullam acceptant, sed ut meram disciplinæ legem, cui proinde interior mentis assensus non sit necessario tribuendus; quod ipsum nihil aliud est, quam decretum Pontificium exterius quidem suscipere, interius vero et reipsa explodere.

Priorum errorem hic non oppugnamus, utpote ad quod requireretur, singularum propositionum condemnatarum falsitatem aut virus ostendere, quod Auctores num. 239. laudati jam perfecerunt. *Posteriorum* vero tum errorem, tum erroris fundamentum breviter delibabimus, quod in eo stat : Constitutioni prædictæ non convenire characterem judicii dogmatici, quia in ea propositiones damnentur duntaxat *in globo* sub censuris variis *respective,* atque hinc nullum dogma distincte definiatur, nullusque error clare proscribatur; id quod tamen tanquam essentiale quid in quocumque veri nominis dogmatico judicio desiderari prætendunt.

243. R. I. Bulla *Unigenitus* non est mera disciplinæ vel œconomiæ lex, sed proprie dicta *dogmatica definitio.*

Ratio est; quia habet omnes conditiones ad dogmaticum judicium requisitas. 1°. Enim proponit aliquid *proscribendum,* ut patet tum ex scopo, quem

Pontifex in Bulla post exordium proponit, et num. 241. recitavimus : tum ex ipsis notis et qualificationibus 101. propositionum, quas ibidem protulimus. Præterea proponit etiam aliquid *credendum*, nempe nullam esse ex damnatis propositionibus, quæ non mereatur saltem aliquam e censuræ notis, quæ in Bulla exprimuntur : et vicissim nullam ex assignatis censuris esse, quæ ad minimum alicui propositioni non competat.

2°. Fert judicium *universale* ad omnes directum ; ut probat vel ipsa Bullæ inscriptio : *Universis Christi fidelibus* ; et verba judicati : *Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus*, etc. Porro inviolabile ferri judicium testatur tum illud comma : *hac nostra perpetuo valitura Constitutione* ; tum ipse scopus et materia in superiore conditione proposita.

3°. Habet pro objecto non verba, sed *dogma* et *doctrinam* ; ut ex sola inspectione propositionum damnatarum manifestum est, et conceditur ab ipsis Quesnellianis ; e quibus olim Card. *Noallius* approbationem 12. articulorum a Benedicto XIII. postulans, rem hic agi dicebat de necessitate fidei in mediatorem Christum : de Christi morte ac Dei voluntate pro salute omnium : de necessitate, potentia ac gratuita dispensatione Salvatoris Jesu : quidque de regulis observandis in administratione Sacramenti Pœnitentiæ sentiendum sit, tenendumve.

4°. Latum est a *legitimo Superiore*, nempe Summo Pontifice, et quidem debito modo, scilicet, ut Pontifex in Bulla loquitur : *Hinc adspirante Domino ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus ; ac plurimas ex prædicto libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, et tum gallico, tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti : deinde vero coram nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi et examinari mandavimus.* Subjunctis posthac propositionibus ita prosequitur : *Auditis itaque tum voce, tum scripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium aliorumque Theologorum suffragiis, divinique imprimis luminis, privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio etc.*

5°. Sortita est Constitutio *Ecclesiæ consensum* ; utpote quam secundum dicta n. 241. tanquam dogmaticam definitionem agnoverunt et prædicarunt præprimis Summi Pontifices omnes Clementem XI. subsecuti, Synodi Romana, Avenionensis et Ebredunensis ea de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitiis et Mandatis pastoralibus, quorum Collectio impressa est Parisiis an. 1715., denique orbis Catholici Metropolitani cum suis expresse aut tacite consentientibus Suffraganeis, accedentibus insuper plerisque sacris Facultatibus.

244. R. II. Bullæ *Unigenitus* non deest character definitionis dogmaticæ ex eo quod contra Quesnelli propositiones latæ fuerint censuræ, ut aiunt, *in globo*.

Ratio est ; quia hic defectus nec est juris, nec facti. Non est 1°. defectus *juris* ; quia per ejusmodi censuram in globo imprimis propositiones omnes constat esse rejiciendas : deinde intelligitur, nullam esse censuram, quæ

alicui saltem propositioni non conveniat. Unde postremo, quamvis vi Bullæ et condemnationis distingui nequeat, quænam nota cuilibet ex damnatis propositionibus debeatur, tamen id Theologorum studio et industria facile cognosci potest : et nullatenus ad rationem dogmatici judicii necesse est, ut applicationem qualificationum ulterius determinet; quemadmodum ex dictis num. præced. constat, atque ex eo, quod non summa claritas et individualis quasi determinatio in condemnationibus requiratur.

Nec est 2°. defectus *facti*. Quia consuetudinis Ecclesiasticæ est similis condemnatio; ut patet ex decretis Concilii Constantiensis adversus *Wicleffum* et *Hussum*, ex Bulla Leonis X. adversus *Lutherum*, ex Constitutionibus Pii V., Gregorii XIII. et Urbani VIII. adversus *Baium* et *Jansenium*, ex Bulla Innocentii XI. adversus *Molinos*, ex decreto Innoc. XII. adversus librum Gallicum, cui titulus : *Maximæ vel axiomata Sanctorum*. Jam vero sive hanc Ecclesiæ praxin probent, sive improbent Quesnelliani, causa cadunt. Si enim probant, uti reipsa plures faciunt; cur eidem se opponunt in Bulla *Unigenitus?* Si improbant, Sectariorum partes æque ac arma capiunt; nam et *Lutherus* eadem exceptione usus fuit contra censuras Leonis X., et apostata *Antonius de Dominis*, ac Paulus Sarpi, qui se *Petrum Suavem* dixit, communi nomine *Fra Paolo* vocatus, contra Conc. Trid.; sed et eorum temeritatem, et primi quidem Eckius in opusculo disputationis Lipsiensis, aliorum vero Pallavicinus in historia Conc. Tridentini L. 1. c. 21. castigarunt et exploserunt.

245. *Obj. I.* Judicium dogmaticum, seu regula fidei debet fidelibus proponere dogmata et fidei articulos, quibus assentiri omnes teneantur sub anathemate; alias habendi, sicut ethnicus et publicanus : sed Bulla Unigenitus non proponit articulos fidei, nec imponit obligationem assentiendi sub anathemate et nota hæreseos; ergo non est judicium dogmaticum, seu regula fidei.

R. 1°. *D. M.* Regula fidei, quæ est talis in *sensu stricto*, debet proponere articulos fidei *C.* quæ est talis in *sensu minus stricto N.* Hæc pro suo objecto duntaxat respicit doctrinam sanam, sive ab omni censura et nota theologica immunem, et cum fidei integritate ac conservatione connexam. Illa vero, cujus nomine præcipue venit *symbolum*, aut *professio fidei*, pro objecto tantum habet veritatem revelatam, et solum continet articulos fidei. Utramque hunc in sensum Archiepiscopus Senonensis exposuit jamdum anno 1752. in epist. ad Consiliarium Senatus Parisiensis.

R. 2°. Quamvis Ecclesia quoad ejusmodi regulam fidei in *sensu minus stricto*, ab omni etiam errore immunis sit propter infallibilem assistentiam Spiritus sancti; tamen intra objecti sui ambitum continet veritatem quamcumque, licet a Deo non sit pronuntiata; cui quamvis sincerus mentis ac cordis assensus debeatur, non tamen *fidei* assensus : cum ad doctrinæ sanitatem non spectet credendi necessitas, sed sufficiat simplex a censuris theologicis immunitas. Hinc, qui ei refragatur, dicitur inobediens, rebellis, aut schismaticus, non vero *hæreticus*.

R. 3°. Centum una propositiones varii generis sub diversis censuris ac notis *respective* tantum damnantur; unde sequitur : contradictorias illis oppositas ad varium quoque genus pertinere : eas non magis declarari

veras, quâm censurarum sênsus ac notio exigat : vi hujus declarationis non unam potius præ alia propositionem determinari : plures inter illas ex alio, quam *fidei* argumento depromi, nec esse revelatas : denique nullam velut divina fide credendam determinate proponi.

Equidem ex his conficitur, Bullam UNIGENITUS non esse fidei regulam in *sensu stricto* ; est tamen judicium dogmaticum, quod *servit ad dirigendos fideles in ordine fidei*, prout Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi Parisiis an. 1728. congregati pronuntiarunt de judiciis Ecclesiæ, qualificationes tantum *respectivas* continentibus.

Inst. 1. Bulla dogmatica et quæcumque fidei regula, sicut exigit assensum determinatum, ita debet habere *objectum fixum* ac *determinatum* : sed Bulla UNIGENITUS nihil plane determinat circa suum objectum, siquidem non figatur cuivis propositioni qualificatio, ut proin, quæ uni tantum scandalosa sit aut temeraria, alteri omnino hæretica videri possit; ergo nullo vero sensu est regula fidei.

R. 1°. Si Bulla UNIGENITUS nihil decidat, cur dixit Quesnellus, quod illa *unico ictu profligaverit centum et unam capitales veritates Religionis?* Hinc *D. M.* Bulla dogmatica debet habere objectum fixum ac determinatum, semper ac necessario, quantum ad peculiarem notarum attributionem, quæ singulis propositionibus sigillatim applicentur *N.* quantum ad perversitatem propositionum, ita ut Bulla declaret, eas non esse orthodoxas *C.* Censuræ *in globo* id saltem fixum habent ac determinatum, quod Ecclesia velit nos certos fieri, et quod credit, ad fidem tuendam satis esse; scilicet propositiones, quas damnat, *perniciosas esse, si doceantur; periculosas, si credantur; ideoque non posse ab ullo Catholico defendi;* unde per talem Ecclesiæ definitionem fixum manet, propositiones damnatas esse rejiciendas, utpote cum ex ipsis quædam sint *hæreticæ*, quædam *erroneæ*, quædam *scandalosæ*... et in id fertur assensus auctoritati debitus. Quænam vero singulis censuræ nota conveniat, *Doctoribus* inquirendum et assignandum relinquitur, donec ab Ecclesia id fuerit specialius determinatum. Ovibus sane, si essent rationales, sufficeret hujusmodi monitio Pastoris : quidni fidelium vulgo satis esse possit, ut sicut illæ a venenatis herbis, ita hi a noxia doctrina sese abstineant ?

R. 2°. De æquitate censurarum *in globo* vide num. 244. Accedit, quod Sec. XIII. primum cœperit Guillelmus Paris. Episc. adhibere censuram, ut vocant, *compositam* et *absolutam*, damnans decem propositiones velut erroneas : et ejus successor Stephanus plures articulos tanquam erroneos et malesonantes. Adde etiam consuetudinem Cleri Gallicani : inter multas enim illius censuras una duntaxat reperitur an. 1700., quæ pro singulis propositionibus singulas qualificationes determinet. Eumdem morem passim tenuit sacra Facultas Paris. præsertim an. 1277. 1382. 1514. etc. Et sane doctissimus BOSSUETUS generales ejusmodi censuras adversus CAMERACENSEM tuetur ceu utilissimas in Ecclesia, tum ad primum ictum, quo suo in ortu feriantur errores; tum non raro ad extremum, quo perimantur, juxta exigentiam circumstantiarum et gradum obstinationis in eorumdem assertoribus. Certum denique, quod ante Lutherum nullus hominum huic methodo censurandi unquam contradixerit; præclare autem *Paulo Sarpio* contra Bullam LEONIS X. excipienti, quod contentæ in illa censuræ generales *augerent incertitudines, et redderent causam adhuc magis dubiam*, respondit PALLAVICINUS

Hist. L. 1. c. 21. *An ad hoc, ut quis pellatur urbe, necessarium fuerit, eum declarari tanquam hostem? vel tanquam peste evidenter infectum? an sufficeret declaratio, quod sit suspectus de prava machinatione, vel de morbo contagioso?*..... Sufficere, quod omnes propositiones in Bulla Leonis X. damnatæ sint *perniciosæ in docendo, et periculosæ in credendo.*

His omnino concordat S. Aug. L. de Hæres. c. 88. *Quid*, inquit, *contra ista sentiat Catholica Ecclesia..... superfluo quæritur, cum propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere. Multum adjuvat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiamsi disputandi facultate id refutare non possit.* Ubi quamvis Aug. de Hæresibus disserat; tamen ejus ratio exacte quadrat in condemnationes etiam generales, respectivas ac indeterminatas.

R. 3°. Certum est, vi Bullæ Unigenitus, mandari duntaxat fidelibus, ne de damnatis propositionibus *sentire, docere, prædicare* aliter præsumant, quam in eadem Bulla continetur; eos autem, qui unam ex illis aut plures docuerit, defenderit, vel disputative tractarit, ecclesiasticis præcise censuris in jure statutis subjici. Inde rursus sequitur : prohiberi quidem præter externam repugnantiam *dissensum* etiam internum; expressum vero mentis *assensum* non item, multo minus *fidei* actum imperari : præcepto qualicumque tacito satisfieri, interius judicando, propositiones omnes merito damnatas, et singulas aliquam mereri notam, unamque ex notis convenire alicui damnatarum : refractarios esse quidem obnoxios pœnis ecclesiasticis, non tamen anathematizari, nec sigillatim separari a communione fidelium. Ex his recte infertur, at plus tamen non sequitur, quam quod Bullæ Unigenitus desit character et effectus regulæ fidei in *sensu stricto.*

Inst. 2. Si Constitutio Unigenitus esset judicium Ecclesiæ dogmaticum, certe Benedictus XIV. eam sic compellasset in sua Encyclica de an. 1756. ad Clerum Gall., quæ incipit *Ex omnibus Christiani orbis* : sed eam solum compellavit Constitutionem Apostolicam; et sicut Clemens XI. et Benedictus XIII., nonnisi sinceram venerationem et debitam obedientiam pro ea depoposcit, non autem assensum mentis ; ergo.

R. 1°. *N. seq.* Nam necessitas non fuit illud enuntiandi : tum quia a Galliæ Episcopis Benedictus desuper non fuit consultus : tum quia Gallicani Præsules in eo omnes consenserant, quod Bulla sit judicium Ecclesiæ dogmaticum, solum discrepantes in modo, quo ejusdem executio urgeatur contra refractarios ; prout innuunt verba Benedicti XIV. in cit. Encycl. *Neque enim,* ait, *ullam inter vos dissensionem vigere comperimus, quoad canonicas regulas et principia; sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur.*

R. 2°. Summi Pontifices non solent suas Bullas compellare judicia Ecclesiæ, sed *Constitutiones Apostolicas*, ut non videantur ad illarum vim requirere consensum Ecclesiæ, aut ab Ecclesia suam mutuari auctoritatem, quam velut successores Principis Apostolorum immediate, uti Petrus, a Christo habent. Nihil ergo ea de re in Encyclica Benedicti XIV. aut negatum, aut affirmatum est.

R. 3°. Hoc ipso, quod summi Pontifices edicant, tantam esse in Ecclesia Dei auctoritatem Apostolicæ Constitutionis, quæ incipit Unigenitus, ut

sinceram venerationem, perfectam et omnimodam obedientiam sibi vindicet, et nemo fidelium possit absque salutis æternæ discrimine *ullo modo* refragari; apertissimum est, quod mentis etiam obsequium exigant, cum alias obedientia non foret *omnimoda,* et quodam modo eidem impune refragari quis posset. Adde, quod Benedictus XIII. Bullam Unigenitus, *fidei regulam* compellaverit in Conc. Romano 1725. præside S. Pontifice celebrato, cui aderant 30. Cardinales, 8. Archiepiscopi, 40. Episcopi, Abbates plurimi, et 33. Procuratores Cardinalium, Episcoporum etc.

Inst. 3. Benedictus XIV. tum temporis commode potuit, imo debuit veritatem explicitam prædicare; tum quia Rex Galliæ eodem anno negavit, Bullam Unigenitus esse fidei regulam; tum quia silentium adeo imposuit Episcopis Galliæ circa eamdem; ergo cum Benedictus in sua Encyclica pariter reticuit compellationem regulæ fidei, consensit in ejusmodi negationem.

R. 1°. *Tr. A. N. C.* Nam quod Ludovicus XV. in regia Declaratione eodem anno aliquot mensibus serius præstitit, ejusmodi compellationem Bullæ inhibendo; hoc jam an. 1731. inconsulto Pontifice fecerat, nulloque documento constat, hac super re consensum Pontificis postea fuisse postulatum. Potuit vero hoc Regis qualecumque factum dissimulare Pontifex, tum quia rex Constitutionem Unigenitus constanter profitebatur ac venerebatur tanquam *judicium dogmaticum* Pontificis et Ecclesiæ; et quidem in articulo primo suæ Declarationis omnibus subditis diserte præcipiens, exhibere venerationem, illamque subjectionem, quæ huic Constitutioni propria est ac debetur; item provocans ad litteras patentes, omnesque Declarationes in favorem illius Constitutionis Apost. antehac emissas, in quibus illa jam ut lex, jam ut *judicium Ecclesiæ universalis dogmaticum* nominatur, proponitur, acceptatur: tum quia Rex solum negavit esse, aut potius prohibuit dici fidei regulam in *sensu stricto,* qualem in *sensu minus stricto* compellaverat Benedictus XIII. De lege silentiaria vide *infra.*

R. 2°. Quod auctoritas regia eamdem Constitutionem agnoverit, ceu *regni pariter et Ecclesiæ legem,* patet cumprimis ex Edictis an. 1720. 1730... Idem constat de Clero Gallicano: nam in Comitiis an. 1723. 1726. 1730. renovata ac firmata Bullæ acceptatio, eaque agnita fuit ceu vera *regni perinde ac Ecclesiæ lex.* In Conc. Ebredunensi, 15. Gallicani Præsules unanimi consensu declararunt, Constitutionem Unigenitus *dogmaticum esse et irretractabile Ecclesiæ judicium,* quod Concilium a Bened. XIII. diserte confirmatum, regioque diplomate munitum fuit.

Sacra Facultas Paris. splendido Decreto an. 1729. die 11. Decemb. agnoscit et amplectitur *Constitutionem* Unigenitus, *tanquam universalis Ecclesiæ judicium dogmaticum.*

146. *Obj. II.* Concilium Romanum sub Bened. XIII. fuit Concilium Papæ, et acta Concilii fuerunt interpolata, atque voces illæ: *quamque nos uti ejusmodi fidei regulam agnoscimus,* fraudulenter insertæ; id quod notum jam Romæ, notum in magna parte Italiæ, atque in Galliis etiam haud ignotum est. Inde est, quod in Tract. de Grat. a Tournely an. 1748. edito omissæ fuerint prædictæ voces, et jure quidem; cum in Conc. Rom. fere nihil legatur de hæresi, aut de erroribus in fide; ergo.

R. 1°. Si, cum de auctoritate Conciliorum agitur, ejusmodi annotationes

adstruere licitum foret, nullius Concilii auctoritas sat firma foret; cum eodem jure de unoquoque dici posset, vel quod fuerit Concilium Papæ, et ipsi adhærentium, vel quod iste *canon,* aut saltem istud *vocabulum* malitiose intrusum fuerit. Deinde si ista verba, quæ tantopere adversariis Bullæ UNIGENITUS displicent, non essent ipsius Concilii verba, sed forte ab iis, qui imprimendæ Bullæ curam gerebant, intrusa; dicant nobis isti Critici, quo pacto fieri potuerit, ut neque vigilantissimus æque ac doctissimus Pontifex BENED. XIII., neque unus aliquis e tot Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Theologis, qui interfuerunt, in fraudem gravis adeo momenti insurrexerit; sed omnes acquieverint, ac si vocabulum istud, tantæ litis initium, non observaverint in Bulla, quæ sub eorum oculis impressa fuit typis, aut penitus observatione sua indignum existimaverint.

R. 2°. *N. A.* Vix enim aliquot menses acto Concilio præterierant, cum rumor iste de intruso per fraudem vocabulo Roma in Gallias allatus est. Exhorruerunt rei indignitate commoti inter Catholicos ferventiores, cum viderent, tam latam aperiri viam ad eludendas quascumque Conciliares definitiones. Quapropter certius aliquid ut resciret Archiepiscopus Ebredunensis, egregius ille Constitutionis contra Episcopum Senecensem assertor, ad Papam ipsum, BENEDICTUM XIII. scripsit, qui respondit in hæc verba: *Quod attinet ad alteram partem epistolæ tuæ ad me missæ, ubi de rumore loqueris, qui ad te pervenerit de Decreto ultimi Concilii Romani, nemo prudens adhibere fidem poterit illis, qui falso scribunt de cap. 2. tit. 1. ea, quæ ipsi aut credunt, aut credi ab aliis vellent. Vera illa sunt, quæ ibi impressa vel scripta a nobis, et a cunctis Patribus invenies. Unde miramur valde, ista ratione in controversiam vocari tam manifestam et tam canonicam Sanctionem;* ita in epist. sua manuscripta, 8. Octob. 1726. BENEDICTUS XIII.

Adde, quod Archiepiscopus eam Papæ responsionem suæ pastorali Instructioni mense Augusto 1731. typis vulgatæ inseruerit pag. 8. Et quomodo fieri potuit, ut facta tam solemni a Pontifice ipso protestatione calumnias tam clare detectas quis innovaret? Insuper Romæ adhuc habetur Diarium istius Concilii manuscriptum, non vero a Molinista, in quo apertissime relucet, istam formulam non intrusam fuisse, neque a Cardin. Fini, neque ab alio quopiam instigantibus Molinistis, sed a Concilio sancitam. Adhæc notum erat per totam Romam, quod BENEDICTUS XIV., cum sibi ex Castello S. Angeli afferri jusserat Acta hujus Concilii, omnia in eis alia ac diversa invenerit, quam quæ *Anonymus,* tanti Pontificis nomine abutens, temere affirmat.

R. 3°. Itaque falluntur certe, aut fallunt hujusce falsificationis assertores, non absque injuria tum Cardinalis, cujus indulgentia; tum Religiosorum, quorum opera dicitur perfecta hæc perfidia. Quandoquidem nuper imperatum ab auctoritate suprema *examen Actorum* docuit, has voces non tantum suo loco congruentes, et primis jam scriptis innexas; sed etiam post scriptorum in Concilio lectionem publicam, frustra dissentientibus paucis, approbatas fuisse a reliquis, et jussas retineri. Non igitur ex *Eusebio Eraniste,* qui falsam hanc querelam pag. 116. multis exaggerat, sed ex authenticis ac publicis monumentis, quæ prostant Romæ in Archiviis summi Pontificis, rei veritas et asserti falsitas depromenda est. Quod vero in Tournely eæ jam voces prætermittantur, id factum caute, quia rex Galliæ jam-

dum an. 1731. 22. Julii prohibuerat compellationem *regulæ fidei,* scilicet in sensu stricto, *ac si,* ut ait, *esset symbolum et professio fidei*; cum hæc sit *expressio non necessaria, et quæ illo tempore occasionem dederit contentionibus æque periculosis ac inutilibus.*

R. 4°. Falsum, quod in Conc. Romano actum sit nihil de fide, aut hæresi; nam ex num. 241. decretum depromptum ex Sessione habita in Basilica S. Petri ita habet: *Cum ad professionem fidei Catholicæ integre inviolateque retinendam et custodiendam necessarium summopere sit, ut succrescentes per hæc recentia tempora circa eamdem fidem errores a Sede Apost. damnatos....* ubi de fide, de hæresi, de erroribus contra eamdem fidem, et quidem per hæc recentiora tempora, nimirum grassantis Quesnellismi, qui simul erat proterva Baianismi, Richerismi et Jansenismi instauratio.

Inst. 1. Ex Actis Conc. Ebredunensis a Pontifice et a Rege approbati æque parum evincitur, quod Bulla Unigenitus sit judicium Ecclesiæ dogmaticum, cui sub peccato mortali etiam mentis ac cordis debeatur obsequium: nam *Episcopus Senecensis,* tametsi dicatur a Concilio fuisse depositus, tamen ex more recepto in Ecclesia non fuit privatus *communione laica,* quæ solis excommunicatis negabatur; cum ergo, quamvis Bullæ ceu judicio dogmatico non subscriberet ex animo, perceptione laica Eucharistiæ gauderet, manifestum est, ejus contumaciam non fuisse graviter peccaminosam.

R. 1°. Nomen *communionis,* uti nunc apud nos, ita olim non raro strictius sumebatur, pro publica in rebus divinis et S. Synaxi communicatione. Sicut autem olim aliter Episcopi, aliter Presbyteri et Clerici, aliter Laici Sacramenta, preces et vitæ communis consuetudinem obibant; ita invaluit diversa communicatio, alia *Sacerdotalis* seu Episcoporum, alia *Ecclesiastica,* quæ Clericorum, alia *Laica,* quæ sancti populi esset. Laice communicare, h. e. laicorum more vivere, ritu laico Sacramenta percipere, privilegiis Clericalibus non participare, quamvis sit laico gloria; tamen Clerico dedecus et ceu pœna fuit inflicta; fere sicut Trevirensis commoratio homini Trevirensis domus, homini Alexandrino, v. g. S. Athanasio exilium fuit. Hæc pœna *communionis laicæ* habuit suos gradus, ita ut, qui præcise *depositus* desineret esse Clericus, redigeretur quidem in ordinem laicorum, non tamen Sacramentis privaretur: *Excommunicatus* præcise excluderetur ab Eucharistiæ perceptione, non vero ad laicos amandaretur: *Utraque pœna* affectus amitteret cum dignitate ordinis etiam usum Sacramentorum. Ita Zonaras, aliique post illum Commentatores in *Can. Apost.* exponunt.

R. 2°. Jansenistæ uti fallunt, quod dicant Senecensi Episcopo permissam fuisse *communionem laicam,* sicque vere orthodoxum fuisse, quamvis contra Bullam Unigenitus contumacem: cum perlustratis Synodi Actis nihil de communione laica inveniatur, ne nomen quidem, aut huic æquivalens; ita falluntur, quod credant, ex more Ecclesiæ recepto Clericos duntaxat *depositos,* si excommunicati non fuerint, adhuc gaudere communione laica: nam 1. maligne hic usurpant communionem laicam sine certo discrimine, cum tamen ex dictis possit esse vel diminuta, vel plena et perfecta. 2. Falsum est, quod Clericis *depositis* hoc ipso et perpetuo concessa sit communio laica cum jure percipiendi Eucharistiam conjuncta, quia juxta can. 7. et 8. Concilii Aurel. III. in judicis sententia exprimi debuisset communionis permissio, utpote beneficium, ne omnibus quidem laicis ad pœnitentiam

redactis concessum. 3. Plures in prioribus seculis Clerici solum *depositi*, quin expresse fuerint segregati vel excommunicati, nequaquam Eucharistiæ participes fuere.

Sic a Conc. Ephesino depositionis pœna in Nestorium statuta his verbis : *Igitur Dominus noster J. C., quem suis ille blasphemis vocibus impetivit, per S. hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali dignitate privatum, et ab universo Sacerdotum consortio et cœtu alienum esse definit.* Neque aliud quid præter ista legitur in epist. ad eum missa : *Agnosce te propter impias prædicationes tuas, et adversum Canones contumaciam 22. die Junii præsentis juxta Ecclesiasticarum sanctionum decreta, a S. Synodo depositum, atque ab omni ecclesiastico gradu alienum esse.* Concilium Chalc. in condemnatione Dioscori ait contra ejus sequaces : *Qui fidem diversam fabricare fuerint ausi, depositi sint ab Episcopatu, si sint Episcopi : a Clericatu, si Clerici fuerint.* Sic Concilium Gen. V. præmissis anathematismis ait : *Si quis conatus fuerit contra hæc, quæ pie disposuimus, vel tradere, vel docere vel scribere, siquidem Episcopus vel Clericus sit, iste tanquam aliena a Sacerdotibus et statu Ecclesiastico faciens denudabitur Episcopatu vel Clericatu; si autem monachus vel laicus, anathematizabitur.* Ita Conc. Gen. V. et Conc. Provinc.

Infero : vel ergo *Nestorius, Dioscorus,* aliique *Monothelitarum,* et similium Hæreticorum Episcopi ac Clerici admittebantur ad communionem laicam omnimodam, et participationem Eucharistiæ : cur autem ipsi Jansenistæ judicio opposito eamdem denegant *Calvinianis, Lutheranis,* aliisve Sectariis? Vel illi non admittebantur ; ergo non erat moris, dare communionem laicam Clericis *depositis;* sed ea ceu beneficium debuit exprimi, cum ipsa subjecti indignitas, et contumax aut peccato, aut errori adhæsio per se Sacramenti perceptionem prohiberet.

Inst. 2. Senecensis Episcopus nequidem fuit depositus in Conc. Ebredun., sed tantum *suspensus;* ergo laica communio eo minus ei fuit denegata. Ad hæc aliud Episcopi Senec. delictum non reperies, sive in sententia Concilii sive in Brevi Apost. eamdem confirmante, quam inobedientiæ circa subscriptionem formularii, acceptationem Bullæ Unigenitus, et faciendam prohibitionem lectionis LL. Quesnelli; adeo ut nihil, quod est fidei, unquam negarit; aut quod est contra fidem, asseruerit.

R. Maligne hic silent Janseniani de sententia Concilii adversus *doctrinam* Episcopi Senecensis : quamvis enim Patres Ebredunenses nec depositionis, nec excommunicationis sententiam expresse tulerint ; tamen multis et apertis signis eum Eucharistia indignum declararunt, damnando ejus *doctrinam,* ut *schismatico, hæretico spiritu plenam, erroribus refertam ac hæreses foventem,* in censura Instructionis pastoralis ; comparando eum cum *naufragantibus in fide,* ejus vitam *hæreticorum more conspurgatam* perstringendo, in suis ad reliquos Episcopos Encyclicis ; nolendo communicare cum illo, qui dum auderet interesse *Hymno Ambr.* post Synodum finitam, ob minacem totius vultus stuporem in Episcopis observatum, discessit e templo.

Cur autem Patres Ebredunenses Episcopum Senec. nec deposuerint, nec expresse separaverint, *ratio* est : quia nec *juste* id poterant, cum decernat Concilium Trid. causas criminales majores contra Episcopos ab ipso tantum summo Pontifice cognosci ac terminari debere : nec *prudenter,* ne suam sententiam infirmarent, et salutaris operæ fructum perderent, cum reo et

damnato Romam provocante, Pontifex sententiam condemnatoriam, utpote juri contrariam ac sibi præjudiciosam, confirmare nollet; vel suppressa silentio, cum damnatione, tum provocatione, Senecensis audacior insurgeret, totiusque Concilii apparatus penitus labefactaretur. Verum hisce nostris temporibus nec facultas, nec justitia, nec prudens ratio deest Episcopis Galliæ, refractarios subditos segregandi, uti probant novissimi in Galliis circa Bullas et Sacramenta eventus.

Accessit autem ad sententiam Concilii Ebred. confirmatio Pontificia, et vindex regis auctoritas; ergo reipsa, licet non expresse ac nominatim, fuit excommunicatus.

Inst. 3. Episcopus Senecensis fuit acerrimus defensor 12. articulorum, qui complectebantur doctrinæ Christianæ 12. capita, juxta plerosque per Bullam Unigenitus violata; ergo cum 12. illi articuli sint probe Catholici, mirum sane est, tum quod Sedes Apost. eos, quamvis a Card. Noallio propositos, noluerit approbare, tum quod propterea Senec. Episcopi doctrina fuerit condemnata.

R. 1°. Ex litteris ad Bened. XIII. an. 1725. directis a Cardinalibus Gallicanis et ab Archiepiscopo Mechliniensi aperte colligitur, quod ex 12. illis articulis alii *ad ipsam Constitutionem nullatenus pertinere dignoscantur* : alii *certum et a nemine impugnatum dogma exprimunt* : alii *liberis, et in utramque partem in scholis agitari solitis opinionibus obstant et vim faciunt* : alii *propter argumenti invidiam in medium adduci non possunt absque periculo novarum disputationum*; alii denique *verbis indefinitis ac negativis expressi, propter nimiam terminorum extensionem, absolute in se falsi sunt et errori obnoxii.* Itaque prudenter recusata a Bened. XIII. illorum approbatio, præsertim cum illorum auctores Bullam Unigenitus per hosce articulos explicare intenderent. Simili de causa Hormisdas P. nunquam adduci potuit, ut approbaret in se cæteroquin veram propositionem : *Unus de Trinitate crucifixus est Christus,* eo quod a suspectis Eutychianismi proponeretur approbanda. Hinc scite notat S. Leo M.: *Novatores omnibus nostris factis et dictis insidiantur, ut si ullam illis vel tenuem occasionem demus, nos Nestoriano* (jam Baiano, Janseniano, Quesnelliano) *sensui etiam congruere mentiantur.*

R. 2°. Universim contra *explicationes,* ad Bullæ acceptationem a Quesnellianis prærequisitas, facit hoc dilemma : vel enim hujusmodi explicationes exhibebunt *sensum Bullæ naturalem*; et rejicientur, nisi novæ accedant elucidationes, prout rejecta fuit ipsa Constitutio; et istæ iterum simili de causa explodentur, ut nullus detur explicationum finis. Vel non exhibebunt *sensum naturalem,* sed aliquid ab eo diversum; et clamabunt refractarii, quod jam a Sede Apost. deseratur Constitutio veluti vitiosa quod sensui obvio substituatur alius sensus, et per consequens, quod Sedes Apostolica sibi non constet, quod variaverit etc.

Inst. 4. Card. Noallius, quamvis non retractasset sua Decreta pro libro Quesnelli, atque a Bulla Unigenitus appellasset ad Synodum œcum.; tamen decessit in pace et communione Ecclesiæ; ergo nec Senec. Episcopus ab ea excludendus fuit.

R. *N. supp. Ant.* Quippe Noallius in edito pastorali Mandato 11. Octobr. an. 1728. Bullam Unigenitus pure, ac simpliciter acceptat, simul revocans suam Instructionem pastoralem an. 1719., cæteraque omnia prædictæ

Bullæ adversa, quæ sub ejus nomine vulgata fuerant, his verbis : *Idcirco coram Deo, et invocato Dei sanctissimo Nomine, cum sincerissima submissione ac reverentia accepto Constitutionem* UNIGENITUS; *damnoque et librum Reflexionum Moralium, et propositiones* 101. *inde extractas, eodem modo atque sub iisdem qualificationibus, sub quibus Papa illas condemnavit. Insuper autem moneo cunctos fideles utriusque sexus, qui sunt de mea Diœcesi, neutiquam licitum esse, sentire contrarium iis, quæ per prædictam Constitutionem sunt definita.* Paucis interjectis : *atque ut probatissima omnibus sit sinceritas submissionis nostræ erga S. Sedem : hisce toto corde ac spiritu revoco non tantum Instructionem de an.* 1619. *die* 14. *Jan., sed et illud omne, quod meo nomine publicatum unquam fuit, præsenti huic acceptationi meæ contrarium.*

Inst. 5. Notabilis pars Ecclesiæ vel plane rejicit Bullam UNIGENITUS, vel eam non acceptat ceu dogmaticam ; ergo et Senecensis impune id facere potuit. *Prob. A.* Ex ingenti numero Appellantium.

R. 1°. *N. A.* Factio Quesnellistarum Appellantium, quam ipsimet *Ecclesiam parvam* nominant, audienda non est contra Ecclesiam summi Pontificis et omnium Episcoporum. Nimirum Roma venerunt Rescripta, quibus pars Ecclesiæ notabilis jam ultra 48. annos adhæret, ita ut vix unus hodie sit Galliæ Episcopus, qui refragetur ; cæteris per orbem vel expresse, vel tacite consentientibus : id quod sufficit, quia teste AUG. epist. 119. ad Januar. (al. 55. c. 19. n. 35.) : *Ecclesia Dei..... quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit ;* unde Doctiss. BOSSUETUS : *Quocumque modo fiat, ut Ecclesia consentiat, transacta plane res est.* Hanc adeo regulam tenet cum *Petro Aurelio*, scriptore Quesnellianis minime suspecto Tom. I. pag. 98., ipsemet *Quesnellus* de Trad. Eccl. Rom. Tom. I. pag. 217. ; ergo causa finita est, non obstante tantillo sese opponentium numero, qui relate ad numerum millecuplo majorem jure pro nihilo habetur : sicut ille numerus *Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Apollinistarum, Eutychianorum* etc.

R. 2°. Si hæc objectio, et novum de infallibilitate Ecclesiæ systema *La Borde* Quesnellistæ quicquam valeret, vi cujus scilicet nihil per consequentiam ex verbo Dei deducibile, ceu veritas revelata definiri possit : laicis etiam et Clericis inferioris ordinis competat votum definitivum, iisdemque subjaceant Concilii etiam œcumenici definitiones quoad revisionem, reformationem et confirmationem ; spatiosa pateret via ad *spiritum privatum,* et ad *Ecclesiam invisibilem,* h. e. nullam.

Inst. 6. Ipsi Præsules Gallicani non acceptarunt Bullam UNIGENITUS, nisi sub certa *instructione* ac *explicatione,* nec sine aliqua in acceptando *discrepantia ;* ergo nec ab aliis simplex ac omnimoda obedientia exigi debet.

R. *N. A.* Pastoralis enim Instructio primum die 1. Febr. an. 1714. prodiit ; ergo nondum extabat, cum facta est acceptatio 23. Jan. an. 1714. ; prout diserte testantur Acta Comitiorum an. 1714. Equidem cum acceptarent Episcopi, simul statuerunt, Instructionis pastoralis exemplum subinde conficiendum esse, ut *adversus malignas malevolorum interpretationes suos præmunirent :* non vero ut Constitutioni Apost. aliquam restrictionem afferrent. Mirum, quod adversarii non potius reflectant ad ingentem illam *non acceptantium* dissensionem, tum circa repudiationem Bullæ, tum circa

ipsam pastoralem Comitiorum de an. 1714. Instructionem, tum circa Bullas adeo contra Baium et Jansenium editas. Nonne *mitiores* alii, alii *rigidiores* Jansenii asseclæ sunt? Nonne plurimi cum Quesnello asserere non verentur, damnatas 101. propositiones esse totidem *Catholicas veritates*, dum alii scatere plerasque, aut saltem favere *Jansenianis erroribus*, fateantur? Nonne alii Bullam vocitant *horrendum mandatum*, quo tota Religio aperte concutitur: aliis vero ea nonnisi obscuritate sua *abusibus* locum dare videtur? Nonne de Appellantibus alii contendunt, Bullam *quacumque data explicatione* non posse recipi? alii contestantur, se ad eam cum explicationibus recipiendam paratos esse; ut proin valeat hic contra Quesnellianos illud S. Aug. effatum serm. de divers. 44. (al. serm. 4. c. 31. n. 34.): *Videte illos, qui se ab unitate præciderunt, in quot frusta divisi sint*; cui præclare consonat Bossuetus in I. Mand. *circa promissa Ecclesiæ*, num. 19. Excusso semel salubri auctoritatis Ecclesiæ jugo, necesse est, inquit, perpetuas et interminabiles nasci scissuras ac dissensiones.

Inst. 7. Legi Ecclesiæ non debetur assensus mentis, sed sufficit obsequiosum duntaxat silentium, id quod ex *Constituto* Vigilii P. manifestum est: sed Constitutio Unigenitus est lex Ecclesiæ; ergo cum plerique Appellantes hoc ei silentium deferant, satisfacere censendi sunt.

R. *D. M.* Legi Ecclesiæ mere disciplinari vel œconomicæ, item circa factum mere personale aut grammaticale *C.* Legi seu judicio Ecclesiæ dogmatico, quod cum fide connectitur *N.* Adhæc non tam præcipitur assensus internus per actum mentis positivum præstandus, nisi jurata subscriptio cordis et manus consensionem exigat; sed potius prohibetur dissensus internus. Porro dispar ratio est inter potestatem legislativam, quæ ex se non dicit infallibilitatem (et sententiæ judicis ac mandato Principis, quantumvis fallibili, nihilominus parendum est) atque inter Ecclesiæ judicia, quæ circa fidem, et circa ea, quæ spectant ad integritatem fidei, ex promissa Spiritus sancti assistentia sunt infallibilia, ac proin irretractabilia. Demum præcise per obsequiosum silentium obtinetur finis *legis*, non item finis *Ecclesiæ* circa facta dogmatica sine assensu interno, aut saltem sine excluso dissensu interno, prout abunde constat ex innumeris tricis ac tergiversationibus Jansenistarum. Adde, quod *Constitutum* Vigilii P. non fuerit factum dogmaticum, sed mera prohibitio ex prudenti œconomia.

Inst. 8. Decreta Sedis Apost. circa ritus *Sinenses* et *Malabaricos* non exigunt assensum mentis, quamvis sub excommunicatione adigerent Missionarios ad eos ritus habendos pro superstitiosis, et ad obedientiam Decretis præstandam sub juramento; ergo nec Bulla Unigenitus. Adhæc Bullæ Pontificum multoties variarunt in hisce ritibus: quidni circa Bullam Unigenitus immutatio fieri possit a successoribus Clementis XI.?

R. 1°. Circa ritus Sinenses, h. e. cæremonias, queis Sinenses ad *Confucium* Philosophum, et Majores suos honorandos uti consueverant, multis annis curam Sedis Apost. ad se traxerunt dissidia Missionariorum. *Aliis* visum, idque Romam delatum, eos ritus esse superstitiosos: id ipsum judicante S. Congregatione de propag. Fide: et Innoc. X. ad dictæ Congregationis preces sub pœna excomm. eosdem prohibuit. *Aliis* visum, et Romam pariter relatum, aliquos Sinensium ritus esse mere civiles ac politicos, quales officii gratia viventi magistro, viro eximio, ac progenitoribus congruunt, et quidem

sine ulla prostratione, prece, oblatione, libamine; non in templo, aut æde dicata, sed in aula, in domo, in schola exhibiti : judicavit Congregatio S. Inquisit., illos esse permittendos; et utrumque Decretum observari voluit Alex. VII., cum non sint contraria : cum responsum sit secundum diversas expositiones rituum Sinensium.

Exortis novis turbis Clemens XI. tum per Tournonium, tum per novam Constitutionem sub pœnis canonicis prohibuit omnes ritus superstitiosos, permittendo tamen aliqua a scandalo, quovis ministerio, et superstitiosis actibus semota, v. g. *præsentiam* mere naturalem ad ritus gentilium, *tabellas* progenitorum solo defuncti nomine inscriptas, adjectaque a latere Christiana declaratione de pietate erga defunctos consanguineos etc. Videri poterat causa finita per tam solemnem Constitutionem Apost., nisi Mezzobarba per Litteras pastorales zelo et charitate plenas fallaciter induxisset omnes Episcopos, Vicarios Apost., et Missionarios, ut crederent pleraque esse permissa, quæ tamen ceu plena superstitione tam sæpe et tam graviter fuerant interdicta. Has vero Mezzobarbæ permissiones iterato discussas Innoc. XII. cassas declaravit et irritas, earumque praxin damnavit. Idem præstitit Bened. XIV., omnibus item Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apost. et Missionariis tam Secularibus, quam Regularibus cujuscumque ordinis gravissime prohibens, atque Superioribus præcipiens, ut contumaces in Europam revocent, pro delicti gravitate puniendos; addita insuper nova juramenti formula ab omnibus Missionariis Indicis nuncupanda.

R. 2°. Circa ritus Malabaricos editum a Tournonio Indiarum et Sinarum Visitatore Decretum, quo inter alia præcipitur, ut in Baptismo adhibeantur *Sacramentalia,* signanter *sal, saliva* et *insufflationes.* Hoc Decretum approbat Clemens XI. sub clausula, donec aliter a Sede Apost. provisum fuerit. Sparso rumore falso, nonnulla Decreti Tournoniani puncta fuisse revocata, id Clemens negavit; item habita sub Innoc. XIII., finitaque sub Bened. XIII. speciali Congregatione, illud Decretum Tournonii approbatum est, et confirmatum. Cum vero Indiarum Episcopi et Missionarii negarent, eam confirmationem sibi innotuisse, Clemens XII. post novum examen novum ad illos Mandatum direxit, in quo ad mentem S. Officii dispensat circa *salivam* et *insufflationes,* circa quas ingens apud Indos horror fuit, ad decennium; interim vero, ut populum Ecclesiæ cæremoniis assuefaciant, præcipit.

Idem Pontifex, cum quidam causarentur, non posse ritus Indorum huic præscripto conformari, sub gravibus pœnis et juramento exacto Decreti executionem imperavit. Postea vero Missionarii contestati sunt, se inique accusatos fuisse, atque a Bened. XIV. onus juramenti et metum censurarum deprecati, dispensationis circa *salivam* et *insufflationes* prorogationem petierunt. Papa juramentum et intentatas censuras non sustulit, dispensatione autem circa *salivam* prorogata pro casu necessitatis itidem ad decennium, ita ut hoc elapso spes nulla supersit ulterioris prorogationis.

R. 3°. Quis vero ex his non manifeste intelligit, nullam hic quæstionem aut decisionem circa *dogma* aliquod intervenisse : Decreta Pontificia non fuisse penitus absoluta, sed *restricta* sæpe ad certum tempus, varias circumstantias, idque pro diversa relatione *facti* : neque Pontifices, neque SS. Congregationes sibi invicem repugnasse, cum Innoc. X., Clemens XI., XII. et Bened. XIV. *ritus Sinenses* proscripserint, quales revera plenissimi super-

stitione, et a *P. Joann. B. Morales* expositi fuerant; ALEX. VII. autem illos tantum permiserit, quos pure civiles ac politicos esse *P. Martinius* exposuerat? Atque ita Pontifices omnino conciliaverat an. 1669. Congregatio S. Inquisit., jubens observari utrumque Decretum, tum S. Congregationis de propag. 1645, tum Congregationis S. Inquis. 1656, etsi pro diversitate rerum, quæ fuerunt in dubiis expositæ, aliqua ratione ab invicem diversum; atque hoc Decretum CLEMENS IX. an. 1669. comprobavit. Circa Bullam UNIGENITUS omnia longe aliter se habent, sive ipsam Bullam, sive materiam et objectum Bullæ, sive cognitionem causæ, sive executionem Bullæ, ejusdemque acceptationem, atque alias circumstantias spectes. Vide BENEDICTI XIV. sapientissimas Constitutiones, alteram de an. 1742. 9. Aug. *Ex quo singulari*; alteram de an. 1744. 12. Sept. *Omnium sollicitudinum.*

247. *Obj. III.* Censura 101. propositionum in Bulla UNIGENITUS, est illegitima, utpote indeterminata et vaga; ergo et ipsa Bulla non meretur nomen ac honorem judicii Ecclesiæ dogmatici. *Prob. A.* Illegitima est sententia judicis, quæ diversorum criminum reos decernit *indeterminate* plectendos, alios gladio, alios furca, alios rota, alios rogo; item in legibus civilibus sententia, quæ indiget leuteratione, interim suspenditur; imo pro nulla habetur sententia, quæ *vage* præcipit hæredi, solvere aliqua ex fraudibus, aliqua ex usuris debita etc., ergo a pari.

R. *N. C. Disparitas est.* Quia sententia judicis fertur ad executionem realem ac individualem; ergo determinari debent singulæ personæ, et pro his singulæ pœnæ. Ecclesia autem damnando propositiones *in globo* intendit, doctrinam falsam et noxiam arcere a fidelibus; qui finis obtinetur, tametsi non singulas censuras determinet pro singulis propositionibus. Idem est de aliis: quia justitia commutativa sicut respicit æqualitatem realem, ita et individua a parte rei, quibus ea reddenda sunt debita; sufficit autem ad finem Ecclesiæ libros et propositiones noxias damnantis, quod nulla sit censura, quæ non conveniat uni ex 101. propositionibus; et nulla propositio, cui non correspondeat una ex omnibus illis censuris.

Inst. 1. Inter tot *Quesnelli* propositiones damnatas ne una quidem determinari potest, quæ sit *certo* erronea aut hæretica; si vero etiam inter illas plures sint erroneæ, hæreticæ et scandalosæ, ut quid liber *Quesnelli* per 40. annos generalem quamdam habuit *approbationem*, et a fidelibus plerisque non tantum innoxio, sed magno spiritus profectu legabatur, imo justificatus etiam a BOSSUETO?

R. *Ad* 1um. Necesse non est, uti multoties dictum, ad legitimam censuram, sigillatim determinare, quæ cuivis propositioni conveniat nota; si quis tamen in libro Quesnelli, ad instaurandum tum Baianismum, tum Jansenismum aperte composito, legat propositiones ejusmodi, v. g. 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*: 59. *Oratio impiorum est novum peccatum*: 13. *Quando Deus animam tangit interius gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit....* is totidem prope verbis in Calvino, Baio et Jansenio prædamnatas deprehendet tanquam erroneas et hæreticas; præsertim cum 13^{a}. propositio Quesnelli plane eadem sit cum 2^{a}. Jansenii: *Interiori gratiæ nunquam resistitur.*

R. *Ad* 2um. Liber Reflexionum Moralium a *Quesnello* primum editus

an. 1671., sed unico breviori volumine in-12. Idem opus editum fusius, tribus tomis in-12. an. 1687., qui tamen brevissimas in Evangelia explicationes complexi, plerasque damnatas necdum continebant, neque Auctoris systema adeo inculcabant; ac proin ipsomet Quesnello teste *libellum* duntaxat conficiebant nec erant nisi *adumbratio* Reflexionum Moralium an. 1693. editarum. A prima ergo ad secundam anni 16., a secunda ad tertiam operis editionem sex anni subducendi sunt. Ubi vero an. 1693. editio prodiit plus duplo major, licet politioris sermonis et affectatæ pietatis fuco plena, continuo tamen ceu exitiosum opus habitum a D. Fromageau, qui an. 1694. propositiones 199. velut erroneas et censura dignas inde collegit : Archiepiscopus Turon. an. 1698., Episcopus Carnot. an. 1699. contra illud ceu opus summe pernitiosum insurrexere : posthac Archiepiscopi quam plurimi lectionem illius libri fidelibus interdixerunt, Episcopi vero omnes, qui an. 1714. Bullam Unigenitus acceptare recusarunt, uno excepto Mirapicensi eumdem Mandatis pastoralibus prohibuerunt et damnarunt. His clamoribus excitus Clemens XI. an. 1608. per Breve Apost. librum feriit anathemate, et quatuor post annos ad preces Ludovici M. per Bullam Unigenitus.

R. *Ad* 3um. Bossuetus Quesnelli doctrinæ semper adversabatur : nam 1°. de observationibus Quesnelli dixerat, esse *perniciosas, apertos Jansenii errores iis contineri, nec eos debere legi ab iis, qui christianam pietatem profiterentur*. Ita D. le Pelletier Paris. curiæ præfectus, atque Episcopi Lucion. et Rupell. testantur; quin et ipsimet Quesnelliani, Abbas Dambes aut Couet in epist. ad Bossuetum Episc. an. 1700.; et Willardus eod. an. in epist. ad Quesnellum idem fatentur. 2°. Cum Quesnellistæ magnum Bossueti nomen, quo liber videretur innoxius, interponere tentabant; annuit is quidem sub conditione, si correctis 120. propositionibus, aliæ duriores in benignum sensum exponerentur. At vero, ubi novam editionem an. 1699. sine ulla correctione curarent Quesnelliani, Bossuetus Monitum a se elaboratum recusavit præmittere libro Refl. Mor., hujus tamen Moniti exemplar nacti Quesnellistæ, illud pluribus post mortem Bossueti annis ediderunt sub infido nomine, *Justificationis Reflexionum Moralium*.

Inst. 2. Ex damnatione propositionis 91. : *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro : nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus :* deduci facile possunt plures consecutiones regni et regum Galliæ juribus præjudiciosæ; unde in ipsa regii Diplomatis relatione in Acta supremæ curiæ Paris., inserta est exceptio, seu clausula; ergo.

R. 1°. *N. A.* Nam nonnisi distorte ac maligne id fieret. Nihil autem simile sequi, luculentissime demonstrat illud eximium documentum Præsulum Gallic. an. 1714. Propositio autem juste fuit damnata : 1. quia est *indefinita* negans et in materia doctrinali, adeoque complectitur officium, non tantum ex jure naturali et divino præstandum, sed et officium non essentiale ac dispensabile : sic vero *scandalosa* est, et auctoritati Ecclesiæ injuriosa, juxta receptum axioma juris : sententia injusta, si modo nulla non est, timenda est et servanda. 2. *Schismatica* est ac *perniciosa,* quia juxta Quesnellum, suum et suorum debitum atque officium nihil aliud est, quam retinere ac defendere Baii ac Jansenii doctrinam velut Augustinianam, quamvis a Sede Apost.

proscriptam; id quod manifestum est ex libris Arnaldi, Gerberonii et Quesnelli contra Decreta Rom. Pontificum. 3. Satis hoc unum : Quesnellus in causa Quesnelliana pag. 140. inter varia officia computat *arctam*, ut ait, *obligationem*, non subscribendi formulario, tametsi subscriptio sub pœna excommunicationis præcepta sit; et pag. 198. scribit, *esse sacrilegum et toti Ecclesiæ injuriosum, exigere subscriptionem et juramentum facti Janseniani, quod formulario* ALEXANDRI VII. *continetur*.

R. 2°. Clausula illa Senatus Paris. non est proprie *restrictiva* aut limitativa, sed mere explicativa, et provida cautio contra pravas illationes adversus sensum genuinum Constitutionis; id quod ipsi etiam Præsules Galliæ an. 1714. fecerant. Si enim foret restrictio proprie talis, excluderetur sensus aliquis genuinus Bullæ, qui non est, metum injustæ excommunicationis debere nos impedire ab implendis *officiis immutabilibus* et *invariabilibus*, qualia sunt officia legis naturalis et divinæ, cultus Dei, fides debita principi ac patriæ etc. Quod sine gravissima Pontificis ac Episcoporum injuria dici non potest. Ac demum quam cariosa essent principia libertatis Ecclesiæ Gallicanæ ac regiæ independentiæ, nisi fundamento solidiore niterentur, quam propositione condemnata?

Inst. 3. Doctrina Quesnelli de *excommunicatione* innititur auctoritati tum INNOCENTII III., qui cap. *A nobis*, de sent. excomm. *Judicium Dei*, inquit, *veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur; judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam et fallere sæpe contingit, et falli*; tum S. AUGUSTINI L. de ver. Relig. c. 6., ubi iisdem prope verbis adstruit Quesnelli sententiam; ergo.

R. *Ad* 1um. Quam infide ac inscite huc a Jansenistis trahatur INNOCENTIUS, vel liquet inde, quod eo loci Papa explicite loquatur de sententia excommunicationis, quam dependenter a *factis* duntaxat *personalibus* ferri nemo nescit; adeoque præpostere plane sit progressus ab illis factis, in quibus errorem irrepere facile est : vel ad facta dogmatica, in quibus Ecclesiæ infallibilitas tam solide, quam copiose demonstratur : vel ad sententiam INNOCENTII et Ecclesiæ indefinitam de quacumque excommunicatione, ipsaque potestate excommunicandi.

R. *Ad* 2um. Sententia S. AUGUSTINI longe alium sensum facit, ut patet ex contextu et scopo S. Doctoris. Vide Tract. de Princip. Theologicis ubi de Membris Ecclesiæ.

Inst. 4. Qui Bullam rejiciunt, propositiones in Bulla damnatas non defendunt, nisi in *sensu catholico*. Quod autem jure Bullam rejiciant, exinde colligitur, quia inimici Ecclesiæ ex Bulla UNIGENITUS, nullius erroris convinci possunt; ergo.

R. *Ad* 1um. *N. A.* Sed plerique refractarii, præsertim qui dirigunt seditionem, illas defendunt *in sensu* auctoris *Quesnelli*, qui ipse illas defendit in sensu *Jansenii*. Dein non solum per hoc, quod propositiones damnatæ defendantur in *sensu hæretico*, peccatur contra obedientiam Ecclesiæ debitam; sed etiam per hoc, quod leges ecclesiasticæ præcise latæ pro conservatione fidei, atque ex motivo præservandi oves Christi a pascuis noxiis ac periculosis, proterve violentur. Alioqui cuivis liberum erit, seditiose abjicere tot decisiones legitimas contra Hussum, Wickleffum, Lutherum, Baium,

Molinosum et Placita Sanctorum, si ea subtilitate polleat, ut eas intelligere atque explicare velit *in sensu catholico.*

R. *Ad* 2um. *N. A.* Nam *error* est, resistentia erga potestatem et irrefragabilem Ecclesiæ auctoritatem a Christo promissam, quo omnes, aut fere omnes Episcopos cum Capite Ecclesiæ unitos posse approbare, imo actu approbasse dicant Bullam *funestam fidei;* itaque sicut omnia judicia Ecclesiæ reddunt inutilia atque incerta, ita omnes hæreses vel damnatas vel damnandas contegunt et approbant. *Error* est, quod Quesnellistæ nunquam quinque propositionibus Jansenii damnatis eum sensum tribuant, quem illis tribuit Ecclesia. Equidem asseverant, se credere, quod e. g. *homo possit resistere, ac sæpe etiam resistat interiori gratiæ;* sed in sensu prorsus contrario ad sensum Ecclesiæ, quia non credunt, per eam gratiam, quæ caret effectu, ab homine posse impleri præcepta, spectatis *circumstantiis,* in quibus reperitur, et diversis *gradibus* concupiscentiæ, qua premitur, et *viribus,* quas habet; et sic de aliis.

Ita quippe auctor operis : *Mémoire sur les refus des sacrements* : instruit refractarios, ut dicant, a se credi omnes veritates ab Ecclesia definitas, et condemnari omnes errores ab Ecclesia damnatos; sed altum sileant de *propositionibus Quesnelli,* quas falso et contra evidentiam facti supponunt, non esse damnatas : de *Libro Jansenii,* cujus sensui tenaciter inhærent : de *Formulario,* quo tacite excluditur professio eorum fidei; idque non obstantibus omnibus decretis et sententiis Ecclesiæ.

248. *Obj. IV.* Encyclica seu *Breve Apost.* Benedicti XIV. super Bullam Unigenitus, huic tanquam judicio dogmatico derogat in multis : nam pleraque Parlamenta illud *Breve Apost.* repudiarunt, 1°. eo quod repugnet legi silentiariæ a Rege circa prædictam Bullam impositæ : 2°. Quia indirecte eo tendit, ut definitiones Rom. Pontificum habeantur pro regula fidei et morum, independenter a libera, uniformi, et conciliari acceptatione Ecclesiæ : 3°. Quia docet, Bullæ Unigenitus neminem posse *absque salutis æternæ discrimine,* ullo modo refragari; item jubet, publice ac notorie refractariis denegare sacramenta, etiam in articulo mortis; cum vero Bulla Unigenitus semetipsam haberi pro regula fidei mandet, idem erit obligari ad acceptationem *Brevis Apost.,* ac obligari ad habendam Bullam Unigenitus pro regula fidei, ac contra sentientes pro schismaticis et hæreticis.

R. *Ad* 1um. Rex Galliæ nunquam silentium imposuit Episcopis circa substantiam, sed tantum circa *modum* et *qualificationem* Bullæ, dum alii eam dixere regulam fidei, alii negarunt. Imo ne hanc quidem qualificationem, *in sensu minus stricto,* vetat Episcopis, si modo contrarium sentientes nullo actu solemni et publico damnent ceu hæreticos ac schismaticos notorios, atque a sacramentis arceant; *Prohibemus,* ait Rex, *ne quis alium provocet, vel aggrediatur injuriosis terminis Novatoris, Jansenistæ, Semi-Pelagiani, Schismatici, Hæretici...* et hoc quidem ad aliquod tantum tempus; imo in declaratione de anno 1720. silentium duntaxat imposuit in annum unicum. Secus autem facientes Episcopi considerabantur ceu violatores legis silentiariæ, ita ut poneretur causa appellationis *de abusu,* ac recursus ad Parlamentum,

R. *Ad* 2um. Encyclica Papæ intendit præcise, ad *preces* regis Galliæ et Præsulum Gallicanorum præscribere *regulam* circa deneganda refractariis

adversus Bullam UNIGENITUS sacramenta, abstrahens interim ab omnibus Bullæ *qualificationibus,* scilicet vel quod sit regula fidei, vel judicium dogmaticum universalis Ecclesiæ circa objectum pertinens ad regulam fidei, vel lex tantum Ecclesiæ et status. Hujus rei causam vide num. 245.

R. *Ad* 3um. BENEDICTUS XIV. recte negavit sacramenta publice ac notorie refractariis: non quod Bullam UNIGENITUS non acceptarent tanquam regulam fidei in *sensu stricto;* sed quia temerarie recusarent, se conformare judicio Pontificum et fere omnium Episcoporum in quæstione *facti doctrinalis,* quo judicant, considerato toto nexu doctrinæ Quesnellianæ, revera in ea contineri propositiones hæreticas et schismaticas, manifeste tendentes ad renovationem Jansenismi et Baianismi; atque hinc dicit, *non fore tutos, sed maximo salutis suæ discrimine....*

Inst. 1. Regula in Brevi Apost. præscripta quoad 1am. partem videtur iniqua, quia refractarios notorios sola notorietate facti privat S. Viatico; idque 1. contra apertam S. AUGUSTINI doctrinam, qui hom. 50. inter 50. (al. serm. 351. c. 4. n. 10.) *Nos vero,* ait, *a communione prohibere quemquam non possumus... nisi aut sponte confessum, aut in aliqno sive seculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* 2. Contra exemplum Christi, qui Judæ porrexit S. Eucharistiam. 3. Contra communem regulam: non posse quemquam privari Communione, nisi fuerit declaratus pro excommunicato.

R. *Ad* 1um. Si *notorietas facti* sufficit ad denegandum S. Viaticum concubinario publico, qui adhuc in articulo mortis secum detinet concubinam: cur ea non sufficiat ad publice ac notorie refragantem Constitutioni Apost. et nec in morte resipiscentem, eodem privandum? S. AUG. ibidem, ut probat contextus, exhortatur peccatores prolapsos in casum pro *pœnitentia publica* reservatum, ut licet crimen convincenter per testes probari non possit, semetipsos in ordinem pœnitentium sistant Ministro Ecclesiæ. Cum tamen populus videret quosdam, quos noverat talium criminum reos, accedere ad S. Communionem, S. AUG. se excusando dicit, sibi ea crimina aut non fuisse denuntiata, aut ea a denuntiantibus non fuisse rite probata.

Jam vero neutrum genus peccatorum, sive quos S. AUG. solus cognoscebat, quin cognoscerentur a populo; sive quos non cognoscebat AUG., cognoscebantur autem ab aliis, at sine denuntiatione facta Episcopo, comprehendebatur in classe peccatorum publicorum ac notoriorum *notorietate facti;* adeoque ad denegandam ipsis *Communionem* (quam quidem nonnulli aliter intelligi volunt a S. AUG. hic, quam de Eucharistia) necessaria erat aut confessio propria, aut convictio judicialis. Addit nempe S. AUG. serm. supra cit.: *Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator et judex?* Alibi S. AUG. pro sufficienti causa agnoscit notorietatem facti, ut hom. 49. inter 50. (al. serm. 392. ad Conjug. n. 5.): *A communione se cohibeant, qui sciunt quia novi peccata ipsorum; ne de cancellis projiciantur: quorum autem nescio, hos coram Deo convenio.*

R. *Ad* 2um. Non est omnino certum, quod Christus Judæ porrexerit S. Eucharistiam; de quo plures SS. Patres et Interpretes ambigunt. Si certum: docet ANGELICUS, Judam non fuisse peccatorem publicum 3. p. q. 81. a. 2. ad 2. De publico autem peccatore docet cum S. CHRYS. et aliis: *Si novus Judas corpus Jesu Christi petat, prohibe illum.* Quippe ministri Ecclesiæ dun-

taxat dispensatores mysteriorum sunt, et ut fideles inveniantur, sanctum dare canibus non licet.

R. *Ad* 3um. *N.* quod sit communis regula : quæ fuit objectio Parlamenti Burdegalensis in epist. ad Regem; verum cui Cancellarius D. Daguesseau abunde satisfecit dicens : *Auctores prædictæ epistolæ non satis penetrarunt principia hujus materiæ : videntur enim confundere velle duas res valde diversas, nempe recusationem administrandi sacramenta iis, quos Ministri judicant indispositos, et pœnam excommunicationis. Excommunicatio quidem privat sacramentis, sed non omnis privatio sacramentorum est excommunicatio...*

Inst. 2. Iniquum est, ejusmodi refractariis in morte denegare S. Eucharistiam, quæ *viventibus* fuit concessa : iniquum, pro peccatoribus publicis habere presbyteros virtuosos, doctores celebres, virgines pias : iniquum, nequicquam cedere, aut de rigore velle remittere, ut evitetur schisma, et pax adeo desiderata procuretur; ergo.

R. *Ad* 1um. *N. supp.* Nam complures, præsertim Moniales fuerunt juste privatæ sacramentis, tam in vita, quam in morte, quia earum renitentia erat publica in illarum communitate ; sicut indignitas peccatoris publici est cognita in suis ædibus, ubi negatur ipsi viaticum. Imo si notorietas delicti supponatur esse æqualis tam in templo, quam in domo, dubitandum non est, quod peccatori publico ad sacram mensam accedenti deneganda a parocho sit Eucharistia. Hic vero casus non est ita frequens, ut quis visa multitudine audientium Missam, vel communicantium, præsertim Parisiis, ubi vix sciuntur nomina præsentium in templo, agnoscat, quinam sint publici peccatores.

R. *Ad* 2um. *N. A.* Non enim in sola morum honestate virtutes christiani hominis omnes consistunt; hinc Tertullianus factus Montanista, quamvis conservaret morum puritatem, quæ ipsum in censum Doctorum virtute et scientia illustrium evexerat; tamen tota hæc apparentia sanctitatis non impediebat, quin S. Hier. L. contr. Helvid. n. 17. diceret : *De Tertulliano nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse.* Bossuetus Protestantibus pietatem et charitatem suorum objicientibus docte respondit, eam pietatem tantis encomiis evectam, nisi submissio erga Ecclesiam jungatur comes, reipsa nihil aliud esse, quam *subtilem ac periculosam hypocrisin*, cum modus bene credendi sit fundamentum bonæ vitæ.

R. *Ad* 3um. Ministri Ecclesiæ nequicquam cedere possunt de *juribus sacris*, cum non sint propria, sed Christi et Ecclesiæ jura. Non hic agitur de personali emolumento Ministri, sed de reverentia Corpori et Sanguini Jesu Christi debita, cujus profanationem publicam et scandalosam impedire tenentur. Pax *hujus mundi* solum fundatur in commodis temporalibus et humanis, quorum causa nonnunquam triumphus ceditur errori, et opprimitur veritas; sed pax *Ecclesiæ*, quæ est pax *Dei*, non reperitur, nisi in submissione integra ac perfecta ad judicia Ecclesiæ pro fidei puritate et integritate edita: in reverentia Ministris et tremendis eorum functionibus nomine Christi exercitis debita : nec non in zelo potestatis secularis, Ecclesiam protegendi. Hæc est pax, pro qua firmanda ac restituenda apprehendit Ecclesia arma justitiæ 2. Cor. 10. ad humiliandam *omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Si nihilominus seditionem foveant pervicaces, audiant

S. Chrys. *Non est homo, qui ligat, sed Christus, qui nobis dedit hanc ligandi potestatem... adveniet tempus judicii, quod doceat* rebelles, quid sint vincula ecclesiastica, quam potentia et formidanda.

Inst. 3. Iniquum est, saltem in principiis Ecclesiæ Gallicanæ, habere pro excommunicatis necdum *judicialiter* declaratos : sed hoc ipsum Breve illud Apost. Bened. XIV. aperte adstruit; ergo.

R. *N. M.* Nam hæc Martini V. concessio, quamvis, ut *Dumont* et *Collet* testantur, non reperiatur in Concordatis initis cum natione Gallica; tamen habetur in Concordatis initis cum natione Germanica. Dein Concordata cum utraque natione fuerunt inita solum ad quinquennium, nec de illorum innovatione constat. Præterea, si tunc temporis licuit Regi cum Martino V. nomine totius nationis Gallicæ per suos Legatos, saltem ex consensu nationis tacito ac præsumpto, inire Concordata; cur idem non liceat eorum successoribus? Si vero id licet, consequitur, hunc tacitum nationis consensum a Parlamentis non posse sine regiæ Majestatis dehonoratione revocari vel irritari, nisi id petat evidens et magna regni necessitas, qualis in præsenti casu non datur. Nam Benedictus XIV. in suo Brevi Apost. nationi Gallicæ totum, quod potuit, indulsit, ut patet ex dictis supra. Demum hæc *via moderationis* atque *excusationis,* quam ostendit, Episcopis insinuat, dum scribit, notorietatem criminis, quæ ab interna dispositione dependet, certioribus ac gravioribus probationibus indigere.

Inst. 4. Breve illud Apost. quoad secundam sui partem videtur aut plane inefficax ac inutile, quia vix unquam effectum habuit vel habebit; aut indignum etiam : tum quia, si adsint graves præsumptiones et urgentia indicia non acceptationis Bullæ Unig., ea saltem domesticis cognita erunt : tum quia, ubi sunt ejusmodi graves præsumptiones, non licet impendere absolutionem sacramentalem; ergo et Eucharistia non sine scandalo et injuria porrigitur.

R. *N. A.* Nam 1°. Breve Apost. saltem fuit promulgatum et receptum in Galliis, ceu idonea justaque regula urgendi executionem, seu acceptationem Bullæ Unigenitus. Si quando autem effectu careat, aut non rite, aut plane non applicata; id se habet per accidens ad mentem sapientissimi Pontificis, qui sicut vi prædictæ regulæ, quantum fieri potuit, liberalitatis refractariis indulsit plurimum, ita *rigoris,* quantum necesse erat, minimum exeruit.

2°. Domestici, ubi vident tali moribundo porrigi S. Viaticum, poterunt cogitare, vel quod fuerint decepti circa suas præsumptiones et indicia, vel quod moribundus alias refractarius egerit pœnitentiam; quippe charitas non cogitat malum, quin et omnia in bonam partem interpretatur.

3°. Judicium sacramentalis absolutionis est quid privatum et occultum : sed porrectio vel denegatio S. Viatici est quid publicum; cum ergo per indicia quantumvis gravia non fiat certo reus, habet jus uti ad famam publicam, ita ad Viaticum publice porrigendum : quod si privatim et in occulto peteretur, paris foret conditionis cum *absolutione* sacramentali.

24°. *Obj. V.* Ut Bulla Unigenitus vere sit dogmaticum Ecclesiæ universalis judicium, præcedere debet examen Episcoporum diligens ac maturum, et ne lædatur Libertas Gallicana, in provinciali aut nationali Synodo :

requiritur unanimitas et uniformitas in acceptatione: acceptatio sit libera, et promulgatio solemnis, utraque autem universalis, oportet. Sed ista deficiunt, quia Gallicani Præsules *leviter* duntaxat Bullam examinarunt, et Episcopi extra Galliam *cæco modo* eam receperunt: plerique Episcopi obstiterunt, atque etiamnum obsistunt: in Galliis res tota regis auctoritate et terroribus peracta est: demum Carolus VI. eam noluit in suis Provinciis promulgari; ergo.

R. 1°. Si valet argumentum, nutabunt omnes omnino Bullæ contra *Lutherum, Baium, Jansenium, Molinosum*, etiam intra Conc. œcumenicum; ac proin cuivis fideli, prout infert Collet SS. Theol. Doctor et Professor Paris., licebit dogmaticis Concilii Trid. decretis reluctari, et ab ea Synodo, in qua Præsulum ultra-montanis placitis addictorum numerus prævaluit, ad aliud vere œcumenicum appellare Concilium, in quo Episcoporum dictis placitis adversantium numerus vinceret.

R. 2°. Quidquid sit de examine Episcoporum, cui querelæ instar omnium satisfacit locupletissimum Patriarchæ Ulyssiponensis ad Episc. Nemaus. testimonium 28. Sept. 1717., quo postquam omnia ceu totidem insignes calumnias explosit; id confirmat, ait, *effatum apud Gallos tristissimum: nemo Jansenistis mendacior*. Quidquid de *juribus* ac *privilegiis* Clerici Gallicani, quæ sane melius perspecta fuere Regibus, Episcopis et Clero Galliarum; hoc statuimus indubitatum: legem publica et legitima auctoritate latam, firmam ac inconcussam ex se esse debere, nec privato cuivis, ut illam infirmet, fas esse inquirere in *examen, modum*, et *motivum*, quo lata est; præsertim cum promissa Ecclesiæ a Christo facta perpetua sint et absoluta, ita ut certo tenendum sit, semper omnes necessarias conditiones fuisse adhibitas, quoties lata est, aut acceptata a corpore primorum Pastorum definitio.

R. 3°. Ad unanimitatem sufficit multo major primorum Pastorum multitudo adhærens Capiti Ecclesiæ, juxta Vincentii Lirin. Commonit. c. 38. Alioquin legitime non fuerint acceptata, tum Zosimi decretum, cui 19. Episcopi cum suo duce Juliano provocantes ad gen. Concilium: tum Ephesini Concilii statuta, queis præeunte Joanne Antioch. 30. Episcopi: tum Conc. Chalcedonensis definitiones, queis multo plures restiterunt. Numquid plusquam decem Præsules Gallicani quondam Calvini partes adjuverant. Uniformitas alia non requiritur, quam communis consensus circa acceptationis substantiam: quotquot autem Episcopi Bullam acceptarunt, professi sunt omnes, sicut circa Constitutionem adversus librum de Molinos et de Placitis Sanctorum, ita in Bulla Unigenitus, sese doctrinam Ecclesiæ agnoscere, se illam cum obsequio et reverentia acceptare, se librum Quesnelli et extractas 101. propositiones eodem modo proscribere, ac cum iisdem qualificationibus, quibus a Summo Pontifice damnatæ sunt. Quodcumque ergo occurrit discrimen acceptationis, id spectat solas *formalitates*, varias pro variis locorum ac temporum circumstantiis.

R. 4°. Uti acceptata, sic promulgata fuit Constitutio Unigenitus in Ecclesia Romana, omnium reliquarum Matre et Magistra: in Ecclesiis totius Italiæ: in tota Gallia, ubi orta est controversia: demum ab universi fere orbis Metropolitanis, de quibus vide n. 241. Quamvis autem Carolus VI. noluerit

suis in Provinciis fieri promulgationem Bullæ UNIGENITUS solemnem per Nuntium Apost.; facta tamen est huic æquipollens promulgatio per omnes Germaniæ et Belgii Academias, eidemque fere omnes orbis Episcopi et Doctores sine ulla oppositione in suis Lucubrationibus, Synodis, Epistolis omnimodam venerationem ac obedientiam deferebant.

Inst. 1. Si Bulla UNIGENITUS est judicium Ecclesiæ dogmaticum; ergo iniqua esset appellatio ad Concilium : atqui non est iniqua; tum quia innumeri sunt Appellantes, et inter hos non pauci etiam Episcopi; tum quia appellationem hanc Deus videtur comprobare tot prodigiis, et sanitatum operationibus ad tumulum Diaconi *Paris,* qui appellationi immortuus est; ergo.

R. *N. min.* De *appellatione* a judicio Ecclesiæ dogmatico *ad Concilium Generale,* vide num. seq. et Tract. de Princip. Theol. Porro convocare Concilium adversus mala quotidie emergentia, non esset medium decens providentiam divinam, nec infirmitati humanæ conveniens, nec afflictis rebus Ecclesiæ accommodatum, quia non statim, non semper et ubique medela præsto esset. Demum nunquam *Appellantium Episcoporum* numerus (quidquid sit de inferioris conditionis refractariis) tantus fuit, quantus ille Appellantium hæreticorum in causa Pelagii, qui cum suo duce *Juliano* novemdecim erant, cum Appellantes in Galliis Præsules nunquam plures, quam sexdecim fuerint; et hodie vix ullus sit.

Quantum ad *prodigia* : extremum hoc effugium, et causæ deploratæ, nostro præsertim ævo, miserrimum præsidium est, ex hoc multiplici capite : omnes namque omnium seculorum hæretici sui erroris et fictæ sanctitatis patrocinium ementita miracula jugiter jactitarunt : et Diaconus *Paris* ad mortem usque doctrinæ Jansenianæ pertinaciter addictus, in æquissimam formularii legem furiose debacchatus, cum Archiepiscopo Ultrajectensi notorie intruso, schismatico, et nominatim excommunicato, arcta communione junctus, gloriatus tanquam de præclaro facinore, quod perdiu, exceptis diebus Festis et Dominicis, abstinuerit ab ingressu Ecclesiæ, et per biennium, etiam in Paschate, prætermiserit S. Communionem. Asserta Diacono *Paris miracula,* post maturam ad juris præscriptum discussionem, declarata et rejecta sunt tanquam ficta, absona, temere et contra leges evulgata, characteribus legitimis plane destituta, ab omni prorsus fide abhorrentia, Deo indigna, et diabolicæ potius virtuti adscribenda.

Acta item *verbalia* Appellantium de iis miraculis, ceu *evidenter probatis,* ab Archiepiscopo Paris. solemni Mandato pronuntiata, ipso jure radicitus irrita, seu rem, seu formam spectes, omnino vitiosa, multis titulis abusiva, informia, inutilia etc. Ac demum ut rex Christianismus firmaret Archiepiscopi Paris. sancita, et scandalum penitus aboleret, Cœmeterium S. Medardi solemnibus edictis claudi imperavit.

His adde, quod in pari concursu *prodigiorum* et *auctoritatis,* cujus est quævis miracula recognoscere ac approbare; Ecclesiæ auctoritati miracula cedere debeant tanquam columnæ et firmamento veritatis, ita ut, qui eam non audit, sit *sicut ethnicus et publicanus;* vide hic TRID. Sess. 25. de Invocat. SS. Adde Emin. Card. Lambertini, postea BENEDICTI XIV. opus pereruditum de Canonizatione SS., ubi Tom. IV. c. 7. de vita Diaconi *Paris* ita

habet : *totus et universus libelli,* Vic de Paris, *contextus eo unice collimabat, ut homo Apost. Sedi refragans, schismaticus, hæreticus, acerrimus impugnator Constitutionis, quæ incipit,* UNIGENITUS, *pertinax Jansenistarum assecla, falsis ipsi attributis miraculis imaginem solidæ virtutis et sanctitatis præ se ferret. Sancte ergo et prudentissime Episcopi Gallicani abstinuerunt a sumendis informationibus juridicis; et sancte ac prudentissime insano, scandaloso et temerario cultui obstiterunt.*

Demum quæ insania, nostris temporibus, quels impietas et irreligio vera etiam miracula arrodit exploditque, ab iis hominibus, qui supra tot Pontifices, Archiepiscopos, Episcopos et Doctores sapere volunt, obtrudi scenica convulsionum et crucifixionum prodigia, verius figmenta mendaciis et scandalis plenissima?

Inst. 2. Nullo argumento solido clare evinci potest, quod Bulla UNIGENITUS sit universalis Ecclesiæ lex et definitio dogmatica; ergo.

R. *N. A.* Vide num. 243. Adde quod Archiepiscopus Parisiensis de Beaumont, quem jure dixeris ævi nostri Chrysostomum, Tournely, Collet, et alii plerique Galli vere orthodoxi ita ratiocinentur :

Ea constitutio habenda est *dogmatica* Ecclesiæ definitio, quam uti talem constanter prædicant Summi Pontifices, Cardinales, Synodi ea de re habitæ, Gallicani Præsules variis in Comitiis et Mandatis pastoralibus, denique orbis catholici Metropolitæ, suis expresse aut tacite consentientibus Suffraganeis : plaudentibus insuper tam domesticis, quam exteris sacris Facultatibus. Atqui ex dictis Bulla UNIGENITUS, non ut mera disciplinæ lex, sed ut *dogmatica* definitio, a Summis Pontificibus, Cardinalibus, Synodis, Præsulibus agnita fuit ac declarata, suffragantibus tum domesticis, tum extraneis Academiis; ergo.

Quæ solidissima ratiocinatio si quem nihil admodum moveat; metuendum sane cum sapientissimo æque ac sanctissimo Archipræsule Parisiensi in sua Instruct. Past. an. 1757., ne in Ecclesia, quæ semper sollicita pro conservanda unitate, puritate ac integritate fidei, errorem sub quovis simulationis fuco aut larva tectum nunquam tolerat; ne, inquam, amor novitatis, gustus singularitatis, vitium obstinationis agat præcipitem in *falsam* illam *scientiam*, quæ tempore S. Pauli nonnullis causa erat *excidendi circa fidem.* 1. Tim. 6. 21.

250. *Observa.* Ex dictis sequitur *nullas* et *irritas* esse appellationes ab hac dogmatica definitione Pontificis et Ecclesiæ universalis ad generale Concilium. Præterea *illicitas* eas ostendunt prohibitiones et decreta PII II. et MARTINI V. *Inutiles* denique probant tum experientia, qua novimus vel ejusmodi hæreticorum exceptionibus nihil esse ab Ecclesia concessum, ut supra dictum de *Juliano* et *aliis Pelagianis;* vel Ecclesiæ etiam indulgentia quoad hanc rem hæreticis data nihil esse profectum, ut de *Lutheranis* et *Calvinistis* constat; tum ratio :

Quem enim in finem cogatur Concilium? An ut certi aliquid statuatur de dogmate? sed sicut *Baiani* et *Janseniani* de Baii et Jansenii propositionibus fatentur, eas, prout jacent, damnatas esse; sic etiam *Quesnelliani* de ducis sui articulis negare non possunt. An ut a concilio definiatur, sitne Baii,

Jansenii et Quesnelli sensus hæreticus? Sed si Ecclesia in definiendis *factis dogmaticis* non est infallibilis, nec erit Concilium generale; cum auctoritas Ecclesiæ congregatæ in Concilio major non sit, quam Ecclesiæ extra Concilium dispersæ quidem, sed cum Capite suo aliquid communicato consilio decernentis.

Unde *appellationes* ejusmodi nihil aliud esse deteguntur, ac tergiversationes et subterfugia, queis interim declinetur judicium Ecclesiæ, dum, quod his temporibus difficillimum est, confletur *generale Concilium*, idipsum postea variis exceptionibus extenuandum. Vide Tract. de Princ. Theol.

DISPUTATIO V.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I.

DE NATURA GRATIÆ ACTUALIS.

—

ARTICULUS I.

AN RECTE A QUIBUSDAM ASSIGNETUR NOTIO UNIVERSALIS GRATIÆ ACTUALIS?

251. *Nota.* Triplex est de gratia actuali sententia; 1ª. est *Quesnelli,* quam exprimit prop. 19. *Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis.* In eumdem sensum loquitur propp. 10. 11. et aliis pluribus. 2ª. est *Arnaldi* tom. 7. ep. 598. ad D. du Vaucel, ubi asserit, gratiam esse ipsam actionem deliberatam creaturæ. 3ª. est *Alvarezii, Lemos,* aliorumque vulgo Thomistarum, qui negant universim, gratiam esse vel actum deliberatum et liberum, vel indeliberatum et vitalem duntaxat creaturæ rationalis; sed statuunt eam esse aliquid actibus hujusmodi prævium, eorumque causam, quam in *mortua aliqua qualitate* eaque duplici reponunt, quarum altera sit 1°. præveniens, qua efficiatur actus indeliberatus, et pertinens ad gratiam sufficientem: altera 2°. præveniens, seu adveniens post actum primum constitutum, qua voluntas physice prædeterminetur ad actus deliberatos, constituens gratiam efficacem.

252. *Dico I.* Gratia actualis nullo legitimo sensu potest dici Dei *omnipotens voluntas.*

Prob. Gratia a Theologis spectatur vel *in seipsa* præcise, vel ex parte *principii,* vel ex parte *termini*: sed sub nullo respectu sensu legitimo dici potest omnipotens Dei voluntas; ergo. *Min.* quoad 1ªm. et 3ªm. *partem* liquet; quia gratia in *se ipsa* præcise sumpta distincta sumitur a principio, quod est Dei voluntas: ex parte termini autem accepta non est nisi motus voluntatis creatæ. Quoad 2ªm. *partem probatur:*

1°. Quamvis voluntas Dei omnipotens esset *principium* gratiæ, tamen nec Scriptura, Concilia aut Patres gratiam vocant Dei omnipotentem voluntatem: nec theologice aut philosophice loquendo principium seu causa gratiæ dicitur gratia,

2°. Quamvis gratia ex parte principii posset dici voluntas Dei, tamen non nisi erronee dicitur voluntas *omnipotens*, seu sub notione omnipotentiæ. Nam sub hac idea proponitur talis efficacia voluntatis divinæ, cui nunquam resistitur, nec resisti potest: sed talis idea convenire gratiæ actuali nequit, utpote cui voluntas humana resistere potest et sæpius resistit, ut ex Scriptura, Conciliis et Patribus liquet, atque ex damnatione prop. Quesnellianæ eruitur; ergo.

3°. Gratia ex constanti Ecclesiæ idiomate sonat illustrationem, visionem, suasionem *in intellectu*, aut inspirationem amoris, suavitatem, dulcedinem, voluptatem sanctam, concupiscentiam boni et delectationem cœlestem *in voluntate*: sed hoc falsum esset, si Dei gratia *nihil aliud* foret, quam voluntas Dei omnipotens; ergo.

253. *Dico II.* Gratia actualis non est ipse actus creaturæ *deliberatus*.

Prob. I. Actus deliberatus est consensus liber vocationi divinæ præstitus: sed hic non est gratia; tum quia est effectus gratiæ tanquam causæ: tum quia gratiæ natura est talis, cui possit homo non consentire; quod fieri non posset, si gratia esset ipse consensus: cum implicet in terminis esse simul consensum et dissensum, atque hinc gratiæ, quæ consensus sit, posse dissentire.

II. Ex Conciliis et Patribus manifeste constat, ab iis supponi gratiam excitantem esse distinctam a libera voluntatis actione; hinc Trid. Sess. 6. cap. 5. docet, hominem per gratiam excitantem motum, eidem gratiæ libere assentiendo, se disponere ad justificationem: et S. Aug. constanter contra *Pelagianos* gratiam proponit tanquam præparationem et inspirationem voluntatis, negat autem ipsam esse bonam voluntatem.

Hæc assertio tamen non impedit, quominus cum communiori sententia dicatur, *actus* etiam *deliberatos* et efficaces voluntatis subinde esse auxilia gratiæ ad alios actus salutares. Auxilium enim gratiæ ad salutariter operandum est donum supernaturale movens ad ita operandum salutariter: sed actus etiam deliberati sæpe sunt dona supernaturalia, ut patet passim ex S. Augustino et Trid. Sess. 6. cap. 16. ubi dicitur: *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Præterea aliunde possunt movere ad actus alios salutares; quia actus charitatis juvat ad actus cæteros: et si affectus inefficax movere potest, a fortiori movebit sæpe actus deliberatus et efficax.

254. *Dico III.* Gratia actualis non consistit in qualitate aliqua mortua.

Prob. Nec in Scriptura, nec in Conciliis aut SS. Patribus, unde tota de gratiæ auxiliis doctrina ad nos dimanavit, expressum aut sufficienter judicatum est, aliquam qualitatem ejusmodi esse, aut referri ad auxilium gratiæ; officio enim id ostendendi et probandi necdum ab ullo Thomista est satisfactum; ergo.

Conf. Concilia et Patres videntur potius qualitatem ejusmodi a notione gratiæ rejicere. Trid. Sess. 6. c. 5. postquam dixisset, *exordium justificationis* in adultis *a Dei gratia præveniente, hoc est, ab ejus vocatione* sumendum esse; hanc vocationem deinde explicat per *illuminationem* et *inspirationem*, quarum illam esse cognitionem, hanc vero actum vitalem voluntatis exinde

constat, quod dicatur, *per Spiritus sancti illuminationem cor hominis a Deo tangi*. S. Aug. autem L. 2. de pecc. mer. et rem. c. 19. n. 33. sic loquitur. *Cum autem ab illo* (Deo) *illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat quod non delectabat;* ubi similiter per primum indicatur cognitio intellectus, et per secundum vitalis affectio voluntatis. Jam vero *exordium justificationis* non fieret a vocatione, et *aliud quid* deberemus deprecari, si gratia primo prævenien aut etiam efficax staret in qualitate prævia et causa actuum indeliberatorum et deliberatorum.

255. *Obj. contr.* 1um. cum Quesnellianis. Ad Rom. 14. v. 4. dicitur : *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem; potens est enim Deus statuere illum.* Ad Ephes. autem 1. v. 11. *In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ;* ergo. *Conf.* S. Aug. in ep. 167. (al. 217. n. 24.) ad Vitalem, statuit Deum ipsos persecutores *ad se ipsum omnipotentissima facilitate convertere, ac volentes ex nolentibus facere.* Et L. de Corr. et Gr. c. 14. n. 45. ait, Deum *sine dubio habere humanorum cordium, quo placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem;* ergo.

R. *N. Cons.* Agnoscimus enim quidem, quod Deus possit illum, qui peccando cecidit, pristino statui restituere; non ideo tamen gratia nihil aliud est, quam *omnipotens Dei voluntas :* neque singulæ gratiæ sunt omnipotentes aut efficaces. Item voluntas quidem Dei absoluta, de qua textus alter utpote ad *prædestinatos* pertinens loquitur, effectum sortitur semper : sed cum illud sit efficax Dei consilium dandi gratiam, aliud efficax obtinendi effectum gratiæ, neque hoc postremum in Deo semper sit; iterum nihil ex hoc textu pro objectione sequitur.

Ad Conf. rursus *N. Cons.* Quia rursus ex his textibus non sequitur, omnem gratiam esse *efficacem,* nullam sufficientem tantum, et cui reipsa dissentiatur ; quæ sequela, ut quidem propria est *Calvini, Jansenii* et *Quesnelli* doctrina, sic S. Augustino contraria, ut alibi ostendetur.

256. *Obj. contr.* 3um. Gratia prævenien est pulsatio cordis, juxta illud Apoc. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium, et pulso.* Sed pulsatio procedit effective a solo pulsante, non autem ab eo, cujus ostium pulsatur; ergo. *Conf.* Ibidem etiam pulsatio et vox separatur ab auditione, dum additur : *Si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum* etc. Sed sola auditio est actus vitalis : vox autem et pulsatio est quid illam præcedens ; ergo.

R. *D. M.* Est pulsatio materialis, inanimata, sensuque mentis nostræ non perceptibilis *N.* spiritualis, animata seu vitalis, et hinc sensu mentis nostræ perceptibilis *C.* Hæc sicut sola creaturæ rationali convenit, ita secundum Patres et Concilia formaliter fit per cogitationes *intellectus* et affectiones *voluntatis ;* quia tamen Deus earum causa *principalis* physica et unica moralis est, ille per eas dicitur pulsare, creatura rationalis autem pulsari.

Ad Conf. D. M. Pulsatio et vox distinguitur ab auditione, si hæc sumatur pro actu deliberato seu consensu libero voluntatis *C.* si auditio sumatur pro actu indeliberato seu gratia excitante *N.* Vocem et locutionem Dei in

nobis non esse qualitatem vel monitionem mortuam, sed spiritualem et vitalem, liquet tum ex Ps. 48. v. 9. ubi dicitur : *Audiam, quid loquatur in me Dominus;* quod ridicule diceretur, si locutio hæc nullo sensu mentis percipi posset, et hinc non esset vitalis : tum quia hanc vocem non tantum audiunt illi, qui januam sui cordis Deo pulsanti aperiunt, ut habetur in textu Apoc. cit. ; sed illi etiam, qui januam cordis claudunt et obdurant, juxta Ps. 94. v. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Inde autem sequitur Dei vocem talem esse debere, quæ mentis auribus audiri possit, et audita nos non determinet infallibiliter ad aperiendum; vox autem ejusmodi nonnisi in actibus vitalibus indeliberatis statui potest.

Inst. 1. Joann. 6. v. 44. dicit Christus : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et S. Aug. L. 1. ad Bonif. c. 19. n. 37. sic loquitur : *Non ait : duxerit; ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, si jam volebat ? Et tamen nemo venit, nisi velit : trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari..... ut volentes ex nolentibus fiant.* Ergo juxta Aug. aliud est duci, aliud trahi : sed homines ducuntur actibus vitalibus ; ergo trahuntur per gratiam non vitalem. *Item* S. Paul. ad Rom. 8. 14. enuntiat : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ;* in quæ verba S. Aug. L. de gest. Pelag. dicit : *Procul dubio plus est agi, quam regi.* Sed per actus vitales homo regitur ad salutem ; ergo per aliquid distinctum et non vitale agitur.

R. Per actus vitales intellectus et voluntatis omnia præstari, eosque *ducere, regere, agere, trahere,* et si quid aliud est, quod de gratia excitante vel efficaci dicitur. Homines enim non aguntur aut trahuntur ut lapides, bruta aut servi legati, sed ut loquitur S. Th. in c. 6. Joann. Lect. 5. *Multipliciter trahit Pater ad Filium, persuadendo, alliciendo, admirabili delectatione et amore veritatis.* Unde idem S. Doctor interiorem instinctum divinæ operationis explicans usurpat semper actiones vitales, nempe *revelationem doctrinæ* in c. 15. Joann. Lect. 5., motum *Spiritus sancti revelantis et præcipientis* in c. 2. ad Galat., *vocationem interiorem* in 4. Dist. 17. q. 1. a. 1. etc.

Sensus vero S. Aug. apertus est ex scopo quem intendit, et materia in qua versatur; utpote qui contra *Pelagianos* hic probabat non præcedere gratiam voluntatem naturalem meritoriam gratiæ, sed ipsum etiam velle haberi per gratiam. Cæterum dum S. Aug. postrema verba sic concludit loc. supra cit. n. 6. Qui *Spiritu* (sapientiæ) *non viribus propriæ voluntatis reguntur et aguntur, filii sunt Dei;* ostendit eadem ratione, hoc est, per actus vitales, non autem qualitatem mortuam agi homines ; sicut per eosdem, non autem hanc, ex adversariorum confessione reguntur.

Inst. 2. Supernaturalis illustratio et affectio voluntatis indiget principio supernaturali, physico, et intrinseco animæ; quia potentiæ *connaturalius* agunt per principium intrinsecum : quæ ratio est, qua existentia habituum supernaturalium et luminis gloriæ stabiliri solet. *Conf.* Actio vel *operatio Dei* nos adjuvantis ad vitalem actum eliciendum, nec est realiter eadem cum actu vitali nostro, nec cum nostra actione : tum quia actio Dei est causa nostri actus vel actionis : tum quia Deus alias nostra actione juvaret nos ad nostram actionem, quod vel ridiculum, vel contradictorium est,

Atqui *vocatio*, *illuminatio* etc. est operatio Dei nos adjuvantis ad actum vitalem eliciendum; ergo.

R. *D. prob.* Potentiæ connaturalius agunt per principium intrinsecum, si agant permanenter et per modum status habitualis supernaturalis *C.* si agant transeunter et sub ratione puræ elevationis indebitæ *N. Disparitas* est, quia in 1°. casu potentiæ imitantur modum operandi *naturæ,* quæ ad sibi connaturalia permanenter se habet, et ideo etiam desiderat requisita ad operandum intrinseca, atque huc pertinent exempla in objectione allata. In 2°. autem cum potentiæ non operentur per modum naturæ, sed *elevationis* duntaxat indebitæ; non magis connaturale est, operationem fieri per principia intrinseca, quam extrinseca. Sicut enim nihil exigit potentiam elevari, sic nec exigit determinata elevationis principia.

Ad Conf. R. *N. M. Ad rat.* 1am. *D.* Actio Dei immanens, h. e. decretum liberum, quo Deus vult actum vitalem in nobis producere, est causa nostri actus et actionis *C.* actio Dei transiens seu extrinseca *subd.* principiative sumpta *C.* terminative vel modaliter sumpta *N.*

Ad rat. 2am. *D. seq.* Alias nostra actione formaliter ut nostra juvaret nos ad nostram actionem *N.* nostra actione sumpta formaliter ut Dei actione *T.* Dixi : *Transeat;* quia *proprie loquendo* non adjuvamur a Deo nisi ad illos actus, quos ipsi proprie agimus, nempe quos excitati libere facimus : actus autem vitales indeliberati et gratiæ pure excitantis ac primo prævenientis, qui non fiunt a nobis libere operantibus, proprie nostri non sunt; ideoque rectius secundum Concilia et Patres simpliciter dicitur Deus *in nobis* eos *sine nobis* facere, quam ad eos faciendos nos juvare.

Inst. 3. Ex Apost. 1. ad Cor. c. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Atqui hæc sufficientia nostra non est cogitatio nostra; ergo est gratia distincta et cogitationem præveniens.

R. 1°. *D. m. subs.* Atqui hæc sufficientia nostra non est cogitatio nostra respectu actuum indeliberatorum *C.* respectu actuum deliberatorum *subd.* non est sufficientia adæquata *C.* inadæquata et partialis *N.* Sufficientia nostra ad quoscumque actus salutares est ex Deo : aliter tamen ad actus *indeliberatos,* quam ad *deliberatos;* ad priores enim sufficientia non potest dari per actus indeliberatos, cum alias fieret progressus in infinitum; ad posteriores tamen dari potest per actus indeliberatos, nempe supernaturales cogitationes et affectiones, quæ proprie ex Deo, non autem ex nobis sunt, et partialiter saltem sufficientiam præstant ad meritorie agendum per actus deliberatos, ad quos excitant.

R. 2°. *T. m. D. cons.* Est gratia distincta et cogitationem præveniens, per aliquid intrinsecum, qualitatem mortuam vel motionem prædeterminantem *N.* per aliquid extrinsecum, nempe assistentiam Dei vel Spiritus sancti, quæ causa gratiæ creatæ seu gratiæ auxilium extrinsecum dici potest, cum ipse actus indeliberatus sit gratia formaliter talis, creata et intrinseca *C.* Unde patet qualitatem aliam mortuam ad negotium gratiæ perficiendum non esse necessariam, sed superfluam.

Inst. 4. Patres ex adducto testimonio probant, insufficientiam ad salutariter operandum suppleri per gratiam distinctam et internam; ergo cum idem testimonium valeat pro pia illuminatione seu gratia excitante, pro-

bat similiter insufficientiam ad illam suppleri per similem gratiam intrinsecam.

R. *D.* Probant hoc Patres, ex præsuppositione rationis certæ ac naturalis *C.* sine ea suppositione *N.* Nempe quia vel *absolute*, vel saltem *connaturaliter* voluntas tanquam potentia rationalis non potest agere, nisi intrinsece illuminata et excitata; hanc intrinsecam illuminationem merito supponunt, et hinc, dum ex verbis Apostoli exigunt gratiam ad salutariter operandum, recte etiam ad id postulant gratiam *internam*. Quod si nec hæc, nec ulla ratio similis occurreret, sed pari ratione voluntas posset juvari tam pure extrinsece, quam intrinsece; testimonium Apostoli etiam non probaret necessitatem gratiæ internæ ad salutariter volendum. Jam vero cum hæc ratio non teneat pro hoc, ut fiat ab intra illuminatio vel inspiratio supernaturalis, nec aliunde alia ratio probet; etiam Apostoli verba non faciunt pro auxilio *intrinseco* tanquam necessario ad producendas gratias excitantes.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT NATURA GRATIÆ EXCITANTIS?

257. *Dico I.* Gratia *excitans* theologice sumpta formaliter stat in duplici actione vitali creaturæ rationalis, nempe *sancta cogitatione* circa objectum aut veritatem pertinentem ad salutem, quæ dicitur illustratio: et *pia affectione* ad actus salutares, quæ dicitur inspiratio.

Prob. I. Quoad illustrationem. 2. ad Cor. 4. v. 6. dicitur: *Ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Et ad Eph. 1. v. 17. *Deus... det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus; illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis* etc. *II. Quoad inspirationem.* Ps. 20. v. 4. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Et Joan. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. III. Quoad utramque.* Conc. Milevit. h. e. Afric. can. 4. (al. can. 79. Labb. t. 2. 1664. D.) definit, utrumque esse donum Dei, *et scire, quid facere debeamus, et diligere, ut faciamus.* Similiter S. Aug. L. 2. de pec. mer. et rem. c. 19. n. 33. vocat gratiam Dei, qua aperitur quod latebat, et suave fit quod non delectabat. Quibus consonant dicta Trid. n. 254. citata; Item Araus. II. can. 5. 6. 7. ubi gratia excitans nunc *illuminatio*, nunc *inspiratio* appellatur.

Conf. Gratia excitans theologice talis præter illustrationem debet habere adjunctam inspirationem, ut patet ex controversia S. Augustini cum Pelagio, a quo etiam postremæ confessio exigebatur. Unde Coelestinus I. ep. 1. ad Episcopos Galliæ de gratia ait (Labb. t. 2. p. 1615. E.): *Præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Conc. Senonense Decr. 15. (Labb. t. 14. p. 458. C.) de voluntate humana ait, eam *interiori quodam et occulto secretioris inspirationis afflatu contactam sese convertere in Deum.* Trid. Sess. 6. can. 3. definit, *sine præveniente Spiritus sancti inspiratione hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere non posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.*

258. *Obj.* Juxta Concilia laudata gratiæ excitantes fiunt a Deo *in homine*

sine homine: sed si essent actiones vitales physice ab homine productæ, hoc esset falsum ; ergo.

R. *D. min.* Hoc esset falsum in eo sensu, quo Concilia dicunt gratiam fieri sine homine *N.* in alio sensu a Conciliis non intento *C.* Particula *sine nobis* vel homine, potest excludere triplicem hominis cooperationem, nempe meritoriam, liberam, et physicam. Jam vero 1°. certum est ex mente Conciliorum contra Pelagianos, gratias primo excitantes et prævenientes fieri sine cooperatione hominis *meritoria,* et etiam libera seu propria sui ipsius ex propriis viribus determinatione. 2°. Certum etiam est, *multa fieri in homine,* ut ait Arausicanum, *quæ non facit homo* nequidem *physice;* qualia sunt gratia sanctificans, habitus virtutum per se infusi, aliaque id generis dona. Sed et 3°. certum est, multa dici fieri sine homine, quæ tamen ipse homo *physice* producit; sic enim Apostolus ad Rom. 7. 20. loquens de motibus concupiscentiæ indeliberatis ait : *Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.* Et Christus de responsionibus datis vel dandis ab Apostolis in confessione fidei Matth. 10. v. 20. *Non vos estis,* inquit, *qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Porro a Conciliis et Patribus excludi tantum operationem hominis *meritoriam* ac *liberam,* non vero physicam in gratiis excitantibus, patet ex *scopo,* qui erat, declarare hominem per suas naturales operationes non mereri vitam æternam aut primam gratiam, neque initium salutis in hominem, sed in solum Deum esse reducendum; quod utrumque, etiam admissa operatione hominis *physica* tantum, salvum et verum manet.

Inst. 1. Si gratia excitans esset actio a nobis et Deo physice producta, sequeretur primo, male dixisse Prophetam : *Auxilium meum a Domino,* secundo, initium salutis non esse a solo Deo, sed etiam ab homine, contra Conc. Araus. II. can. 25.

R. *N.* 1am. *seq.* Tum quia auxilium, *ut auxilium,* est a solo Deo; licet, ut actus vitalis est, sit etiam ab homine : tum quia a solo Deo est *moraliter,* libere et determinative, quamvis physice et materialiter sit ab homine. In illis autem, quæ Deus in nobis facit, nobis non libere sed *necessario* concurrentibus, proprie loquendo nos non dicimur agere et esse causæ, sed agi et esse instrumenta ; unde Dei misericordiæ soli tribuuntur, et nulla in nobismetipsis gloriatio esse potest. 2am. *seq. N.* similiter. Nam initium salutis *radicaliter* et simpliciter primum est sola Dei voluntas, a qua auxilium procedit : *formaliter* autem et cum addito primum, seu initium salutis nobis intrinsecum est gratia actualis interna, quæ a solo Deo libere et determinative procedit.

Inst. 2. Saltem gratia excitans non constituitur partialiter per *piam affectionem* voluntatis. Nam posita illustratione intellectus ex natura rei sequitur excitatio et motio voluntatis; tum quia ex propositione objecti necessario resultat aliquis motus in voluntate : tum quia objectum non aliter agit in voluntatem, quam per speciem intellectui immissam, unde sola immutatio intellectus sufficit ad movendam voluntatem.

R. *D. A.* Sequitur ex natura rei motio voluntatis supernaturalis *N.* naturalis *subd.* aliquoties, si nempe vividissime proponitur bonum vel malum *C.* semper et necessario *N.* Nempe sicut supernaturalis illuminatio requiritur, ut sanetur ignorantia intellectus nostri circa salutaria caligantis, ita requi-

ritur supernaturalis inspiratio, ut sanetur infirmitas voluntatis. Unde S. Aug. L. 1. ad Simplic. Quæst. 2. n. 21. quærit : *Quis animo amplectitur aliquid quod eum non delectat? aut quis habet in potestate, ut vel occurrat quod eum delectare possit ; vel delectet cum occurrerit? cum ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei.* Ex his responsio liquet ad rationem *primam : secunda* vero nihil aliud probat, quam objectum non agere nisi mediante cognitione. Quod vel semper moveat, aut etiam motionem supernaturalem inferat, minime demonstrat.

Inst. 3. Si *pia affectio* partialiter constituat gratiam excitantem; ergo excitatio voluntatis vel est eadem cum excitatione intellectus, vel gratia moraliter nova et distincta ab illustratione : non primum; quia Pelagius illustrationem admittens hoc ipso etiam admisisset *gratiam inspirationis,* quod falsum est ex dictis; et ubicumque esset illustratio intellectus, haberetur etiam motio voluntatis, quod falsum probat experientia : non secundum; quia hoc et sine fundamento, et contra communem tum Patrum, tum Theologorum asseritur; ergo.

R. *N.* Fundamentum pro hac veritate præbent argumenta num. 257. allata, et separabilitas illustrationis ab inspiratione, de qua testatur S. Aug. in Ps. 118. conc. 8. n. 4. *Sæpe quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat ut agamus... Prævolat intellectus, et tarde sequitur, et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus.* Adde locum ad Simplic. proxime recitatum, et L. 2. de pecc. mer. c. 17. et 19. Quod de *communi sententia* adjectum est, scribit alius, se quæsivisse eam, sed nondum reperisse. Certe S. Th. eam negat ubicumque, ubi docet affectum ad beatitudinem in communi esse necessarium *quoad speciem.*

259. *Dico II.* Sancta cogitatio et pia affectio ejusmodi sunt actus *indeliberati,* hoc est, vitaliter quidem et physice, non autem libere a nobis producti, et entitative *supernaturales.*

Prob. 1ª. *p.* Ili actus a Trid. Sess. 6. c. 5. et 6. dicuntur gratia *præveniens* et *antecedens,* nostram scilicet liberam operationem : dicuntur ab Araus. II. Can. 20. *fieri in homine,* sed *non ab homine,* nempe humano modo ac libere : dicuntur ab Aug. L. de Corr. et Gr. *fieri sine nobis,* similiter libere operantibus; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Gratia excitans, quæ a Conciliis et Patribus requiritur indiscriminatim ad actus salutares, vocatur *illuminatio Spiritus sancti : inspiratio, infusio et operatio* ejusdem : *vocatio alta, secreta, occulta, et profundæ ordinationis* : gratia, quæ a Deo *diffunditur in cordibus nostris,* quæ sit *in nobis sine nobis,* quam Deus *solus operatur* in homine; ut patet ex Conciliis adhuc laudatis et S. Aug. Sed hæc prædicata non conveniunt actui *entitative naturali,* ut per se patet, et adversarii cum suis sequacibus concedunt respectu actuum salutarium virtutis infusæ; ergo.

Conf. Natura de se insufficiens elevatur per gratias excitantes, et potens fit ad *actus salutares* efficiendos; ut patet tum ex ratione, cur dentur a Deo hæ gratiæ : tum ex controversia S. Augustini cum *Pelagio* : tum ex natura ordinis, qui intercedit inter actum excitantem et ab excitatione provenientem. Atqui per actus seu gratias entitative naturales natura id obtinere nequit; ergo.

260. *Obj.* Vocatio ad actus salutares sæpe est *entitative naturalis,* ut præter experientiam propriam docet S. Aug., qui L. 83. QQ. q. 68. n. 5. cognitionem naturalem, quam habebat *Pharao* de beneficiis a Josepho præstitis, nominat vocationem, qua Deus illum excitabat ad misericordiam Israelitis exhibendam; L. de Sp. et lit. c. 34. dicit Deum *facere, ut velimus, exhortationibus et visorum suasionibus;* Epist. 130. (al. 144. n. 2.) refert, quod sermonibus Xenocratis quidam gentilis, *Polemo,* fuerit a vitiis revocatus; cui concinit S. Prosp. L. contr. Collatorem c. 14. (al. 7. n. 2.) docens, Deum trahere homines *contemplatione elementorum et rerum gestarum cognitione.* Quin S. Aug. L. de don. persev. c. 14. n. 35. addit, *habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.*

R. 1°. Illæ cogitationes nonnunquam sunt *incongruæ,* ut in Pharaone accidit : nonnunquam sunt mere *speculativæ,* quales sunt contemplationes elementorum etc.; quæ quidem cognitiones juxta adversarios non sunt gratia Dei specialis; ergo inefficaciter ex allatis arguitur.

R. 2°. Non negamus, quod cogitatio naturalis congrua, et beneficia etiam externa sint aliqua Dei gratia in *sensu latiore;* id vero inficiamur, quod hæc gratia sufficiat ad actus salutares, nisi illis accedat gratia interior alia, et quidem supernaturalis ac proprie dicta. Vel ergo in prædictis casibus dabatur hominibus illis potestas ad actus salutares, vel non : si secundum; nihil probant contra nos, licet gratia fuerit naturalis : si primum; debuit illis conferri occultior aliqua et supernaturalis gratia.

Inst. 1. Non potest fieri actus honestus sine gratia theologica : sed potest fieri sine gratia entitative supernaturali; ergo gratia theologica non debet esse entitative supernaturalis. *Maj. prob.* Joann. 15. 5. dicitur : *Sine me nihil potestis facere.* Et 2. ad Cor. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Item S. August. de adjutorio Spiritus sancti loquens, serm. 13. de verb. Ap. (al. serm. 156. c. 11. n. 12.), *Prorsus,* inquit, *si defuerit, nihil boni agere poteris.*

R. Textus illos agere de actibus non tantum honestis, sed etiam *salutaribus,* atque hinc intrinsece supernaturalibus : sed præter hos dantur actus honesti alii, nihil conferentes ad salutem.

Inst. 2. Conc. Araus. II. Can. 22. definit : *Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum.* Et S. Aug. cont. duas ep. Pelag. ad Bonif. c. 8. ac L. de Sp. et lit. c. 3. scribit : *Liberum arbitrium nihil nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.*

R. Utramque propositionem in sensu Concilii et S. Augustini esse verissimam, quamvis in sensu *Baii* et *Quesnelli* fuerit damnata; eo quod ille vellet esse peccatum, quidquid sine charitate fieret : hic autem sine gratia efficaci dari potestatem recte operandi negaret. Sensus vero Concilii erat : *Nemo habet de suo,* h. e. sibi soli vel potissimum sibi tribuere non potest, nisi *mendacium et peccatum;* quia cætera bona sunt et Deo potissimum tribuenda, qui hominem gratia sua vel naturali vel supernaturali excitat et adjuvat, ut operetur honeste.

Sensus autem S. Aug. potest esse triplex. *Primus,* modo explicatus : *Secundus,* liberum arbitrium nihil valet ad salutare quidpiam, sed tantum ad

malum; quæ propositio, quamvis absolute sumpta concedi non debeat cum possint dari alia opera, scilicet naturaliter honesta; tamen in substrata materia manet vera, cum de operibus naturaliter honestis nulla S. Augustino disputatio erat cum Pelagio, sed tantum de necessitate gratiæ ad salutem, ubi hic asserebat liberum arbitrium sibi sufficere ad salutem, ille negabat; contendens etiam id mere sufficere ad peccandum et amittendam salutem; atque hinc tota comparatio inter hæc duo extrema, *peccatum* et *actum salutarem,* versabatur: *Tertius,* sensus est *moralis;* ut enim de crudeli dici solet, eum nihil præter sanguinem cogitare; de avaro, eum nihil scire, aut quærere præter pecuniam et bona terrena: sic *Pelagio* plus justo potestatem liberi arbitrii ad opera salutaria exaggeranti S. Aug. merito opponit, liberum arbitrium ex se nihil posse, nisi peccare; qua loquendi formula non negatur, quod alia simpliciter possit; sed quod homo sibi relictus *vix* possit aliud, quam peccatum.

Inst. 3. Pro actibus honestis naturalibus et *oramus* et *gratias agimus,* maxime pro actu aliquo heroico, vel victoria gravis tentationis.

R. *Oratio* æque ac *gratiarum actio* fieri omnino potest etiam pro beneficiis quibuscumque ac mere naturalibus. Quod actus *heroicos* attinet, illi propter difficultatem et victoriam tentationum aliquando salutariter fiunt, et tunc requiritur gratia theologica: nonnunquam fiunt ex vanitate, vel per actum vitii oppositi: subinde fieri poterunt per actum naturalem honestum, si difficultas nec magna sit, nec diuturna.

Inst. 4. Omnes actus intellectus et voluntatis entitative supernaturales saltem in homine justo procedunt ab aliqua *virtute infusa:* sed nulla est assignabilis, a qua actus illi indeliberati proveniant; ergo.

R. *N. m. Illustrationes* enim referri possunt ad dona Spiritus sancti; inter quæ *donum intellectus* specialiter dirigit nostrum intellectum, ut supernaturalia mysteria credat, vel amanda convenienter apprehendat: donum *scientiæ* et *sapientiæ* æstimationem de propositis odio vel amore dignis suppeditat: *donum consilii* præstat de illis judicium practicum et infert. *Piæ affectiones* similiter revocantur ad virtutes infusas voluntati proprias; nempe vel ad *spem,* si sint desideria imperfecta salutis: vel ad *charitatem,* si sint imperfecta affectio ad Deum ipsum vel bonum divinum: vel ad alias *virtutes morales,* ad quarum vel proprias rationes formales afficiunt, vel exercitium inclinant voluntatem.

QUÆRES: *In quibusnam actibus intellectus et voluntatis consistat gratia excitans?*

261. R. I. Illustratio intellectus habetur maxime per *judicium*; imo haberi potest per *apprehensionem suasivam.*

Prob. 1ª. *p.* Quod vel nullus actu intellectus, vel maxime judicium excitare intellectum et movere voluntatem queat, patet 1°. ex naturalibus, ubi judicium præcipue dirigit voluntatem: 2°. ex Patribus et Conciliis, qui excitationem explicant per cognitiones, revelationes, suasiones, exhortationes etc., quæ maxime fiunt per judicia.

Prob. 2.ª *p.* Hoc enim non repugnat ex prædicato *supernaturalitatis;* quia ejusmodi apprehensio potest esse naturæ omnino indebita, et per se condu-

cere ad salutem : neque ex prædicato *excitationis;* quia vel mediate vel immediate potest allicere intellectum, præsertim si admittatur apprehensio *suasiva,* h. e. talis, quæ proponit convenientiam objecti, licet nihil de eo determinet judicio absoluto.

262. R. II. Inspiratio plerumque est *affectio simplex* et indeliberata; potest tamen actus etiam deliberatus et efficax voluntatis esse gratia excitans ad alios actus salutares.

Prob. 1ª. *p.* Gratia excitans fit a Deo in nobis sine nobis, ut moveamur ad salutariter operandum. *Primum* autem potissimum pertinet ad affectionem simplicem et indeliberatam : *secundum* porro eidem etiam convenit; cum pia affectio plurimum juvet ad salutariter deliberandum et decernendum; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Ex dictis num. 253. Quibus accedunt, quæ S. Aug. scribit L. de Gr. et lib. arb. c. 16. *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum est nos velle, cum volumus; sed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum est...., Deus est qui operatur in nobis et velle. Certum est nos facere, cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Nempe si præcipitur aliquid difficile, v. g. martyrium pati, a Deo petendum est, ut velimus pati mortem, vel ita pati, ut reipsa ea volitio patiendi sit efficax; ergo volitio efficax et efficacissima ac deliberata juxta S. Aug. est gratia ad ponendos alios actus salutares.

Similia habet c. 17. n. 33. de volitione indeliberata, quam *voluntatem parvam et invalidam* vocat; et de deliberata, quam dicit *majorem et robustam.* Quod porro actus *deliberatus* non sit sine nobis, impedit quidem, quominus sit gratia *primo* excitans, non autem excitans simpliciter; cum sit donum Dei, et plurimum moveat ad alios actus salutares.

263. R. III. Non omnis inspiratio vel gratia voluntatis semper est formaliter *amor,* multo minus *charitas* proprie dicta. Est contra Jansenii discipulos.

Prob. 1ª. *p.* Timor et odium sæpe sunt gratia voluntatis, ut patet ex Trid. Sess. 24. c. 4. Sed ista non sunt formaliter amor; tum quia nomine amoris intelligitur inclinatio et propensio versus aliquod objectum; nomine autem timoris venit fuga et aversio ab objecto : tum quia nec formaliter sunt concupiscentia, nec charitas, cum juxta idem Trid. procedant a gratia et Spiritu sancto nondum inhabitante, sed movente; ergo.

Conf. S. Th. 1. 2. q. 25. a. 2. et q. 26. a. 1. ad 2., cum retulisset ex S. Aug. L. 14. de Civ. c. 7. n. 2. hæc verba : *Amor inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque, si acciderit, sentiens, tristitia est;* ait illa esse exponenda non formaliter ac essentialiter, sed causaliter; quod ipsum 2. 2. q. 17. a. 8. et q. 19. a. 9. alibique repetit, asserens, omnes animi motiones ab amore pendere, eique esse relativas ac subordinatas. Unde ab adversariis actus voluntatis *adversantis* male dicitur amor objecti cum cognitione alterius objecti, quod primo contrarium est, quia quamvis ex his profluat actus

voluntatis adversantis, atque hinc illa possint dici causa : tamen nequeunt dici ipsa natura hujus actus; cum, posito illo amore et posita etiam cognitione contrarietatis, necdum intelligatur *formaliter*; neque etiam sæpe habeatur odium vel aversio voluntatis.

Prob. 2ª. *p.* Eodem argumento de *timore* et *odio*, quo probata est prior pars; et urgeri potest in aliis actibus, *fidei* scilicet, *spei*, aliisque, quibus peccatores ad justificationem juxta Trid. Sess. 6. c. 6. disponuntur; de his enim constat, eos non esse formaliter charitatem, cum præcedant initium dilectionis Dei.

Conf. Si gratia nihil aliud esset, quam *charitas* proprie dicta, aut ejus inspiratio, nullum Christianæ pietatis opus posset fieri sine charitate; cum ad opera veræ et Christianæ pietatis gratia sit necessaria. Atqui hæc sequela tanquam sæpius in *Quesnello* aliisque damnata admitti nequit, ut etiam probabitur; ergo. Sed de his, una et objectionibus alibi uberius.

264. *Observa.* Probabilius videtur asserendus *moralis* duntaxat *influxus* gratiæ excitantis.

Prob. Tum quia huic favent Concilia et Patres, qui gratiam excitantem explicant per vocationem, suasionem, tractionem eamque *moralem*, quam S. Aug. paritate *ovis* ramo viridi ostenso tractæ proponit : tum quia actus vitalis supernaturalis, qualis ex dictis est gratia excitans, non influit physice in alios actus vitales, sic ut nec hoc respectu actuum naturalium ex communiore in Philosophia admittitur : tum quia nec merita aut sanguis Christi, nec Sacramenta, aliaque similia in Theologicis ex communi systemate conceduntur præstare effectum suum *physice*, qui iis in Scriptura et Conciliis tribuitur.

ARTICULUS III.

QUÆNAM SIT NATURA GRATIÆ ADJUVANTIS?

265. *Nota.* Consentiunt Theologi quod in omni actu salutari interveniant principium supernaturale, omnipotentia Dei, et realis actio, qua actus salutaris ab omnibus suis principiis activis indivisibiliter pendet. Gratia *adjuvans* recte dicitur consistere in actione, qua Deus ut specialis gratiæ auctor actum salutarem nobiscum libere operantibus physice producit; unde et in Scriptura *noster adjutor* dicitur. Gratia *præveniens* sumpta *inadæquate*, prout præcise et formaliter excitat et allicit hominem per sanctas cognitiones et pias affectiones, est distincta a gratia adjuvante : cum illa sæpe, hæc vero nunquam sit sine actuali hominis cooperatione, et teste Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 5. n. 6. *Nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur.* De sumpta *adæquate*, prout complectitur totum actum primum ad salutariter operandum, hic quæritur 1°. an distinguatur entitative a gratia adjuvante? 2°. an gratia adjuvans et cooperans qua talis possit esse præveniens? 3°. quid sit gratia adjuvans in homine justo, quid in peccatore aut infideli?

266. *Dico I.* Gratia adjuvans entitative non distinguitur a gratia excitante adæquate et principiative sumpta.

Prob. I. Ex Scriptura. Apost. 1. ad Cor. 15. v. 10. ait : *Gratia ejus* (Dei) *in*

me vacua non fuit, sed abundantius... omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum. 2. ad Cor. 6. v. 1. *Exhortamur*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* In his autem textibus loqui Apostolum de *gratia adjuvante* certum est; non loqui autem de gratia distincta ab excitante, ostenditur : Loquitur de gratia, quæ semel recepta potest reddi vacua ab operatione; ideo enim gloriatur in Domino, quod illam gratiam non receperit in vacuum, et hortatur alios, ne illam in vacuum recipiant : quæ duo frustranea essent, si illa gratia semel recepta non posset esse vacua. Sed hoc unice convenit *gratiæ excitanti* seu constituenti actum primum; cum juxta adversarios gratia post actum primum præveniens et *prædeterminans* actum secundum semel habita vacua esse nequeat; ergo.

II. Trid. Sess. 6. c. 5. dicit, homines *per excitantem et adjuvantem gratiam, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando* disponi ad justificationem; ergo ex Tridentino eadem est gratia excitans et adjuvans; quia si distinctæ forent, non diceret : *eidem gratiæ*; sed gratiis iisdem.

III. S. Aug. serm. 13. de verb. Apost. (al. serm. 156. c. 11. n. 11.) inquit : *Spiritus Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi.* Spiritus autem agens est gratia excitans, et Spiritus adjutor gratia adjuvans; ergo. Et L. de Gr. et lib. arb. c. 16. *Ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati :* sed gratia præbens vires est gratia excitans, actum primum constituens : gratia faciens, ut faciamus, est gratia adjuvans; ergo.

Conf. Virtus efficiens in actu secundo actum *naturalem*, est illa ipsa virtus, quæ constituebat potestatem actus primi; ergo virtus in actu secundo efficiens actum *supernaturalem*, est etiam illa ipsa, quæ constituebat potestatem actus primi.

267. *Dico II.* Gratia adjuvans et cooperans *qua talis* non potest esse gratia præveniens nostram operationem.

Prob. SS. Patres, explicantes munus et officium gratiæ adjuvantis, tribuunt illi prædicata, quæ significant simplicem comitantiam, quæque supponunt gratiam ut excitantem prævenire : S. Aug. in Enchir. c. 32. sic loquitur : *Restat ut propterea recte dictum intelligatur : Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam et adjuvat præparatam... Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur* (scilicet negative, h. e. non antecedendo), *ne frustra velit.* Similia refert L. de Gr. et lib. arb. c. 16. et c. 32.

Dixi : *Præveniens operationem nostram :* Nam 1°. gratia etiam ut adjuvans prævenit merita *naturæ;* qui communis est sensus SS. Patrum contra Pelagianos de necessitate gratiæ prævenientis agentium : 2°. prævenit nostram *justificationem;* quia ad eam disponit.

268. *Dico III.* In homine *justo*, gratia præveniente ad actus supernaturales excitato, gratia adjuvans physice est habitus virtutis supernaturalis per se infusæ, influens in effectum seu actum salutarem.

Prob. Ejusmodi habitus habet se ad instar naturæ respectu actuum supernaturalium : sicut ergo naturalis agendi vis est principium actionis naturalis, sic etiam habitus supernaturalis est principium actionis supernaturalis.

Nec obstat, quod habitus sint aliquid *permanens*, gratia autem adjuvans juxta Concilia et Patres non sit auxilium permanens. Nam quamvis habitus supernaturales *quoad se* spectati sint complementum stabile, dans animæ simpliciter posse, h. e. facultatem et virtutem supernaturaliter operandi tunc, quando ipsa congrue excitata decernit supernaturaliter operari : tamen spectati *quoad actualem influxum*, et prout connotant speciale decretum ac concursum Dei in ordine supernaturali specialem, non sunt aliquid permanens, sed quid transiens dici possunt.

269. *Dico IV.* In homine *habitibus supernaturalibus carente* principium gratiæ adjuvantis est Deus ipse, vel Spiritus sanctus specialiter assistens, et defectum alterius principii intrinseci in genere causæ efficientis per se immediate supplens.

Prob. Hic modus juvandi potentiam naturalem ex se insufficientem *imprimis* est possibilis; ut patet ex dictis de visione beatifica et intuitiva Dei : deinde est necessarius ; cum enim hic assignandum sit aliquod principium supernaturale physice activum ; neque intrinsecum ullum reperiatur, ad Deum recurrendum est : denique non est contra ordinariam Dei providentiam, sed eidem potius maxime consentaneus ; quia ad Deum tanquam *causam universalem* et *primam* in quolibet ordine spectat supplere defectum causarum secundarum, si ipsis desit virtus intrinseca ad connaturaliter operandum, et maxime si nondum sunt capaces hujus virtutis, sed ad illam per operationes alias minus perfectas tendunt ; ut in nostro casu contingit.

Nec dicas 1°. Dei potentia non potest supplere defectum piæ illustrationis et inspirationis ; ergo nec defectum habituum supernaturalium. 2°. Ad providentiam Dei pertinet dare causis secundis virtutem intrinsecam, qua operentur ; ergo.

Ad 1um. R. *Disparitas* est : Cum gratia excitans formaliter consistat in cogitatione et affectione voluntatis vitali, in hac ratione seu genere *causæ formalis* suppleri a Deo nequit ; quia vero gratia adjuvans principium præcise *physice effectivum* actus supernaturalis est, et hic intelligitur ; Deus potest supplere hanc causalitatem physice effectivam habituum, utpote quæ illi conveniens, imo divinæ ejus omnipotentiæ propria est.

Ad 2um. R. Antecedens verissimum esse 1°. in actionibus naturalibus, 2°. etiam in supernaturalibus tunc quando homo in statu supernaturali *perfecto*, scilicet gratiæ justificantis, est et operatur ; non item, quando est in statu imperfecto aut non justitiæ, aut etiam injustitiæ.

270. *Observa.* Adjutorium gratiæ adjuvantis non est *tota ratio* agendi ; sed voluntas per illud elevata etiam cum illo concurrit tanquam concausa ad actus salutares liberos.

Patet ex Script. 1. ad Cor. c. 15. v. 10. *Abundantius*, inquit, *omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Sed si Paulus ipse non esset operatus cum gratia adjuvante, dicere nequivisset, non ego, scilicet solus, nec gratia sola, sed gratia mecum.

Ex Trid. Sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti...,*

sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merêque passive se habere: anathema sit. Hoc ipso vero non physicum duntaxat, sed et liberum voluntatis influxum stabiliri, satis intelligitur ex Sectariorum sensu alibi declarato.

Ex S. Aug. qui serm. 13. de verb. Apost. (al. 156. c. 11. n. 11.) jam aliquoties cit. sic ait : *Dicit mihi aliquis : Ergo agimur, non agimus. Respondeo : Imo et agis, et ageris ; et tunc bene agis, si a bono agaris : Spiritus enim Dei qui te agit, agenti adjutor est tibi. Ipsum nomen adjutoris præscribit tibi, quia et tu ipse aliquid agis*, etc. Videlicet actui nostro salutari non minus essentiale est esse entitative *vitalem* ac *liberum*, quam esse entitative *supernaturalem*; ergo sicut entitativam supernaturalitatem non potest accipere proprie ab anima, quamvis congrue excitata, sed a gratia eam adjuvante; sic entitativam etiam vitalitatem et libertatem non potest accipere a gratia adjuvante, quæ non est principium vitale, sed a potentia vitali animæ per gratiam elevata, illiusque libera tendentia.

ARTICULUS IV.

QUODNAM SIT DISCRIMEN INTER GRATIAM NATURÆ INTEGRÆ ET NATURÆ LAPSÆ?

271. *Dico I.* Differentia utriusque gratiæ præcipue nititur doctrina S. Aug., quam proposuit libro de Correptione et gratia.

Cum enim S. Doctor ante exarationem hujus libri defendisset, liberum arbitrium nec destrui prædicatione gratiæ, nec e contrario gratiam prædicatione liberi arbitrii, quamvis inculcaret, quidquid per gratiam et liberum arbitrium fieret, id non homini, sed Deo simpliciter adscribendum, juxta illud : *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei*; Monachus quidam Adrumetinus novam difficultatem movit asseruitque, ex prædicatione talis gratiæ, cujus dono et bona opera, et perseverantiam accipimus, sequi, quod nemo corripi debeat, si mandata non observet; sed orandum esset duntaxat, ut, quod faciendum Deus præcipit, id homini, ut faciat, divino munere largiatur.

Hanc difficultatem ut solveret, scripsit Augustinus memoratum librum, cujus scopus est ostendere, et Deum per gratiam nobis donare opera bona et perseverantiam, et tamen recte *corripi* eos, qui nec bene operantur, nec perseverant; atque hinc et fidem de gratiæ dono, et *orationem* et *correptionem* retinenda esse tanquam amica, quæ Monachus ille repugnare invicem arbitrabatur. Porro in hujus argumenti pertractatione multa tum de gratiæ auxilio, tum de dono perseverantiæ comparate jam ad naturam *integram*, jam ad naturam *lapsam* profert, unde discrimen inter utriusque naturæ gratias statuatur. Præcipuas in hanc rem propositiones ex libri hujus c. 11. et 12. excerptas subjicimus.

Propositio I. Gratiæ adjutorium etiam naturæ integræ necessarium erat. Sic enim S. Aug. c. 11. n. 31. *Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et post n. 32. : *Tunc dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet.*

Conf. Ex constanti S. Doctoris doctrina de necessitate gratiæ, pro qua

sufficiat textus ex L. de Nat. et Gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.*

Propositio II. Gratia naturæ integræ erat alia, ac naturæ lapsæ. Sic Aug. c. 11. n. 29. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam, sed disparem.... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti* (sancti in hac vita) *cum dicunt* etc.

Propositio III. Gratia naturæ lapsæ est potentior et major, quam illa integræ. Sic S. Aug. c. 11. n. 30. *Proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti.* Item n. 31.: *Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam... Nec illa quidem parva erat.... Hæc autem tanto major est* etc.

Propositio IV. Gratia naturæ integræ præstabat potentiam faciendi bonum et perseverandi: illa autem naturæ lapsæ etiam ipsum velle et perseverare.

Sic Aug. c. 11. n. 31. *Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat,* etc. Item n. 32. *Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus; verum etiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque.... acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset.*

Propositio V. Gratia in natura integra erat penes et per liberum arbitrium: in lapsa autem per donum gratiæ.

Sic Aug. c. 11. n. 31. *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus: sed sane habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio.*

Propositio VI. Gratiæ pro utraque natura notio et officium intelligenda sunt ex duplici adjutorio, *sine quo non*, et *quo*; de quibus S. Aug. c. 12. n. 34. ita scribit: *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit; et aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere; nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At vero beatitudo quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus.... Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Atque ex his propositionibus satis apparet, sermonem hic esse de duplici gratia, *actionis* et *perseverantiæ;* imo ad hanc ibidem omnia referri.

272. *Dico II.* Ex Hæreticorum erroribus et Theologorum opinionibus variæ sententiarum classes circa discrimen gratiæ pro utraque natura emergunt, quarum præcipuas hic recensemus.

1ª. *Classis* est eorum, qui desumunt discrimen ab *entitate* gratiæ. Juxta hos Adamo ad bene agendum et perseverandum nulla alia opus erat gratia, quam habituali; et hinc in statu naturæ integræ nulla præveniens gratia nequidem illustrationis, seu pro intellectu, necessaria fuit.

2ª. Est eorum, qui discrimen repetunt a *viribus* gratiæ. Ad horum numerum pertinent 1°. *Lutherus* et *Calvinus,* juxta quos gratia sanitatis erat talis, cui voluntas innocens et sana posset assentiri vel resistere : medicinalis autem erat ejusmodi, quæ infirmam hominis lapsi voluntatem necessitet; ut ex L. de serv. arb. et L. 2. Instit. c. 5. liquet. 2°. *Jansenius* cum plerisque sequacibus, qui L. de Gr. primi hom. c. 14. alibique adjutorium *sine quo non* dicit esse quamcumque gratiam etiam voluntatis, cui homo ex indifferentia arbitrii posset assentire vel dissentire; unde colligitur adjutorium *quo* esse gratiam, cui voluntas non potest dissentire potentia saltem relativa. Præterea L. 2. de Gr. Chr. c. 1. 4. 17. et alibi sæpius docet gratiam libero arbitrio permissam, seu adjutorium *sine quo non,* datam fuisse Adamo innocenti et angelis ; nunc autem homini lapso ita necessarium esse adjutorium *quo,* ut sine illo nullum bonum velle possit et operari.

3ª. Est eorum, qui discrimen accersunt a *necessitate gratiæ efficacis.* Hi enim asserta gratia tum intellectus, tum voluntatis utrique naturæ necessaria, statuunt præter gratiam sufficientem in natura integra non fuisse necessitatem gratiæ efficacis, quam tamen pro statu naturæ lapsæ assignant.

4ª. Est eorum, qui *prædeterminationem physicam* pro utroque statu requirunt ex Dei in creaturas dominio et causæ primæ ratione. Inter hos alii discrimen in sola gratia sufficiente collocant, quam in statu innocentiæ sola illustratione, in statu præsenti illustratione simul et affectione perfectam existimant : alii a prædeterminatione derivant, quam nunc magis virtuosam, ac tunc fuerat, esse censent.

5ª. Est eorum, qui gratiam *extrinsece* duntaxat *efficacem* vel congruam admittunt. Horum plerique in hoc conveniunt : ad primum actum bonum, quo *Angeli* et *Adam* dicuntur se disposuisse ad gratiam sanctificantem, necessariam fuisse gratiam intellectus una et voluntatis, sicut eadem gratia requiritur nunc pro nobis ad actus salutares : verum ubi natura innocens jam evecta erat ad esse supernaturale per gratiam habitualem, ad reliquos actus salutares non indiguisse *Adamum* et *Angelos* gratia præveniente alia, quam gratia intellectus seu illustratione, eaque sive efficaci sive inefficaci ; adeoque discrimen in eo versari, quod homo in natura integra potuerit recte operari præcedente sola mentis illustratione : in natura autem lapsa non possit, nisi accedente etiam gratia voluntatem præveniente et movente.

ARTICULUS V.

QUID SIT ADJUTORIUM QUO, ET SINE QUO NON, AD MENTEM S. AUGUSTINI?

273. *Nota I.* Adjutorium quo, et sine quo non, ejusque discrimen *Jansenius* vocat *clavim* in scripta S. AUGUSTINI, *filum* in labyrintho ejus scriptorum, *fundamentum* et *basin* doctrinæ de gratia, quam S. AUG. non prius, quam in fine vitæ luculentissime declaraverit. Verum *gratis* omnino hæc asserit Jansenius, cum S. AUGUSTINUS hanc distinctionem semel tantum, et post devictos jam Pelagianos, paucis verbis, ac velut obiter strictimque tradiderit; nec sine *injuria* tum S. AUGUSTINI, ac si is 20. annis pro vera gratiæ et libertatis intelligentia contra Pelagianos disputans vel stolide ac ignoranter, vel invide aut parum prudenter se gessisset: tum sanctorum Pontificum INNOCENTII et ZOSIMI, nec non omnium Catholicorum, quod illi quæstiones de gratia definierint, et hi definitas susceperint ante scriptum de Corr. et grat. librum, ignorantes unicam vere doctrinæ *clavem, filum* et *basin*: tum sanctorum Patrum et Theologorum ante Calvinum, ejusque plagiarium Jansenium, utpote in quorum scriptis nihil occurrat de *adjutorio quo,* pro gratia necessitante accepto.

274. *Nota II.* Inter Theologos etiam orthodoxos non satis convenit, quid nomine utriusque adjutorii intellexerit S. AUGUSTINUS. Alii per adjutorium *sine quo* unice intellectam volunt gratiam habitualem: alii solam gratiam intellectus: alii gratiam versatilem voluntatis: alii demum habitualem gratiam, et simul cœlestem intellectus illustrationem. Circa adjutorium *quo* plerique existimant, illud exponendum esse de actuali gratia efficaci, qua Deus ipsam perseverandi voluntatem in Sanctis infallibiliter operatur: alii de ipsamet formali perseverantia id intelligunt: alii utroque sensu illud accipiunt, tum pro dono, tum pro adjutorio speciali perseverantiæ, ac simul pro gratia vel congrua, vel ex se efficaci ad salutariter operandum infallibiliter. Certum autem, quod Catholicorum nemo aut hoc aut illud adstruat a S. AUG. assertum in sensu *Calvini* aut *Jansenii.*

275. *Nota III.* S. AUG. nomine adjutorii *quo,* et *sine quo non* præcipue expressit perseverantiam *theologice* sumptam, h. e. permanentiam in gratia sanctificante finalem, vel sine libera cooperatione hominis, e. g. in parvulis et aliis statim post justificationem morientibus, vel cum cooperatione, e. g. in angelis bonis, et jam in plerisque sanctis adultis. Hæc perseverantia *adæquate* sumpta, prout includit omnia ex parte causæ, mediorum et effectus, dicitque Dei providentiam et misericordiam erga prædestinatos specialem, qua illos rapit ex hac vita, dum sunt in gratia sanctificante, dici potest *gratia perseverantiæ.* Sumpta *inadæquate* dici potest vel *donum perseverantiæ,* si scilicet *passive* et *formaliter* spectetur pro statu gratiæ sanctificantis in illo instanti, quod cuilibet ultimum est vitæ: vel *adjutorium perseverantiæ,* si spectetur *active* et *causaliter* pro auxilio prævenientis gratiæ actualis, quod alicui datur ad perseverandum, h. e. ad conservandam vel recuperandam in ultimo vitæ instanti gratiam sanctificantem.

276. *Dico I.* S. Aug. per adjutorium *quo*, et *sine quo*, non intellexit gratias duntaxat actuales.

Prob. S. Aug. in L. de Corr. et grat. perpetuo loquitur de dono seu gratia perseverantiæ : hoc autem donum non est gratia duntaxat actualis, ut patet in parvulis et adultis prædestinatis, statim post justificationem, sæpe in somno, in delirio, aut casu quodam inopinato extinctis ; ergo.

Conf. Gratiæ actuales dantur in hac vita, dantur omnibus hominibus, et per liberum arbitrium iis consentitur : sed juxta S. Aug. per adjutorium *quo* fit, ut non per liberum arbitrium perseveretur, scilicet, *quo fit, et per quod nonnisi perseverantes sint*, ita ut perseverantia, si data sit, æque parum amitti possit, ac ipsa beatitudo ; datur nunc solis prædestinatis, ait enim : *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt*; datur, *cum venerit finis*; ergo. Ita L. de don. persev. c. 6.... L. de corr. et grat. c. 8. etc.

Quamvis autem in adultis donum perseverantiæ includat *gratias actuales*, tanquam media ad salutem necessaria, tamen in iis solis non consistit ; cum multi copiosissimis gratiis acceptis, vitaque diu sanctissime acta, in fine deficiant, quando alii post vitam diu flagitiose actam in fine resipiscunt. S. Aug. ibid.

277. *Dico II.* S. Aug. utriusque discrimen non statuit in eo, quod adjutorium *sine quo* tantum fuerit auxilium sufficiens pro statu naturæ integræ : adjutorium *quo* sit auxilium efficax solum pro natura lapsa.

Prob. S. Aug. discrimen generale posuit in eo, quod in statu naturæ integræ tantum fuerit adjutorium *sine quo*, in statu naturæ lapsæ adjutorium *quo* : sed per adjutorium *sine quo* nequit intelligi gratia tantum sufficiens, quod etiam datur in statu naturæ lapsæ ; nec per adjutorium *quo* gratia efficax, tum quia sancti angeli perseverarunt, utique per gratiam efficacem, quæ ibi habetur juxta S. Aug., ubi locus debetur dicto Apostoli : *Quis te discernit?* tum quia juxta eumdem Aug. Adam, si perseverasset, per eamdem gratiam perseverasset, per quam angeli ; Adam vero non perseverasset sine gratia adjuvante, juxta Araus. II. can. 19.; adjuvans autem gratia certe efficax est.

Conf. Auxilium efficax et sufficiens sunt ex omnium sententia gratiæ actuales : atqui ex dictis adjutorium *quo*, et *sine quo*, juxta S. Aug. vel plane non sunt, vel non sunt solæ gratiæ actuales ; ergo.

278. *Dico III.* S. Aug. quantum ad *auxilia actionis* per adjutorium *sine quo* pro statu naturæ integræ intellexit adjutorium intellectus cum gratia habituali : per adjutorium *quo* pro statu naturæ lapsæ adjutorium seu illustrationem intellectus, simul et gratiam inspirationis voluntatem afficientem.

Prob. 1°. S. Aug. ubi gratiam voluntatis exprimit, usurpat voces : *Spiritus charitatis, inspiratio dilectionis, bona voluntas, boni cupiditas, suavitas, delectatio, cordis voluptas* : at ubi loquitur de gratia Adami et angelorum, tantum adhibet nomina *luminis, lucis*, aliaque illustrationem exprimentia, L. de Nat. et Grat. c. 27.... L. 2. de Pecc. mer. c. 8.... L. de Gestis Pelag. c. 3. etc. ; ergo.

Conf. Talis juxta S. Aug. naturæ integræ fuit concessa gratia, cui conveniat, ut non per eam, sed per *liberum arbitrium* angeli operati sint, et per-

severarint; Adam vero potuerit operari et perseverare, ex 5ª prop. Aug.; ergo. Nam quod fit cum sola gratia intellectus, debet potius tribui libertati, quam gratiæ illi, quæ est voluntati extrinseca, nec influens in ejus actionem, nec robur addens.

Prob. 2º. Juxta S. Aug. in homine gratia habituali et illustratione divina instructo necessaria est gratia voluntatis ad vincendos *concupiscentiæ motus* a bono removentes : sed certum est, nullos fuisse in Adamo concupiscentiæ motus, aliave obstacula ; ergo.

Conf. Pelagiani solam admiserunt gratiam illustrationis ; et S. Aug. affirmat, verum fore dogma *Pelagianorum,* si natura non esset læsa, sed innocens ; L. de Nat. et Grat.; ergo.

279. *Obj.* S. Fulg. L. 2. ad Thrasim. c. 3. et S. Bern. in Cant. serm. 22. n. 6. dicunt, unam esse gratiam operatam in homine lapso, ut surgeret, et in angelo stante, ne caderet; ergo ex parte gratiæ ipsius nullum est discrimen. *Conf.* Juxta S. Aug. gratia medicinalis est *major et potentior,* quam gratia sanitatis; ergo discrimen tantum est quoad majus et minus, non vero quoad substantiam vel operationem.

R. *D. A.* Dicunt esse unam eamdem gratiam in genere, et spectando præcise rationem doni supernaturalis indebiti *C.* in specie, ac spectando rationes singulares *N.* Discrimen autem specificum intercedere debere patet ex supra dictis.

Ad Conf. N. vel *D. Cons.* Discrimen tantum est quoad majus vel minus intra idem genus *C.* intra eamdem speciem *N.* Conceditur sane ab omnibus specifica differentia inter gratiam intellectus et gratiam voluntatis, et tamen S. Aug. L. de Gr. Chr. c. 26. de iis sic scribit : *Est utrumque Dei donum; sed unum majus, alterum minus.*

Inst. 1. Angeli, qui perseverarunt, ampliori adjutorio fuerunt instructi, ut ait Aug. L. 12. de Civ. c. 9. n. 2. *Illi amplius adjuti, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt* : sed per hoc amplius adjutorium intelligi debet gratia voluntatis; ergo.

R. *D. M.* Amplius adjuti sunt adjutorio patriæ ac termini, seu ipsa beatitudine in præmium perseverantiæ concessa, qua pervenerunt ad plenitudinem beatitudinis seu certitudinem de perpetuitate *C.* adjutorio viæ seu auxilio actuali *subd.* ampliore adjutorio illustrationis vel in se, vel in ratione alterius *T.* ampliore adjutorio motionem voluntatis præstante ac subministrante illi vires *N.* Dixi : *Transeat;* quia reipsa loquitur hic S. Doctor de ipsa *perseverantia* seu *beatitudine,* non autem de adjutorio ad perseverandum; ut patet tum ex contextu, tum ex scopo, quem sibi proposuerat, quemque L. 11. de Genes. c. 17. et L. de Corr. et gr. c. 10. semel ac iterum proposita quæstione indicaverat.

Inst. 2. S. Aug. LL. de Civ. et de Corr. ac gr. passim tribuit angelis et Adamo gratiam, quæ *efficeret* velle, et *operaretur bonam voluntatem* : sed his etiam verbis indicat in natura lapsa gratiam voluntatis ; ergo.

R. *D. M.* Tribuit illis hanc gratiam ad primam voluntatem bonam seu actus primos, quibus se disposuerunt ad gratiam sanctificantem *C.* ad voluntatis bonæ continuationem et actus subsequentes *N.* De priori gratia S. Aug. loqui patet ex ipsius verbis L. 12. de Civ. c. 9. *Non* (est) *dubium,*

quod ab illo facta sit (bona voluntas) *a quo et ipsi* (facti sunt.....) *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærerent, creavit?*

Inst. 3. Idem L. 14. de Civ. c. 13. n. 1. hæc habet: *Si voluntas* (Adami) *in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret; non inde ad sibi placendum averteretur, et ex hoc intenebresceret et frigesceret.*

R. *similiter*. Verba enim hæc, quæ necessario in *Jansenii* etiam systemate emollienda sunt, nihil aliud exigunt, quam *intellectum* Adami fuisse illustratum, et *voluntatem* accensam ad amandum immutabile bonum, qui fuit primus actus et dispositio ad gratiam sanctificantem, quin etiam ad perseverandum in hoc amore, et sic ad actus *subsequentes* hic requiratur utraque gratia: quamvis enim hic Evæ credulitas serpentis sermoni præstita opponatur *illustrationi*, et Adami obsequentia erga uxorem *obedientiæ* erga Deum, tamen hæc oppositio non debet terminari immediate ad illustrationem et accensionem formaliter ac in se spectatam, sed mediate ac affective in amore scilicet primo sumptam: unde et alii textum explicant non de illustratione et accensione, quæ amorem Dei præcedat et ad illum provocet; sed de *amore ipso*, a quo primi parentes illustrabantur et accendebantur ad reliqua recte videnda et amanda.

Inst. 4. Si gratia voluntatis non fuisset data *naturæ integræ*, actus ejus boni non possent dici salutares; ergo.

R. *N. seq.* Et quidem quoad 1um., licet absit gratia voluntatem excitans, adest tamen gratia *adjuvans*, nempe habitus supernaturalis per modum principii influens in actum, cujus nomine etiam hic venit natura et liberum arbitrium, per quod angelos stetisse et Adam permanere potuisse sæpius jam dictum est. *Natura* enim, *libertas naturalis, et liberum arbitrium* hic non usurpantur ab Augustino in vulgari sensu et opposito ad omnem gratiam supernaturalem; sed pro *natura integra*, libertate ac libero arbitrio secundum statum primæ creationis donis supernaturalibus ornatum, et tantum opposite ad gratiam auxiliantem piæ affectionis. Hoc enim sensu Concilium Araus. II. can. 21. dixit *naturam per Adam esse perditam*; Aug. epist. 107. (al. 217. n. 11.): *Totam* (naturam) *in semetipso perdidit primus Adam;* et L. 1. Retr. c. 15. n. 6.: *Proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus.*

Inst. 5. Juxta S. Aug. gratia naturæ integræ tribuebat Adami voluntati *posse* seu potentiam agendi: sed gratia illustrationis non tribuit voluntati posse, cum in eam non influat; ergo. *Conf.* Homo justus in statu præsenti, quantumvis *nulla concupiscentia* pulsatus, sine piæ affectionis gratia non potest bene operari; ergo nec id potuit in statu priori.

R. *D. m.* Illustrationis gratia sola non tribuit voluntati posse *C.* conjuncta cum gratia habituali aliisque donis, quibus instructam diximus naturam integram *N.*

Ad Conf. N. Cons. Disparitas est 1°. quia in homine quamvis justificato remanet semper concupiscentia, quæ in actus etiam vehementiores prorumperet, nisi gratiæ prævenientis ope cohiberetur: ea vero non fuit in natura integra. 2°. In homine lapso voluntas vel ex peccato originali, vel aliunde habet difficultatem magnam ad bonum supernaturale, quæ superari debet

per prævenientem et confortantem gratiam : eam non habebat voluntas naturæ integræ recta a Deo creata.

Inst. 6. Quamvis in statu innocentiæ nulla esset *ignorantia* intellectus, tamen requirebatur illustrationis donum; ergo quamvis ibidem non fuerit *concupiscentiæ* motus, requirebatur donum inspirationis.

R. 1°. *D. supp. Ant.* Nulla erat in Adamo ignorantia habitualis *C.* actualis *subd.* beneficio gratiæ intellectus, singulis in occasionibus suggerentis, quid agendum foret *C.* seclusa hac gratia *N.*

R. 2°. *N. Cons. Disparitas* est 1. quia seclusa gratia intellectus, fuisset in Adamo *ignorantia actualis* rerum hic et nunc agendarum : seclusa autem gratia voluntatis actuali in eo non fuisset futura *concupiscentia actualis,* utpote quæ non est mera privatio cœlestis motionis, sicut similis ignorantia est mera privatio cognitionis, sed illi contrárie opponitur. 2. Gratia *illustrationis* requiritur essentialiter ad actum salutarem , cum aliter suppleri non possit : non ita requiritur gratia *inspirationis,* cum præsente illustratione liberum arbitrium sanum et se ipsum movere, et per principium habituum supernaturalium operari salutariter potuerit.

Inst. 7. Ad indeliberatam illustrationem intellectus necessario sequitur indeliberatus motus in voluntate; ergo vel neutra, vel utraque gratia etiam in natura integra est admittenda.

R. *D. A.* Sequitur indeliberatus in voluntate motus nunc et in præsenti statu *T.* in statu integritatis sequebatur *N.* Sicut in *naturalibus,* etiam ad malum nullus voluntatis motus prævertebat rationem in statu integritatis, sic non est fundamentum id asserendi de *supernaturalibus.* Præterea ejusmodi motus indeliberatus vera gratia voluntatis, eam scilicet adjuvans et corroborans, dici non posset.

280. *Dico IV.* Systema S. Aug. circa perseverantiam complectitur sub nomine adjutorii *quo,* et *sine quo non,* tam donum, quam adjutorium perseverantiæ.

Prob. S. Aug. ex dictis n. 276. perseverantiæ ejusmodi tribuit prædicata, quæ plerumque conveniunt *dono* perseverantiæ , et quandoque *adjutorio* perseverantiæ, juxta utriusque notionem ex n. 275.; ergo. Sane plura his adjutoriis c. 12. n. 35. 38. tribuit prædicata, quæ non conveniunt statui gratiæ sanctificantis cum ultimo vitæ termino conjunctæ; ut cum dicit : *Major libertas est necessaria adversus tot et tantas tentationes..... dono perseverantiæ munita..... Ille* (Adam) *et terrente nullo et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate.... isti autem, non dico terrente mundo, sed sœviente ne starent, steterunt in fide..... Ac per hoc nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari : qui eis non solum dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare si velint; sed in eis etiam operatur et velle : ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint et velint, perseverandi eis possibilitas, et voluntas, divinæ gratiæ largitate donetur.*

Triplex autem discrimen ex mente S. Aug. datur inter *donum perseverantiæ* pro utroque statu : 1°. Quod perseverantia in hoc statu pendeat a *morte felici,* in illo ab actione salutari, L. de Corr. et grat. c. 12. 2°. Quod in illo relicta fuerit *libero arbitrio,* jam vero pendeat a sola Dei miseri-

cordia, cum pendeat a morte felici, quæ in manu unius Dei est. 3°. Quod perseverantia sanctis angelis fuerit *merces meriti*, utpote ex libero arbitrio profecta, nunc vero prædestinatis sit *donum gratiæ*, ob mortem ex unius Dei arbitrio pendentem.

Discrimen, quod inter *adjutoria perseverantiæ* pro utroque statu, seu inter auxilium *quo*, et *sine quo non* perseveratur, statuit S. Aug., potest explicari tum juxta num. 278. de gratia *illustrationis* et *inspirationis*; tum ex eo quod adjutorium, *quo* perseveratur in statu naturæ lapsæ, detur, *scientia media* non tantum prælucente, sed etiam *dirigente*, h. e. ideo detur, quia futurum est efficax, et non daretur, si prævisum fuisset inefficax futurum; adjutorium autem *sine quo non* perseveratur in statu integritatis, collatum fuerit scientia media duntaxat prælucente, ita ut, non obstante prævisione de ejusdem inefficacia, aliud non daretur.

281. *Obj. I.* Juxta S. Aug. L. de Corr. et grat. c. 10. n. 27., c. 11. n. 29. 31. 32., c. 12. n. 34. in statu naturæ integræ fuit tantum adjutorium *sine quo non*, non autem adjutorium *quo*: sed hoc in allato systemate non tenet; ergo. *Prob. min.* In allato systemate Adamus et angeli habuerunt gratiam efficacem, utrique quidem ad actus primos salutares, postremi etiam sancti ad perseverandum: sed gratia efficax est adjutorium *quo*, sicut adjutorium *sine quo non* est gratia sufficiens; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D. M.* Adamus et angeli habuerunt gratiam efficacem materialiter sumptam, seu quæ talis est *C.* formaliter sumptam, seu qua talem *N. D. etiam* 1am. *part. min.* Gratia efficax materialiter, seu quæ talis est adjutorium *quo N.* efficax formaliter et qua talis *C.* 2am. *partem* vero *N.*; quia in phrasi Augustiniana adjutorium *sine quo non* non tantum est gratia sufficiens, sed etiam gratia efficax materialiter et quæ talis, nempe quæ datur scientia media duntaxat prælucente, non autem dirigente, h. e. quæ quidem prævidetur efficax futura, non tamen ideo datur, quia prævisa est efficax, quæque non daretur, nisi efficax futura prævideretur.

Inst. 1. Adjutorium *quo* est auxilium, quo fit, ut aliquis usque in finem perseveret: sed angeli sancti habuerunt auxilium, quo factum est, ut perseverarent; quia gratiæ efficacis ope perseverarunt; ergo.

R. *D. M.* Adjutorium *quo* est auxilium, quo quomodocumque fit, vel quo præcise adjuvante, aut *cum quo* fit, ut aliquis perseveret *N.* est auxilium, quo efficiente, aut *per quod fit*, ut etc. *C.* Nempe adjutorium *quo* duo dicit, unum ex parte *Dei*, scilicet quod ab eo detur cum tali determinatione, ut si adjutorium idem fuisset prævisum futurum inefficax, loco illius daretur aliud prævisum efficax: alterum ex parte *auxilii*, nimirum quod adæquate sumptum includat motionem voluntatis; ex hoc enim utroque capite prærogativam habet auxilii efficientis et talis, *per quod* fit, ut perseveretur: cum ex ejus defectu, quamvis reipsa sit efficax, tantum adjuvans dicatur et tale, *cum quo* fit, ut perseveretur; quia perseverantia in concursu talis auxilii ex formula loquendi Augustiniana habetur *per liberum arbitrium*.

Inst. 2. Adjutorium *quo* est tale auxilium, vi cujus discretio pertinet ad Deum, juxta illud Pauli: *Quis te discernit?* Atqui gratia efficax sanctorum angelorum erat tale auxilium, vi cujus discretio angelorum pertinebat ad Deum; quia etiam locus iste Apostoli obtinebat apud angelos; ergo.

R. *D. M.* Adjutorium *quo* est auxilium, vi cujus quoad effectum præcisè spectati discretio pertinet ad Deum *N.* vi cujus quoad dantis affectum et quoad auxilii entitatem spectati pertinet discretio ad Deum *C.* et distincta *min. N. cons.* Deus discrevit angelos bonos a malis per hoc, quod illis dederit auxilium, cum quo erant perseveraturi; his vero dederit auxilium, cum quo non erant perseveraturi : non etiam per hoc, quod *speciali affectu* illorum potius, quam horum perseverantiam voluerit, aut præter illustrationem concesserit *affectionem* quoque *voluntatis;* cum juxta Aug. utrisque dederit auxilium perseverantiæ *sine quo non,* ita ut perseverandi et non perseverandi voluntatem libero eorum committeret arbitrio.

E contrario *sanctis nunc prædestinatis* utrumque præstat, eosque discernit a reprobis non per hoc duntaxat, quod illis det auxilium, cum quo perseverantes erunt; sed per id quoque, quod det ideo, quia cum hoc nonnisi perseveraturi sunt, daturus aliud, si cum isto defecturi viderentur ; *reprobis* vero det auxilium, cum quo minime perseveraturi sunt, quamvis cum illo proxima vel remota perseverandi potentia ipsis tribuatur.

Inst. 3. Nullum est fundamentum hujus asserti scientia media prælucente ac dirigente ; ergo.

R. *N. A.* Nam 1. hac explicatione eripitur S. Augustinus *Luthero, Calvino* et *Jansenio,* tum quia negatur necessitas gratiæ necessitantis, tum quia asseritur libertas indifferentiæ. 2. Quia hac ratione datur discrimen gratiæ utriusque status, tum ex ipsa *entitate* gratiæ, cum gratia illustrationis differat ab inspiratione; tum ex gratiæ respectu *ad Deum,* qui hic, non ibi, dirigitur a scientia media ; tum ex gratiæ respectu ad naturas, sanam aliam, aliam infirmam. 3. Quia hac ratione ostenditur, quod S. Aug. doctrina optime cohæreat, et omnia gratiæ discrimina pro utroque statu rite explicentur.

Inst. 4. Trid. Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit,* inquit, *justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.* Similia colliguntur ex Araus. II. can. 10., ex S. Aug. in Enchir. c. 107., L. 12. de Civ. c. 9. et L. 14. c. 27. ; ergo et perseverantia sanctorum angelorum fuit specialis gratia; ac consequenter adjutorium *quo. Conf.* Angeli sancti, qui perseverarunt, amplius adjuti sunt, quam reprobi qui ceciderunt, juxta S. Aug. L. 12. de Civ. c. 9. ; ergo acceperunt adjutorium *quo.*

R. *D. A.* Sine speciali auxilio non potest perseverari in natura lapsa *C.* non potuit in natura integra *N.* Certe S. Augustinus ab angelis sanctis perseveratum dicit *per liberum arbitrium,* non autem per gratiæ donum. *Disparitas* est, quia in natura integra non erat opus *favore speciali,* sive ratione mortis tempore status gratiæ, sive ratione infirmitatis naturæ aut difficultatis; quæ tum perseverantiæ, tum exercitio boni in statu naturæ lapsæ necessitatem imponunt specialis favoris.

Ad Conf. R. 1°. ut responsum est num. 279.

R. 2°. *D. M.* Angeli sancti sunt amplius adjuti in actu secundo *C.* in actu primo *N.* Angelos sanctos amplius in *actu secundo* adjutos fuisse inde constat, quod nemo in actu secundo adjuvetur, nisi ipse agat : neque quispiam salutariter operetur, nisi Deus cooperetur. Cum ergo angeli sancti sponte operati sint illum actum, ex quo pendebat ipsorum a statu viæ ad statum termini h. e. æternam beatitudinem transitus; habuerunt auxilium

gratiæ *in actu secundo* physice adjuvantis et cooperantis, quod angeli mali, quia eumdem actum ponere neglexerunt, sua culpa non habuere; quamvis ex Dei liberalitate perinde ac angeli sancti illud habuerint in actu primo, et si voluissent, etiam in actu secundo habuissent.

282. *Obj. II.* Neque in systemate *gratiæ congruæ* possunt explicari omnia dogmata et discrimina, quæ S. Aug. edidit de gratia perseverantiæ in utroque statu; ergo nostra explicatio non est præferenda aliis. *Prob.* Juxta S. Aug., si Adam perseverasset, ut potuit, perseverasset sub eodem auxilio, sub quo non perseveravit. Sed de facto illud auxilium non erat *congruum* seu datum sub scientia media perseverantiæ cum tali auxilio; ergo etiam, si perseverasset, non fuisset auxilium congruum vel datum sub scientia media perseverantiæ futuræ; consequenter gratia efficax in Adamo non fuisset data scientia media prælucente.

R. *N. A. Ad prob. D. M.* Perseverasset sub eodem auxilio entitative sumpto, et secundum quod dicit ipsam virtutem auxiliandi *C.* sub eodem auxilio etiam respective sumpto, et secundum quod extrinsece dicit præscientiam Dei mediam *N.* Sicut Catholicæ scholæ omnes fateri tenentur, peccatorem, qui violat præceptum, potuisse sub eodem auxilio illud servare, quamvis de facto non fuerit congruum, sed tamen potuisset esse congruum, si voluisset eidem cooperari: sic idem enuntiamus de auxilio Adæ dato.

Inst. 1. Juxta S. Aug. Adamus ad perseverandum non opus habuit eo auxilio, quo nunc indigent sancti ad vitam æternam prædestinati. Sed hoc in systemate *gratiæ congruæ* est falsum; nam prædestinati nunc indigent tantum gratia congrua, eaque habita consequenter impossibile est, ut non perseverent: atqui etiam Adamus opus tantum habuerat *gratia congrua,* ut perseveraret, eaque habita infallibiliter perseverasset; ergo falsum est, quod non habuerit opus eo auxilio, quo nunc indigent prædestinati.

R. *N.* vel *D. M.* Prædestinati nunc indigent tantum gratia congrua ejusdem speciei cum congrua in statu naturæ integræ *N.* Diversæ speciei *C. Diversitas utriusque gratiæ* stat in eo: 1. quod in natura integra sit tantum gratia excitans intellectum; in lapsa autem etiam excitans voluntatem; unde est differentia entitatis: 2. quod in natura integra supponat naturæ sanitatem ac integritatem; in lapsa autem difficultatem emolliat, infirmitatem roboret et vires addat; unde est differentia virium vel saltem tendentiæ intrinsecæ ad effectus singulares præstandos: 3. quod in natura integra gratia congrua detur, etiam danda, si non esset congrua futura; in lapsa autem sic conferatur, ut loco illius alia daretur, si efficax non futura prævideretur; unde est differentia specialis favoris pro statu præsenti. Atque ex hoc *triplici discrimine* manifestum est, in qua ratione gratiæ præsentis status *potentior* sit gratia, quæ congrua fuit in natura integra.

Inst. 2. Duo singularia discrimina alia a S. Aug. gratiæ assignata, per gratiam congruam minus commode explicantur: 1um. Quod angeli sancti perseveraverint per *liberum arbitrium,* prædestinati nunc perseverent *per gratiam,* quia habent gratiam congruam; ergo si etiam angeli sancti *gratiam congruam* habuissent, per gratiam, et non per liberum arbitrium perseverassent. 2um. Quod sanctis naturæ lapsæ detur tale adjutorium gratiæ, quo *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* eorum voluntates aguntur, ut illo adjutorio

accepto perseverantes esse invictissime velint. Hoc autem etiam de angelis bonis dicendum erat in nostro systemate, ubi *indeclinabilitas, insuperabilitas* et invictissima ratio in eo potissimum fundatur, quod gratia a Deo detur sub infallibili scientia media de secuturo effectu; ergo.

R. *Ad* 1um. *D. min.* Ideo sancti nunc per gratiam perseverant, quia habent gratiam congruam, quam reipsa habere non permittitur eorum libero arbitrio *C.* quia simpliciter habent gratiam congruam *N.* Quamvis *sancti naturæ lapsæ* libere consentiant gratiæ congruæ, tamen si præviderentur illi gratiæ non consensuri, Deus illis aliam conferret, cum qua bene operaturi prævideretur, et hac ratione gratia congrua ipsorum arbitrio non relicta dicitur: quia vero ex opposito Deus non dedisset *angelis sanctis* gratiam aliam, si, quam prævidit congruam, prævidisset cum consensu non conjungendam; hinc sub hac ratione eorum arbitrio gratia relicta dicitur.

R. *Ad* 2um. 1°. Locum illum Aug. intelligendum esse de perseverantiæ gratia *adæquate* sumpta, ut satis ex contextu patet. 2°. *N. cons.* S. Aug. enim nullibi negat, quod etiam indeclinabiliter perseveraverint sancti angeli, sed tantum, quod perseverasset Adam *si vellet;* nunc autem sanctis detur, ut invictissime velint, nempe per gratiam inspirationis, quæ non erat in natura integra. 3°. *D. et suppleo rationem min.* Quod quomodocumque detur gratia sub infallibili scientia media *N.* quod sic detur, ut loco illius daretur alia, si hæc prævisa fuisset effectum non habitura *C.*

283. *Observa. Prædeterminatio physica* nec videtur posse intelligi per solum adjutorium *quo,* ita ut tantum detur in statu naturæ lapsæ; quia tum essentialis cujuslibet causæ secundæ a causa prima dependentia, tum infallibilitas divinæ cognitionis circa actus nostros liberos, ex quo duplici fundamento prædeterminatio dicitur necessaria in statu naturæ lapsæ, etiam locum habent in statu naturæ integræ. Nec per adjutorium *quo*, simul et *sine quo non,* ita ut prædeterminatio tam fuerit data angelis perseverantibus, quam nunc datur prædestinatis; patet ex propp. S. Aug. num. 271. : videlicet Adamus integer alio adjutorio opus habuit, ac nunc sancti : sancti in hac vita indigent majore et potentiore auxilio, quam indiguerit Adamus : si Adam perseverasset, perseverasset cum eodem auxilio, cum quo cecidit : angeli sancti perseverarunt per liberum arbitrium, sancti hujus vitæ per donum gratiæ. At singula hæc discrimina a S. Aug. totidem verbis asserta non subsistunt, si utrique statui ad perseverandum necessaria sit *prædeterminatio.*

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

AN HOMO SOLIS NATURÆ VIRIBUS POSSIT MERERI AUT IMPETRARE GRATIAM, VEL AD EAMDEM SE DISPONERE ?

284. *Dico I.* Homo solis naturæ viribus nequit de condigno aut congruo *mereri* gratiam. Est de fide.

Prob. I. Ex sententia universæ Ecclesiæ, gratia actualis prima est omnino indebita et gratuita, ad Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia.* Ergo excludit sine discrimine omne meritum sive congruum, sive condignum.

Prob. II. Ex eadem sententia nullum gratiæ justitiæve, pietatis aut salutis initium tribui potest facultati naturæ, sed Deo, Deique gratiæ supernaturali, ad Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Item 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quis enim te discernit?* Ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.*

Prob. III. Similiter dogma Ecclesiæ est, liberum arbitrium non posse sine gratia aliquid salutare seu conducens ad salutem agere; juxta illud Christi, Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et Joann. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum.* Item 1. ad Cor. 4. v. 7. sup. cit. *Quid habes, quod non accepisti ?* Et ad Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei ?*

Prob. IV. Nullum opus *meretur præmium,* quod est supra omnem connexionem transcendentem naturæ operantis; quia etiam meritum congruum sine connexione ad præmium concipi nequit. Sed quælibet gratia actualis, tanquam *donum supernaturale,* est supra omnem connexionem transcendentem naturæ rationalis suis viribus operantis; ergo quælibet gratia est supra meritum qualecumque naturæ rationalis suis viribus operantis.

285. *Dico II.* Homo nequit *impetrare* gratiam, aut ad eam se *disponere* per orationem naturalem.

Prob. Ad Rom. 8. v. 26. dicitur : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis* (vel ut S. Aug. cum aliis legit) *interpellat gemitibus inenarrabilibus.* In quem locum idem in ep. 105. (al. 194. c. 4. n. 16.) : *Dictum est,* scribit, *interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum.* Et Joann. 15. v. 7. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet*

vobis. Ergo omnis oratio conducens ad salutem jam ipsa prius fit per gratiam saltem actualem, estque supernaturalis. Unde Conc. Araus. can. 3. *Si quis*, inquit, *ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo*, etc. His accedunt Patres Ambrosius, Chrysost., Aug., Prosper, etc. quos vide apud Ripalda L. 1. Disp. 19.

Conf. Quia *oratio*, prout etiam est impetratio discreta a merito, daret initium salutis nostræ libero arbitrio : esset opus conducens ad salutem sine gratia : haberet connexionem ad aliquid supernaturale transcendentalem ; quæ omnia falsa sunt.

286. *Dico III*. Nequit homo solis naturæ viribus se *positive disponere* ad gratiam.

Prob. I. Ejusmodi dispositio *positiva* dicitur, quæ per modum causæ moralis vel conditionis habet intrinsecam connexionem cum dono : sed non est connexa cum gratia ratione *ipsius gratiæ*, quasi hæc exigeret dispositionem ; quia misericordia Dei dat etiam gratiam maxime indispositis, juxta illud Isa. 65. v. 1. *Invenerunt, qui non quæsiverunt me... Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*; quod S. Aug. L. 1. contra duas epist. Pelag. c. 19. et L. de gr. ac lib. arb. c. 6. n. 14. probat, expendens hanc Dei gratiam in vocatione Pauli, eamdemque *in se* cognoscit L. 4. 5. et 7. Confess. per plura capita. Neque est connexa ratione *sui*, quasi ipsa posita exigeret collationem gratiæ ; quia nihil naturale exigit supernaturale.

Prob. II. Dispositio nequit dici *causa moralis* gratiæ ; cum sic evaderet causa meritoria superius rejecta : neque etiam conditio. Nam opera naturalia vel essent conditio impertinens ; et sic nihil connecterentur cum gratia : vel essent conditio conducens ad gratiam ; ergo eam Deus expectaret, aut non expectaret ad gratiam conferendam. Si *primum* ; sententia hæc repetit ex parte errorem ab Arausicano damnatum Can. 4. Si *secundum* ; ergo nec stricta conditio est, nec quomodo conducat ad salutem, ostenditur.

Conf. Patres æque ac Concilia non videbantur sibi satis cavisse a Semipelagianis, nisi asserendo, naturam ante omne auxilium gratiæ nihil posse præter peccatum et mendacium, ut liquet ex Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 18., L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 15. alibique ; ex Prosp. ad Capit. Gallorum c. 6. ; ex Araus. Can. 22. Ergo facultati naturæ nulla dispositio positiva ad gratiam ex eorum sensu concedenda est.

287. *Dico IV*. Potest homo solis naturæ viribus se disponere ad gratiam *negative* ; idque vel *removendo prohibens*, scilicet peccatum, seu potius evitando majorem indignitatem ex peccato orituram ; cum peccatum stricte non prohibeat, aut absterreat Deum a danda gratia, qui etiam peccatoribus dat gratiam sæpe abundantiorem, juxta illud ad Rom. 5. v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* : vel ponendo aliquod facilitans exercitium salutarium operum, nempe actus et opera virtutum naturalium, a quibus vel excluduntur habitus vitiosi, vel nascuntur habitus virtutum acquisiti.

Ratio est, quia *imprimis* hujusmodi remotio prohibentis, aut positio faci-

litantis potest dici dispositio qualiscumque et aptitudo seu capacitas, vel minor ineptitudo seu incapacitas aut indignitas : *Deinde* quia hæc remotio ac positio supponitur hic, ex infra dicendis, viribus hominis naturalibus possibilis : *Denique* quia nihil hic asseritur, quod in prioribus rejecimus ; nec aliunde etiam aliquid obstat ; unde et secundum sensum a nobis positum assertio non habet adversarios.

288. *Obj. I. contr.* 1um. Scriptura sæpe innuit opera naturalia præcedere gratiam vel tanquam meritum, vel tanquam dispositionem ; ergo. *Ant.* patet 1. ex Zachar. 1. *Convertimini ad me..., et convertar ad vos.* 2. ex Prov. 16. *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* 3. ex ep. ad Rom. 7. *Velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.* 4. ex 2. Paral. 15. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo : si quæsieritis eum, invenietis* etc. Quo pertinet etiam dictum Christi Luc. 11. *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis* etc.

R. *N. A.* Quia Scriptura his textibus duntaxat docet præter gratiam excitantem requiri adjuvantem, vel præter gratias actuum internorum dari uberiorem ad actus externos et arduos perficiendos.

Ad prob. 1am. R. Cum S. Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 10. Etiam dicitur Psal. 79. *Deus virtutum, converte nos.* Et Ps. 84. *Converte nos, Deus salutaris noster,* etc. Ergo quod convertimur ad Deum, est donum Dei. Item venire ad Christum quid est, nisi ad eum credendo converti, et tamen Christus Joann. 6. *Nemo,* inquit, *potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

Ad prob. 2am. R. Cum eodem L. 2. contr. duas ep. Pelag. c. 9. n. 19. Quomodo ergo Christus dicit? *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus? *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis,* si homo suis viribus potest præparare animam. Non enim sine cogitatione potest esse animæ præparatio. Et n. 20. *Ecce Deus admonet,* inquit, *ut præparemus voluntatem..... et tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus.*

Ad prob. 3am. R. Cum eodem ex Apostolo : *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Unde L. de prædest. SS. c. 2. n. 5. *Sicut,* inquit, *nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum..... unde in omni opere bono et incipiendo et perficiendo sufficientia nostra ex Deo est ; ita nemo sibi sufficit ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ad prob. 4am. R. Ex eodem ad primum ex L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 12. Quomodo quæsivit Paulus, aut quæ merita bona habuit, ut gratiam inveniret? *Meritum fuit quidem in Apostolo Paulo, sed malum, quando persequebatur Ecclesiam : unde dicit, non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Cum ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo : ideoque secutus adjunxit : Sed gratia Dei sum id, quod sum.* Ad 2um. vero ex L. de don. persev. c. 23. n. 64. *Intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui..... nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.*

Inst. 1. Christus in parabola Matth. 25. docet, gratias distribui secundum propriam virtutem, h. e., opera naturalia virtutum moralium : *Uni dedit*

quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem; ergo.

R. Hanc *parabolam* plures explicationes admittere, quin ad meritum naturale gratiarum descendatur. Interpretum enim plerique volunt, illud *secundum propriam virtutem* additum esse ad explendam narrationem parabolæ ex hominum consuetudine desumptam, non vero ad aliquid Deo gratiarum distributori applicandum. Alii in sensu *talentorum* explanando varia commentantur, atque per ea vel intelligunt dona naturalia secundum meritum vel capacitatem naturæ distributa : vel gratias gratis datas, quæ ad sui ministerium perfectum nonnunquam naturæ virtutem et aptitudinem præsupponunt : vel gratiam justificantem, quæ juxta meritum supernaturale dispensatur : vel gratiam actualem, de cujus distributione varii etiam varia systemata formant.

Inst. 2. Zachæus meruit recipere Christum, antequam crederet : Latro in cruce invenit gratiam : Cornelius Centurio vocatus est ad fidem propter præcedens meritum, quod ex fide non erat, neque supernaturale; ergo.

R. *N. A.* Credidit enim Latro, ut docet S. Aug. L. 1. de Anima et ejus orig. c. 9. n. 11. Neque, ut loquitur idem Doctor L. de prædest. SS. c. 7. n. 12., Cornelius *sine aliqua fide donabat et orabat, quomodo nam invocabat, in quem non crediderat* etc. Idem de iisdem et Zachæo testatur Araus. post can. 25. his verbis ; *Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit; et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; et Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ gratiæ largitate donata.* Porro neque illis occasio credendi deerat, ut de Zachæo et latrone, qui Christi miraculis præsentes aderant, liquet : de Cornelio autem etiam statui potest, utpote qui inter Judæos diu agebat. Cum vero de hoc S. Aug. enuntiet illud : *non sine aliqua fide*; forte is nondum habuit fidem satis explicitam in Christum, licet de eodem audiverit : habebat tamen implicitam in Christum, et explicitam remuneratoris; unde orabat dirigi ulterius, et duci in viam salutis.

289. *Obj. II.* Sancti Patres plures nobis adversantur, 1°. asserendo, voluntatem incipere et a se prius, quod suum est, offerre, ut Deus suam illi gratiam largiatur; 2°. negando, Deum prævenire sua gratia voluntates nostras.

R. SS. Patres, ut jam olim observavit Aug. L. de prædest. SS. c. 14. n. 27. ante *hæresis Pelagianæ* ortum scribentes, non tam in defendenda gratia, quam propugnando contra *Marcionitas, Manichæos* et alios Hæreticos libero arbitrio laboraverunt; unde factum, quod subinde non accurate omnino de gratia prævenienie loquerentur, neque semper a *Semipelagianorum* errore abessent, quemadmodum ipsi Aug. sub prima tempora acciderat, quin tamen ex eo aut eorum sanctitati, aut fidei macula adhæreret. Quoniam tamen Cœlestinus in ep. ad Gallos, et Conc. Arausicanum doctrinam orthodoxam laudant tanquam acceptam ab Ecclesiæ Patribus; et Augustinus etiam l. cit. contendit, mentem Patrum nunquam fuisse a veritate Catholica alienam.

Inst. 1. S. Chrysostomus, in 1um. *sensum*, hom. 27. in Genes. n. 6. (opp. t. 4. p. 264. B.) : *Tanta est erga nos*, ait, *Dei benignitas; nam ubi viderit*

voluntatis nostræ firmum propositum... non tardat, neque differt, sed accelerat. Hom. 42. n. 1. autem hæc habet : *Istuc ipsum quod patriarcha* (Abraham).... *a seipso et a scientia quæ naturæ insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui, quod vir ille multam a Deo gratiam consecutus sit... Fateor ita esse et ego : verum nisi primum et ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset. Ea propter non solum vide, sed in unoquoque diligenter attende, quomodo primum in omnibus virtutis suæ indicium exhibuerit, atque sic divinum meruerit præsidium.*

Pro 2°. *sensu* sic loquitur hom. 17. in Joann. (al. 18. n. 3.) ad illa verba : *Conversus Jesus et videns eos sequentes,* etc. *Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse.* Et hom. 12. in ep. ad Heb. n. 3. initio moralis doctrinæ : *Oportet nos primum bona eligere, et tunc affert* (Deus) *quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tum nobis multum affert auxilium.*

R. S. Chrys. vindicatus est a pluribus, 1°. afferendo plurimas ex ejus scriptis sententias, quibus manifeste docet et gratiæ ad omne opus meritorium necessitatem, et perfectam gratuitatem, ut videre est apud Ripald. L. 1. disp. 17. sect. 11. 2°. Elucidando objecta ex eo testimonia. Cum his sigillatim.

Ad 1um. *text.* R. Illud voluntatis firmum propositum non esse voluntatis sibi ipsi tantum relictæ, sed gratia Dei præventæ; quia paulo ante præmiserat : hom. 27. in Gen. n. 5. *Prius enim Dominus benefacit et nostram naturam ad se allicit... tantum magno fervore accedamus, et supernæ gratiæ innitamur.*

Ad 2um. R. Per illa verba, *a se ipso, scientiam a natura insitam, quod suum erat,* etc. non intelligi solas vires naturales, sed excludi duntaxat *legem scriptam,* prædicationem Evangelii, et illam ubertatem *gratiæ,* quæ datur post passionem Christi ; nam et hoc testimonii innuit initium, et nunc dici solet, quod Patriarcharum tempore ante Moysen viguerit lex naturæ non eo tamen sensu, ac si gratia et fides ad salutem necessaria non fuisset.

Ad 3um. R. In homilia in Joann. 71. (al. 72. n. 3.) dum exponit illud : *ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos,* sic ait : *Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incepi;* unde in hoc loco objecto non excluduntur gratiæ quasi ordinariæ et communes omnibus, aut prævenientes, sed extraordinariæ et uberiores, aut augmentum gratiæ, vel gratia sanctificans.

Ad 4um. R. Ibidem S. Doctor sic loquitur : *Etiamsi curras, etiamsi stadium ponas, ne tuum esse existimes quod recte gestum est.* Et hom. 28. in eamdem epistolam n. 2. (opp. t. 12. p. 257. B.) ad ea verba : *Aspicientes in Auctorem fidei,* hæc refert : *Ipse nobis fidem indidit..... Ipse nobis imposuit principium, ipse quoque nobis finem imponet.* Quare id suadere duntaxat intendit, quod Deus exigat liberam nostram cooperationem cum gratiis *primis* aut prioribus, ut det alias et majores, ac donum perseverantiæ.

Inst. 2. *Semipelagiani,* contra quos Patres et Concilia supra laudata præcipue egerunt, operibus naturalibus tribuebant meritum *condignum;* ergo a Patribus et Conciliis non fuit reprobatum meritum *congruum :* id quod inde etiam probatur, quia veterum Scholasticorum multi meritum con-

gruum naturæ non denegarunt, id minime ausuri, si ita sensissent olim *Semipelagiani*, et aliter fuisset definitum.

R. Quamvis *Semipelagiani* non raro posuerint opera naturalia esse condigna mercede gratiæ supernaturalis, tamen eadem etiam sæpe dixerunt non condigna, et hinc admiserunt aut meritum congruum, aut a condignitate vel congruitate præscindens, ut liquet ex Cassiano Collat. 13. c. 12., L. 12. de Cænob. Instit. c. 14. *Dicimus..... petitionem et inquisitionem et pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit.* Similia referuntur a Fausto L. 1. de gr. et lib. arb. c. 17. Colligitur vero hoc ulterius ex ratione, cur naturalibus operibus tribuerint *meritum*, quæ erat, ut posset dari causa, cur unus eligatur, alter relinquatur; ad quod sufficiebat quodcumque meritum. Item ex doctrina Patrum et Conciliorum *Semipelagianos* oppugnantium, qui omnem rationem meriti tam congrui, quam condigni naturæ negarunt.

Ad id quod de Theologis Catholicis additur, R. Varios modos apud benigniores vetustatis censores et auctores legere est, quibus illi dato quodam discrimine a *Semipelagianismo* liberentur.

Inst. 3. Nisi detur meritum naturale gratiæ, duplex sequitur absurdum. 1um. Deum esse acceptorem personarum; quia non attendit naturæ meritum, ut uni det potius, quam alteri: 2um. tolli liberum arbitrium et potestatem adipiscendi salutem; quia non est in libera facultate medium necessarium ad salutem.

R. *N. seq.* cum S. Aug. qui ad 1um. L. 2. contr. duas ep. Pel. c. 7. n. 13. *Non est acceptio personarum, ubi non est iniquitas: non est iniquitas, ubi quis donat cui vult, sed neminem fraudat; scilicet quia non negat quod debet, sed cui vult, donat, quod non debet.* Sicut et Matth. 20. Paterfamilias dixit operario murmuranti: *Amice, non facio tibi injuriam*, etc. Nempe gratia Dei est donum indebitum homini et meritis humanis; atque hinc eam Deus ex justitia dare non tenetur: *nec acceptio personarum* locum habet, si uni det, non alteri, aut uni plus det, quam alteri. Deus tamen dare vult omnibus: quomodo autem distribuat, est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.

Ad 2um. Respondet S. Aug. L. de Sp. et litt. c. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus.... Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio.* Et c. 31. n. 54. docet quod per gratiam accipiamus potestatem credendi, etc. ac subdit: *Sed cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Igitur juxta S. Aug. sine gratia non possumus, cum gratia possumus, et libere volumus.

Porro *duplex* hic distinguenda est *necessitas*: una necessitas causæ necessario inferentis *effectum*; et hanc olim Pelagius, postea Hæretici et Novatores nostræ ætatis volebant a S. Aug. assertam, eo quod posita gratia præveniente necessario sequatur opus, quod gratia suadet. Sed quamvis ille fassus sit L. de gr. Chr. c. 47. difficultatem in hujus quæstionis expositione, negavit tamen illud assumptum. Altera est necessitas causæ ad effectum *ut finem*, quia sine illa causa effectus non habetur; et hanc præcipue opposuit *Pela-*

gius cum suis reliquiis libero arbitrio : sed et eamdem libertati nihil obstare docuit S. Aug. pluribus, quæ breviter complexum est Conc. Senonense Can. 15., dum inquit : *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio ; cum ipsa semper sit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum.*

Quæres. *Quomodo axioma illud* : Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, *sit intelligendum ?*

290. R. *Probabilius* videtur, axioma hoc intelligendum esse tantum de faciente per *vires gratiæ,* quod est in se. Hæc assertio quoad *dictum* est certissima, et a Theologorum Catholicorum nemine improbatur ; quia cum Deus sincere et serio velit homines salvos fieri, facientibus, quod in se est, sive cooperantibus gratiæ supernaturali debet *ulteriorem gratiam sufficientem* conferre ; cum alias non posset serio velle, si non daret medium necessarium, quod ab alio, quam Deo, haberi nequit.

Quin ab omnibus etiam admittitur, quod Deus cooperantibus gratiæ actuali, ac ultimo se disponentibus ad gratiam *habitualem* et justificantem, eam non deneget, sed infallibiliter conferat ; tum quia Deus bene operantibus promisit vitam æternam ; ergo etiam gratiam sanctificantem, quæ est vitæ æternæ radix : tum quia Deus ex *alio axiomate* in ordine gratiæ accommodat se naturæ ; ergo cum in naturalibus post ultimam dispositionem statim introducatur forma, et cooperatio cum gratia actuali sit ultima ad gratiam habitualem dispositio, hæc etiam illa posita statim succedit. Quoad *modum* vero assertio hæc

Prob. I. Ex commodis hujus sententiæ. Nam 1°. in hoc systemate perfecte defenditur *gratuitas* gratiæ, ejusque donatio unice refunditur in solam Dei voluntatem, juxta illud Prosperi L. 1. de vocatione Gent. c. 18. *Omnibus ergo hominibus..... causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est.* 2°. Pro dignitate commendatur sollicita Dei *providentia* præveniens omnes homines, illisque parans gratiam sufficientem, eamque supernaturalem. 3°. Retinetur doctrinæ *pariformitas,* atque sicut ad gratiam justificantem non requiruntur, aut sufficiunt opera naturæ præambula, sic nec ad fidei gratiam aut alterius operis ardui. 4°. Securius cavetur periculum *Semipelagianismi* ; quia hic nulla ratione cognoscitur misericordia Dei conferri vigilantibus, petentibus, orantibus, aut quærentibus sine gratiæ auxilio : nullo modo dicitur Deus expectare voluntatem humanam : plane nihil conducere ad salutem intelliguntur opera naturalia.

Prob. II. Ex incommodis sententiæ oppositæ. Præter illa enim modo indicata 1°. minus definiri potest, *quænam* et *quot* opera naturalia facienti ex viribus naturæ, quod in se est, ponenda sint? an eodem momento, quo agit, an deinceps gratia detur? quæ conferatur gratia, ad opus arduum, an ad fidem? etc. 2°. Illa opera naturalia facientis, quod suum est, minus accurate vocantur *dispositio negativa;* tum quia hujus nomen operibus indifferentibus, licet removentibus peccatum, negatur : tum quia operibus naturaliter bonis conceditur non tantum ratio minoris indignitatis, sed aliqua condignitas. 3°. Minus probabiliter peccatum supponitur esse *prohibens gra-*

tiam. Quamvis enim id verum concedatur in ordine ad gratiam specialem aut efficacem, in quem sensum explicatur illud Pauli 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci;* respective tamen ad gratiam sufficientem et dabilem connaturaliter, locum non habet in statu naturæ lapsæ et una reparatæ, ubi Christus *venit peccatores salvos facere* : et homo quidem propter peccata damnatur ad pœnam, propter non usum gratiæ autem non salvatur. 4°. Minus communiter jam statuuntur *auxilia remote sufficientia* esse tantum ordinis intrinsece naturalis; cum communior doceat ea stare in illustrationibus et inspirationibus supernaturalibus, quibus infideles v. g. non quidem immediate ad *perfectam* et explicitam mysteriorum supernaturalium *fidem,* sed ad supernaturale saltem aliquod veræ religionis ac beatitudinis desiderium, aut actum alium excitantur, qui tanquam dispositio aut inchoamentum conducit ad fidem, potestque dici *fides late dicta*; siquidem juxta hanc doctrinam clarius et facilius percipiuntur S. Scripturæ effata de voluntate salvandi omnes, de morte Christi pro omnibus, aliisque ejusmodi veritatibus : servatur major ac debita gratiæ acceptio : Patrum et Conciliorum phrasis ac sensus communior retinetur.

ARTICULUS II.

AN ET QUALIS GRATIA NECESSARIA SIT AD ACTUS SUPERNATURALES?

291. *Dico I.* Ad omnes *actus salutares,* h. e. qui juxta S. Aug. vel ad pietatem et veram justitiam, cui merces æterna debetur, spectant, ut sunt ex Conciliis Araus. et Trid. credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet, ut homini justificationis gratia conferatur; etiam ad *initium fidei* et *pium credulitatis affectum,* requiritur auxilium gratiæ interioris et supernaturalis. Est de fide, et definitum, tum a Pontificibus, tum a Conciliis, maxime a Carthaginensi an. 418. contra *Pelagianos,* et Araus. II. an. 529. contra *Massilienses* congregatis, quorum canones dogmaticos universa veneratur Ecclesia; quibus accedit auctoritas Tridentini, quod Sess. 6. can. 3. definit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur : anathema sit.*

Prob. Ex Scriptura, quæ innumeris locis, præsertim si ad mentem Patrum et Conciliorum intelligantur, bonam voluntatem et actionem nostram, ipsamque fidem attribuit gratiæ divinæ. Speciatim vero de fide, ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Et ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Item 1. ad Cor. 7. v. 25. *Misericordiam consecutus* (sum) *a Domino, ut sim fidelis.* De pia affectione, ad Philipp. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Et c. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Item ad Rom. 9. v. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex his manifeste apparet, omnia *Pelagianorum* aut *Massiliensium* effugia esse præclusa, quæ vel a gratiæ varia acceptione, vel a distinctione in opus perfectum et initium operis, vel a potentia saltem simpliciter tali, licet minus facili quærebantur,

Conf. 1. Auctoritate Patrum, ac præsertim S. Aug., qui viginti annorum indefessis laboribus et libris plusquam triginta, orthodoxam de divina gratia doctrinam sanctissime discussit, ejusque necessitatem tum contra *Pelagianos*, tum contra *Massilienses* invictissime demonstravit. Unde merito Cœlestinus Papa, aliique post illum, ejus quoad hunc articulum dogmata prædicarunt, Arausicanum autem Concilium suis canonibus inseruit.

Conf. 2. Ratione Theologica. Salus vitæ æternæ est supernaturalis; ergo etiam *actus,* qui ad eam conducunt, debent esse supernaturales; quia inter finem et media debet dari proportio. Item fides, justitia vera, et adoptio filiorum Dei est gratia Dei : si autem gratia, jam non est *ex operibus*; quia opera humana nec proportionem, nec ullam connexionem habent ad donum vel præmium supernaturale : exigitur tamen a nobis fides, spes, charitas, et bona opera; ergo exiguntur opera, non humana, sed divina, sive per specialem *Dei gratiam* facta.

292. *Dico II.* Ad quemlibet actum salutarem etiam *in justo* requiritur gratia actualis, qua excitetur ad agendum.

Prob. I. Ex Scriptura Joann. 15. Christus se viti, et discipulos palmiti confert, et Trid. Sess. 6. de justif. c. 16. sic docet : *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent,* etc. Ex quibus verbis liquet 1°. Quod ad opera salutaria quæcumque requiratur gratia Christi. 2°. Quod Concilium non loquatur de gratia habituali, cum verba : *Christus in ipsos justificatos virtutem jugiter influit,* denotent auxilium actuale. 3°. Quod loquatur etiam de actuali excitante; cum gratia, quæ præcise est adjuvans, non possit dici *antecedens.*

Prob. II. Ex Conciliis. Tridentinum mox relatum est, et Araus. II. etiam clarius et frequentius eamdem veritatem exponit can. 9. 20. et 25. *Nullum posse credere, amare, et operari, sicut oportet, nisi eum gratia et misericordia divina præveniat..... In omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nobis inspirat.* Quæ omnia sicut ad singulos actus necessitatem gratiæ prævenientis enuntiant, sic de justorum etiam operibus vera esse oportet.

Prob. III. Ex Patribus, quorum duos duntaxat, sed clarissime loquentes audire juvat. Ita enim S. Hieron in c. 25. Jerem. v. 3. scribit : *Ut hoc ostendat, Dei nos semper indigere auxilio, et nunquam posse sufficere, quod semel datum est, nisi quotidie Domini admonitione renovetur.* Et S. Aug. L. de Nat. et Gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Vid. sup. dicta ex Enchir. c. 32. et L. 1. ad Simplic. q. 2.

Prob. IV. Ex Ratione. Ea autem duplex præprimis est, et utraque ex S. Aug. desumpta. 1ª. Est; quia justus sæpe vel voluntarie distrahitur; ergo, ut redeat ad negotium salutis, indiget admonitione et excitatione Dei. Ita nempe Aug. L. de Spir. et litt. c. 34. n. 60. *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.* Item : *In omnibus misericordia ejus prævenit nos.* Et L. 83. QQ. q. 68. n. 5. *Nec velle quisquam potest, nisi admonitus..... et si quisquam sibi tribuat quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est.* 2ª. Est;

quia ex S. Aug. L. de prædest. SS. c. 2., L. de bono persev. c. 8. *prius est cogitare, quam credere velle, aut operari.* Sed sancta cogitatio est gratia Dei; ergo.

293. *Dico III.* In statu naturæ lapsæ probabilius ad actus salutares non solum *illustratio,* sed etiam *affectio* supernaturalis est necessaria.

Prob. I. Ex Conciliis. Carthaginense in responso ad epist. Zosimi sic scribit (Labb. t. 2. p. 1615. E.): *Præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Araus. Can. 7. definit, *nihil boni, quod ad salutem pertineat, fieri posse absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti;* quibus adde verba Tridentini Can. 3. num. 291. Sed inspiratio vel unice, vel saltem proprie ac præcipue significat actum voluntatis ac piam affectionem; ergo.

Prob. II. Ex S. Augustino qui, ubi necessitatem gratiæ explicat, usurpat passim voces, quæ *voluntatis* motum sonant. Præterea disertis ille verbis sæpius necessitatem *delectationis* in voluntate contra Pelagium inculcat; sic, e. g., illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me etc.* Tract. 26. in Joann. exponens, per tractionem maxime designat voluntatis affectionem, dum inquit n. 4.: *Nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita,* etc.

Prob. III. Ex Ratione; quia voluntas hominis modo non ignorantia tantum, sed *infirmitate* etiam impeditur: cum autem utraque sanari debeat per gratiam excitantem, ut homo deliberate operetur secundum dicta S. Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 17., et D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 1. ad 3. statuat, naturam humanam magis esse corruptam per peccatum, quantum ad *appetitum boni,* quam quantum ad cognitionem veri; sequitur, quod voluntas per supernaturalem affectionem debeat sanari, inclinari et juvari, ut deliberatam actionem salutarem ponat.

Dixi 1°. *In statu naturæ lapsæ;* cur enim in statu naturæ integræ præveniens gratia voluntatis necessaria non fuerit, dictum est supra. Dixi 2°. *Probabilius est necessaria;* sunt enim auctores graves, qui, saltem absolute loquendo, negant necessitatem gratiæ excitantis, quæ immediate afficiat voluntatem, voluntque eam sufficienter excitari posse per gratiam intellectus.

294. *Obj. contr.* 1um. Actus salutares in hac providentia elevatæ naturæ nobis præcipiuntur; ergo non debent superare nostras vires; cum alias Deus præciperet homini impossibilia. *Conf.* Deus liberrime et prorsus *gratuito* confert gratiam; ergo potest illam non conferre. Dato casu, quo non confert, actus salutaris non erit in potestate hominis, et præceptum de actu salutari erit impossibile.

R. *D. C.* Actus supernaturales non debent superare vires nostras adjutas per gratiam *C.* pure ac nude in se spectatas *N.* Quod est impossibile per *naturam,* fit possibile per *gratiam,* quam Deus liberaliter offert et confert; unde actum salutarem præcipiendo nihil impossibile præcipit.

Ad Conf. D. Cons. Deus potest gratiam non conferre absolute loquendo *C.* facta suppositione, quod præcipiat, aut suadeat actum salutarem *N.* Quamvis in hac hypothesi, ne impossibilia præcipiat, Deus necessario det gratiam;

tamen *gratuito* illam confert, quia non datur intuitu meritorum naturalium aut ad exigentiam rei cujusdam naturalis; sed præcise propter gratuitum decretum, quo Deus statuit hominem elevare ad finem supernaturalem, atque ad eum obtinendum præcipere actum salutarem. Præterea confert etiam *liberrime;* quia hoc decretum sicut est liberrimum, sic et gratia ab eo dependens absolute loquendo Deo liberrima est. *Necessitas* vero illa *consequens* ad decretum Dei non tollit rationem gratiæ, sed duntaxat præstat, ut sit gratia ex gratia.

295. *Obj. contr.* 2um. In Conc. Araus. Can. 25. duo definiuntur, ex quibus apparet, ad actus salutares hominis justi non requiri, nisi auxilium gratiæ cooperantis seu adjuvantis. 1um. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quod ad salutem pertinet, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* 2um. *Hoc ipsum etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per misericordiam Dei adjuvamur; sed ipse nobis fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum illius adjutorio, quæ sibi sunt placita, adimplere possimus;* ergo.

R. *N. Ass.* Cujus falsitas ex ejusdem Concilii canonibus num. 292. et 293. recitatis elucet. Sed et ipsi textus objecti verba quædam continent, quibus gratia actualis excitans indicatur necessaria; nam in primo per verba, *Christo auxiliante et cooperante,* præter cooperantem seu adjuvantem, gratia alia, nempe excitans asseritur : in secundo autem observanda veniunt verba, *in omni opere bono nos non incipimus, et postea adjuvamur,* quæ clare prævenientem gratiam enuntiant. Accedit, dogmata Arausicani desumpta esse ex doctrina S. Augustini, qui plenissime nostram sententiam profitetur.

Inst. 1. Gratia solum requiritur propter supernaturalitatem effectus : sed ad hanc sufficit habitus infusus homini *justo;* ergo. *Conf.* Voluntas cum solo concursu generali potest actus *naturales* elicere sine alia excitatione; ergo et voluntas habitu supernaturali instructa sine aliqua excitatione poterit elicere actus *supernaturales;* quia voluntas sic instructa æque potens est ad agendum supernaturaliter, ac voluntas cum concursu generali ad naturaliter agendum.

R. *D. m.* Sufficit habitus ex supposito, quod influat *C.* sufficit, et potest etiam influere, nisi excitetur *N.* Voluntas sufficit ad hoc, ut sequatur actus amoris, si amet; non tamen amare potest, nisi præcedat *cognitio;* similiter ergo requiritur excitatio, ut justus evigilet et attendat, se ipsum et habitus applicando ad operationem.

Ad Conf. T. A. Quia et hic excitatio saltem per cognitionem requiritur; *N. Cons. et prob.* ex modo dictis. Quod enim justus operetur actus salutares potius, quam malos, ad quos etiam potentiam habet, *ab excitatione* provenit : hæc vero tribui non potest, nisi misericordiæ divinæ; quia alia, quæ *naturalia* sunt, non possunt excitare hominem ad actum supernaturalem.

Inst. 2. Axioma est : *habitibus utimur, cum volumus;* ergo justus absque novo auxilio potest, quando voluerit, cum solis habitibus operari. *Conf.* 1. Habitus infusus supplet defectum excitationis, inclinando per seipsum ad actus salutares; ergo non requiritur excitatio. *Conf.* 2. Ex dictis, principium

physicum cogitationum et motuum indeliberatorum in justo sunt habitus infusi; ergo hi soli sufficiunt.

R. *D. A.* Cum volumus voluntate sufficiente et proportionata *C.* volitione alia *N.* Vis habituum etiam non est proxime sufficiens, nisi applicetur per actus vitales ad actus deliberatos, vel a solo Deo ad actus indeliberatos.

Ad Conf. 1am. R. *N. A.* Quia habitus movet ad actus mediis aliis actibus indeliberatis tum cognitionis, tum affectionis, quos majores et frequentiores ad actus salutares Deus justis concedit ad præsentiam et exigentiam habitus infusi.

Ad Conf. 2um. *D. Cons.* Habitus soli sufficient, si applicentur a Deo et determinentur ad actus indeliberatos *C.* sine hac applicatione aut determinatione *N.* Habitus, maxime infusi, habent se per modum *potentiæ* ad agendum *indifferentis;* unde, quamvis sint principium physice productivum, etiam actuum supernaturalium indeliberatorum, tamen eorum determinatio requiritur.

296. *Obj. cont.* 3um. Sæpe fiunt actus salutares absque ulla *delectatione voluntatis,* imo cum ariditate ac tædio; ergo non requiritur delectatio piæ affectionis.

R. *D. A.* Fiunt absque delectatione sensibili *C.* absque ulla spirituali *N.* Etiam in ipsa pugna et sui ipsius victoria, quamtumvis naturæ violenta, intervenit aliqua *spiritualis delectatio* in obediendo Deo; atque hæc delectatio est quam Mystici dicunt devotionem substantialem aut rationalem, quæ in promptitudine animi ad placendum Deo consistit, cum spirituali quadam complacentia inde resultante. De hac loquebatur Apostolus ad Rom. 7. v. 22. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Similiter S. Aug. hanc delectationem explicat in Ps. 118. conc. 8. ad illa verba: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.*

Inst. 1. Posita illustratione supernaturali clare objectum repræsentante, vel voluntas *immediate* potest prorumpere in actum deliberatum; et sic non requiritur pia affectio indeliberata: vel potest sequi *connaturaliter* complacentia quædam indeliberata, qua incitatur voluntas ad idem objectum actu etiam deliberato amplectendum; et sic non requiritur delectatio a Deo infusa.

R. *N.* 1am. *p. Ant.* Sicut enim *intellectus* nequit procedere ad actum judicii deliberatum, quin præcesserit actus imperfectus apprehensionis; ita, licet non tanta necessitate, non potest *voluntas* deliberate amplecti objectum, quin prius aliquo actu imperfecto complacentiæ vel displicentiæ moveatur erga illud: quod quidem quoad operationes supernaturales est magis necessarium in natura lapsa, quæ ob *corruptionem* et *infirmitatem* non movetur ad supernaturalia deliberate amplectenda, nisi prius a Deo moveatur aliqua affectione indeliberata.

Ad 2am. *p. Ant.* R. Vel illa complacentia *connaturaliter* sequens ex illustratione supernaturali est supernaturalis, vel naturalis: si *primum;* habetur intentum: si *secundum;* ergo naturali tribuitur aliqua connexio aut aptitudo positiva ad supernaturale, quod alibi negatum est.

Inst. 2. Concilia nomine *inspirationis* intelligunt etiam *illuminationem,*

ut patet ex Trid. Sess. 6. c. 5. dum dicitur : *Ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens*; ubi *inspiratio illa* vocatur ea gratia, quæ ante dicebatur *illuminatio*. Item ex can. 3. supra recitato, ubi inspirationis nomen pro gratia excitante universim usurpatur; ergo Concilia non officiunt.

R. Non ex unis Conciliis, sed ex S. Aug. etiam, cujus verbis locuta sunt Concilia, pugnavimus; liquet autem non *inspirationem solam* ab illo fuisse adhibitam, sed tot tamque diserta vocabula, quæ nulla expositione detorqueri aut tergiversatione eludi possunt. Cæterum equidem verum est, nomen *inspirationis* etiam convenire *illuminationi*, quatenus et hæc, seu cogitatio sancta, ab extrinseco scilicet a Deo infusa vel inspirata dicitur; minus tamen verum videtur, a Tridentino per inspirationem intellectam fuisse illuminationem tantum; tum quia alias, juxta Tridentinum, regulariter et connaturaliter cum illustratione intellectus non esset conjuncta motio indeliberata voluntatis, ut tamen adversarii fatentur : tum quia alias pertractatio et definitio Concilii esset manca circa naturam gratiæ prævenientis, ac penitus excluderetur pia affectio a negotio justificationis; quæ dici nequeunt.

ARTICULUS III.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD COGNOSCENDUM VERUM ?

297. *Dico I.* Homo etiam lapsus potest absque gratia cognoscere quasdam veritates *naturales* tum speculativas, tum practicas.

Prob. 1ª. *pars.* Veritates maxime sublimes sunt illæ de existentia Dei Conditoris rerum universarum, et immortalitate animæ : sed utramque ab homine et lapso et etiam naturaliter attingi posse in Theologia alibi, ac in Philosophia argumentis gravissimis ostenditur ; ergo.

Conf. Licet peccato Adæ vulnus ignorantiæ inflictum sit intellectui humano; certum tamen est, rationis lumen non esse extinctum, quo veritatem perspicere valeamus : et S. Aug. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 22. docet, honestas et utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem. Item licet dæmones careant omni gratia supernaturali, magna tamen pollent naturalium scientiarum notitia, et ex miraculis Christi, illius etiam Divinitatem cognoverunt, ut ex eorum clamoribus colligitur Matth. 8. v. 39. et Luc. 4. v. 41.

Prob. 2ª. *pars.* S. Paulus ad Rom. c. 1. cum dixisset Philosophos gentiles ex creaturis pervenisse ad cognitionem Dei et veritatem prædictam de eo colendo; notat eos esse *inexcusabiles*, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* S. Aug. de illo principio : quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, scribit Psalm. 57. n. 1. *hoc... nemo ignorare permissus est.* De furti autem malitia hæc habet L. 2. Conf. c. 4. n. 9. *Furtum punit lex tua, Domine, et lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa delet iniquitas.*

Conf. Etiam post lapsum verum est de homine illud Psalm. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Unde S. Aug. L. de Sp. et litt. c. 28. *Non usque adeo*, inquit, *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint.*

298. *Dico II.* Idem tamen sine auxilio speciali nequit eas cognoscere omnes *collective,* imo probabilius nec *distributive.*

Prob. 1ª. *pars.* Ex angusta admodum mentis humanæ capacitate, vitæ brevitate, veritatum multitudine, infinitis vitæ hujus officiis et aliis impedimentis, præsertim ignorantia, *quam ex justa damnatione,* ut asserit S. Aug. pluribus locis, *patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ.*

Conf. Verbis Eccli. c. 8. v. ult. *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole : et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat; etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire.*

Prob. 2ª. *pars.* Tum ex iisdem prope rationibus : tum quia multæ sunt veritates difficiles adeo et abstrusæ, ut post summam in veritate indaganda diligentiam viri etiam doctissimi eas penetrare non potuerint; et hinc constans inter eos de illis dissidium fuerit.

299. *Dico III.* Ad cognitionem *veritatum supernaturalium* salutarem requiritur gratia revelationis et internæ etiam illustrationis.

Pars 1ª. Constat ex notione entis supernaturalis; cum hæ veritates non sint cognoscibiles *per se,* utpote quarum objecta, sicut excedunt quoad entitatem naturæ vires, sic et earum cognoscibilitas superat easdem : neque etiam cognosci possunt *per aliud;* quia hoc nec potest esse causa vel effectus, utpote itidem supernaturalia; neque indicia naturalia, qualia nulla dantur.

Pars 2ª. Ample probata est contra Pelagianos eorumque reliquias num. 291.

300. *Observa I.* SS. Patres, Aug. Greg. etc. duntaxat negant, quod homo sine gratia possit cognoscere veritates supernaturales, aut pertinentes ad opera salutaria; aut quod sola cognitione naturali possit pertingere ad mysteria supernaturalia, aut cogitationem sanctam. Apost. 1. Cor. 4. v. 7. non agit de scientia humana, sed de fide et aliis gratiæ donis efficacibus; attamen de scientiis etiam speculativis gloriari haud possumus, tum quia sine gratia inflant, nec discernunt inter bonum et malum; tum quia non sine naturali illustratione et Dei concursu comparantur. In Adamo et Salomone quoad cognitionem perfectam naturalium, specialem Dei favorem intervenisse, ex eodem constat, ex quo novimus eorum scientiam. Angelorum capacitas certo major, at limitata tamen est; unde incertum, quid et quantum collective cognoscere queant. In statu *naturæ puræ,* tametsi non fuissent errores positivi, multæ tamen fuissent ignorantiæ negativæ, neque homo ejusmodi novisset omnia.

301. *Observa II.* Posita revelatione, potest homo sine gratia assentiri veritatibus supernaturalibus, assensu fidei naturalis. Nam mysteria fidei nostræ sunt maxime et *evidenter credibilia;* ergo nulla videtur esse causa, cur intellectus sibi relictus iis assentiri nequeat, qui etiam probabilibus assentitur; præsertim cum *hæretici* aliqua fidei mysteria negantes, aliis assentiantur, quin fundamentum sit dicendi, illis præter gratiam revelationis aliud auxilium gratiæ concedi. Ad hæc datur *actus naturalis,* qui idem objectum materiale et formale fidei divinæ habere queat; ut patet in

dæmonibus, quibus dum Deus subinde locutus est, ut accidit Jobi 1., illi assentiri poterant actu naturali iis, quæ a Deo dicebantur, propter ipsius testimonium : imo re ipsa *dæmones credunt et contremiscunt,* ut testatur Jac. 2. v. 19. S. Aug. autem L. de præd. Sanct. non ob factam præcise hanc distinctionem fidei in perfectam et imperfectam *Semipelagianos* impugnat; sed quia fidem imperfectam dicebant esse meritoriam, et principium fidei perfectæ ac supernaturalis.

ARTICULUS IV.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD ACTUS MORALITER TANTUM BONOS.

302. *Nota I. Wicleff.* et *Joannes Huss* asseruerunt, ex una gratiæ sanctificantis seu habitualis absentia omnia opera peccatoris coinquinari; quem errorem adeo susceperunt *Lutherus* et *Calvinus,* ut etiam dicerent omnia justorum opera peccata esse, etsi illis non imputentur. *Baius* sine charitate perfecta, *Jansenius* sine charitate saltem imperfecta opera facta dicit peccata. Alii negant ab ullo fieri posse opus etiam *moraliter bonum,* nisi habeat fidem explicitam in Christum, aut supernaturalem saltem Dei cognitionem; adeoque infidelis actionem omnem peccati damnant. Porro docuit *Baius,* hominem sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valere, adeoque opus moraliter bonum ex omni parte non posse perfici sine gratia supernaturali et proprie dicta : qua in re habuit sectatorem Jansenium L. 3. de statu Nat. laps. c. 15.; imo et aliquos ex Doctoribus Catholicis. Huic positioni communiter contradicunt Theologi Catholici, statuuntque per solas naturæ vires opus morale bonum ordinis moralis fieri posse.

303. *Nota II.* In omni opere *moraliter bono* duo semper juxta S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 21. spectanda sunt, officium scilicet et finis. *Officium* seu materia operis juxta eumdem est id, quod est faciendum : *Finis* est id, propter quod faciendum est. Iste vero est duplex, nempe vel *finis operis,* seu intrinsecus, ad quem actio ex sese, seu ex natura sua ordinatur, qualis in eleemosyna est sublevatio pauperis : vel *finis operantis,* seu extrinsecus, quem agens pro suo arbitrio sibi proponit, bonum vel malum. Quidam *simpliciter* dicunt, actionem omnem infidelis esse peccatum : alii vero fatentur quidem actionem infidelis posse esse bonam tum ex *officio,* tum ex *fine proximo* seu operis; volunt autem infidelem semper peccare ex defectu *finis* remoti seu operantis, non ideo quidem semper, quasi habeat finem intrinsece malum; sed quia non refert actionem ad Deum, ut oportet. Vid. Tract. de Act. Hum.

304. *Dico I.* Gratia *sanctificans* non est necessaria ad omne opus moraliter bonum.

Prob. Ex Scriptura, quæ pluribus locis monet *peccatores,* ut agant pœnitentiam, se convertant ad Deum, peccata eleemosynis redimant; et laudat actiones peccatorum, v. g. Publicani in templo se humiliantis; quæ fieri non possent, si opera peccatorum omnia essent peccata.

Prob. Ex Concilio, Constantiensi, quod Sess. 15. damnavit hunc Joannis Huss articulum 16. (Labb. t. 12. p. 130.) : *Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa; quia si homo est vitiosus, et agat quidquam, tunc agit vitiose : si est virtuosus et agat quidquam, tunc agit virtuose.* Trid. Sess. 6. can. 7. sic pronuntiat : *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata... anathema sit.*

Ex Summis Pontificibus, qui damnarunt propositionem Baii 35. *Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.* Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Item propositionem Quesnelli 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.*

Prob. Ex Ratione. Quia peccator fidelis sine gratia sanctificante, licet non sine actuali, potest elicere aliquos actus salutares et intrinsece supernaturales; ergo a fortiori potest producere aliquos in ordine naturali moraliter bonos. Antecedens iterum constat ex Trid. Sess. 6. c. 5. et 6., ac ex eo, quod alias, qui semel peccavit, non amplius posset se ad Deum convertere et a peccato resurgere; sed quanto magis niteretur per actus salutares se præparare ad justificationem, tanto magis offenderet Deum et peccatis se implicaret.

305. *Dico II.* Nec gratia *fidei* necessaria est ad quodvis opus ex omni parte moraliter bonum. Constat ex damnatis Baii 25., Quesnelli 42. et 8. ab Alex. VII.

Prob. Ex Scriptura. Quia nec hæc mala opera laudat, nec Deus remuneratur : Scriptura autem laudavit et Deus remuneratus est quædam opera infidelium; ergo. *Min.* patet 1°. In *obstetricibus Ægyptiis* pueros Hebræos servantibus, de quibus Exod. 1. legitur : *Benefecit Deus obstetricibus; et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* Unde quamvis illæ postea mentitæ fuerint, tamen S. Aug. L. contr. mendacium c. 15. n. 32. hæc de illis enuntiat : *Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* 2°. In *Rahab,* exploratores Judæorum occultante, et ideo a communi civium Jerichuntinorum excidio servata, ut ex Jos. 2. ac 6. constat; quæ tamen tum temporis etiam juxta S. Thom. in c. 1. Matth. adhuc idololatra fuerat. 3°. In *Nabuchodonosore* ob bellum contra Tyrios gestum pro mercede ex Dei jussu terra Ægypti donato, ut Ezech. 29. v. 18. et seqq. perhibetur; unde S. Hier. ad hunc locum : *Ex eo,* inquit, *quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.*

Conf. Ex illo Apostoli ad Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Quamvis autem hoc loco abusi sint *Pelagiani* ad nimium extollendas liberi arbitrii vires, et hinc S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. illum de gentibus ad Christi fidem conversis exposuerit; tamen non minus probabiliter, quin verbis Apostoli congruentius, intelligitur de gentibus nondum gratiam consecutis, ut plerique Patres omnes apud Suar. L. 1. de gr. c. 8. exposuerunt; quam explicationem S. Aug. ipse L. de Sp. et litt. c. 27. et 28. defendit ut hypothesin, quæ veram omnino et Catholicam doctrinam contineat. Hinc, qui cum *Jansenio* L. 4. de hær. Pel. c. 8. communem expositionem ad Pelagianum errorem pertinere dicunt, repe-

tunt propositionem *Baii* damnatam 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom.* 2. *Gentes, quæ legem etc., intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.*

Prob. Ex Patribus. S. Greg. Naz. hom. 26. n. 5. : *Multi gloriæ studio, atque etiam a natura ita informati, virtutem colunt.* Chrysost. hom. de Fide et lege Nat. et Spiritu sancto (opp. t. 1. p. 826. A.) : *Offendes quidem multos, qui quamvis sermonem veritatis non acceperint, operibus tamen pietatis, ut apparet, sunt conspicui. Invenies viros misericordes, compatientes, justitiæ vacantes : sed nullus fructus operum, quia nescierunt opus veritatis. Nam et opera sunt bona; verum necessarium est ut præcedat opus summum.* S. August. de civit. Dei L. 5. c. 15. docet, Deum Romanis florentissimi imperii gloriam concessisse, *ut redderetur merces bonis artibus eorum, id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Idem L. de Patientia c. 26. n. 23. *Si quis,* inquit, *non habens charitatem..... in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, nuditatem, persecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennarum et ignis æterni; nullo modo ista culpanda sunt, imo vero et hæc laudanda patientia est.* Greg. M. hom. 27. in Evang. n. 1. *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ,* etc. apud Suarez L. 1. de necess. Grat. c. 6. n. 9. et seqq.

Prob. Ex Ratione. 1°. Infideles in statu suæ infidelitatis non minus, ac peccatores fideles in statu peccati, tenentur servare *præcepta legis naturalis,* eaque transgrediendo peccant; ergo in illo statu ea debent servare posse, cum nemini imputetur in culpam et pœnam, cujus observantia ipsi est impossibilis; ergo debent ea observando saltem posse operari non male, quia et hoc lex naturalis imperat; ergo cum lex etiam imperet moraliter bonum, illud præstandi potentiam habere debent.

2°. *Conditiones* ad opus ex omni parte moraliter bonum sunt : 1. ut ipsum opus ex objecto sit bonum; 2. ut finis intrinsecus sit honestus et regulæ morum conformis; 3. ut in finem extrinsecum malum non feratur; 4. ut hic et nunc non sit prohibitum quacumque de causa. Sed infidelis potest has omnes *conditiones* in aliquo opere servare; ergo.

Ex his proin recte infertur : potest homo per *solas naturæ vires* et absque ulla gratia supernaturali exercere actum aliquem moraliter bonum, saltem quando nulla in oppositum urget gravis tentatio; tum quia nec ex ratione ostendi potest necessitas gratiæ supernaturalis ad actum honestum ordinis naturalis : tum ex ratione duplici, quam ultimo attulimus : tum ex damnatis propositionibus, et quidem Baii 27. *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet.* Quesnelli 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*: 39. etc. tum ex S. Aug. qui L. de perf. just. c. 2. in resp. ad 3am. Celestii objectionem docet, *illud parum esse ad non peccandum.*

306. *Obj. contr.* 1um. Matth. 7. dicitur : *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: sed per arborem malam intelligitur peccator, per fructus bonos, opera bona; ergo.

R. *D. M.* Arbor formaliter et ut mala non potest facere fructus bonos *C.* materialiter et quæ mala *N.* Dum peccator non agit ut peccator, potest utique opera honesta facere, imo cum gratia actuali etiam salutaria, ut liquet ex Trid. cit.; sicut justus peccare venialiter potest, juxta illud : *Septies cadit justus*, quamvis in eadem parabola dicatur : *Non potest arbor bona malos fructus facere.*

Inst. 1. Etiam peccatorum opera, quæ videntur bona, Deo displicent, aut saltem non probantur, ut patet ex Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*; et ex Joan. 9. ubi dicitur : *Peccatores Deus non audit;* ergo ne moraliter quidem bona sunt.

R. *N. Ass. Ad* 1um. *text.* R. Victimas non fuisse Deo abominabiles ex *statu* præcise *offerentium,* sed ex pravo eorum fine, quem actualiter adjungebant Judæi, dum eorum multi Sacrificia legis offerebant ex inani spe ac impia præsumptione, omnia sibi fore licita, modo ritus hos externos et alias Mosaicæ legis cœremonias observarent; quod ipsum Deus Isa. 1. illis exprobrat, et postea, quomodo sibi sacrificandum orandumque sit, præscribit.

Ad 2um. *text.* R. 1°. Cum S. Aug. L. 2. contr. epist. Parmeniani c. 8. n. 17. *D.* dicitur hoc a Christo vel Evangelista *N.* a cæco nato, ceu homine nondum lumine fidei Christianæ, neque a Deo specialiter illustrato *C.* Non autem quælibet verba loquentium in Scriptura sunt verbum Dei; alias et verbum Dei foret non dari Deum, cum Scriptura dicat : *Dixit impius in corde suo : non est Deus.*

R. 2°. *D.* Deus non audit peccatores in eo sensu, quem intelligebat hæc verba proferens *C.* absolute et simpliciter *N.* Cum cæcus a Christo visum miraculo recepisset, et Pharisæi Salvatorem nihilominus tanquam impostorem et blasphemum calumniarentur; ille famam Christi defendendam suscepit, dicendo : *Scimus, quia peccatores Deus non audit,* scilicet ad patranda miracula; quod verissimum est, cum Deus ad peccatoris preces miracula patrare non soleat.

Inst. 2. S. Aug. L. 9. de Trin. c. 7. et 8. alibique sæpius docet, quidquid fit ab homine, *vel fieri ex charitate*, *vel ex cupiditate.* L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. n. 37. autem : *Præcepta charitatis,* inquit, *tanta et talia sunt, ut quidquid se putaverit homo bene facere, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Sed quidquid peccator facit in statu peccati, facit sine charitate; ergo.

R. *Quoad* 1um. *D.* Fit ex cupiditate vel charitate stricte sumpta pro amore benevolentiæ Dei *N.* vel ex charitate late sumpta pro quolibet motu vel amore justitiæ aut honestatis *C.*

Quoad 2um. Eadem est responsio quorumdam; sed quia, ut probat Suarez L. 1. de gr. c. 5., fere certum est loqui hic S. Aug. de charitate *stricte* sumpta, cum S.. Th. 2. 2. q. 47. a. 7. ad 3. R. *D.* Nihil fit bene sine charitate, si fiat sine charitate contrarie, h. e. si fiat cum ordine ad motivum vel finem vel circumstantiam, quæ repugnat charitati *C.* si fiat sine charitate negative, h. e. siquidem non fiat ex influxu, motivo, vel imperio charitatis, nec tamen cum ordine ad aliquid charitati contrarium *N.* vel *subd.* nihil fit bene moraliter vel etiam quocumque modo salutariter *N.* proxime salutariter ad justificationem vel per modum meriti condigni *C.* vel *T.*

Ubicumque S. Aug. docet, *sine charitate* nihil fieri bene, non loquitur de bonitate mere naturali et morali, ut patet ex dictis : neque etiam loquitur

de bonitate quacumque supernaturali et salutari; cum ex iisdem constet, dari opera salutaria hominis impii, quæ per se ad justificationem non sufficiant, quamvis remote disponant: sed loquitur vel de *bonitate salutari*, quæ habeat se per modum dispositionis proximæ ad justificationem; quia charitas actualis vel est necessaria *in re* ad justificationem peccatoris extra sacramentum, vel saltem *in voto* et animi præparatione, si justificatio fiat per sacramentum: vel loquitur de bonitate salutari, quæ se habeat per modum meriti condigni vitæ æternæ; quia charitas habitualis vel est indistincta a gratia sanctificante, vel quidem distincta, sed inseparabilis, adeoque sicut sine hac non fit opus condignum vitæ æternæ, sic neque sine illa.

Atque hunc sensum a S. Aug. intendi, patet ex eo, quod in omnibus operibus, ubi gratiæ necessitatem contra *Pelagianos* ad opera bona defendit, expresse profiteatur, a se illa tantum opera intelligi, per quæ homo ad æternam vitam regnumque Dei perduci possit. Unde colligitur, quotiescumque idem docet voluntatem sine charitate esse dicendam *cupiditatem*, neque bonam ullam voluntatem sine ea haberi, eum loqui de *charitate habituali*; sine qua in præsenti providentia voluntas est necessario habitualiter mala, cum inter statum gratiæ et peccati non detur medium. Similiter cum dicit, sine charitate nullam esse *virtutem veram*, per hanc intelligit virtutem simpliciter perfectam in ordine ad finem supernaturalem, h. e. gratia sanctificante seu charitate formatam, cum aliæ virtutes, eo quod sint informes, neque meritum vitæ æternæ contineant, non virtutes simpliciter, sed secundum quid vocari soleant.

307. *Obj. contr.* 2um. Scriptura omnia infidelium opera videtur habere tanquam mala; ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; quem locum S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. de fide proprie dicta intelligit, acinde probat, omnia infidelium opera esse peccata. Et ad Titum 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.* Tandem ad Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

R. *N. Ass. Ad* 1um. R. Textum hunc non de fide theologica, sed de *dictamine conscientiæ* practico, uti contextus ipse probat, exponunt SS. Patres et Theologi communiter cum Conc. Later. IV. Can. 41. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica, quam civilis.* Si tamen cum S. Aug. et Prospero intelligatur de *fide theologica*, eumdem cum S. Th. 2. 2. q. 10. a. 4. et. q. 23. a. 7. *explico.* Quod non est ex fide theologica positive et contrarie, h. e. quod fit contra fidem, aut ex animo infidelitatis, peccatum est *C.* quod non est ex fide negative, h. e., quod fit absente tantum fide *subd.* peccatum est ut plurimum, quia scilicet infidelis sæpissime agit ex motivo infidelitatis *C.* semper, quasi nullo prorsus motivo honesto posset unquam ad agendum moveri *N.*

Ad 2um. R. Apostolum intelligendum esse de immundis et infidelibus *formaliter* talibus, non autem materialiter talibus; cum et hoc modo debeant sumi mundi, ut illis dicantur omnia esse munda.

Ad 3um. *D.* Sine fide etc., ita ut intelligatur, nullam personam aut operantem placere Deo posse sine fide, imo nec sine gratia justificante seu gratuita

faciente *C.* ita ut intelligatur nec opus aliquod sine fide posse placere Deo *subd.* non posse placere Deo in ordine ad meritum gloriæ vel veram justitiam consequendam *C.* in ordine ad præmium temporale hujus vitæ *N.* Contrarium enim probant exempla num. 305. allata aliaque plura.

Inst. 1. S. Aug., quem in hoc sequuntur SS. Prosper et Fulgent., 1°. L. 1. de Nupt. c. 3. et 4. etc. totus in eo est, ut ostendat virtutes *infidelium* non esse *veras* virtutes. 2°. Ibidem contendit omnia opera infidelium esse *peccata,* quia non sunt ex fide. 3°. *Fidem* esse unicam directricem intentionis, quæ opera faciat bona, ut in Ps. 31. n. 4. commentatur. 4°. L. 3. ad Bonif. c. 8. et L. de Sp. ac litt. c. 3. definit, liberum arbitrium nonnisi *ad peccandum* valere, *si lateat via veritatis,* h. e. gratia fidei absit.

R. *N. Ass. Ad* 1um. R. *D.* Ut ostendat virtutes infidelium non esse veras in eo sensu, quo veras virtutes esse dicebat Julianus *C.* in sensu nostræ conclusionis *N.* Julianus quidem statuebat 1°. opera esse simpliciter bona, quæ essent ex officio bona, licet ex pravo fine fierent. 2°. Virtutes gentilium esse simpliciter veras, iisque illos simpliciter et absolute constitui bonos aut justos. 3°. Has gentilium virtutes nec exiguas esse, nec infrequentes. 4°. Docebat, vel ex ejus doctrina certe inferebat Augustinus, eas virtutes meritorias esse regni cœlorum. 5°. Argumentis S. Augustini pressus virtutes infidelium concessit esse steriles.

S. Aug. in his omnibus contradixit; quin et absurditatis et contradictionis Julianum convincebat : si enim virtutes non essent ex omni parte perfectæ; non tantum *steriles,* sed prorsus falsas ac vitia dicendas arguebat : si vero perfectæ forent, illisque vera justitia compararetur, contendebat easdem non esse *steriles* ad vitam æternam. Atque hæc quidem in libris contra *Julianum;* quibus similia præmiserat L. de nupt. et concup., unde lis ipsi cum Juliano orta fuit. Nam et hic infidelium conjugatorum actus plerumque malos dicit ob finem perversum, qui non *negative* duntaxat, sed *contrarie* ad cultum Dei non pertinebat.

Ad 2um. R. *D.* Contendebat opera infidelium omnia, h. e. pleraque esse peccata, utpote ex fine pravo facta *C.* omnia absolute et sine exceptione, etiam illa, quæ ex honesto fine fiebant *subd.* contendebat esse peccata, h. e. non esse opera veræ justitiæ, quæ operantem Deo gratum reddant *C.* esse peccata vere, proprie et formaliter talia *N.* Controversia principalis S. Aug. inter et *Julianum* versabatur in eo : an virtutes infidelium sint veræ virtutes ac simpliciter, h. e. more theologico et Christiano sumptæ, quæ scilicet hominem Deo acceptum constituant et ad vitam æternam promerendam conferant? atque hoc esse negavit Aug., tum quia opera ex *officio* tantum bona et ex *fine pravo* facta, sunt proprie peccata : tum quia facta ex fine quidem bono, sed *sine fide* non faciunt hominem Deo gratum; cum sine fide impossibile sit placere Deo.

Quæstio *incidens* et ex laude Romanorum heroibus ac Gentilium Philosophis a *Juliano* data fuerat hæc : an eorum opera ex officio bona fuerint profecta ex fine bono? Ad hanc, ut ex L. de Sp. et litt. cit. constat, Aug. dicebat, *vix* talia inveniri, et sic nonnisi rara ac pauca esse. Quare, cum parum reputetur pro nihilo, et hæc quæstio extra scopum controversiæ principalis versabatur, S. Aug. subinde asserebat contra *Julianum* simpliciter, omnia infidelium opera esse peccata.

Ad 3um. R. *D.* Fides dirigit intentionem ad finem et opus supernaturale *C.* naturale seu moraliter bonum *N.* S. Th. 2. 3. q. 10. a. 4. ad 2. S. Augustinum sic explicat : *Fides dirigit intentionem respectu finis ultimi supernaturalis, sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis.* Hinc dum S. Augustinus opera ante fidem vocat *magnas vires et cursum celerrimum, sed extra viam;* apparet illa agnosci ut bona, sed ad meritum vitæ æternæ omnino sterilia.

Ad 4um. R. Idem dictum S. Augustini, uti et sententiam Concilii Arausicani, qua definitur neminem habere de suo nisi mendacium et peccatum, vide n. 260.

Inst. 2. Si quod opus esset ex omni parte bonum, foret illud, quod suscipitur ex amore honestatis : atqui ejusmodi actio non est bona, juxta S. Aug., qui L. 19. de Civ. c. 25. *Licet a quibusdam,* inquit, *tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatæ et superbæ sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt;* ergo.

R. *N. min.* Ad text. S. Aug. *D.* virtutes inflatæ et superbæ sunt, si referantur ad se ipsas, h. e. si appetantur, ut conferatur animo decor continentiæ v. g. aut probitatis, qui scilicet humanæ gloriæ deserviat *C.* h. e. si appetantur propter ingenitam rationem honestatis *subd.* si hæc honestas habeatur pro fine ultimo, ut Stoici faciebant *C.* si tanquam finis ordinabilis ad Deum, qui est omnis honestatis fons, principium et regula *N.* Tunc enim favet nobis potius S. Doctor, præcipue L. 83. QQ. q. 30.

Inst. 3. Quamvis speculative probabile sit, hominem posse se convertere ad honestatem virtutis, et sic implicite ad Deum, practice tamen nunquam se ad illam convertit absque *philautia,* ut ait S. Aug. L. 4. contr. Julian c. 3. n. 28. scribens : *Nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quam quælibet alia creatura.*

R. *N. Ass.* Quod distinctione hac aptum est ad elidendam damnationem articuli Baiani 27., supra citati. *Ad text.* R. Ex contextu liquet, his verbis doceri duntaxat facile quidem et frequenter hominibus etiam justis, non tamen semper et in actione omni evenire in hac mortali vita, ut concupiscentia mala ac superbia sollicitet animum, et eum vincat. His adde, quod quamvis intra res creatas nihil sit, quod homo præ se magis amet, tamen Deus sit, in quem naturaliter feratur.

Inst. 4. Si possumus bonum naturalis ordinis præstare, possumus pariter servare *legem naturæ* ac Deum diligere, et consequenter potiri vita æterna ; cum Matth. 19. dicatur : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hoc vero concesso statuenda erit pro ejusmodi hominibus vita æterna diversa a regno cœlorum, ut S. Augustinus sæpius citatus cont. *Julianum* declarat. *Conf.* Voluntas hominis lapsi magis est propensa ad *malum,* quam ad *bonum* : sed hac propensione majore ad malum stante, nequit sine gratia exire in opus moraliter bonum; ergo.

R. *Transmissa* 1a. *Seq. N.* 2am. Ad consequendam *vitam æternam* non sufficit observatio mandatorum quæcumque et naturalis, sed salutaris; quam postremam cum *Julianus* solis naturæ viribus haberi posse vellet, recte qui-

dem S. Augustinus commemoratum absurdum intulit contra *Julianum*; in nos vero id minime quadrat.

Ad Conf. concessa M. Præsertim si præter originale peccatum insit etiam homini habitus vitiosus; *N. min.* quia stante etiam tali propensione, nisi hæc supponitur esse tentatio valde gravis, homo non tantum *physice*, sed et *moraliter* indifferens est sine gratia supernaturali, et potest assentiri bono honesto opposito.

Inst. 5. Homo nunc est ad *finem supernaturalem* elevatus; ergo ut per quemvis actum inhonestum recedit ab hoc fine, ita per quemvis actum honestum ad eumdem accedit; tum quia alias deterioris conditionis homo esset respectu operationis bonæ: tum quia assignari nequit, ad quæ opera detur vel requiratur gratia: sed sine gratia homo nequit accedere ad finem supernaturalem; ergo.

R. *N. Cons.* Sicut enim homini non debetur *elevatio* ad finem supernaturalem; sic etiam ea supposita non debetur ipsi *potentia*, qua possit per singulos actus positive converti ad finem supernaturalem; quod quidem de peccatoribus maxime *infidelibus* facile omnes concedunt: respectu *fidelium* autem nonnulli putant dari semper homini libertatem cum præparatione necessariorum talem, ut homo semper possit ponere vel actum malum, vel actum naturaliter tantum honestum, vel actum supernaturalem; quæ opinio videtur carere sufficienti fundamento; præsertim cum in sententia supernaturalitatem a motivo desumentium possit sæpe in actione occurrere motivum duntaxat naturale; in aliorum autem systemate non statuatur adesse gratiam prævenientem in omnibus prorsus actionibus etiam præcepto positivo non subjectis. Unde

Ad prob 1am. R. *T.* Quia per hanc inæqualitatem, in alio indebito fundatam, ac præterea propter peccatum originale aliquo modo debitam, nulla homini fit injuria.

Ad prob. 2am. R. *N.* Datur enim gratia ad ea opera, ad quæ requiritur; ejusmodi autem sunt tum opera salutaria et vitæ æternæ meritoria, tum actus difficiliores etsi naturales duntaxat, ut mox dicetur. Cæterum gratiarum distributionem definire nostrum non est. Quis enim *cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?*

ARTICULUS V.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD SERVANDAM LEGEM NATURALEM?

308. *Nota.* Quæstio proposita circa hominem duntaxat in statu *naturæ lapsæ* movetur; de homine enim in statu *naturæ integræ* Theologi communiter cum S. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. et 8. sentiunt, eum facile quovis longo tempore totam legem naturalem sine speciali gratiæ auxilio servare potuisse: quid vero de *natura pura* dici queat, dictum est n. 34. et 38. Porro supponimus hic tanquam certa, vel superius jam expedita: 1°. Legem naturalem actus supernaturales etiam præcipientem non posse impleri *sine gratia;* quia hæc ad illos actus necessaria est: 2°. Nec etiam legem pure naturalem sine gratia observari posse *quoad modum*, seu ut hæc observatio conducat ad salutem; cum actus salutaris sine gratia haberi nequeat;

3°. Dari sine speciali gratiæ auxilio in homine potentiam *moralem* æque ac *physicam*, ut brevissimo aliquo tempore observet præcepta legis naturalis tunc temporis occurrentia affirmativa, nec ullum ex negantibus transgrediatur, modo absit gravis tentatio in contrarium.

309. *Dico I.* Tota lex naturalis sine gratia potest *potentia physica*, h. e. secundum requisita ex natura rei ad hoc, ut actus poni possit, diu ab homine lapso servari secundum *substantiam*, h. e. secundum ea, quæ pertinent ad bonitatem moralem.

Prob. Tota lex naturalis secundum substantiam considerata non superat in præsenti statu vim humanæ voluntatis ; ergo sine gratia potest *potentia physica* servari secundum substantiam, et quidem diu, cum non uno tempore occurrat tota præceptorum collectio simul observanda. *Ant. prob.* Ut tota lex vel collectio præceptorum non superet vim humanæ voluntatis, satis est, quod observatis seorsim præceptis pluribus, nihil minuatur humana voluntas secundum virtutem physicam ; hæc non minuitur ; ergo.

310. *Obj.* Impotentia *proprie physica* est, quæ habetur ex infirmitate aut defectu virium : sed natura sine gratia ad observandam legem est infirma, et habet defectum virium ; ut patet ex S. Aug., qui L. de perf. just. c. 2. ad rat. 1am. sic respondet : *In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversus spiritum.* Et S. Th., dum 1. 2. q. 109. art. 4. negat, hominem posse implere præcepta *sine gratia sanante* : imo art. 2. negat, hominem totum sibi connaturale bonum agere, ita quod in nullo deficiat.

R. *D. M.* Impotentia proprie physica est, quæ habetur ex infirmitate et defectu virium absolute sumptarum et simpliciter necessariarum *C.* quæ habetur ex defectu virium tantum respective sumptarum, neque necessariarum simpliciter *N.* Natura lapsa equidem non est sana, sed lapsa et infirma, si sumatur respective ad naturam integram, neque, ut illa, *vires sanas* ac *robustas* habet, atque hinc virium defectum habet ; ut dictum est n. 174. et seqq. ; sed easdem requiri ad potentiam physicam observandæ legis naturalis habendam, negatum est tum ibid., tum in præcedentibus.

Hinc ex allatis testimoniis nihil efficitur contra *potentiam physicam* ; tum quia S. Aug. impotentiam repetit duntaxat a resistentia appetitus inferioris ; quæ facit tantum moralem impotentiam : tum quia uterque loquitur de infirmitate respective ad *statum integrum* ; quod manifeste etiam patet in locis ex D. Thoma objectis, ubi utrobique prius de natura integra resolvit, illi adesse potentiam ; quæ cum non physica tantum, sed et moralis fuerit, sequitur ab eodem naturæ corruptæ negatam solum fuisse moralem potentiam, non physicam quoque. Adde, quod S. Doctor per *gratiam sanantem* intelligat sanctificantem, quam propter duo requirit, nempe ut natura corrupta sanetur, et ut bonum ordinis supernaturalis, quod condigne meritorium est, operetur.

Inst. 1. S. Aug. l. c. c. 3. ad rat. 5. comparat infirmitatem voluntatis cum *vitiato pede* ejus, qui claudicat ; et S. Hier. L. 3. contr. Pelagian. n. 11. hominis impotentiam ad non peccandum exæquat cum impotentia ad *non ægrotandum* ; ergo asserunt impotentiam vere physicam.

R. *N. Cons.* Comparatio enim non est *quoad omnia;* alias sicut claudus necessario claudicat et ubique, sic et homo sine gratia peccaret necessario et semper, quod nec adversarii hic nostri volunt, nec intendit etiam S. Aug., utpote qui ibid. resp. 3ª. dicit *parum esse,* non autem *nihil posse*, voluntatem ad non peccandum. Stat ergo comparatio duntaxat in eo, quod sicut claudum esse est aliqua impotentia, qua non potest homo non claudicare; ita humanæ voluntati sua sit imbecillitas, ex qua non possit non peccare *sæpe,* nisi adjuvet gratia; ad quod non est necesse, ut hæc, sicut illa, sit impotentia physica. Eadem explicatio facilius etiam adhibetur comparationi *Hieronymianæ.*

Inst. 2. Si homo non habet impotentiam physicam; ergo gratia solum requiritur ad legem facilius et non simpliciter observandam : consequens est Pelagianum; ergo.

R. *N. M.* Nam 1°. gratia non desinet esse *absolute* necessaria tum ad legem naturalem, imperantem obsequium præceptis *supernaturalibus*; tum ad præcepta naturalia quoad modum observanda; quod utrumque inficiabantur Pelagiani. 2°. Erit semper necessaria ad implenda etiam præcepta naturalia quoad *substantiam*; quia admittitur impotentia moralis, qua posita moraliter loquendo præcepta servari nequeunt. 3°. Quamvis hæc moralis impotentia confundi possit cum maxima difficultate; tamen ubi intercedit, infallibiliter futurum est, ut actus non fiat : unde plus dicit, quam *difficilius.*

311. *Dico II.* Nequit tamen *potentia morali,* h. e. sine magna difficultate, ab eodem ita servari longo tempore, quin nunquam intra idem tempus peccet, legis præceptum non observando.

Prob. Auctoritate. 1°. Scripturæ. S. Paulus ad Rom. 7. cum v. 23. dixisset : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis,* mox v. 24. ingemiscens et quærens subjungit : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ac tandem v. 25. sibi ipsi respondet : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Ex hoc autem constat imprimis, sicut per legem membrorum intelligitur *concupiscentia,* sic per legem mentis intelligi *legem naturalem* menti insculptam : deinde hanc legem naturalem impleri non potuisse a Paulo *sine gratia* : denique idem tenere respectu omnium hominum; quia ratio impotentiæ, quam agnoscit, nempe fomes peccati seu concupiscentia, est omnibus communis, et in plerisque longe major.

2°. Conciliorum. Carthaginen. II. in epist. Synod. ad Innoc. I., quæ est 90. inter epistolas S. Augustini (al. 175. n. 2.), damnat Pelagianos, quod dicerent liberum arbitrium absque Dei gratia implere posse legem, *sive naturaliter in corde scriptam, sive in litteris datam.* Carthaginense IV. seu, ut alii laudant, Milevit. II. Can. 5. (Labb. t. 2. p. 1539.) anathema dicit illis, qui dixerint, quod *etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa, divina implere mandata.*

3°. Patrum, præsertim S. Augustini, qui in L. de Sp. et litt., ubi totus est, ut ostendat legem sine gratia servari non posse, c. 27. n. 47. sic inquit : *Nec moveat quod naturaliter eos dixit* (Paulus), *quæ legis sunt facere, non Spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.* Negari autem hic

tantum *potentiam moralem* de tota lege, patet ex L. 2. de peccat. mer. et rem. c. 3.

Prob. II. Ratione. Ex parte observandorum habetur magna difficultas: ex parte observantium naturalis quædam reluctantia; ergo. Sane in nostro casu omnia præcepta naturalia sunt observatu quoad se valde difficilia, et rebellio appetitus refugit, aut ad contraria sollicitat; quæ si etiam non urgeret, voluntas ratione suæ mobilitatis ac inconstantiæ, atque ad delectabilia propensionis totas suas vires ad agendum non esset semper adhibitura, ut proxime S. Aug. l. c. testatur.

Conf. Quia voluntas absque speciali auxilio nequit superare *gravem tentationem,* quæ intra longum tempus sine speciali protectione Dei extrinseca non abest.

312. *Obj. I.* Præcepta omnia legis naturalis sunt naturalia, et hinc viribus liberi arbitrii naturalibus proportionata; ergo et per easdem moraliter possunt servari. *Conf.* Deuter. 30. postquam præmisisset Moyses mentionem omnium præceptorum et legis, v. 11. *Mandatum hoc,* ait, *quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum;* ergo lex tota naturalis facile ac moraliter servari potest.

R. *D. A. seq.* Sunt proportionata, quantum ad ordinem *C.* quantum ad potentiam et vires *subd.* quantum ad potentiam tum physicam, tum moralem sunt proportionata viribus integris adhuc et sanis, quales habuerat Adamus *C.* quantum ad utramque potentiam sunt proportionata viribus infirmis ac debilitatis certe per peccatum Adami, quibus tantum restat potentia *physica,* nisi juvetur gratia *N.*

Ad Conf. D. Cons. Potest lex naturalis tota servari facile et moraliter per auxilium gratiæ *C.* sine eo *N.* Loquitur enim hic Moyses non de naturali duntaxat, sed et de scripta, ut ex præcedente versu patet, ad quam pertinere gratiam et ipsi adversarii concedunt, quamque gratiam nemo eorum negaverit adfuisse Judæis, ac ipse Moyses non obscure promiserat, dum eod. cap. v. 6. prædixit: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum* etc.

Inst. 1. S. Chrys. hom. 5. in ep. ad Rom. ad hæc verba: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* sic inquit: *Gentiles admiratione digni sunt, quod nec lege* scripta *ipsis opus fuerit, et tamen omnia, quæ legis erant, præstiterint;* ergo.

R. *D. A.* Gentiles omnia, quæ legis erant, præstiterunt hoc sensu, quod alii alia præcepta impleverint *C.* hoc sensu, quod singuli omnia impleverint *N.* Unde et Apostolus videtur attente non dixisse: Gentes naturaliter legem faciunt, sed: *ea, quæ legis* sunt; cum e contra paulo ante scripsisset, *factores legis,* nempe totius, *justificari,* quod sine gratia non fit.

Inst. 2. S. Th. in 2. dist. 28. a. 2. et 3. expresse docet, hominem non tantum singula, sed et omnia peccata mortalia vitare, et omnia legis naturalis præcepta, quantum ad *substantiam* actus, sive ad hoc, quod directe cadit sub præceptum, implere posse; ergo.

R. Ut supra, S. Thomam hic loci naturæ tribuere duntaxat potentiam *physicam,* non vero moralem, quemadmodum et in Summa moralem tantum negasse diximus; atque hinc non necesse cum aliis putamus, juniorem

Doctorem cum seniore committere. Eodem sensu explicari possunt Durandus, Scotus, Gabriel aliique antiquiores, quibus eadem sententia passim tribuitur.

Inst. 3. Quod *moraliter* tantum est impossibile, non est simpliciter impossibile, sed solum *difficile*; ergo fieri potest, ut quandoque oppositum contingat. Sed hoc posito sequitur gratiam non esse ita necessariam, ut in ejus defectu nequeat lex observari per longum tempus, quin homo peccet; ergo. *Conf.* Homo ex victoria aliquot difficultatum circa unum aut plura præcepta fit promptior et acquirit *habitum*, quo facile operetur; ergo collectio præceptorum nihil facit ad impotentiam moralem.

R. *D. A.* Quod moraliter latius est tantum impossibile, non est etc. *C.* quod moraliter strictius est impossibile, adeo, ut per vires physicas absolute fieri nequeat, non est simpliciter intra genus impossibilitatis moralis impossibile, adeo nempe, ut quamvis ad oppositum non desit potentia *physica*, tamen res tot affecta sit difficultatibus, ut nunquam de facto fiat *N.* Unde negatur conseq., et sic fundamentum ruit subsumpti, de quo etiam. num. 310. dictum est.

Ad Conf. R. *D. A.* Fit promptior circa actus ejusdem speciei, et circa eosdem etiam acquirit habitum *C.* circa actus diversæ speciei *N.* Jam vero præceptorum diversorum diversi sunt actus, adeoque obtemperans uni vel alteri præcepto non acquirit promptitudinem vel *habitum* pro observanda tota lege. Præterea voluntatis inconstantia et ad delectabile propensio intra longum tempus prævalebit habitui non admodum radicato, nisi gratia juvetur.

Inst. 4. Datur potentia moralis ad omnia præcepta distributive servanda; ergo et ad omnia collective. *Conf.* Quæ sunt moraliter impossibilia, nequeunt *voveri*, aut a superiore *positive imperari*; ergo nec lege naturali ea præcipi possunt; maxime quia ad peccandum requiritur libertas et potentia etiam moralis.

R. *D. A.* Datur potentia moralis observandi præcepta distributive omnia, τὸ distributive sumendo proprie et implendo collectionem *N.* sumendo improprie vel potius singulariter seorsim ac divisive, seu connotando unum vel alterum indeterminate tamen sumptum non observari, atque hinc collectionem non impleri *C.*

Ad Conf. R. *Transm. Ant.* de impossibilitate morali indeterminata *N.* *Cons. Disparitas* est, quia *lex naturalis* est circa intrinsece mala, quæ a Deo necessario prohibentur, neque possunt fieri licita per hoc, quod in illis indeterminate vitandis occurrat difficultas moraliter insuperabilis. Quæ vero *positive* prohibentur, non prohibentur necessario, sed a libera voluntate legislatoris dependent, qui pro sua prudentia non censetur velle obligare in iis circumstantiis, ubi occurrit difficultas rationabilis et moraliter invincibilis. Eadem fere ratio est de materia *voti*, dum hæc libera est; quia esset nimia præsumptio de propriis viribus; unde nec Deus similia vota acceptat, si forte fiant, nisi in particularibus casibus voluntatem vovendi simulque fiduciam consequendi auxilii ad votum moraliter implendum inspiraverit.

Ad Prob. R. *D.* requiritur potentia moralis excludens necessitatem determinatam *C.* indeterminatam *N.* vel *subd.* Superandam tamen vel viribus propriis vel gratiæ auxilio *N.* neutro modo superabilem *C.* Atque hinc

etiam oritur discrimen inter Legislatorem *Deum* seu per dictamen naturæ, seu per positivum præceptum aliquid præcipientem, et Legislatorem *humanum* ac *voventem*; cum ille vires aliunde suppeditare possit, hic vero minime.

313. *Obj. II.* Auxilium speciale seu gratia a nobis ad implendam diu naturalem legem requisita nec potest dici entitative *naturalis*, ut patet: nec supernaturalis, quia nequit determinari, an sit gratia tantum actualis, eaque detur fidelibus tantum, vel etiam infidelibus; an sit habitualis, eaque sic nonnisi justis communicetur.

R. 1°. Ex decreto Dei et lege divina, per Scripturas, Concilia et Patres nobis manifestata, requiritur gratia *entitative supernaturalis*.

R. 2°. Probabile est, auxilium supernaturale ad vitanda diu peccata contra legem naturalem non dari, nisi credentibus et *fidelibus*; quia gratia *in fide* fundata non datur, ordinarie saltem et regulariter, nisi habenti fidem: sed auxilium necessarium ad servandam diu legem naturalem est gratia in fide fundata; ergo. *Min. prob.* 1°. Ex verbis Apostoli ad Rom. 3. v. 27. *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.* Quibus insinuat, Judæo non esse gloriandum de legis observantia, eo quod hanc habeat ex fide; ut explicat S. Aug. L. de Sp. et litt. c. 10. 2°. Ex epist. Synod. Carth. II. sup. cit., in qua Patres contra *Pelagianos* docent auxilium, quo liberum arbitrium fit vere liberum, dum a dominatu carnalium concupiscentiarum liberatur, esse gratiam Dei, et *impetrari per fidem, quæ est in Christo Jesu.* 3°. Quia ex Conciliis et Patribus constat, gratiam ad legem servandam non dari, nisi propter merita Christi: sed quæ datur gratia propter merita Christi, saltem lege ordinaria non datur, nisi mediante *fide* Christi explicita vel implicita; ergo.

R. 3°. Probabile etiam est, simile auxilium ad eumdem finem non dari, nisi *justis*, adeoque hoc sensu gratiam habitualem esse necessariam ad legem diu servandam. Ita D. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. et 8., ac colligitur tum ex ep. Synod. laudata, quæ dicit per gratiam, *qua Christiani sumus*, nos liberari a dominatu illo concupiscentiæ, tum ex Carthag. IV. itidem cit., quod can. 3. definit: *Item placuit, ut quicumque dixerit, in qua justificamur per Jesum, gratiam Christi D. N. ad solam peccatorum remissionem valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema sit.* Gratia autem, qua justificamur, et non committuntur peccata, habitualis est: peccata vero non committuntur observando omnia præcepta. S. Aug. ep. 95. (al. 177. n. 4.) cum aliis Episcopis scribit, liberum arbitrium non esse satis ad non peccandum, nisi juvetur per gratiam: hanc vero negat esse legem, ut Pelagius intellectam voluit, sed *gratiam, qua justificamur ab iniquitate et salvamur ab infirmitate.*

Inst. 1. Concilia et Patres tantum intelligendi videntur vel de observatione legis etiam ad actus *supernaturales* obligantis, vel de observatione *meritoria*; quia eorum mens duntaxat fuerat contradicere Pelagio, ejusque in his capitibus duntaxat versanti hæresi.

R. *N. utr. part. Ant.* Ratio *primi* est, tum quia Apostolus implorans gratiam, eam maxime petit ad vincendam concupiscentiæ rebellionem quæ potissimum repugnat legi pure naturali: tum quia Concilia et Patres *indefinite* loquentes de necessitate gratiæ ad observandam legem nequeunt intelligi de

actibus supernaturalibus tantum, utpote rarioribus et nonnisi pauca præcepta vel unicum naturale connotantibus. Ratio *secundi* est; tum quia iidem in suis sententiis de observanda lege nullibi addunt illam limitationem, *sicut oportet*, alias frequenter adhiberi solitam circa actus moraliter bonos; ergo signum est, quod voluerint legem sine gratia simpliciter observari non posse: tum quia illi etiam alibi dicunt liberum arbitrium *parum*, aut *fere nihil* valere ad prosequendum bonum et vitandum malum; unde si sensissent illud valere moraliter ad legem diu non salutariter observandam, non jam parum, sed plurimum tribuerent libero arbitrio.

Ad prob. R. Equidem *Pelagii* hæresis in binis illis capitibus versabatur; sed ea posita a fortiori dicere is potuit aut debuit tum physicas, tum morales vires soli naturæ inesse ad observantiam mere naturalem, nihilque conferentem ad veram justitiam ac vitam æternam. Unde sicut Concilia et Patres hæresin clare et expresse damnarunt; sic corollarium ejus necessarium ab illis adeo *generaliter* loquentibus repudiatum fuisse, probabilius colligi posse existimamus.

Inst. 2. Ex *universali* eorum loquendi formula æque posset inferri, non dari potentiam physicam in homine, sicut nos colligimus impotentiam moralem; præsertim cum æquali ratione requirant gratiam ad observandam legem, ut exigunt ad actus salutares.

R. *Disparitas* est, quia iidem etiam termini accipiendi sunt diversimode pro materiæ occurrentis diversitate: actus autem salutares tanquam supernaturales *ex ipsa rei natura* et notione supernaturalitatis exigunt gratiæ principium effectivum; cum gratia non tanquam principium physicum, sed duntaxat morale, neque ex ipsa rei natura, sed lege divina et ordinatione tantum requiratur ad observantiam legis. Quin licet Deus *in moderna providentia* semper daret gratiam supernaturalem ad legem etiam mere naturalem observandam per modum principii physici, quo fieret observatio salutaris; tamen id non foret ex ipsa rei natura, sed ex unica Dei voluntate et *libera ordinatione*, quæ absolutam gratiæ necessitatem ad observantiam præcise naturalem non infert.

Inst. 3. Si gratia fidei vel habitualis sit probabiliter necessaria ad observandam diu legem; ergo imprimis diu implens legem vel non peccans, certo posset colligere se esse justum: deinde infidelis vel peccator non habebit auxilia sufficientia, eritque moraliter necessitatus ad peccandum. Utraque sequela non est admittenda; ergo.

R. *N.* 1am. *seq.* Quia aliud est non habere peccati seu legis violatæ conscientiam, aliud non peccare et implere legem, juxta illud 1. ad Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et Ps. 18. v. 17. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Præterea si quis etiam novisset, se præcepta diu implevisse, *certus* tamen esse non posset de sua justitia; cum nostra de necessitate gratiæ habitualis sententia limites *probabilitatis* non excedat; tum quia allatas probationes forsan de gratia *actuali* quis explicare posset: tum quia dici posset, ea, quæ ad gratiam habitualem pertinent, ostendere duntaxat, illa data præstari auxilia *commodiora*, licet ea absente sufficientia non desint.

Ad 2am. *seq.* R. *D.* Peccator et infidelis non habebit auxilia sufficientia immediata *T.* ob modo dicta. Non habebit mediata *N.* sed de hoc infra.

QUÆRES I. *An gratia necessaria sit ad amandum Deum super omnia?*

314. *Nota.* Inter actus moraliter bonos præcipuus est *amor Dei,* sicut inter præcepta etiam naturæ primum et maximum de hoc amore. Amor hic alius est concupiscentiæ, quo quis diligit Deum ut sibi bonum : alius benevolentiæ, quo diligit Deum ut in se bonum; hic vel *imperfectus* est, quo quidem quis amat Deum, ejus bonitatem ac omnes perfectiones propter Deum, quin tamen vi hujus actus sit paratus ad omnia Dei præcepta servanda, seque ac omnia referat in Deum : vel *perfectus,* vi cujus etiam omnia referuntur ad Deum, ac Deus præfertur omnibus; voluntasque parata est per absolutum propositum res potius cæteras relinquere, quam Deum, vel quam peccare graviter. Atque hic amor tum *efficax,* tum *super omnia* dicitur, ac rursus dividitur in affectivum et effectivum, seu obedientialem.

Affectivus potest consistere in unico actu etiam non perseverante, quo Deus summe amatur cum proposito ei placendi in omnibus, et vitandi, quæ illi graviter displicere possunt; et hic etiam actualis vocatur : *Effectivus* est, qui diu perseverat, importatque actualem Dei præceptorum observationem; hic habitualis vocatur a nonnullis, non quod in solo habitu stet, sed quod vel per sui iterationem, vel per effectus ejus virtute elicitos perseveret.

315. R. I. Sine gratia homo nequit moraliter amare Deum efficaciter et super omnia amore *effectivo.*

Ratio est, quia homo nequit observare totam legem moraliter sine gratia, nec sine gratia vincere tentationes graves, quæ in diuturna legis observantia et amore Dei omnibus creaturarum illecebris *actualiter* et *effective* præpositi occurrunt.

Nec dicas 1°. Voluntas potest naturaliter ferri in omne id, quod *intellectus* practice judicat esse prosequendum, sed intellectus semper practice judicat etiam ad longum tempus et occurrente quantumvis tentatione gravi esse amandum Deum; ergo. 2°. Non minus difficile est homini *assentiri* mysterio SS. Trinitatis aliisque fidei mysteriis, ac diligere Deum ut auctorem naturæ super omnia; ergo si illud potest intellectus supposita revelatione sine gratia, etiam hoc poterit voluntas. 3°. Angelus et homo in statu *naturæ integræ,* imo etiam in statu naturæ puræ potuissent moraliter Deum diligere effective super omnia; ergo et homo lapsus id poterit.

R. *Ad* 1um. *D. M.* Voluntas potest naturaliter ferri in omne id etc. potentia physica *C.* potentia morali *subd.* si illud cognitum sit facilis assecutionis *C.* sin minus *N.* Deus tanquam bonum *spirituale* et minus clare in hac vita cognitum imprimis non ita afficit voluntatem : deinde hæc propter suam *inconstantiam* et propensionem ad sensibilia minus potens est ad legem totam observandam : denique *gravis tentatio* appetitum sensibilem per se reluctantem fortius incitat; quæ omnia simul sumpta, cum seorsim etiam sufficiant, multo magis moralem potentiam elidunt.

R. *Ad* 2um. *T. A. N. Cons. Disparitas* est, quia, licet quis hæc credat, tamen hoc ipso non tenetur observare omnia præcepta, cum fides stare possit cum peccato actuali : secus est de dilectione Dei effectiva. Cæterum si homo post

revelationem graviter tentaretur ad dissensum, etiam moraliter solis naturæ viribus assentiri non posset.

R. *Ad* 3um. *Disparitas* est, quia in statu naturæ integræ et puræ id asseritur ratione *protectionis extrinsecæ*, et ob promptum auxilium Dei sive supernaturale, sive naturale uberius ac frequentius; hæc desunt, aut debita saltem non sunt naturæ lapsæ, quam ideo debiliorem extrinsece saltem statuimus.

316. R. II. Potest tamen moraliter sine supernaturali gratia amare Deum efficaciter et super omnia amore *affectivo*.

Prob. Homo naturaliter cognoscere potest Deum esse summum bonum, et idcirco super alia omnia esse amandum; ergo potest Deum sic cognitum naturaliter amare super omnia. *Cons. prob.* tum quia inter Deum ut rebus omnibus creatis præferendum negari nequit *proportio* objecti et potentiæ; tum quia facile potest contingere, quod tum temporis nullæ occurrant tentationes, neque alia objecta ulla voluntatem ultro ad Deum anhelantem retardent: tum quia ad amorem Dei affectivum super omnia non requiritur, ut qui ita amat, secundum præsentes quas habet vires, possit implere, quod præceptum est; sed sufficit, quod amor sit sincerus et æstimative tantus, quantus exigi potest, includatque saltem virtuale propositum servandi mandata per eas vires, quæ ad ea sunt necessariæ, ubi et quando hæ fuerint concessæ.

Conf. Amor Dei *super omnia* est actus homini per se valde connaturalis; ut constat ex dictis de natura pura: præterea natura lapsa non est intrinsece facta debilior, quam fuisset natura pura, ut ibidem ostendimus: denique nihil impedit, quominus per aliquod brevissimum tempus absint ea, quæ extrinsecam debilitatem naturæ lapsæ addunt; ergo.

Nec dicas 1. Conc. Araus. II. can. 25. docet: *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* Ibidem autem 1. per particulam *prorsus* includitur omnis dilectio: 2. impotentiam amandi non refert in *supernaturalitatem*, sed in liberi arbitrii infirmitatem per peccatum contractam: 3. ante peccatum Adæ jam fuit impotentia supernaturaliter amandi sine gratia; unde post peccatum contracta videtur impotentia naturaliter Deum amandi sine gratia.

R. Contrarium fundamentum nobis præbet illa limitatio adjecta, *sicut oportuit.* Item, quod similiter hic loquatur de amore Dei, ut de actu bono, *operari propter Deum, quod bonum est*: quorum *primum* ex sæpe dictis probat, sermonem esse de amore supernaturali, seu ut Trid. exponit, de *meritorio* justificationis: alterum vero illos doctrinæ non cohærentis arguit, qui admissa possibilitate actus moraliter boni ex hoc canone, negant possibilem amorem affectivum Dei naturalem. Præterea notandum, *gratiam* hic vocari *misericordiæ*; nam gratia naturæ integræ dicitur *gratia sanitatis* ob naturam tum sanam, integram et nullius curationis egentem; item *ex purâ liberalitate*, quia erat quidem naturæ indebita, illa tamen non erat gratia positive indigna: e contrario gratia naturæ lapsæ dicitur *medicinalis*, quia per eam sanatur natura vulnerata, inclinata et attenuata per amissionem donorum, integritatem et justitiam originalem constituentium; item *ex purâ misericordia*, quia natura lapsa etiam positive indigna est gratia. His suppositis

Ad 1am. *prob.* R. *D.* Includitur omnis amor supernaturalis; ut limitatio, *sicut oportuit*, explicat *C.* etiam naturalis *N.*

Ad 2am. *prob.* R. *D.* Non refert in supernaturalitatem, quæ habeatur a gratia sanitatis et puræ liberalitatis *C.* quæ habeatur a gratia medicinali et misericordiæ *N.* Etiam *alteram partem D.* Refert in liberi arbitrii infirmitatem consistentem in jactura donorum integritatis et innocentiæ originalis *C.* consistentem in diminutione intrinseca virium naturaliter debitarum *N.*

Ad 3am. *prob.* *D.* Ante lapsum Adæ fuit impotentia agendi supernaturaliter sine gratia sanitatis et liberalitatis *C.* sine gratia medicinali et misericordiæ *N. A. et Cons.*

Nec dicas 2°. Per actum amoris Dei super omnia, ut passim Patres dicunt, homo *disponitur ad justificationem*; unde et hic amor etiam dicitur amor amicitiæ, et reddit hominem Deo amicum ac justum, sed hæc fieri nequeunt sine gratia; ergo. Item per amorem Dei etiam naturaliter homo *converteretur* ad Deum; ergo.

R. *D. M.* Per naturalem actum amoris disponitur homo ad justificationem *N.* per supernaturalem *C.* Amor enim amicitiæ præcise ex eo dicitur, quia *gratis* et *benevole* amatur Deus: per naturalem autem Dei amorem non oritur amicitia, nec Deus redamat naturaliter duntaxat amantem, nec eum etiam amor naturalis facit justum; quia hic potest stare cum peccato actuali. Item converteretur ad Deum actualiter et tantum naturaliter, quod non sufficit ad impetrandam peccatorum remissionem *C.* habitualiter, quod debet fieri per gratiæ infusionem, vel supernaturaliter aut meritorie *N.* *Amor* quidem *naturalis* Dei excludit actum odii vel alium, quo homo actualiter se a Deo avertit; non vero meretur remissionem peccatorum, aut ea prius commissa delet.

Nec dicas 3°. Mandatum de amore Dei est maximum; et ipse *amor* est difficillimus, quia juxta Apostolum est *plenitudo* et *perfectio legis*; ergo si actus multo minus præstantes nequeunt sine gratia eligi, nec amor Dei poterit.

R. *Antecedens* omnino intelligendum esse de amore *effectivo*, ut ipsa verba Apostoli manifeste docent: actus autem minus præstantes sæpe elici naturaliter non posse ob difficultates graves circumstantes, non ratione *objecti*; cum ergo a nobis supponantur abesse hic difficultates circumstantiarum, ac objectum amoris affectivi ex supposito satis cognitum maxime amabile sit et proponatur, argumentum non est a minore ad majus, nihilque evincit.

Nec dicas 4°. Amor Dei effectivus naturaliter non datur, quia vi illius homo debet reddi dispositus ad servandam *totam legem* et vincendas *quaslibet tentationes*: sed vi amoris affectivi debet homo etiam ita esse dispositus; ergo.

R. *D. M.* Quia debet reddi dispositus ad servandam legem actu urgentem et vincendas tentationes præsentes ac reipsa sollicitantes *C.* ad legem pro circumstantiis futuris modo obligaturam, et tentationes forsan occursuras aut potentes occurrere *N.* Opposite *D. min. et N. Cons.* Sane efficacia effectiva multo major esse debet, quam affectiva, quia longe difficilior est *executio operis*, quam ejus propositum etiam serium: quando enim quis proponit bonum arduum, quin tamen jam debeat exequi, aut adsit tentatio urgens; tunc vivide repræsentatur bonum ponendum, languide autem et

obscure difficultas : in *actuali* autem *executione* et *tentatione* reipsa jam incumbente vividius repræsentantur difficultates, quibus clara repræsentatio boni impeditur, terretur ac perturbatur intellectus, voluntas ad fugam impellitur, nisi sancta cogitatio et inspiratio utrique potentiæ consulat.

Nec dicas 5°. Amor Dei etiam affectivus debet imprimis includere *odium* rerum omnium legi divinæ adversantium; ergo si hunc amorem possit elicere, poterit etiam totam legem servare : deinde debet habere *propositum* omnia subeundi potius, quam Deum offendere; sed actum ejusmodi *heroicum* nequit homo naturaliter elicere, qui ne unicam quidem tentationem gravem potest superare absque gratiæ auxilio; ergo.

R. *Ad* 1am. *p. D. Cons.* Poterit servare totam legem adæquate, quod fieret, si diu et constanter servaret *N.* inadæquate, h. e. brevissimo tempore, pro quo durat actus amoris Dei, poterit nullum præceptum violare *C.*

Ad 2am. *part. D. M.* Debet habere propositum formaliter et explicite ad omnia se extendens *N.* virtualiter tantum et implicite *C.* Sicut ad *amorem Dei super omnia* etiam supernaturalem non requiritur, ut fiat actualis comparatio Dei cum creaturis singulis, sed sufficit, ut amor in Deum feratur tanquam in bonum summum ac infinitum juxta generalem conceptum et æstimationem amantis; sic etiam *propositum* omnia potius subeundi non debet repræsentare animo omnes, quæ in observanda lege occurrere possent, difficultates, formaliter, explicite et quasi singillatim, sed sufficit, ut quis vi propositi nihil excipientis paratus sit ad Deum nunquam graviter offendendum, ita ut non possit stante hoc actu graviter peccare.

Primum si requireretur, utique amor actus heroicus foret; cum autem alterum pro amore sufficiat, neque absens aliqua difficultas æque intellectum et voluntatem afficiat, ut præsens; patet, cur tentationem unicam gravem vinci non posse dicamus sine gratia, et tamen naturæ moraliter possibilem permittamus actum amoris, qui propositum includit contra cumulum difficultatum, sed nec præsentium, nec explicite et clare repræsentatarum.

Nec dicas 6°. Præsumptio est velle, vel proponere aliquid facere, quod quis propriis viribus exequi nequit; unde S. Aug. serm. 124. de temp. (al. in app. serm. 79.) S. Petrum hujus peccati arguit, cum diceret : *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed certum est, nos *propriis viribus* non posse observare totam legem, et omnes tentationes vincere; ergo nec sine præsumptione posset elici amor Dei affectivus naturalis, siquidem eliceretur.

R. Præsumptio est proponere aliquid propriis viribus facere, quod quis propriis viribus exequi nequit *C.* proponere eo modo et per eas vires facere, quo et per quas aliquid fieri potest *N.* *Primus* proponendi modus tribuitur S. Petro ab Aug., et recte *præsumptio* dicitur : alter vero et præsumptione et alio defectu caret; cum, qui suis viribus hostem superare nequit, possit tamen velle efficaciter hostem vincere per suos, aut Principis fœdere juncti milites, tempore et loco non defuturos. Quare si quis etiam proponat superare tentationes, et observare legem eo modo et viribus, quibus hæc perfici possunt, *præsumptionis* notam non incurrit, præsertim si sciat, gratiam nunquam defuturam in iis præstandis, quæ vires naturæ excedunt. Ejus-

modi autem *propositum* fieri etiam posse patet in exemplo, quo quis dono miracula patrandi ornatus per actum naturalem diceret : volo patrare miracula.

QUÆRES II. *An gratia sit necessaria ad vincendas tentationes?*

317. *Nota I.* Tentationes contra legem sunt ; quia vel revocant ab actibus præceptis, uti est timor mortis avocans a confitenda fide ; vel impellunt ad actus prohibitos, ut concupiscentiæ motus allicientes ad fornicationem. Oriuntur vel ab *appetitu inferiori,* quem sequitur phantasia et intellectus sensibilia aut allicientia aut deterrentia vivide proponens ; vel ab *objectis extrinsecis* sive veris, sive apparentibus phantasiam concitantibus; vel a *dæmone* aliove principio extraneo species aut passiones sic concitando, ut intellectus ad judicium sensibilibus conforme, et voluntas ad consensum sollicitetur. Potest autem vis tentationis esse adeo vehemens, ut absorbeat vel perturbet rationis judicium ; quo casu, quia homo non manet liber atque in ordine ad bene operandum moraliter, de *tentatione* hujusmodi quæstio non agitatur.

Communius tamen tentatio relinquens imperturbatum rationis judicium potest esse vel gravis, vel levis : *gravis* autem non tantum respective ad hoc vel illud subjectum, sed absolute etiam est vel ex duratione diuturna, vel ex intensione, vel ex ipso habitu et consuetudine prava ; *simpliciter* tamen *gravis* communiter intelligitur esse illa, quæ tum intensive ob vehementiam passionis, quam in appetitu sensitivo excitat, tum extensive ob notabilem moram temporis, quo eadem tentatio durat, gravis dicitur : totidem ex adverso modis potest tentatio esse *levis,* seu ad vincendum facilis.

318. *Nota II.* Triplex potest esse victoria seu ratio superandi tentationes : 1ª. *Vitiosa,* ubi quis tentationem ad peccatum vincit alio peccato ; ut si quis avaritiam vincat ex vana gloria. 2ª. *Meritoria* et supernaturalis, ubi quis ex motivo charitatis salutaris et cum merito respectu vitæ æternæ superat tentationem. 3ª. *Præcise honesta* et naturaliter moralis, seu propter motivum naturalis honestatis. Jam vero de prima et secunda victoria hic sermonem non esse patet ex terminis ; de una tertia controversia agitur.

319. R. I. Homo lapsus sine gratia nequit moraliter vincere tentationes graves.

Prob. Quia tum SCRIPTURA, tum CONCILIA et PATRES de necessitate gratiæ ad vincendas tentationes universaliter loquuntur, nullum excipiendo, ut liquet 1°. ex Psal. 17. v. 30. *In te eripiar,* ait, *a tentatione.* Et Ps. 29. v. 9. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Sap. 8. v. 21. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Ad Rom. 8. v. 37. *In his omnibus superamus propter eum* (juxta græcum ratione constructionis cum genitivo : διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, *per eum*) *qui dilexit nos.* Matth. 6., ubi v. 13. jubemur a Christo orare Deum : *Et ne nos inducas in tentationem.*

2°. EX CONC. PALÆST. can. 11. (Labb. t. 2. p. 1530. D.) *Fateatur* (Pelagius), *quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, non ex pro-*

pria voluntate, sed ex Dei adjutorio provenire victoriam. Araus. II. can. 9. (Labb. t. 4. p. 1669.) : *Divini muneris est, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus.*

3°. Ex epist. Innocentii I. ad Synod. Carthaginensem (Labb. t. 2. p. 1285. B.): *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis et mundani corporis vincere conemur errores, cum pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.* Et Cœlestini ad Episcopos Galliæ (ibid. p. 1615. A.) : *Nemo, etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

4°. Ex Patribus. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Cor. n. 1. ad illa verba : « Tentatio vos non apprehendat, nisi humana : » *Sunt ergo,* inquit, *tentationes, quas sufferre non possumus ; et quænam illæ ? omnes, ut semel dicam : possibilitas enim in divino nutu est.* Ambros. in Ps. 43. n. 71. *Quis est tam fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei adjutor assistat.* Hier. L. 2. adv. Pelag. n. 16. ad illa Christi verba : « Quid dormitis? surgite et orate, ne intretis in tentationem : » sic urget Pelagianos : *Debuit juxta vos dicere : quid dormitis? surgite et resistite ; liberum enim habetis arbitrium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio.* Aug. denique L. de bono viduit. c. 17., serm. 13. de verbis Apost. (al. serm. 156. c. 9. n. 9.), hom. 23. inter 50. (al. serm. 99. c. 6. n. 6.). idem pronuntiat, maxime autem L. de perfect. Justit. c. 21. ubi sic inquit : *Plane quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem* (*negat autem hoc qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed, sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem*), *ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito.*

Infero : Ergo certum videtur, illos saltem intelligendos esse de omnibus et singulis tentationibus gravibus; nam quamvis Concilia et Patres ut plurimum loquantur de victoria *salutari* et meritoria vitæ æternæ, tamen ex supra dictis patet, necessitatem gratiæ ab illis fundatam esse in liberi arbitrii infirmitate, quod *nihil* aut *parum* valere volebant ad servandam legem et tentationes vincendas : valeret autem illud sane multum, si vel unam tentationem *simpliciter gravem* superare posset.

His adde : 1°. *Appetitus sensitivus,* utpote cujus objecta, quia præsentia et frequentius usurpata, nos magis afficiunt, importunius allicit, sive se solo, sive accedente etiam dæmonis instigatione. 2°. *Intellectus,* cujus inclinatio est ferre judicium secundum dispositionem appetitus sensitivi, præcedenti hujus appetitus vehementi æstimatione et affectu, in idem objectum sensibile trahitur; adeoque et *voluntas,* si non necessario, saltem infallibiliter sequitur, adeoque propter hæc impedimenta est quædam *moralis impotentia.*

Nec dicas 1. *Concupiscentia* est sub nostra potestate juxta illud Genes. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus tuus ;* ergo non est impossibilitas, sed tantum difficultas ei resistendi, ut innuit S. Anselm. Quin et saltem in casu moraliter possibilis esse videtur victoria tentationis ; si quis jam sæpius vicit tentationes *leves,* et hinc contraxit habitum vincendi.

R. 1°. *D. A.* Concupiscentia est sub nostra potestate physica *C.* morali, si gravis sit tentatio *subd.* supposita gratia *C.* sine illa *N.*

R. 2°. *D. Cons.* Ergo tantum est difficultas, sed tanta, quæ semper impediat actum *C.* non tanta *N.* Utraque quidem potest dici impotentia moralis, nempe vel late, vel stricte sumpta : nos postremam asserimus.

R. 3°. *D.* Acquiritur habitus et facultas ad victoriam similem et æque facilem *T.* ad victoriam tentationis gravioris *N.*

Nec dicas 2°. Posita quacumque tentatione gravi non perturbante rationis judicium, homo consentiendo *peccat* per se loquendo graviter, si sit materia gravis ; ergo debet etiam *moraliter* posse resistere tentationi, quia impotentia moralis saltem determinata obest libero arbitrio, et excusat a peccato.

R. *D. Cons.* Debet simpliciter moraliter posse resistere *N.* secundum quid moraliter *C.* Potentia moralis *secundum quid* talis resistendi tentationi etiam determinatæ habetur tum per potentiam physicam liberæ voluntatis, tum per gratiæ auxilium paratum ad supplendum, quod viribus propriis naturæ moraliter impossibile est. Quin, si illa moralis potentia per auxilium illud gratiæ etiam deest, et consequenter non est proxima; non deest tamen gratia excitans ad *orandum,* pro uberiore et requisito gratiæ auxilio ; et sic potentia moralis saltem remota et mediata præsto est, quæ una cum potentia physica sufficit ad præstandam libertatem in ordine ad peccatum.

Nec dicas 3°. Legimus Romanos aliosque aut *infideles* aut *hæreticos* subinde superasse mortem, quæ sicut ex Philosopho rerum omnium est maxime terribilis, sic ejus tentatio gravissima est. Hæc victoria non potest dici semper fuisse *vitiosa,* tum quia non omnes infidelium virtutes sunt vitia : tum quia honestas objecti videtur idem præstare posse, quod conceditur vanæ gloriæ aut alteri pravo fini : neque potest referri ad gratiæ auxilium; tum quia hoc illis ad timorem mortis superandum datum fuisse gratis dicitur : tum quia dici non potest, an illud fuerit supernaturale vel naturale; ergo debet asseri propriis naturæ viribus.

R. Victoriam vel vitiosam fuisse, vel per auxilium speciale evenisse. Ita S. Aug. L. de Patientia, ex cujus c. 17. desumptus est Conc. Araus. can. 17. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit.* Hujus rationem S. Doctor ibid. dat his verbis : *Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis : charitas autem Dei diffusa est in cordibus,* etc. Demum ubi c. 26. et 27. posuisset schismaticum pro fide Christi perferentem supplicia, subjunxit : *Proinde sicut negandum non est, hoc etiam esse donum Dei : ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem.* Denique c. 28. vocat illud donum, non *hæredum,* sed *exhæredatorum,* illud comparans cum muneribus, quæ Abraham largitus est filiis concubinæ.

Unde *N. m. Ad* 1ae. *part. prob.* 1am. R. *N. seq.* Quia licet in tentationibus gravibus victoria concedatur *vitiosa;* non tamen sequitur quamcumque actionem vana gloria aut pravo fine vitiatam fuisse, aut id etiam intelligendum de tentatione levi.

Ad prob. 2am. *Disparitas* est, quia motiva *sensibilia,* utpote præsentia, magis nota ac usurpata, et naturæ corruptæ magis blandientia ac practice proposita fortius alliciunt, quam honesta ex diversa ratione velut speculative tantum proposita, ut in quotidianis mercatorum, militum, aliorumque exemplis patet.

Ad 2am. *part. N. utr. prob.* Fundamentum enim habemus ex auctoritate S. Aug., ex quo et discimus hoc auxilium, tametsi ordinis *proprie supernaturalis* non sit, communem tamen excedere naturæ cursum, atque ad specialem providentiam pertinere. Unde, Suarezio L. 1. de Grat. c. 27. præeunte, dici potest, illam Dei legem de dando auxilio supernaturali ad vincendas tentationes graves non esse omnino indispensabilem, præsertim circa infideles.

Nec dicas 4°. Hæretici sicut pro suo errore, ita pro aliqua veritate Catholica, quam retinent, nonnunquam leguntur imperterriti obiisse mortem, et sic vicisse gravem tentationem : sed sine gratia mortui sunt pro suo errore; ergo et pro veritate Catholica.

R. Similiter : vel distingui potest inter hæreticos formaliter ac materialiter tales. De hæretico enim *formaliter* tali non improbabiliter dicitur, illum utrobique moriturum non ob motivum fidei proprium, sed ob aliud humanum, ac præcipue proprii judicii *pertinaciam*; cujus a posteriori signum est, quod errori suo æque ac veritati cuidam Catholicæ adhæret. Si autem hæreticus *materialiter* talis similem victoriam obtinet, vel illa refundenda est in donum naturalis ordinis proxime explicatum : vel forte cum quibusdam dici potest, quod Deus foret eum illuminaturus atque ad fidem veram perducturus, qui præcise ex motivo revelationis divinæ per ignorantiam invincibilem falso apprehensæ, piaque erga Deum affectione in tali casu vellet mortem oppetere.

320. R. II. Potest tamen moraliter sine gratia vincere tentationes *leves*.

Prob. Quod naturaliter fieri potest, data ad illud facultate morali, hoc etiam potest fieri moraliter, positis *levibus impedimentis;* ut patet tum in causis naturalibus seu physicis, tum in liberis aut moralibus : sed potest fieri aliquod bonum naturaliter honestum, et moraliter observari aliquod præceptum, si gravis tentatio non obsistat, ut hucusque probatum et propugnatum fuit; ergo et illud fieri naturaliter poterit, levi duntaxat tentatione occurrente.

Conf. Ex propp. *Baii* 29. et 30. Item ex S. Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 22.

Nec dicas 1°. Argumenta nostra partim probare, *indefinite* tentationum victoriam esse a Deo : partim ostendere etiam *leviores* tentationes vinci non posse nisi per gratiam : partim extendi etiam ad tentationes *simpliciter* leves.

R. *Ad* 1am. *p.* Id verum esse, non quod levior aliqua tentatio vinci nequeat, sed quia nec possunt sine gratia vinci tentationes omnes, nec ullæ etiam graves.

R. *Ad* 2am. *p.* Id intelligendum esse vel de tentationibus, quæ quidem reipsa graves sunt, sed dicuntur tantum leviores, si conferantur cum multo gravioribus : vel de tentationibus quidem intensive levioribus, sed gravioribus extensive, seu quæ sua diuturnitate graves evadunt.

R. *Ad* 3am. *p.* Si quæ auctoritas gratiam requirat ad omnes omnino tentationes vincendas; vel ex ratione allata, vel ex contextu, vel ex scopo et adversariorum errore etiam apparet, sermonem esse de victoria *meritoria* ac conferente ad salutem.

Nec dicas 2°. Quod jubeamur orare et gratias agere pro victoria etiam levissimarum tentationum; quod ipsum etiam præstant pii ac timorati.

R. Etiam jubemur petere a Deo *panem quotidianum :* oramus cum Davide Ps. 121. *Fiat pax in virtute tua, et abundantia,* etc. : gratias denique agimus pro pluviis tempore opportuno, peracto feliciter naturali opere, depulsione morbi, etc., quæ tamen omnia naturaliter fieri nemo negaverit. Unde *oratio* et *gratiarum actio* non denotat per se auxilium supernaturale, sed proportionatum operi. Cæterum utraque respicit gratiæ donum, si tentationum victoria valeat ad salutem, vel graves tentationes superandæ sint, vel leves ex se ob circumstantias quascumque graves evadant.

Nec dicas 3°. Quod divinæ protectionis sit, ne leves tentationes fiant nobis graves.

R. Nec tentatio ratione sui exigit continuo esse *gravis,* nec ratione concupiscentiæ statim invalescit et a principio est vehemens, nec a dæmone ubique summa tentantur, cum inter ejus stratagemata S. Greg. L. 3. Mor. c. 16. (al. 28. n. 56.) numeret, nonnunquam tentare levius, ut repente facilius irrumpat inopinatus; unde saltem ex ipsa rerum natura tentationes leves non pertinent ad gratiam divinæ protectionis. Quanquam vero cum S. Aug. L. 2. Conf. c. 7. et hom. 23. inter 50. (al. serm. 99. n. 6.) præservationem a gravioribus tentationibus et permissionem leviorum duntaxat recte tribuamus benevolæ Dei providentiæ; tamen, quamdiu tentationes leves sunt, superari *naturaliter* poterunt.

Nec dicas 4°. Quod justus non resistat, nec resistere possit tentationi levi sine gratia, quippe cujus victoria est meritoria; unde sequi videtur neque alium sine gratia resistere, aut resistere posse.

R. Quamvis in nullo casu hômo tentationi resisteret nisi per gratiam, id tamen non fieret ex *defectu virium*; sed ex abundantia divinæ liberalitatis; ad quam ostendendam Deus per gratiam præsto esse vellet. Deinde aliud est potentia victoriæ, aliud illius *meritum :* hoc enim est a statu amicitiæ cum Deo, vel a comprincipio effectivo supernaturali; illa a naturali virtute sufficienti, utpote quæ absolute potest esse separata a ratione meriti.

Quæres III. *An gratia sit necessaria ad omnia omnino peccata vitanda?*

321. *Nota.* Suppono 1°. Nec hominem posse in hoc statu naturæ lapsæ per solas naturæ vires vitare omnia peccata *mortalia,* neque ex lege Dei ordinaria unquam futurum, ut quis per longum tempus ea declinet sine gratia sanctificante. 2°. Hominem etiam peccatorem posse potentia physica vitare peccata *venialia* collective sumpta; instructum vero ordinariis gratiæ auxiliis saltem abstinere posse a venialibus distributive sumptis, hoc est, singulis in particulari et successive tantum ac seorsim spectatis. 3°. Hominem justum ex speciali gratiæ privilegio posse etiam moraliter tota vita per longum tempus durante devitare *omnia venialia* collective sumpta, hoc est, tum omnia omnino, quod aliqui vocant collective simul, tum hæc et illa, et sic deinceps ad se invicem, et ad totum comparata, quod dicunt collective distributive, id quod diserte profitetur S. Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 6. n. 7. ac L. de gr. Chr. c. 48. Quæstio itaque jam olim *Pelagium* et *Cælestium* inter

ac S. Aug. agitata est : an et hoc moraliter possibile sit homini sine speciali gratiæ divinæ privilegio? Ad quam cum unanimi *Catholicorum*

322. R. Sine speciali privilegio homo moraliter nequit per longum tempus vitare omnia peccata venialia.

Prob. 1°. Ex universali Scripturæ pronuntiatione, 2. Paral. 6. v. 36. *Neque est homo, qui non peccet.* Eccles. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet.* Jacob. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.*

2°. Ex orationis Dominicæ illa parte : *Dimitte nobis debita nostra;* de qua Trid. Sess. 6. c. 11. ait : *Justorum illa vox est et humilis et veracæ.* S. Aug. vero L. 2. de pecc. mer. c. 7. n. 8. *Propheta cum diceret : Dixi, pronuntiabo adversus me delictum meum Domino, et tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subjunxit : Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus.* Unde Milevit. Concilium II. can. 6. (Labb. t. 2. p. 1539. C.) de eodem textu, *Quisquis,* inquit, *sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est; anathema sit.*

3°. Ex Traditione, cujus præ cæteris testes sunt S. Hier. contr. Pelag. L. 2. n. 30. : *Quamdiu ille finis adveniat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione et immortalitate mutetur, necesse est nos subjacere peccato, non naturæ et conditionis, ut tu calumniaris, vitio; sed fragilitate et mutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis.* Et S. Aug. L. 2. de don. persev. c. 2. *Tria sunt,* inquit, *quæ maxime adversus eos* (Pelagianos) *catholica defendit Ecclesia; quorum... alterum est; in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Atque hoc præcipue S. Doctor data opera probat L. de perf. just. et L. 2. de pecc. mer., ubi et singillatim versat omnia argumenta opposita *Pelagianorum.* Unde Trid. Sess. 6. can. 23. sic definit : *Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.*

Conf. Ex multiplici radice hujus impotentiæ, uti sunt 1°. *Concupiscentiæ fomes* seu propensus ad sensibilia appetitus, usum rationis prævertens : 2°. *Judicii imperfectio,* quod nec honesti præstantiam, nec sensualis inhonestatem semper perfecte advertit, voluntatique proponit. 3°. Connaturalis *mutabilitas liberi arbitrii* et voluntatis inconstantia. 4°. *Resistentiæ labor* et nata inde defatigatio, qua fit, ut quis v. g. resistendo sæpius tentationibus carnis valde molestis incidat in impatientiam aut pusillanimitatem. Jam vero nisi per singulare privilegium vel harum causarum concursus impediatur, vel extraordinaria illustratione ac inspiratione frænetur appetitus, admoneatur intellectus, stabiliatur voluntas, ac restaurentur vires, oritur necessitas venialiter peccandi, utpote ad quod sufficit semiplena advertentia ac libertas, imperfectaque deliberatio; sicut ob similes causas in humana societate *necesse esse* Christus Matth. 18. dixit, *ut veniant scandala.*

Nec dicas 1°. De multis Scriptura testatur, quod in hac vita fuerint perfecti. Sic de Jobo legitur c. 1. v. 8. *Non est ei similis in terra, homo simplex, et rectus, ac timens Deum et recedens a malo.* De Zacharia et Elisabeth Luc. 1.

Erant autem justi ambo..... incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela.

R. Juxta S. Aug. L. 4. ad Bonif. c. 10. n. 28. duplex est perfectio hominis : alia *patriæ*, ubi homo peccatis amplius obnoxius non est, neque adhibetur medicina; aliâ *viæ*, cujus pars est ut *justus sit accusator sui*, et oret sibi debita dimitti, et spiritualia vulnera remediis curet. Unde ex eodem in L. 2. de pecc. mer. et remiss. c. 12. et 13. singillatim etiam

R. *Ad* 1um. Laudari Jobum non absolute et ob perfectionem omnimodam, sed comparative et præ aliis, qui tum erant in terra.

R. *Ad* 2um. Similiter commendari eos ab operatione simulationis et hypocrisis vacua, atque observantia legum, ita ut nemo de eorum vita quærendi rationem haberet; quæ tamen non impediverint, quominus Zacharias Sacerdotii officio perfungens etiam pro suis delictis hostias obtulerit.

Nec dicas 2°. 1. Joann. 3. dicitur : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in ipso manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Sed homo justus ex Deo natus est per gratiam; et Christus Matth. 5. monet : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est;* Et Paulus ad Philipp. 3. *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus.* Ergo et perfectio seu vitatio peccati possibilis est, et supponitur haberi etiam in hac vita.

R. *D. M.* Non peccat, nec peccare potest, in quantum gratia spirituali regeneratur, et est nova creatura in Christo *C.* qui regeneratus est et manens etiam nova creatura, vi tamen nativitatis suæ antiquæ non peccat vel peccare potest *subd.* mortaliter *C.* venialiter *N.* Observat præterea S. Doctor L. supr. cit. c. 15. Apostoli hujus testimonia invicem pugnare non posse. *D.* etiam *Cons.* Ergo perfectio in uno genere, quale est charitatis et dilectionis inimicorum, de quo loquitur Christus, possibilis est et supponitur adesse *C.* perfectio in omni genere etiam in hac vita est et potest esse *subd.* quantum ad profectum, ut nempe quotidie proficiamus *C.* quantum ad plenam possessionem *N.* Sicut enim lex, *Non concupisces*, data nobis est juxta S. Aug. *non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus;* sic et mandatum, *Estote perfecti*, in hac vita omni ex parte non impletur.

Nec dicas 3°. Oramus quotidie ex institutione Christi : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra;* et Ecclesiæ : *Dirige sensus, sermones et actus nostros, ut ad nullum declinemus peccatum*; ergo. *Conf.* Sequeretur ex nostra sententia 1. Homines esse excusabiles, qui peccant venialiter. 2. Nec in statu naturæ puræ fuisse potentiam moralem vitandi peccata venialia. 3. Valida non esse vota de vitandis venialibus.

R. Per neutram orationem petimus *privilegium* illud *speciale*, sed gratiam sufficientem ac uberiorem ad faciendam Dei voluntatem, vitanda peccata mortalia, venialia deliberata, ac frequentia indeliberata. Atque hæc etiam per preces quo præstantiores, eo uberior obtinetur; quamvis, quamdiu intra ordinem communis auxilii est, non præstet, ut nos nunquam peccemus.

Ad Conf. N. 1am. *seq.* Quia non est impotentia physica, sed *moralis* duntaxat, eaque *indeterminata*, ac determinate semper cum aliqua semideliberata saltem negligentia conjuncta. *Ad* 2am. R. *C.* quia natura pura non integra similes in se radices habet ex dictis supra. Inde tamen Deus auctor peccati dici non posset, quia hoc *per accidens* se haberet ad Dei intentionem,

et libere adhuc ab homine fieret. *Ad* 3am. R. *D.* Vota non esse valida de vitandis venialibus deliberatis *N.* etiam indeliberatis *C. Disparitas* est, quia primum est moraliter possibile, non vero secundum; cum vero votum non det vires morales, nec potest obligare ad id, quod eas excedit, et fit occasio lapsus.

Nec dicas 4°. Non potest dari necessitas *physica* licet vaga et indeterminata ad peccandum, quia alias formaliter non peccaretur, ut liquet in conscientia *perplexa;* ergo nec moralis, quia sicut physica, sic etiam hæc fieret determinata.

R. *N. Cons. Disparitas est*, quia necessitas *physica* est intrinseca ac antecedens; et quamvis vaga foret, homo tamen vi illius non esset liber ad utrumque peccatum actu vitandum; adeoque non peccaret formaliter, ut patet in exemplo *perplexi* allato : e contrario necessitas moralis vaga, quamvis fundetur in volubilitate voluntatis, non est tamen intrinseca et antecedens, sed extrinseca duntaxat ac illativa, et relinquit libertatem solum imperfectam ad singula distributive et determinate vitanda, adeoque unum ex his committendo formaliter saltem venialiter peccatur.

323. *Observa I.* Ab universali hac assertione præter Christum excipitur B. V. Maria, ut liquet tum ex can. Concilii Tridentini, tum ex loco S. Augustini ex L. de nat. et gr. c. 36. aliisque Patribus universim eam a peccatis excipientibus.

Neque huic privilegio *obstat* 1°. quod potuerit orare orationem Dominicam etiam quoad illam petitionem : *Dimitte nobis debita nostra;* nam et hoc orare potuit imprimis nomine totius Ecclesiæ; et juxta aliquos etiam pro se, quatenus dimissa dicuntur debita, quæ liberalitate divina non contrahuntur.

Nec obstat 2°. Quod videatur esse arguenda alicujus *negligentiæ,* dum ea inscia remansit puer Jesus in Jerusalem. Nam negligentiam culpabilem non intervenisse ostendit opinio, utique prudenti nixa fundamento, qua existimabant illum esse in comitatu, scilicet cognatarum et notorum inter quos eum postea requirebant : sicut enim Christus suos parentes latere voluerat, quod in his, quæ Patris ejus cœlestis erant, eum tum jam temporis oporteret esse; sic et iis etiam nihil debitæ sollicitudinis omittentibus potuit et voluit ad hunc finem se clam ab illis subducere, aut petita ab eis devotionis aut negotiorum causa tardantibus venia adeundi cognatos, his postea relictis redire ad templum.

Nec obstat 3°. Quod S. Chrys., quem Theophyl. et Euthym. sequuntur, hom. 20. in Joan. (al. 21. n. 2.) putet B. Virginem ex quadam *ostentatione* petiisse miraculum fieri in nuptiis Cana, eamque reprehendi illis verbis : *Quid mihi et tibi, mulier?* Nam S. Th. p. 3. q. 27. a. 4. ad 3. notat in his verbis Chrysostomi excessum, atque hinc Cyrillus, Bernard. aliique Patres volunt petitum fuisse miraculum ex necessitate, charitate ac pietate; unde nec illa verba Christi reprehensionem veram continent, ut ostendunt Aug., Beda et ipse Chrysost. Videtur tamen tum hic, tum alibi, ubi Matth. 12. foris stans mater quærebat ei loqui, reprehendere; sive quod aliis videri poterat ex *inanis gloriæ* motu Mater petiisse; sive ut ostenderet, quod sicut

parentes in operibus Theandricis nihil habebant juris, ita nec eorum affectibus aut desideriis, sed Deo tantum et charitati illa sint tribuenda.

Nec obstat 4°. Quod juxta S. Hieron. supr. cit. Deo soli reservata sit *perpetuitas impeccantiæ*. Nam præterquam quod idem S. Doctor in Ps. 77. tribuat, B. Virginem nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce; negat illi duntaxat impeccantiam, quæ talis est ex natura, non autem participatam, ac ex privilegio : inter hanc vero et illam ac confirmationem in gratia habetur id discriminis, quod impeccantia etiam Christi ex natura fundetur in indecentia, quæ foret in Deo, si peccatum permitteret, aut relinqueret naturam cum naturali inclinatione ad peccatum; confirmatio autem in gratia excludat sola mortalia.

324. *Observa II.* Pro eodem privilegio aliis tribuendo simile fundamentum non habetur. Nam quamvis pro S. Joanne Baptista stet illud testimonium Christi Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista;* tamen videtur comparatio solum esse instituta cum Prophetis V. T., ut indicat illa additio, quæ habetur Luc. 7. v. 28. *Major inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est.* Præterea obstat locus S. Aug. L. de nat. et gr. supr. cit.

Notandum tamen hic venit et illud, quod idem L. de Sp. et litt. c. 2. n. 3. scripsit : *Quin etiamsi nemo est, aut fuit, aut erit, quod magis credo, tali puritate perfectus; et tamen esse, aut fuisse, aut fore defenditur et putatur, quantum ego judicare possum, non multum erratur, nec perniciose.* Et paulo post, n. 4. : *Sed illis acerrime ac vehementissime resistendum est, qui putant, sine adjutorio Dei per se ipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.*

CAPUT III.

DE EXISTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

QUÆ SIT NATURA GRATIÆ SUFFICIENTIS?

325. *Nota I.* Gratiæ *sufficientis in genere* spectatæ nomine intelligitur auxilium supernaturale, vi cujus præstatur sufficiens, h. e. necessaria et proportionata potentia operandi salutariter; sub qua ratione etiam gratia habitualis a S. Thoma nonnunquam vocatur sufficiens. *Proxime sufficiens* est auxilium tale, per quod in se receptum potest quis immediate aliquam operationem efficere sine interventu alterius prioris operationis, qua impetret majus auxilium : *remote sufficiens* est, quando homo necdum recepit in se totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud paratum a

Deo, si ipse ad id se disponat, vel illud impetret. Atque hujus distinctionis fundamentum habetur in Trid. Sess. 6. c. 11., ubi dicitur : *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis; et adjuvat, ut possis.* Magis tamen *specifice* et *proxime* sumpta gratia *sufficiens* dicitur gratia interior præveniens, quæ per se ipsam tribuit veram, plenam et expeditam potestatem salutariter operandi.

Potest autem spectari tripliciter : 1°. prout hanc potentiam conferre spectatur, sed præscinditur, an reipsa etiam conjungatur cum ipsa operatione, aut hæc non sequatur; et sic dicitur *præcise sufficiens*, atque opponitur gratiæ insufficienti : 2°. prout spectatur et hanc potentiam conferre, et simul esse conjuncta cum operatione seu actu; et sic dicitur *positive sufficiens*, atque eadem est cum gratia efficaci : 3°. prout spectatur quidem hanc potentiam conferre, sed simul carere effectu ob voluntatis resistentiam vel neglectum; et sic dicitur *negative* aut *pure sufficiens*, atque opponitur gratiæ efficaci.

326. *Nota II.* Cum gratia pure sufficiens duo dicat, unum *positivum*, nempe potentiam ad agendum, alterum *negativum*, scilicet carentiam operationis; de primo tanquam præcipuo hic unice loquimur. Controversia autem duplex hic oritur.

Altera *dogmatica*, ex Jansenii systemate, qui duplicem potentiam et duplicem etiam gratiam distinguit. Potentiam quidem aliam vocat *absolutam*, quæ competit gratiæ, spectata solum ipsius natura, et præcisis subjecti, cui conceditur, circumstantiis, maxime autem gradibus titillantis concupiscentiæ hic et nunc oppositæ; aliam *relativam*, quæ competit gratiæ etiam habito respectu ad circumstantias, ac prementem hic et nunc actualem concupiscentiam. Gratiam vero aliam dicit *magnam* et robustam, quæ, quia est delectatio cœlestis gradibus ac intensione superans concupiscentiam hic et nunc prementem, vocatur efficax et victrix, atque perducit ad operis boni perfectionem; aliam *parvam*, quæ, quia gradibus inferior est opposita concupiscentia actuali, nec eam propter virium defectum superare potest, *victrix* non dicitur, neque ipsum opus bonum seu effectum plenum habere valet.

Hanc parvam tamen gratiam et Jansenius vult esse efficacem, quia boni desiderium inspirat, et voluntatem ad quosdam actus imperfectos non tantum indeliberatos, sed ad liberas etiam velleitates perducit; et *Janseniani* vocant sufficientem, imo sufficientissimam; quia, quamvis non tribuat potentiam relativam et ad circumstantias præsentes comparatam, tamen absolutam illam et a circumstantiis abstractam confert, et antecedente Dei voluntate ad bonum perfectum ordinatur, quod etiam reipsa existeret, si minus ipsi resisteret opposita cupiditas.

Altera *scholastica* de eo, utrum gratia sufficiens non tantum includat auxilia necessaria ad *posse*, sed etiam necessaria ad ipsum *operari*, atque hinc ad actualem operationem non requiratur altera gratia? Circa quam alii statuunt, gratiam sufficientem dare quidem *posse* bene agere, sed non sufficere, ut quis bene agat, ac proinde requiri aliud adhuc auxilium efficax ex se vel *prædeterminans*, ut ponatur actio : alii docent gratiam sufficientem sic continere omnia ad bene agendum necessaria, ut per eam bonum opus

sit in potestate hominis, isque id sine alio auxilio superaddito possit exequi; quo tamen modo loquendi nolunt ad gratiam sufficientem requiri etiam auxilium cooperans præter prævenien seu excitans, cum gratia *cooperans* non sit nisi in eo, qui reipsa agit, sed solum exigunt gratiam *proxime* ac *completè* sufficientem ita dare potentiam operandi, ut vel actu homini tribuat, quidquid ad actualem operationem necessarium est tanquam prævium et ab operatione distinctum ac separabile; vel in proxima ejus potestate constituat, quidquid ex parte Dei concomitanter necessarium est, etiamsi ab operatione hominis indistinctum dicatur.

327. *Dico I.* Nomine gratiæ vere sufficientis Ecclesia intelligit eam, quæ voluntati *expeditam, proportionatam* ac *relativam* etiam ad præsentes subjecti circumstantias potentiam confert ad opus bonum.

Prob. Si gratia in sensu Catholico sufficiens non exigeret potentiam etiam *relativam,* ergo nihil omnino obstaret, quo minus parva illa *Jansenii* gratia sensu Ecclesiæ diceretur sufficiens; quia illa confert absolutam ad bonum potentiam : sed parva illa gratia non potest sensu Ecclesiæ dici sufficiens; ergo. *Minor* constat ex eo, quia alias Ecclesia vel injuste condemnasset propositiones *Jansenii,* vel aliquod phantasma duntaxat *Jansenismi* esset persecuta, cum hac parva gratia tanquam sufficiente admissa omnes damnatæ propositiones in sensum Catholicum possent explicari et defendi.

Posset enim de 1ª. dici nulla præcepta Dei esse absolute impossibilia, neque gratiam deesse justis, qua fiant *absolute* possibilia, quamvis aliqua præcepta sint impossibilia impossibilitate *relativa,* et gratia aliquando desit, qua fiant possibilia possibilitate *relativa.* De 2ª. dici posset, aliquando quidem resisti gratiæ interiori quoad actum perfectum a Deo antecedenter intentum, et quem illa gratia *absolute* ac secundum se poterat obtinere; non tamen quoad actum, quem *relative,* seu hic et nunc ad præsentes circumstantias obtinere potest. De 3ª. dicerent requiri libertatem a necessitate *absoluta* fixa et immobili, per quam homo absolute ac immobiliter sit necessitatus ad bonum, vel malum; non tamen a necessitate *relativa* ad præsentes circumstantias, ac respectiva jam ad hoc, jam ad oppositum. De 4ª. eluderent Jansenistæ partis secundæ condemnationem, causati, non se negare quod voluntas possit resistere vel obtemperare gratiæ potentia *absoluta,* sed tantum *relativa.* De 5ª. similiter prætenderent, Christum mortuum fuisse pro omnibus, quatenus illis dat gratias *absolute* sufficientes; et solum etiam pro prædestinatis, quia his unis dat gratias *relative* sufficientes.

Conf. 1. Ex auctoritate S. Greg. L. 9. Mor. c. 23. (al. 46. n. 71.) ita scribentis : *Quia, si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso protinus stantem dejicit, quo ultra vires onera imponit.* Et S. Thomæ, qui p. 3. q. 62. a. 6. ad 3. *Minima,* inquit, *gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ ac mereri vitam æternam.* Et q. 70. a. 4. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ et vitare omne peccatum, quod committitur in transgressione mandatorum legis : minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti.* Hæc quamvis S. Doctor enuntiet de gratia *habituali,* tamen, cum juxta eumdem habitualis nunquam operetur, nisi per actualem, actualis ista minimæ etiam habituali juncta in ejus sensu con-

fert potentiam parem ac sufficientem contra concupiscentiam quamlibet et peccatum mortale.

Conf. 2. Ex possibilitate, utilitate et æquitate *mandatorum* Dei ; item ex necessitate *gratiæ* ad ea servanda ac vincendas tentationes. Nisi enim gratia sufficiens tribueret vires pares sufficientes etiam comparative ad subjectum et concupiscentiam oppositam, hæc omnia stare non possent.

328. *Dico II.* Gratia sufficiens non dat tantum *posse,* sed etiam sufficit, ut homo cum ea ponat opus salutare : imo si præter eam requireretur aliud auxilium ex se efficax, vel prædeterminans ad hoc, ut homo ponat opus salutare , illa non foret gratia sufficiens.

Prob. 1ª. *p.* Potentia non datur propter *posse,* tanquam terminum ultimum, sed propter *operari,* quia quidem formaliter constituit subjectum potens, sed in ordine ad operationem ut terminum ; ergo et auxilium non est tantum ad posse, sed et operari ; ergo si auxilium est vere sufficiens, debet dare sufficientiam non tantum ad posse, sed etiam ad operari.

Conf. Gratia sufficiens debet sufficere ad id, quod mandato divino præcipitur, et cujus omissio punitur : sed mandato divino non præcipitur, ut possit, sed *ut faciat;* neque etiam in homine punitur, quod non potuerit, sed quod non fecerit; ergo et gratia sufficiens debet etiam sufficere, ad facere, sive ad ipsum opus salutare.

Prob. 2ª. *p.* Illud auxilium *ex se* efficax necessarium ad hoc, ut ponatur opus, vel constituit actum primum proximum seu potentiam proximam agendi, vel illam non constituit, sed pertinet ad actum secundum : si 1ᵘᵐ. ; ergo omnis gratia sufficiens, utpote dicens potentiam proximam agendi, necessario inducit ipsam operationem, ac consequenter non dabitur alia sufficiens, nisi quæ sit efficax, qui est error Jansenii : si 2ᵘᵐ. ; ergo vel potentia agendi proxima habetur integra sine hoc auxilio, atque et hinc sine eo redigi in actum poterit ; vel si sine auxilio illa nequeat redigi in actum, nec potentia agendi proxima, neque gratia sufficiens aderit.

Conf. Per gratiam sufficientem habetur, quod homini, opus bonum non facienti, imputetur carentia operationis tanquam *culpabilis* : sed si ad hoc, ut homo opus bonum agat, requireretur præter gratiam sufficientem aliud auxilium *ex se* efficax, carentia operationis non posset ut culpabilis imputari homini, opus bonum non facienti ; uti constat in casu hominis justi primum peccantis ; ergo si requireretur ad agendum auxilium *ex se* efficax, non haberetur gratia sufficiens.

329. *Dico III.* Gratia sufficiens *physice* consistit in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiæ adjuvantis.

Ratio est, quia gratia proxime et complete sufficiens debet esse tale auxilium, per quod homo habeat vel accepta, vel parata et in sua quasi manu omnia auxilia ad opus bonum faciendum necessaria : sed hoc omne consequitur homo per istud aggregatum. Nam 1°. Illustrationes supernaturales et piæ affectiones supernaturales, quæ necessariæ sunt ad actus salutares, continentur in gratiis excitantibus : 2°. Sufficientia vero ad ipsam operationem, quæ necessaria est ad gratiam vere sufficientem, habetur in habitu supernaturali respectu

justorum, et in omnipotentia divina respectu non justorum, quæ sunt principia gratiæ adjuvantis : 3°. Priora quidem sunt in ipso homine recepta; posteriora vero ita parata et ad agendum prompta, ut quasi in manu sua habere homo dici possit; ergo.

Conf. Gratia præveniens adæquate sumpta includit tum gratias *excitantes*, tum *principium* supernaturale vel intrinsecum vel extrinsecum *physice* effectivum actus salutaris; et hoc sensu realiter ac entitative non distinguitur a gratia adjuvante. Sed gratia præveniens adæquate sumpta est gratia sufficiens; quia complectitur totum actum primum ad salutariter operandum : ergo gratia sufficiens includit tum gratias excitantes, tum principia gratiæ adjuvantis.

330. *Obj. contr.* 1um. Juxta S. Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam : poterit autem, cum magnam habuerit et robustam.* Quod confirmat exemplo S. Petri, de quo addit : *Tamen quamvis parva et imperfecta* (charitas) *non deerat, quando dicebat Domino : Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Ergo datur *gratia parva,* cum qua possumus bonum velle, sed actu perficere non possumus. Atqui hæc parva gratia est gratia sufficiens; ergo.

R. Duo hic observanda sunt : 1°. Gratiam aliam esse *remote* sufficientem, seu talem, quæ sufficit ad impetrandum vel per orationem salutarem, vel aliam dispositionem similem, uberius Dei auxilium pro ipso opere salutari; aliam *proxime* sufficientem seu talem, quæ sufficit vel ad volendum, vel ad exequendum ipsum opus bonum : utramque autem respective ad difficultates oppositas superandas jam minus, jam magis, semper tamen simpliciter et absolute potentem esse. 2°. Gratiam sufficientem alterutram quidem semper a Deo dari, ubi *præceptum* aut *tentatio* urget; extra hos vero casus vel non semper has gratias concedi, vel tempore quidem opportuno non denegari, quin tamen illud a nobis designari possit.

His suppositis *T. Cons. D. subsumpt.* Atqui hæc gratia in sensu *Jansenii* parva est gratia sufficiens *N.* in sensu S. Augustini *subd.* est sufficiens vel remote vel proxime *C.* semper proxime *N.* S. Aug. ibidem c. 16. n. 32. docet, *Deum ideo jubere aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab ipso petere debeamus. Ipsa enim,* inquit, *fides est, quæ orando impetrat quod lex imperat.* Et c. 15. hæc præmiserat : *Ad hoc valet, quod scriptum est : Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda præcepta.* Porro mirum non est, quod S. Petrus dicatur hic non habuisse *gratiam sufficientem* ad mortem obeundam; constat enim tunc etiam D. Petro non fuisse præceptum pro Christo mori; præterea aliam quoque esse gratiam ad volendum, aliam ad exequendum, sicut ipsum velle et exequi sæpe diversissima sunt.

Inst. 1. Delectatio *terrena* et inclinatio ad peccatum sæpe longe est intensior, quam delectatio cœlestis et inclinatio ad actum bonum, ut patet maxime in consuetudinariis; ergo hæc delectatio *cœlestis* vel gratia non potest esse *relative* sufficiens; aut si gratia sufficiens deberet dare vires relative proportionatas, sequeretur tum voluntatem semper oportere esse con-

stitutam in æquilibrio, tum perfectiorem esse dandam gratiam peccatoribus, quam justis; quæ dicere absurdum est.

R. *D. Cons.* quoad 1am. *p.* Non potest esse relative sufficiens, h. e. simpliciter et absolute potens ad resistendum tentationibus *N.* non potest esse relative sufficiens, h. e. talis, quæ difficultates etiam superet, aut exæquet *C.*

Quoad 2am. *p.* R. *D. seq.* 1am. Sequeretur voluntatem semper esse constitutam in æquilibrio potentiæ seu electionis *C.* in æquilibrio inclinationis seu propensionis, aut intensionis seu graduum *N.* Ad *libertatem* et imputabilitatem actionis requiritur quidem talis comparatio voluntatis, qua possit ex propositis sibi actionibus hanc vel illam ex propria determinatione eligere, hoc vel illud agere aut non agere, atque id genus æquilibrii præstatur a gratia sufficiente; quia *minima gratia* ex dictis sufficit ad resistendum cuilibet concupiscentiæ, et vitandum omne peccatum. Sicut vero ad libertatem non requiritur ea comparatio voluntatis, qua non magis propensa sit ad unam, quam alteram partem, aut majorem difficultatem in una præ altera actione non inveniat; eo quod ejusmodi *propensio* aut *difficultas* necessitatem nullam inferat: sic etiam gratia sufficiens hoc æquilibrii genus nec præstat, nec conferre debet; adeoque illa gratiæ œconomia, quam quidam ad *mechanicæ leges* accommodant ac fingunt, plane rejicienda est, tanquam proxime deducens ad illationem necessitatis ac libertatis destructionem.

Similiter *D. seq.* 2am. Deberet dari gratia perfectior, si detur præcise ad obtinendum æquilibrium potentiæ ac electionis *N.* si daretur ad æquilibrium inclinationis vel intensionis *C.* Sed *N. supp.* quod ad illud dari debeat.

Inst. 2. Si gratia sufficiens diceret relativam potentiam faciendi bonum, nulla in homine daretur necessitas peccandi: sed hanc agnoscit S. Augustinus pluribus in locis, L. de nat. et gr. c. 66. n. 79. et L. 1. op. imp. n. 105.; ergo.

R. *D. seq. M.* Nulla daretur propria necessitas ad proprie peccandum *C.* nulla daretur necessitas impropria, h. e. magna inclinatio, aut consuetudo multum sollicitans ad peccandum, vel nulla necessitas ad peccatum improprie tale *N.* Postremo sensu intelligendus est S. Aug., qui primo loco nomine necessitatis sumit magnam ad peccatum inclinationem ex concupiscentia, vel consuetudine prava ortam; secundo autem loco vel idem indicat vel significat nomine peccati ipsam iterum concupiscentiam, cujus nempe indeliberati motus sunt peccatum metonymice, non autem proprie ac formaliter.

331. *Obj. contr.* 2um. Plura requiruntur ad *actu* agere, quam ad *posse* agere; sicut actu agere plus dicit, quam ipsum etiam proxime posse agere; ergo licet ad actu agere requiratur gratia *ex se* efficax, non tamen requiritur ad posse agere; adeoque potest esse gratia vere sufficiens, licet præter illam requiratur alia de se efficax.

R. *D. A.* Plura requiruntur ad actu agere, quam ad posse agere remote *C.* quam ad proxime posse agere *subd.* plura requiruntur formaliter et ex parte actionis, per quam causa denominatur agens *C.* plura causaliter, seu ex parte causæ aut alterius requisiti necessarii ad actionem *N.* Similiter ipsum agere plus dicit, quam posse agere, *formaliter,* quia dicit ipsam actionem seu influxum; non tamen *causaliter,* cum potentia non detur nisi *ad actum;*

adeoque si deesset aliquod requisitum necessarium ad actum, etiam ad potentiam proxime expeditam deesset.

Inst. 1. Ad gratiam vere sufficientem sufficit quod det actum primum proximum, licet non det actum secundum : sed gratia *Thomistice* sufficiens daret sine *prædeterminatione physica* actum primum proximum, licet non daret actum secundum ; quia hæc utpote applicatio et motio physica potentiæ ad actum secundum tenet se solum ex parte actus secundi, licet non actus secundus ; ergo.

R. *D. M.* Sufficit quod det actum primum proximum, licet non det actum secundum, si tamen includat, præsupponat, aut inferat omnia principia aut requisita necessaria ad actum secundum *C.* sin minus *N.* Jam vero cum gratia *Thomistice* sufficiens nec includat, nec præsupponat, nec inferat *prædeterminationem physicam,* imprimis ex hoc defectu non est vere sufficiens : deinde nec est sufficiens ratione sui, eo quod in *Thomistarum* principiis nequeat dare actum primum proximum : denique falsum videtur, *prædeterminationem physicam* tantum pertinere ad actum secundum ; nam ut prævia motio potentiæ ad actum, non solum inter potentiam et actum mediat, sed etiam partim potentiam, partim actum afficere debet, adeoque debet et ad potentiam ex parte pertinere ; alias enim comproductio actus duntaxat, non autem potentiæ *prædeterminatio* ad actum foret.

Inst. 2. Oculus est sufficiens principium ad videndum, licet *actu* nunquam videat sine lumine illuminante ; ergo et voluntas pia affectione excitata est sufficiens principium ad salutariter agendum, licet *actu* nunquam agat sine gratia de se efficaci.

R. *D. A.* Oculus in hoc casu est principium remote sufficiens ad videndum *C.* proxime sufficiens *N.* Res ex se clara confirmatur testimonio S. Augustini, qui L. de gest. Pelag. *Sufficit,* inquit, *sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras : ad videndum vero lumine suo sibi non sufficit ; nisi illi extrinsecus adjutorium clari luminis præbeatur.* Ne tamen inter lumen istud et gratiam *de se* efficacem comparatio institui possit, facit ipsa necessitas luminis ad actum primum proximum videndi requisiti, præter quod nullum aliud medium est, quo facultas visiva videat et videre possit ; cum ex adverso gratia *de se* efficax juxta ipsos adversarios potentiam proximam constituere nequeat, ac præter eam sufficiens gratia admittenda sit ad actum primum, ad actum autem secundum nequidem de se efficax a nobis admittatur.

Inst. 3. Licet *concursus Dei* in actu secundo juxta nos requiratur ad hoc, ut detur actus salutaris, tamen habens gratiam sufficientem est culpabilis, si ei non cooperetur ; ergo id a pari tenet in systemate *Thomistarum. Conf.* Gratia sufficiens ut distincta ab efficaci includit *negationem consensus* : sed æque impossibile est operari cum auxilio includente negationem consensus, ac sine *prædeterminatione physica,* si illa simpliciter requiritur ad actum secundum ; ergo si in sententia Thomistica non salvatur sufficienter libertas ad consensum, data sola gratia sufficiente, neque illa salvatur in sententia nostra.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia ex dictis patet, *prædeterminationem* non fore in libera hominis potestate ; cum ex adverso *concursus Dei* in actu secundo sit in potestate illius libera, quia principium divini concursus, aut

in homine receptum aut exterius applicatum ac paratum, potentiam agendi proximam una cum gratia excitante constituit.

Ad Conf. R. *T. M.* Quia gratia sufficiens *per se* et *in recto* dicit auxilium divinum potens dare et inclinans ad consensum; *per accidens* vero et *in obliquo* tantum negationem consensus connotat, quam voluntas libere ponit. Unde *N. min. Disparitas* est : quia enim in hominis potestate est, libere consensum ponere *negationi* contradictorium, simpliciter et antecedenter impossibile non est cum gratia pure sufficiente operari, sed tantum consequenter ad suppositam liberam consensus *negationem* : *prædterminatio physica* autem ad actum salutarem in hominis potestate nullo modo est; nempe non *physice*, quia illa a solo Deo provenit ac dependet; neque *moraliter*, quia nec cooperatio cum gratia sufficiente, nec resistentia, ad quam datur vel negatur *prædeterminatio* actus secundi, penes hominem sine alia præmotione esse potest.

332. *Obj. contr.* 3um. Inter gratiam *sufficientem* aut *efficacem* vulgaris hæc est distinctio, 1°. quod sufficiens det posse, efficax autem det velle et operari : 2°. quod illa includat auxilia excitantia, hæc vero adjuvantia seu cooperantia ; ergo gratia sufficiens non consistit physice in illo aggregato.

R. *D. M.* Vulgaris hæc est distinctio sano modo intellecta, et sensu nobis non opposito *C.* quomodocumque intellecta et sensu excludente a gratia sufficiente potestatem ac principia volendi ac operandi *N.* Gratia *sufficiens* non tantum dat posse, sed etiam *velle* et *operari* hoc sensu; tum quod, licet in effectu non conferat velle et operari, tamen hæc constituat in potestate ac voluntate operantis; tum quod per se ipsam moveat, et ex intentione Dei detur ad volitionem et operationem salutarem : quia tamen in sensu consequente et ex culpa voluntatis resistentis non sequitur velle ac operari, gratia vero *efficax* dat ita posse, ut simul *infallibiliter* sequatur velle et operari; inde fit, quod gratia sufficiens dicatur unice dare posse, efficax autem præter posse etiam velle et operari.

Similiter quia auxilium *adjuvans* et *cooperans* potest spectari per modum principii vel per modum concursus ac influxus, gratia sufficiens præter auxilia excitantia etiam includit auxilium adjuvans hoc sensu, quatenus ad proximam sufficientiam habendam imprimis requiritur auxilium adjuvans per modum *principii* sumptum intrinsece vel extrinsece adesse; deinde etiam exigitur, idem auxilium adjuvans per modum *influxus* sumptum ex parte Dei, proxime esse paratum et oblatum ita, ut voluntate per gratiam sufficientem se movente et derminante se ad operationem, statim et indivisibiliter absque novo actu intermedio comitetur concursus et influxus gratiæ adjuvantis, physice cooperando ipsam voluntatis determinationem.

Quia tamen auxilium *adjuvans* communius sonat ipsum concursum, quem gratia efficax duntaxat dicit et habet : hinc gratia *sufficiens* usitatiore phrasi etiam dicitur includere tantum auxilia non tam excitantia, quam prævenientia, efficax autem adjuvantia et cooperantia.

Inst. Licet ad operandum salutariter requiratur prædefinitio aut etiam prædestinatio, gratia tamen sufficiens neutram includere debet; ergo nec alia necessária involvere debet.

R. *T. A. N. Cons. Disparitas* est; quia *prædefinitio* et *prædestinatio* non

pertinet ad auxilia necessaria ad operandum, sed ad *modum* duntaxat, quo Deus tanquam auctor gratiæ efficit vel providet alia auxilia; præterea notandum, gratiam sufficientem, etiamsi non procedat ex voluntate Dei *absolute prædefiniente* actum hominis, debere esse talem, qualem hactenus descripsimus, ut vere ac proxime sufficiens dici queat : cui adde, quod, quoties actus, ad quem datur gratia sufficiens, non est *prædefinitus*, id aliqua ex parte ipsi homini possit attribui.

QUÆRES I. *Undenam gratia sufficiens habeat quod sit pure sufficiens, seu inefficax aut carens effectu?*

333. R. I. Gratia sufficiens non est *de se inefficax*.

Prob. Si gratia sufficiens esset de se inefficax; vel intelligendum hoc esset de inefficacia in actu primo, vel de inefficacia in actu secundo : neutro modo intelligi potest; ergo.

Prob. 1ª. *p. min.* Inefficacia *in actu primo* idem est, quod insufficientia, sicut efficacia in actu primo idem est ac sufficientia; quia auxilium efficax *in actu primo* dicitur id, quod de se potens est ad efficiendum actum, etsi reipsa effectus non sequatur : ergo si gratia supponatur sufficiens, non potest de se esse inefficax *in actu primo;* quia gratiæ sufficientis nomine significatur auxilium de se potens ad efficiendum actum, licet hic de facto non sequatur; unde et a Patribus sæpe vocatur efficax, utique *in actu primo.*

Prob. 2ª. *p. min.* Inefficacia *in actu secundo* consistit solum in eo, quod auxilium actu non operetur; ergo si gratia sufficiens de se esset hoc sensu inefficax, per se ex ipso auxilio proveniret, quod actu non operaretur. Atqui hoc dici nequit; nam gratia, sicut alia omnis causa sufficiens *proxima* non potest cessare ab operatione actuali, nisi vel propter negatum Dei concursum, vel propter libertatem causæ : sed ex neutro capite dici potest, quod *per se* ex ipso auxilio proveniret carentia operationis; quia si Deus negat concursum, carentia illa Deo ipsi tribuitur, non autem inefficaciæ virtutis proximæ; si autem propter libertatem agere potentis deficiat operatio, cum libertas non conveniat auxilio *de se*, sed ratione subjecti, in quo est, etiam defectus operationis non convenit illi de se, sed ex subjecto, nempe libera voluntate, ac libertatis abusu.

334. R. II. Inefficacia gratiæ sufficientis nullo modo refundi potest in Deum.

Prob. Deus ex 1. ad Tim. 2. v. 4. *omnes homines vult salvos fieri;* et ex Ezech. 18. ac 33. non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur et vivat. Sed neutra voluntas divina foret seria ac vera, si Deus esset causa et radix *inefficaciæ,* aut daret gratiam de se inefficacem; quia ejusmodi gratia non daret veram ac propriam potentiam ad salutem, vitam et conversionem; Deus autem inefficaciam auxilii sufficientis causans vel procurans fingeret duntaxat se hominis salutem, vitam et conversionem velle ac desiderare; ergo.

Conf. 1. Dogma fidei est, *quod Deus neminem deserat, nisi prius ab ipso deseratur;* quod quamvis a CONCILIO TRID. Sess. 6. c. 11. enuntietur de justificatis, tamen intelligitur etiam de peccatoribus ac hominibus omnibus, ut

patet ex verbis Aug. serm. 88. de temp. (al. in app. serm. 22. n. 2.), Prosperi ad objectiones tum Gall. tum Vincent. utrobique art. 7., Fulgentii L. 1. ad Monim. c. 13., Anselmi L. de Concord. præscient., etc. Sed si gratiæ sufficientis inefficacia foret a Deo, ipse prius hominem desereret, quam deseratur ab eo; ergo.

Conf. 2. Resistere divinæ inspirationi ac divino auxilio sufficienti, illudque reddere inefficax in materia *præcepti* non fit sine peccato vel aversione hominis a Deo, in materia *consilii* autem non fit sine defectu quodam et imperfectione positiva; ut patet ex omnibus Scripturæ locis, quibus reprehenduntur, dicuntur inexcusabiles, aut minis ac pœnis terrentur, qui Dei vocationem abjiciunt, et gratiam faciunt carere effectu: sed peccatum et aversio hominis a Deo, aut defectus et imperfectio positiva non potest tribui Deo tanquam auctori, ut est de fide; ergo.

335. R. III. Inefficacia gratiæ sufficientis primo et unice tribuenda est voluntati humanæ.

Prob. Oseæ 13. 9. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* S. Aug. L. 83. QQ. q. 68. n. 5. *Nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam ut venirent, vocati erant in libera voluntate.* Item L. 2. de pecc. mer. c. 17. Conc. Araus. II. can. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Ex his enim manifeste inefficacia auxilii sufficientis homini adscripta perspicitur.

Conf. Nulla *causa creata,* v. g. dæmon, cupiditas, suasio hominis vel alia similis cogit, aut necessitat ad resistendum gratiæ sufficienti; *Deus* etiam nec vult, nec potest necessitatem inferre salvo humano operandi modo. Præterea vero *auxilium sufficiens* de se est potens ad effectum præstandum in iis etiam circumstantiis loci, temporis ac tentationis, in quibus datur; ergo, quod homo resistat gratiæ sufficienti, eamque reddat inefficacem, illi soli tribuendum est, ac unice provenit a libertate voluntatis humanæ.

Quæres II. *An gratia sufficiens debeat aliquando efficere aliquos actus, saltem faciliores, sine gratia efficaci?*

Nota. Inter Jansenii argumenta contra gratiam sufficientem, et hoc numeratur; quod res monstro simillima sit talis gratia, quæ ex una parte dicatur *sufficiens,* ex altera autem, quamvis pene infinitis hominibus data sit, aut detur, nunquam tamen a mundi exordio obtinuerit, aut ad finem mundi usque obtentura sit suum effectum. *Thomassinus* autem, Cardin. *du Plessis, Tournely,* aliique docent, gratiam sufficientem nonnunquam sine auxilio efficaci producere actus quosdam faciliores, difficiliores autem nunquam sine auxilio *de se* efficaci efficere, sed in his sufficere duntaxat ad orationem, qua impetretur uberius Dei auxilium præveniens, per quod difficiliora fiant.

336. R. I. Si gratia sufficiens spectetur *præcisive,* potest nonnunquam efficere actum; si *positive,* semper efficit actum; si *negative,* nunquam efficit actum.

Prob. 1ª. *p.* Gratia *præcisive* sufficiens est gratia prout opposita insufficienti atque efficax in actu primo : sed talis nonnunquam fit etiam in actu secundo efficax, seu conjungitur cum effectu; quia juxta celebrem Aug. sententiam L. de Civ. c. 6. eadem gratia in uno homine obtinet suum effectum, non autem in altero, quamvis quoad corpus et animum æqualiter disposito; ergo gratia *præcisive* sufficiens nonnunquam conjungitur cum effectu.

Prob. 2ª. *p.* Gratia *positive* sufficiens intelligitur esse eadem cum efficaci in actu secundo : sed efficax in actu secundo debet semper esse conjuncta cum effectu; ergo.

Prob. 3ª. *p.* Gratia *negative* seu pure sufficiens est, quæ conjuncta est cum carentia effectus, seu reipsa frustratur effectu : sed per se notum est, quod gratia conjuncta cum effectus carentia nunquam efficiat actum; ergo. Inde

Collige, Jansenii admirationem vel æquivocationem ortam esse ex eo, quod crederet gratiam sufficientem a Catholicis assertam, habere *ex se* et antecedenter rationem *pure* sufficientis, quasi nimirum ea ex natura sua habeat, nunquam cum effectu conjungi; quod tamen sicut negatur a Thomistis, aliisque gratiæ de se efficacis assertoribus, sic multo magis nostræ sententiæ non convenit, in qua gratia sufficiens ac efficax *entitative* est eadem, denominatio autem hæc distincta ipsi gratiæ extrinseca; quarum illa pure sufficientis desumitur ab actuali resistentia liberi arbitrii, hæc efficacis ex eo, quod conferatur sub præscientia aut etiam efficaci intentione consensus. Quid autem hic *monstro* simile est, quod ex supposito, quia homines ab initio mundi usque ad ejus finem sæpe peccaverint ac peccent, atque hinc innumeris Dei gratiis resistunt, omnes illæ gratiæ careant effectu ac *pure sufficientes* maneant? Hoc enim aliud non probat, nisi multitudinem peccatorum, ac rebellium Deo et stultorum infinitum numerum.

337. R. II. Opinio illa *Catholicorum,* præterquam quod supponat falsum de gratia per se efficaci ad difficiliora, non satis distinguit gratiæ conceptum.

Prob. Imprimis non distinguit gratiam *remote* ac *proxime* sufficientem; quia respectu faciliorum foret proxime sufficiens, respectu difficiliorum autem remote tantum sufficeret. *Deinde* nec gratiam sufficientem ab efficaci discernit; quia respectu faciliorum foret efficax et sufficiens, respectu difficiliorum nec efficax, nec vere ac proxime sufficiens. *Denique* nec sensum de gratia satis explicat.

Si enim sensus sit, gratiam vere sufficientem ad effectum completum et principaliter intentum, quantumvis hic non obtineatur, propterea non manere prorsus inefficacem ac inutilem, quia aliquando alios *effectus faciliores,* qui sunt dispositio actus completi, obtinet; conceditur hoc facile ab omnibus, quia gratia pure sufficiens respectu unius termini potest esse *efficax* respectu alterius, qui ad priorem disponit.

Si autem sensus sit, gratiam sufficientem ac efficientem illum effectum facilem, non esse respectu ejusdem gratiam efficacem, negatur ab omnibus; quia quantumvis dissentiant inter se Theologi de gratiæ efficacis constitutivo, in eo tamen conspirant, quod auxilium *efficiens* aliquem effectum probetur hoc ipso a posteriori esse gratia efficax respectu illius effectus, licet respectu alterius possit esse inefficax et pure sufficiens.

338. *Observa,* quod Aug. L. de Nat. et Gr. c. 43. dicat : *Non Deus impossibilia jubet : sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis.* Item quod ibid. c. 69. scribat : *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus* : Denique quod sacri Oratores hortentur, et fideles solcant orare uberius Dei auxilium in difficilioribus; hæc, inquam, non probant, quod gratia illa ad possibilia et facilia data non sit efficax, uberius autem auxilium, quod ad difficiliora petitur, sit *de se* efficax, et quod sufficiens omnis gratia in facilibus plerumque sortiatur effectum, in difficilioribus autem tantum sit *remote* sufficiens ; quæ omnia tamen opinio illa asserit.

Sed duntaxat ostendunt, nostram obligationem esse, ut cooperemur gratiæ præsenti, quam hic et nunc aut *remote* aut *proxime* sufficientem pro actu completo habemus, atque hinc vel effectum salutarem continuo præstemus, vel, si *difficilior* sit, uberius auxilium postulemus; in quo nihil nobis contrarium dicitur, cum illam divisionem gratiæ præmiserimus, et omnino etiam asseramus, gratiam *proxime* sufficientem ad unum actum posse esse insufficientem ad alium, et tunc petendam esse *gratiam ampliorem*, ut proxime possit superari illa vel impossibilitas, vel difficultas.

ARTICULUS II.

AN IN STATU PRÆSENTI DETUR GRATIA PURE SUFFICIENS?

339. *Nota, Lutherum* et *Calvinum* in statu naturæ lapsæ solam agnovisse gratiam efficacem ac necessitantem, liquet ex num. 201. Eodem errore rigidiores eorum asseclas involvi ostendunt tum sparsa in hunc sensum a variis dogmata, tum Synodus Dordracena. A simili errore non discessit *Jansenius,* quantumvis duplici illo tum potentiæ, tum gratiæ genere Catholicis fucum facere laboraverit. In ejus enim systemate utraque gratia est efficax, et neutri resistitur.

Nam si gratia *magna* est, et superat concupiscentiam, nunquam illi resistitur; quia effectum invincibilem infert : si autem est *parva,* neque illi etiam resistitur; tum quia infallibiliter obtinet omnem illum effectum, licet *imperfectum,* ad quem in illis circumstantiis concupiscentiæ superioris vires habet : tum quia, etsi in hoc casu impediatur a concupiscentia, ne majorem et *perfectum* effectum obtineat, tamen hoc impedimentum ab hominis arbitrio non pendet, sed a *defectu virium* in parva gratia, ut Jansen. L. 3. de Gr. Chr. c. 13. docet; ideoque nec ab arbitrio pendet illa resistentia; ac consequenter nec ab homine illi gratiæ resistitur : *resistere* enim in moralibus nihil aliud est, ac frustrare causam eo effectu, quem in his circumstantiis habere potest.

Porro ab eodem negari omnem in hoc statu gratiam, quæ sit pure simul ac vere sufficiens, patet ex L. 4. de Gr. Chr. c. 10 ubi, *Hinc claret,* inquit, *cur Augustinus omnem omnino gratiam pure sufficientem auferat. Ratio perspicua est, quia cum ei nulla sit gratia operandi præter istam suavitatem Dei, nisi ista tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu in medio remanebitur. Sin*

autem ista superaverit, jam sine dubio bene voluntas operabitur; quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est. Sed utrumlibet fiat, non erit sufficiens gratia, sed vel efficax vel ita inefficax, ex qua operatio nequidem sequi possit, nisi ejus inefficacia per aliam suppleatur. Hunc Magistri sensum sequuntur plerique Discipuli, maxime *Quesnellus*.

340. *Dico.* In statu naturæ lapsæ datur auxilium *vere* et *pure* tamen sufficiens, seu quod perfectam quidem, completam et relativam potentiam bene agendi tribuat, careat tamen effectu, Est de fide.

Prob. Auctoritate. I. Scripturæ. Textus alii aperte de ejusmodi gratia loquuntur. Act. 7. v. 51. *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Item 1. ad Thess. 5. v. 19. *Nolite Spiritum extinguere.* Et 2. ad Cor. 6. v. 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Denique Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro et Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.*

Alii sub allegoria idem enuntiant. Proverb. 1. v. 24. *Vocavi, et renuistis: extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Isa. 65. v. 2. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Et c. 5. v. 3. *Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Matth. 23. v. 37. *Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Jam vero, tum ipse sensus et constans Patrum et Conciliorum interpretatio, tum manifesta ratio docet, sermonem hic esse de *auxiliis internis* ac sufficientiam ad agendum præbentibus, quin tamen ea conjuncta fuerint cum actu; unde gratias *vere* et *pure* sufficientes assertas liquet.

II. Conciliorum. Araus. II. Can. 25. *Hoc,* inquit, *secundum fidem Catholicam credimus, quod, accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint, si laborare fideliter voluerint, adimplere.* Lateran. in cap. *Firmiter,* de SS. Trinitate: *Si post susceptionem Baptismi quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest semper reparari.* Trid. Sess. 6. c. 15. docet, omnes, qui lethalia peccata committunt, a regno Dei excludi, mox subjungens: *A quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt.* Ex quibus sic arguitur: Gratia *vere* sufficiens est, cum qua quis potest implere pertinentia ad salutem, post peccatum reparari per pœnitentiam, ante peccatum ab eo abstinere: sed hæc datur omnibus, quin tamen semper sequatur impletio, reparatio aut abstinentia tanquam effectus; ergo.

III. Pontificum. Pius V. damnavit in Baio prop. 54.: *Definitiva hæc sententia: Deum homini nihil præcepisse impossibile, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.* Innocentius X. hanc Jansenii 2.: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Clemens XI. præter propp. 3. 4. et 5. cum Baiana consentientes, præter 10. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. idem, quod Janseniana, enuntiantes; in Quesnello damnavit etiam hanc prop. 9. *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam*

possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus. Et 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei* : quibus consonant 30. et 31.

IV. Patrum, quorum loco sufficiat unus Aug. Testimoniorum illius triplex classis habetur : *Prima* eorum, quæ declarant mandata Dei non esse impossibilia : viderique possunt num. 338. *Secunda* eorum, quæ docent gratiæ divinæ, cum qua agi posset, sæpe resisti. Qualia illa sunt ex L. 83. QQ. et L. de Peccat. mer. et remiss. supra n. 335. recitata, et L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 10. *Noluit ergo Esau, et non cucurrit : sed et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Item L. de Corr. et Gr. c. 7. n. 11. *Tertia* eorum, quæ universalitatem gratiæ et sufficientiam ostendunt. Ejusmodi est L. de Sp. et litt. c. 33. n. 58. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt; verum se ipsos fraudant magno et summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.* Et L. 1. de Genes. contr. Manich. c. 3. n. 2. 3.

Conf. 1. *Mandata Dei* debent esse possibilia etiam illa non servantibus, ut liquet ex Trid. Sess. 6. Can. 11. et Can. 18. atque ex condemnatione prop. primæ Jansenii; sine gratia autem vere sufficiente illa possibilia non forent.

Conf. 2. Juxta Apostolum 1. Cor. 10. fidelis Deus est, qui non patitur *tentari* homines supra id, quod possunt, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere; ac consequenter gratia sufficiens præsertim justis urgente tentatione conceditur : multi tamen etiam justi cedunt tentationi; ergo.

Conf. 3. Ex *morte Christi* pro omnibus, et sincera Dei voluntate erga omnium salutem necessario sequitur, dari hominibus media et gratias, de quibus ab unoquoque salus etiam vere ac relative obtineri queat; cum vero multi tamen sint, qui non salvantur, sequitur, gratias illas sufficientes sæpe carere effectu, ac consequenter dari gratias vere, sed pure sufficientes.

Conf. 4. Quia si nulla admittatur gratia sufficiens, apertissima via sternitur, aliis quidem ad summam *vitæ licentiam* morumque perversitatem, aliis vero ad animi dejectionem et luctuosam salutis *desperationem*, ut facile patebit, systema Calvini et Jansenii ad casum tentationum, peccatorum et operum faciendorum applicanti.

341. *Obj. I.* Scriptura videtur non aliam admittere gratiam, quam efficacem et conjunctam cum effectu. Nam 1°. Psal. 113. v. 3. dicitur : *Deus noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit.* Ad Rom. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis resistit?* Isa. 55. v. 11. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

2°. Ezech. 36. v. 27. *Spiritum meum ponam in medio vestri : et faciam ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini.* Joan. 10. v. 27. *Oves meæ*, inquit Christus, *vocem meam audiunt, et ego*

cognosco eas, et sequuntur me.....; et non peribunt in æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Ad Philipp. 1. v. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.*

3°. Ibid. c. 2. v. 13. dicitur : *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere, pro bona voluntate.* Ad Rom. 9. v. 15. *Miserebor, cujus misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.*

R. *N. Ass.* Quamvis enim hæc aliaque testimonia satis probent, dari gratiam *efficacem,* non tamen excludunt gratiam sufficientem, quæ clarissime asseritur in aliis textibus num. præced. relatis : atque hinc nihil patrocinantur *Jansenio,* contra quem, si revera ipsius intentum firmarent, probarent quoque non dari *gratiam parvam* ab eo admissam.

Ad prob. 1am. R. *universim,* in Deo distingui posse voluntatem *generalem* conditionatam et sufficientem a voluntate *particulari* absoluta et efficaci, si quidem hanc distinctionem ipse Jansenius admittit L. 1. de Gr. Chr. c. 1. Item intentionem in Deo esse virtualiter duplicem, antecedentem nempe et consequentem, quatenus *antecedenter* vult, ut bonum opus fiat; si vero homo bene agere nolit, quatenus *consequenter* vult, ut homo pœnam subeat.

Unde *speciatim* R. Psalmista loquitur de voluntate *absoluta* vel *consequente*, non autem de conditionata vel antecedente. Similis responsio est ad verba Pauli, si tamen ejus sint, et non Judæi refractarii hæc Paulo objicientis, cum sic legatur : *Dicis itaque mihi : Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Isaias vero litteraliter intelligendus est de Christo, qui missus a Patre in mundum, in cœlum reversus non est, nisi postquam fecit, quæcumque Pater voluit, et prosperatus est in his ad quæ missus erat. Si tamen de *voluntate Dei* alia sumatur, iterum antecedentem et conditionatam non concernit, sed consequentem et absolutam.

Ad prob. 2am. R. In his textibus omnino significari gratiam *efficacem,* quæ utique datur consentientibus, obtemperantibus ac prædestinatis; non autem omnibus, aut iis, qui ex abusu libertatis proprie gratias inefficaces reddunt; nam Ezechiel agit de iis, quibus promiserat Deus ibidem auferre cor lapideum et dare carneum, quos subjungit recordaturos viarum suarum pessimarum et iniquitatum displicentiam habituros : Joannes autem de obedientibus, qui nempe per donum fidei efficax a Deo acceptum sequuntur vocem Christi, cum ex Aug. L. de dono persev. c. 14. n. 37. *aures audiendi* sint *ipsum donum obediendi*; item de prædestinatis, ut clausula textus aperte designat : Paulus denique similiter de cooperantibus agit ; unde hunc locum Conc. Trid. Sess. 6. c. 13. usurpans, *Nisi ipsi,* inquit, *gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere.*

Ad prob. 3am. R. Sensum Apostoli utrinque esse, bonum opus magis a Deo esse per gratiam, quam a voluntate per conatum ac consensum; quia sine gratia voluntas nec conari, nec consentire potest : cum e contra opus malum sit a solo homine. Præterea, juxta alios, Apostolus postremo loco disputat duntaxat de *electione divina,* quam hic soli miserentis Dei voluntati tribuit, ac proinde huc minime pertinet.

342. *Obj. II.* S. Aug. pluribus locis docet, gratiam interiorem nunquam carere effectu; ergo censuit, nullam esse gratiam *vere* et *pure* sufficientem,

Prob. 1°. L. de præd. Sanct. c. 8. n. 13. *Hæc itaque gratia,* inquit, *quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* 2°. L. de nat. et gr. c. 42. *Cum sanata et adjuta hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat.* 3°. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 12. 13. *Nescio, quomodo dicatur, frustra misereri Deum, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, etiam volumus... Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit.*

R. *D. Ant.* Docet gratiam aliquam, nempe efficacem, nunquam carere effectu; et ex carentia effectus infert absentiam gratiæ alicujus, nempe efficacis *C.* docet omnem interiorem gratiam habere effectum, et ex hujus carentia infert absentiam omnis interioris gratiæ, nempe etiam sufficientis *N.* Contrarium patet ex dictis. Hinc

Quoad 1um. R. Hunc textum non ad omnem, sed efficacem duntaxat pertinere gratiam docent verba mox adjecta : *Quando ergo Pater intus auditur et docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor lapideum, et dat cor carneum..... Sic quippe facit filios promissionis et vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

Quoad 2um. R. Rursus hic agi de gratia efficaci ; tum quia Aug. hic præmittit : *Neque de ipsa possibilitate contendo,* scilicet quam Pelagiani docebant haberi a natura, non autem a gratia; tum quia continuo subjungit : *Dum charitas Dei, quantum plenissime natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris.* Ex quo quidem colligi potest, gratiam efficacem dare *posse* plenius et perfectius, quam det sufficiens; minime vero, *posse* gratiæ sufficientis non esse completum.

Quoad 3um. R. Similiter hic non esse sermonem de miseratione quacumque, sed de speciali et secundum propositum, seu *efficaci,* vi cujus seligit auxilia prævisa efficacia, et ex intentione boni operis efficaci confert : quamvis enim effectus hujus miserationis antecedenter sit in hominis potestate, quia illis auxiliis resistere potest, et hac resistentia impedire illam præscientiam ac intentionem efficacem; tamen quia ex suppositione, quod homo prævideatur consensurus, et quod Deus conferat illa auxilia, infallibiliter sequitur effectus; hinc recte dicitur : *Si Deus misereatur, etiam volumus;* Item n. 13. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate,* nempe consequenter, *ut misereatur frustra... quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut sequerentur.*

Præterea advertendum, impugnari hic a S. Doctore errorem quorumdam *Pelagianorum,* qui proprius postea *Semipelagianis* fuit, docentium, primam boni voluntatem ab homine provenire, et non a Deo seu gratia, et hinc Deum frustra velle misereri, nisi homo præmittat bonum affectum volendi; contra quos docet gratiam præcurrere voluntati, et volitionem *indeliberatam* saltem ad omnem gratiam sequi : ubi vero de volitione *deliberata* intelligi debet, de gratia efficaci secundum dicta explicatur.

Inst. 1. S. Aug. infert ex carentia effectus negationem seu carentiam gratiæ; ergo. *Prob.* 1°. L. de Gr. Chr. c. 13. et 14. ac L. de præd. SS. c. 8. n. 13. ex illo Joann. 6. *Omnis qui audivit et didicit a Patre meo, venit ad me,* sic argumentatur : *Si omnis qui audivit a patre, et didicit, venit; profecto omnis qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit ; nam si audisset et*

didicisset, veniret. 2°. Ibidem n. 15. addit, *eos, qui non credunt, foris tantum audire, non intus.* Item L. de Grat. Christi c. 13. *Qui novit quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, sed secundum litteram.*

Ad 1um. R. *D.* Qui non venit, non audivit a Patre, nec didicit, ita ut excludatur utrumque divisim, et neutrum acceperit *N.* ita ut excludatur utrumque collective, et non acceperit utrumque simul, hoc est, non audivit, atque etiam didicit *C.* Hanc explicationem probat 1°. ipsa argumentandi ratio, quæ affirmativæ copulativæ non contradicit per copulativam, sed disjunctivam negantem. 2°. Doctrina S. Aug. alibi familiaris, qua sæpius declarat, etiam illos audire, qui non discunt, et vocatos etiam esse, qui non veniunt. 3°. Damnatio illata propositioni Quesnelli 17.: *Gratia vox est illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Christum; quicumque ad eum non venit, nullatenus est doctus a Patre.* Itaque negatur quidem ab Aug. illi, qui non venit, gratiam efficacem fuisse datam, quæ in utroque conjuncto habetur, ut liquet ex L. de Gr. Chr. c. 13. ubi: *Sic Deus,* inquit, *docet eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant, scire, et quod sciunt, agere*; et c. 14. *Hoc docendi modo etiam ipsa voluntas et operatio, non sola possibilitas, adjuvatur* : non tamen negatur omnis gratia etiam sufficiens, et alius docendi modus, licet inferior, possibilitatem præstans.

Ad 2um. R. Utrumque explicandum esse sub distinctione; atque hinc, qui non credunt, foris tantum audiunt in doctrina Pelagianorum *C.* in doctrina S. Aug. *subd.* foris tantum audiunt, quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam si foris duntaxat audirent *C.* quantum ad sufficientiam gratiæ, quasi nullam penitus inspirationem et suasionem internam habeant *N.* Similiter qui novit, quod fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, supposita Pelagianorum sententia *C.* in sententia S. Aug. *subd.* nondum a Deo didicit secundum gratiam efficacem *C.* secundum nullam omnino gratiam *N.* Recolendum hic est, *Pelagianos* solum admisisse primum *gratias externas* legis ac doctrinæ, postmodum vero concessisse gratiam quidem *internam illustrationis,* negasse autem semper gratiam *voluntatis* et *actionis.*

Contra hos tum locis objectis, tum alibi agens Aug. non acquievit sola illustrationis gratia admissa; tum quia et hæc a *Pelagianis* fraudulentis referebatur ad meram gratiam legis et doctrinæ: tum quia hæc sola sine motione etiam voluntatis non dabat posse ac vires ad operandum salutariter; unde et ipso judice Aug. non merebatur nomen *internæ,* h. e. vires et potentiam agendi præbentis gratiæ. Quia vero præterea hæc ipsa proprie interna gratia voluntatis et actionis in Augustini systemate altera erat efficax, altera inefficax; poterat quidem in *hypothesi Pelagianorum* dicere, gratiam effectu carentem esse auditionem externam et non secundum spiritum, et in sua etiam hypothesi idem dicere poterat, si præcise effectus consideraretur.

Inst. 2. Ex eodem S. Aug. sine gratia efficaci non habetur potentia; nam L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 13. *Ad alios,* inquit, *vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Consonat Fulgent. L. 1. de prædest. ad

Monim. c. 14. sic scribens : *Quia quæcumque nobis facienda donat* (Deus), *sicut habere non possumus, nisi ipse nobis largiatur; sic facere non possumus, nisi ipse nobis quæ largitus est operetur.*

R. *N. Ass.* Textus primus illis verbis, *qua moveri non possunt;* non indicat impotentiam absolutam ac antecedentem ex defectu gratiæ sufficientis ortam, sed *consequentem* duntaxat, quæ proveniret ex refractaria hominum voluntate, ob quam illa gratia prævisa fuit incongrua, et qua stante utique homines moveri non poterant. Quod ipsum satis insinuatur eo in textu, clarissime autem confirmatur ex Tr. 53. in Joann., ubi occasione verborum, *propterea non poterant credere,* quærit Aug. quomodo igitur non credendo peccaverint? et sic resolvit : *Quare autem non poterant, si a me quæratur; cito respondeo : quia nolebant; malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus.*

In textu secundo sermo est de gratia *efficaci;* unde *D.* Facere non possumus, nisi ipse operetur, non possumus per solas vires liberi arbitrii *C.* ope gratiæ *subd.* non possumus potentia, quam certo sequatur effectus *C.* potentia completa et expedita, licet eam non sequatur actus *N.* Fulgentius hic agit contra *Semipelagianos,* et probat nos habere non posse bonam voluntatem, nisi illam nobis Deus donet; hanc autem actu dari per gratiam efficacem, quæ in nobis et *posse* et *velle* simul operatur. Quamvis vero exinde sequatur, gratiam efficacem esse necessariam ad habendam voluntatem salutarem; minime tamen sequitur, non dari gratiam sufficientem, quæ det veram volendi potentiam , licet ipsa volitio non conjungatur; neque de hac S. Doctor hic ullam mentionem facit. Eodem sensu explicari debent verba Christi Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Quæ verba S. Aug. L. 1. contr. 2. epist. Pelag. c. 19. exponit de gratia efficaci.

Inst. 3. S. Aug. illam duntaxat gratiam admisit, quam ursit et propugnavit contra *Pelagianos* : sed ursit et propugnavit non aliam, quam gratiam efficacem; nam L. de Gr. Chr. c. 10. *Nos eam gratiam,* inquit, *volumus, iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur et speratur;* ergo.

R. 1°. *N. M.* Cum *Pelagius* non admitteret aliam gratiam, nisi *externam* legis et doctrinæ, ad quam reducebatur etiam revelatio et illustratio, ea non contentus S. Aug. vehementer institit, ut assereretur etiam gratia *interna* afficiens immediate voluntates. Hujus existentiam ut evinceret, ostendit *actus salutares* non esse partus liberi arbitrii suis viribus relicti, sed adjuti per gratiam *efficacem;* qua ratione dum probaret dari nobilissimam speciem gratiæ internæ, hoc ipso etiam demonstrabat dari gratiam internam ; sicut qui ostendit dari hominem, invicte probat existentiam animalis. Ex hoc tamen inepte inferas, Aug. agnovisse tantum gratiam efficacem et repudiasse sufficientem ; qualis enim est hæc consecutio : quoties bene agimus, adjuvamur per gratiam efficacem distinctam a lege et doctrina; ergo quando non agimus bene, destituimur non tantum gratia efficaci, sed etiam sufficiente, distincta a lege et doctrina?

R. 2°. *D. m.* Aug. ursit et propugnavit non aliam, quam gratiam ex se et natura sua semper efficacem ac victricem *N.* non aliam, quam gratiam efficacem, h. e. efficientem seu conjunctam cum voluntate et actione, qua nempe actu creditur, speratur etc. *subd.* et hanc propugnavit ex facto supposito, quod illi actus fidei, spei etc. re ipsa eliciantur *C.* hanc propugnavit

dari semper et absolute ac in omnibus circumstantiis *N.* Assumpsit nempe Aug. quod *Pelagiani* admittebant, dari scilicet actus salutares : hos contendebat fieri per gratiam internam, quam L. de Gr. Chr. c. 47. vocabat *gratiam voluntatis* et *actionis* seu efficacem, quia voluntas et actio juvabatur; atque hinc recte urgebat *Pelagianos,* ut admitterent gratiam voluntatis et actionis, gratiam, qua creditur et speratur, gratiam reipsa cum operatione conjunctam, quin tamen assereret gratiam hanc *entitative* sumptam per se semper habere effectum, et non posse esse tantum sufficientem atque effectu carere.

Inst. 4. Idem sæpe et præsertim L. de gest. Pelag. c. 1. *auxilium possibilitatis,* et L. de gr. et lib. arb. c. 13. gratiam communem, tanquam a fide Ecclesiæ alienam rejicit : sed gratia sufficiens est tale auxilium et gratia; ergo. *Conf.* In principiis S. Augustini juxta L. de corr. et gr. c. 11. et 12. magnum est discrimen inter auxilium *sine quo non* et auxilium *quo* : et hoc quidem in statu naturæ lapsæ datur, illud vero non : sed juxta eumdem auxilium *sine quo non* est gratia indifferens ac pure sufficiens; ergo.

R. *D. M.* Aug. rejicit gratiam possibilitatis et communem in sensu Pelagii acceptam, tanquam alienam a fide Ecclesiæ *C.* acceptam in sensu Catholicorum *N.* Patet ex dictis supra de *Pelagii* erroribus, per gratiam possibilitatis ab eo nihil intellectum, nisi ipsam naturam et liberum arbitrium, vel ad summum legem et doctrinam; atque hanc etiam vocabat *communem,* eo quod saltem natura ac liberum arbitrium omnibus hominibus inesset : errant autem ac calumniantur, qui Catholicos idem sentire dicunt, cum juxta illos gratia sufficiens sit donum Dei internum naturæ superadditum, datumque hominibus a Deo ad præbendam illis potentiam salutariter operandi in circumstantiis præcepti urgentis, quo sensu duntaxat gratia possibilitatis et communis appellatur.

Ad Conf. R. *N. m.* De qua materia vide uberrimam expositionem n. 273.

Quæres : *An gratia pure sufficiens sit Dei beneficium?*

343. R. I. Gratia pure sufficiens est beneficium Dei, saltem *materialiter* tale, h. e. donum accipienti utile. Patet ex prop. damnata ab Alex. VIII. ordine sexta : *Gratia sufficiens non tam statui nostro utilis, quam perniciosa est, ut proinde possimus petere, a gratia sufficiente libera nos, Domine.*

Prob. Gratia Dei est donum naturæ bonum, et quidem indebitum ac misericorditer a Deo collatum, ut constat ex Conciliis et Patribus contra *Pelagium.* Sed gratia seu auxilium ad operandum salutariter sufficiens pure tale est simpliciter gratia Dei; ergo simpliciter et absolute est Dei beneficium. Sic 1°. in illo 2. ad Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis,* manifeste supponitur, gratiam Dei per hominis desidiam posse esse otiosam et cum effectu non conjunctam, quin propterea esse gratia desinat : 2°. Per illud Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis,* docemur auxilia, quibus resistimus, esse Spiritus sancti dona, quæ proinde gratiæ et beneficii rationem induunt : 3°. Ex illo Psalm. 58. v. 11. *Misericordia ejus præveniet me,* evincitur, auxilium, quo prævenitur homo ad operandum salutariter, et cui ipse non respondet, esse opus divinæ misericordiæ, ac gratiam consequenter et beneficium.

Conf. 1. Utilissimum et Dei beneficium est, posse placere Deo ac vitam

æternam consequi; inde enim Joannes commendat Dei bonitatem. c. 1. v. 12. qui *dedit eis potestatem filios Dei fieri* : sed hoc posse seu potestas datur per gratiam pure sufficientem; ergo.

Conf. 2. Beneficium materialiter tale, seu materia idonea beneficentiæ pensandum est secundum se et penes actionem *conferentis,* non autem penes id, quod adjungitur illi ex mera *recipientis* libidine et abusu.

Nec dicas 1°. Non est *beneficium,* cujus carentia est quid melius : sed melior est carentia auxilii pure sufficientis, quam ipsum hoc auxilium; tum quia cum hac gratia homo peccat, et sine ea non peccat, adeoque melius est ea carere, quam illam habere : tum quia simili ex ratione Matth. 26. de Juda proditore dicitur : *Bonum erat ei* (h. e. secundum phrasin hebr. ex S. Hier, *melius*) *si natus non fuisset homo ille;* ergo.

R. *N.* vel *Dist. min.* Melior est carentia, quam ipsum auxilium pure sufficiens in actu primo *N.* in actu secundo *Subd.* quam ipsum auxilium denominative et specificative secundum entitatem gratiæ sumptum *N.* vel reduplicative vel compositive vel concretive h. e. secundum dissensum præcise, vel dissensum simul et entitatem gratiæ sumptum *C.* Quamvis enim complexum vel concretum ex gratia et abusu involvat beneficium, recte tamen beneficium simpliciter non vocatur, sed cum diminutione, scilicet secundum positivum seu entitatem præcise gratiæ.

Ad prob. 1am. Similiter *D. Cons.* Eodem sensu sumitur testimonium 2ae. *prob.* allatum; nam existentia *secundum se* sumpta melior est, quam ejus negatio, cum creatio Judæ non minus, ac alia illi collata dona tum naturalia tum supernaturalia, sit *Dei beneficium,* nec ex ipsa creatione seu existentia, sed citra ac contra voluntatem divinam ex propria ejus voluntate ac mero abusu nocumentum illi provenerit : existentia tamen conjuncta cum peccato, quod Judas addidit, non est melior, seu non tanti, ut non sit melius non existere, quam sic existere; quia peccatum, quod complexum cum existentia tali constituit, quoad *eligibilitatem* est majus malum, quam bona sint tum gratiæ, tum naturæ dona.

Nec dicas 2°. Beneficium non est, quod accipienti non est utile : sed gratia sufficiens non est utilis homini etiam ratione illius potestatis agendi salutariter, ut constat ex Aug., qui L. de gr. et lib. arb. c. 15. *Tunc,* inquit, *utile est velle, cum possumus, et tunc utile est posse, cum volumus : nam quid prodest, si quod non possumus volumus, aut quod possumus nolumus.*

R. *D. M.* Beneficium non est, quod accipienti non est utile in actu primo *C.* quod non est utile in actu secundo *Subd.* Si hoc provenit ex ipsa naturalitate doni *C.* si provenit ex una voluntate, culpa ac malitia accipientis *N.* Quod ipsum opus salutare, ad quod gratia sufficiens incitat, viresque ac potestatem tribuit, et sic utilitas seu fructus non sequatur, non ex gratiæ ipsius, sed illam, ut ait Apostolus, *in vacuum accipientis* defectu solo oritur; unde ipsi gratiæ ac auxilio negari nequit ratio beneficii; præsertim cum ipsum posse, seu facultas salutariter operandi per sufficientem gratiam collata jam sit magna utilitas, de facto jam meliorem faciens accipientem, et collatorem ostendens beneficum.

Ad prob. D. S. Aug. dicit, potestatem, si non facimus quod possumus, nihil prodesse hoc sensu, quod fructus intentus aut exspectatus reipsa et in actu secundo inde non colligatur *C.* hoc sensu, quod ipsum posse seu facultas

bene operandi de se non sit utilis et materia idonea beneficentiæ, quamvis hominis culpa fructus exspectatus non reportetur *N*. Sicut non velle percipere fructum ex re, e qua quis potest, arguit negligentis malitiam et ingratitudinem; sic posse percipere fructum infert Dei bonitatem et beneficium, licet actu non percipiatur, eo quod fructus percipiendi voluntas absit.

Nec dicas 3°. Gratia sufficiens magis obest, quam prosit; ergo non est beneficium. *Prob. Ant.* 1°. Quia gratia hæc se habet instar legis, de qua Aug. L. de gr. Chr. c. 8. *Usque adeo,* inquit, *aliud est lex, aliud est gratia, ut lex non solum nihil prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adjuvet gratia.* 2°. Quia collatio gratiæ pure sufficientis reipsa nihil aliud est, nisi *permissio peccati.* 3°. Quia Deus gratiam ejusmodi vel confert tantum ad tollendam *excusationem* impotentiæ, vel non raro in *pœnam* peccati præcedentis; ergo.

R. *N.* vel *D.* uti supra. *Ad prob.* 1am. *Disparitas* est, quia lex, nisi adjuvet gratia, jubet, sed non juvat; ac propterea aliunde potius, occasionaliter scilicet, irritat concupiscentiam ipsa prohibitione, juxta illud : *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*; id quod et Aug. docet de Sp. et litt. c. 4. At vero gratia *sufficiens* non irritat, sed potius coercet concupiscentiam, præstat vires ad eam compescendam, et juvat ad legem observandam; adeoque minime dici potest, ad instar legis obesse magis, quam prodesse.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* de gratia sufficiente *specificative* sumpta : quamvis enim gratia aliter sumpta præter negationem consensus possit in collatione hujus auxilii connotare etiam negationem alterius auxilii congrui, et sic habere rationem permissionis peccati; tamen neutra negatio pertinet ad *positivum* et *entitatem* gratiæ sufficientis, ac proinde hæc secundum positivum vel specificative sumpta nequit confundi cum permissione peccati.

Ad prob. 3am. *N. utr. part.* Ratio *primi* est : quia nec hæc est intentio Dei, nec ratio conferendi; cum alias et rationis usus et libertas et admonitio aliaque quæcumque media divina, sed ex hominis vitio infructuosa, hac ratione maleficii naturam induerent : *secundi* vero ; quia *pœna peccati* est sola negatio gratiæ efficacis seu congruæ, quæ tamen ex nuper dictis non se tenet ex parte positivi seu entitatis gratiæ sufficientis ; ac præterea tantum facit secundum Aug. phrasin, ut non erogetur a Deo aliquid, quo homo sit deterior, sed duntaxat, quo sit melior, non erogetur.

Nec dicas 4°. Pro gratia sufficiente nec oratur, nec debet aut potest orari ; ergo non est beneficium. *Pars* 1a. *Ant.* patet; quia nemo petit a Deo nudum posse, sed omnes bonam voluntatem et actionem postulant. *Pars* 2a. *prob.* Non debemus petere, quod jam habetur, aut in nostra est potestate; quia juxta Aug. L. de Nat. et Grat. c. 18. nihil est *stultius quam orare, ut facias quod in potestate habeas.* Sed gratiam sufficientem habemus in nostra potestate, dum urget præceptum; ergo. *Pars* 3a. *prob.* Qui petit gratiam pure sufficientem, petit *dissensum* et abusum gratiæ vel complexum ex gratia et dissensu; hoc autem nemo secundum rectam rationem petere potest. Hinc laudabilis est ista voluntas : nollem auxilium pure sufficiens; quia illo non accepto nec forem *ingratus,* nec *peccarem*; ergo.

R. *D. A.* Pro gratia sufficiente specificativa et secundum id sumpta, quod positive ac in recto regulariter dicit, nec oratur etc. *N.* pro ea reduplicative et secundum negativum ac obliquum sumpta *C.*

Ad prob. 1am. R. *D. Ass.* Nemo exercite petit nudum posse *N.* signate

Subd. et hoc ideo, quia gratia dans nudum posse secundum entitatem suam spectata sit inutilis aut perniciosa *N.* ideo quia quilibet potius optat beneficium majus, quam minus *C.* Frequenter *orationes fidelium* tendunt ad impetrandam gratiam, qua v. g. possit superari aliqua tentatio, præscindendo ab ejus efficacia aut inefficacia, ubi nec petitur *determinate* gratia efficax, nec pure sufficiens, sed pro beneficio agnoscitur quælibet gratia, quæ vires vere sufficientes præstat ad tentationem vincendam : ipsa vero Ecclesia, quamvis utramque precibus suis postulat, sæpius tamen gratiæ prævenientis et excitantis meminit, quæ ad sufficientem pertinet.

Ad prob. 2am. R. *D. M.* Non debemus petere, quod jam habemus ex nobis ipsis, et est in potestate nostra naturali aut arbitrio *C.* quod habemus ex alio, et cujus jam accepti usus vel abusus tantum est in nostra potestate *subd.* nisi ipsum hoc habere et posse proxime uti detur dependenter a precibus, et nisi fructus habiti doni ejusque usus dependeat etiam ab alio *N.* secus *C.* similiter distincta *min. N. Cons.*

S. Aug. locis citatis alibique recte ex orationibus Ecclesiæ demonstravit necessitatem gratiæ contra *Pelagianos,* qui dicebant quidem posse salutariter agere haberi a Deo per creationem naturæ ac liberi arbitrii, velle autem et operari esse a solo homine per vires proprias naturæ ac liberi arbitrii, atque hinc et sufficientiam et ipsam operationem viribus naturæ deberi. Per hoc vero minime oppugnavit gratiam sufficientem; tum quia gratia *proxime* sufficiens non semper adest ubique, atque hinc postulari debet juxta regulam Trid. : tum quia et ipsa cum gratia cooperatio ejusque usus non est ex viribus naturæ, sed gratiæ : tum quia habita etiam gratia sufficiente orare nihilominus convenit, partim quod nesciamus, an eam jam habeamus; partim quod nobis ipsis timentes majorem gratiam postulare deceat.

Ad prob. 3am. *D. A.* Qui petit gratiam pure sufficientem specificative acceptam, petit dissensum etc. *N.* qui petit eam reduplicative sumptam, secundum exclusionem scilicet efficaciæ *C. Ad illat.* R. et illam pertinere ad auxilium non *secundum se*, sed cum dissensu sumptum; atque hinc honestas illius affectus non probat, gratiam sufficientem non esse beneficium, sed peccatum quoad eligibilitatem majus esse malum, quam auxilium sufficiens sit bonum.

Nec dicas 5°. Gratia sufficiens servit nutriendæ hominum *superbiæ*, eo quod ejus usus vel non usus dicatur pendere a libero arbitrio : fovet *negligentiam,* cum falsa homini injiciatur confidentia, foregratiam semper paratam, qua homo uti, et ad Deum redire queat : *spem* denique suffodit; quia hanc homo non collocat pro suo debito in Dei auxilio, sed semetipso ac propriæ voluntatis consensu ; ergo beneficium esse nequit.

R. *N. Ant.* Cujus absurditas vel ex ipso Jansenii systemate manifestatur, qui gratiam sufficientem solam tribuit *statui innocentiæ,* quin tamen dicere ausit, Adamo fuisse datam gratiam ejusmodi, quæ natura sua inspiraret superbiam, socordiam foveret, et spem labefactaret Christianam. Præterea gratia, quæ suam homini *infirmitatem* et omnimodam a continuo divini auxilii influxu dependentiam demonstrat, potius *humilitatem* inspirat; quæ hominem incessanter monet, ut novum semper a Deo imploret auxilium, tum ut accepta gratia bene utatur, tum ut in ea perseveret, accendit diligentiam; quæ denique nihil *solis viribus* permittit, et ad auxilia majora

semper expetenda incitat, quibus difficultates sive ex ipso opere, sive ex tentationibus provenientes vincantur, satis aperte persuadet, *spem* omnem in abundantiori auxilio ad bene agendum necessario esse collocandam. Talis autem est gratia sufficiens, quam Orthodoxi omnes admittunt ex Trid. instructione, quod Sess. 6. c. 13. *Qui se existimant stare*, inquit, *videant ne cadant, et cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus etc.*

344. R. II. Gratia pure sufficiens etiam est beneficium Dei *formaliter* tale, h. e. collatum *qua* utile recipienti.

Prob. In collatione hujus gratiæ, etiam dependenter a scientia media *prælucente*, Deus duo intendit : 1°. nempe efficaciter intendit, ut homo sufficientiam et simpliciter posse habeat ad operandum salutariter : 2°. inefficaciter quidem, sed serio tamen, ut salutaris operatio et salus hominis consequatur; hanc enim seriam Dei voluntatem fundant ejus præcepta, quibus serio declarat se velle, ut opera salutaria ponantur, seu fiat id, quod iisdem præcipit. Atqui *prima* illa intentio est formaliter benevola; *secunda* autem, quamvis per eam Deus homini non faveat, quantum potest, simpliciter tamen adhuc benevolentiam dicit; ergo gratia pure sufficiens sicut ex Dei erga hominem benevolentia procedit, sic beneficium formaliter tale dici potest ac debet.

Conf. Præscientia media de inefficacia non obest beneficentiæ in collatione auxilii sufficientis. Nam id non obest beneficentiæ, unde maxima Dei beneficentia commendatur : sed ex eo, quod prævideatur auxilii inefficacia unice proveniens ex *pravitate hominis*, maxime commendatur Dei beneficentia, qui nempe nec per illam malitiam prævisam a conferendo dono retrahitur; unde illud est Chrys. de reprobis agentis effatum : *Eos præscius formavit, vincente bonitate præscientiam;* ergo. Præterea divina præscientia non destruit suum *objectum* : destrueret autem, si præscientia inefficaciæ obesset beneficentiæ in auxilii collatione; nam *objectum* hujus præscientiæ est ingratitudo hominis dissentientis auxilio, si hoc conferatur : sed destrueret istam ingratitudinem, quatenus destrueret terminum essentialem, videlicet rationem beneficii in collatione auxilii, quam ingratitudo necessario supponit et connotat; ergo.

Nec dicas 1°. Moveri ab inefficacia auxilii ad illius collationem, vel ex industria seligere auxilia inefficacia danda, vel ejusmodi collatione insidiari alterius saluti, maxime repugnat beneficentiæ *formali* : sed hæc omnia eveniunt in collatione gratiæ *pure* sufficientis dependenter a scientia media de inefficacia gratiæ, seu si Deus conferat gratiam sufficientem ut prævisam inefficacem ; ergo.

R. Argumenta nimium probare etiam contra adversarios gratiam sufficientem, nec sine prævisione inefficaciæ, in statu *naturæ integræ* datam admittentes. Unde *Dist. min.* Hæc omnia eveniunt in collatione gratiæ sufficientis dependenter a scientia media tantum *prælucente* de inefficacia auxilii, seu si Deus conferat gratiam sufficientem ut prævisam inefficacem, h. e. si conferat duntaxat non obstante prævisione inefficaciæ *N.* in collatione dependenter a scientia media *dirigente*, seu si Deus conferat ut prævisam inefficacem, h. e. si ob prævisam inefficaciam, et quia scit esse inefficacem,

conferat *C*. Postremum vero in Deum non cadit; unde nec *illa absurda* collationem gratiæ sufficientis afficiunt.

Nam 1°. Deus non movetur ab inefficacia prævisa, sed tantum ab eadem non retrahitur; et decretum collativum gratiæ pure sufficientis non tendit sic : *Do hanc gratiam, quia prævideo inefficacem;* sed ita : *Do, etsi prævideam inefficacem.*

2°. Cum autem Deus prævie ad decretum auxilii collativum nihil intendat, ratione cujus teneatur homini dare auxilium inefficax et efficax negare, sed potius intendat *salutem* hominis, *mediaque* ad eam conducentia ; manifestum est, quod non eligat de industria auxilia inefficacia præ efficacibus, sed utendo jure suo dispenset bona sua modo, quo vult.

Hinc vero 3°. patet, Deum non insidiari hominum saluti. Deus enim conferendo etiam auxilium *pure* sufficiens dat homini id, quod antecedenter non debebat, quin dat plerumque amplius, quam quod ad salutem obtinendam requiratur : dum vero homo auxiliis his non utitur, prout debet, de sua negligentia ac perversitate, minime autem de Dei voluntate et benefacto habet, quod conqueratur. Atque hæc quidem benevolentia Dei facilius cognoscitur *in sententia* eorum, qui dicunt, quod Deus in dispensatione auxiliorum se gerat ita, ut si illa *pure* sufficientia, quæ dat, præviderentur efficacia, illa non negaret, sed daret eadem liberrime, quibus homo certissime assequeretur salutem.

Nec dicas 2°. Pater non est beneficus formaliter, si filio det pecunias, prævidens illarum abusum in corporis et animæ perniciem : nec *hospes*, invitans reum ad cœnam, formaliter beneficus est, si præsciat, ea occasione eum a judice capiendum et plectendum; ergo si præcedit scientia de auxilii inefficacia, sub quo erit hominis ingratitudo, peccatum et damnatio, Deus in gratiæ hujus collatione non est formaliter beneficus.

R. *C. A. N. Cons.* Nam 1°. nec *pater* nec *hospes* formaliter benefacit, nisi prudenter judicet, ille quidem, filium non abusurum pecuniis, hic vero, cœnam non fore occasionem capturæ ac supplicii. Jam vero sicut ad limitatam hominum providentiam se habet prudens judicium, sic ad perfectissimam Dei providentiam habet se infallibilis præscientia; ergo si sine memorato prudenti judicio in exemplis adductis non stat *formalis* hominum *beneficentia,* neque Dei beneficentia habebitur absque infallibili præscientia de eo, quod auxilium quodcumque datum, sit conjungendum cum effectu ; quod aperte falsum est.

R. 2°. *Disparitas* est, quia qui ponit quidem causam *per accidens,* sed habet obligationem vitandi hanc causam ex hoc fine, ne sequatur effectus, illi voluntarius est effectus; itaque quamvis illa collatio pecuniæ aut invitatio illa ad cœnam sint tantum causa *per accidens;* tamen quia vel ex pietate vel ex humanitate vel ex alio quocumque titulo justo, patri ac hospiti obligatio incumbit vitandi has etiam causas per accidens, ne nempe sequatur illud nocumentum, mirum non est in illis exemplis locum non habere beneficentiam *formalem;* eo quod damna illa prævisa hominibus causas per accidens ponentibus voluntaria sint.

E contra permisso etiam, quod gratia sufficiens sit causa *per accidens* peccati, Deus tamen non tenetur non dare auxilium *pure* sufficiens ex fine, ne sequatur peccatum ; cum ex dictis alibi Deus peccatum impedire non tenea-

tur : unde sequitur ingratitudinem cæteraque hominis damna illam subsecuta Deo minime esse voluntaria. Præterea verò cum aliunde illud auxilium ex Dei actione procedens sit homini bonum, Deusque id ex benevolentia conferat ; hinc est, quod cum prævisione inefficaciæ stet adhuc *formalis* beneficentia.

Nec dicas 3°. Necessitatus *sub disjunctione* ad conferendum bonum, vel ad non permittendum majus malum, non est *formaliter* beneficus, si bonum concedat, et majus malum permittat; quia impeditio majoris mali est bonum majus, et necessitatus ad dandum unum ex duobus bonis non est formaliter beneficus, si det minus, et neget majus. Sed Deus est necessitatus *sub disjunctione* ad dandum auxilium sufficiens, vel ad non permittendum peccatum, quod est majus malum; ergo si dat auxilium pure sufficiens, et permittit peccatum, non est *formaliter* beneficus.

R. *N. M.* universaliter sumptam; quia Deus etiam est necessitatus *sub disjunctione* vel ad hominem creandum et permittendum pro ejus libertate peccatum, vel ad non permittendum peccatum hominem non creando; et tamen creatio hominis postea peccaturi formale Dei beneficium est. Itaque permittere majus malum, quod evenire nequit, nisi ex abusu minoris boni concessi, sed sufficientiam vitandi majus malum afferentis, *formale* beneficium non corrumpit.

Unde *ad prob. D.* Non est beneficus, si neget majus bonum, et det tantum bonum minus, sed cum quo confert simul potestatem lucrandi bonum majus, quodque bonum majus nequit abesse nisi ex accipientis desidia *N.* si quid ejusmodi in collatione minoris boni absit, *Transeat;* quia cum ipsa objectio supponat adhuc conferri *simpliciter* bonum, et necessitas illa *sub distinctione* non sit absoluta ac independens, sed fundata in alio beneficio præcedente, uti *in nostro casu* est gratuita elevatio ad statum supernaturalem, negari quidem huic bono potest ratio beneficii amplioris, non tamen beneficii *simpliciter* talis : præsertim cum ad non peccandum *per se* et universim ac etiam contra præceptum supernaturale in actibus contrarie oppositis non requiratur auxilium supernaturale; atque hinc Deus nec absolute necessitatus sit aut ad non permittendum illud peccatum, aut ad conferendam gratiam supernaturalem.

Nec dicas 4°. Deus dando gratiam, quam prævidet inefficacem, non vellet serio actum salutarem, ad quem dat gratiam pure sufficientem. *Prob.* Juxta S. Aug. in Enchir. c. 103. *Credendum non est, aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse, factumque non fuisse ;* ergo Deus dando gratiam ad actum salutarem, quem prævidet non ponendum, illum actum saltem serio voluisse credendus non est.

R. *N. Ad prob.* 1am. R. S. Aug. intelligendum esse de voluntate Dei absoluta et efficaci, non autem de conditionata et sufficiente.

Nec dicas 5°. Nemo, qui finem *serio* intendit, utitur *mediis,* quæ scit non habitura effectum, quando copiam habet aliorum, quæ efficacia fore prævidet, et citra suum incommodum largiri potest; ut patet *in exemplo,* ubi quis prævidet ab homine in profundam specum delapso non arripiendum funem oblatum, sed scalam, et tamen omissa scala funem demittit; ergo cum hoc eveniat in dispensatione gratiæ pure sufficientis a Deo factæ, finem *serio* intendere dici nequit.

R. *D. A.* Nemo, qui serio et illimitate intendit finem, utitur mediis etc. *C.* qui serio quidem, sed non illimitate intendit *N.* Voluntas *simpliciter* seria est, quæ dat omnia media necessaria, et plene sufficientia ad obtinendum finem, ut, quantum est ex parte dantis, sequatur effectus, licet prævideatur contrarium, et adsint alia media efficaciora. Hinc in allato *exemplo,* qui projiceret delapso funem, quo extrahi posset, serio sane ejus liberationem vellet, præstaretque beneficium; licet cognosceretur non habere voluntatem *illimitatam* eum liberandi, sed permittendi interitum ex propria illius pertinacia. Quamvis vero in humanis mediorum inefficacium positio, relictis efficacioribus, plerumque licite non procedat, quia *regulariter* tenemur impedire effectum malum aut damnum proximi, quantum moraliter possumus; id tamen in dispensatione divina auxiliorum locum non habet.

Nec dicas 6°. Intentio Dei inefficax ad salutarem operationem est *conditionata,* et hunc habet sensum : Volo, ut homo velit operari sub conditione, si velit : sed hæc conditionata intentio est stulta, ac consequenter non est seria; ergo.

R. *D.* 1am. *p. M.* Voluntas Dei inefficax est formaliter ac proprie conditionata *N.* tantum late et secundum quid æquivalenter conditionata *C.* Sed hinc 2am. *p. N.* Intentio quidem Dei de æterna *omnium salute* est formaliter et proprie conditionata, quia in illo testimonio Apostoli 1. ad Tim. 2. v. 4. *Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* interpretantibus SS. Patribus, præsertim Ambr. et Hier., conditio subintelligitur, si nimirum etiam ipsi accedant, et vocanti Deo consentire velint : intentio autem salutaris operis respectu hominis gratia pure sufficiente præventi, est *late* tantum et *secundum quid* æquivalenter conditionata, quatenus per modum desiderii tendit indifferenter (indifferentia scilicet hominis libertatem salvam præstante) in ipsam operationem; atque ob hanc indifferentiam intentio componitur cum operationis defectu, sicut voluntas formaliter et proprie conditionata sine effectu esse potest, propter conditionem non positam.

Qua in re nihil diversum habetur a quocumque hominum desiderio, quo optant bonum ab alterius *libertate* dependens, quin tamen ob hanc rationem desiderium ejusmodi dicatur conditionatum, et hinc absona intentionis tendentia in argumento proposita sequatur.

Nec dicas 7°. Deus volens, ut homo operetur salutariter cum auxilio, quod *inefficax* fore prævidet, vellet, ut aliquid fieret contra æternam suam præscientiam, cuperetque aliquid fieri, quod certo sit non futurum : in utroque autem non potest esse voluntas seria; ergo.

R. *N. M.* Deus enim volens, ut homo inefficaciter vocatus operetur, non vult, ut fiat aliquid *contra suam præscientiam*; sed inefficaciter vult, ut fiat aliquid, quod si fieret, præscientia fuisset impedita, aversaturque, non impediri eamdem : similiter Deus non vult efficaciter, quod præcognovit non esse futurum; sed tamen sincere desiderat, ut fiat id, unde sequeretur præscientiam non fuisse, et quodammodo dolet, quia ex hominis voluntate illud non est futurum.

ARTICULUS III.

AN OMNIBUS JUSTIS DETUR GRATIA SUFFICIENS?

345. *Nota I.* Justis omnibus non dari gratiam sufficientem ad mandata Dei observanda, vitanda peccata etc., atque hinc ad perseverandum, partim est corollarium ex erroribus *Lutheri* et *Calvini* fluens, partim aperta *Jansenii* doctrina. Error *Lutheri* et *Calvini*, quo statuunt, mandata Dei esse impossibilia etiam justis, eo quod ea non possint in hac vita impleri, scilicet ob concupiscentiæ labem, operibus hominum etiam sanctissimis adhærentem, generali quadam exclusione removet a justis auxilium sufficiens ad perseverandum mandata Dei observando. *Jansenius* L. de gr. Chr. c. 13. totus est in eo, ut ostendat justis etiam volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent vires, aliquando deesse gratiam, imo et spiritum orationis, quo possibilia fiant Dei præcepta; quam erroneam doctrinam omni argumentorum genere conatus est stabilire *Ant. Arnaldus* in dissertatione de gratia efficaci, tanquam in persona S. Petri manifestam. Contrarium dogma est omnium Catholicorum.

346. *Nota II. Jansenius* de generali Dei ad salvandos omnes voluntate, et mediorum pro omnibus ad peccata vitanda præparatione testimonia Apostoli, alterum ex 1. ad Timoth. c. 2., alterum ex 1. ad Cor. c. 10. v. 13. desumptum elevare contendit, propterea quod Aug. L. de Corr. et gr. c. 15. textum *primum* sic explicet, ut Deus dicatur velle omnes homines salvos fieri, non quia talem voluntatem in se habet, sed quia facit nos velle ac desiderare, ut omnes salventur : *secundum* vero, dum idem L. de dono persev. c. 9. et Hormisdas S. P. in ep. 15. ad Possessorem Episcopum applicet prædestinatis. His vero usurpationibus non obstantibus

Quod 1um. attinet, negari nequit, quin ille textus alium sensum litteralem ac proprium habeat, qui catholicam exprimat veritatem. Liquet id 1°. ex *contextu*; quia hic loci hortatur Apostolus fideles, ut Deum pro omnium salute obsecrent, et rationem addit : *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo;* quod probat illico subjungens : *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Unde sic argumentatur : Quia Deus vult omnes homines salvos fieri, bonum et acceptum coram ipso est, nos pro omnium salute orare; ergo pro eadem orare nos oportet : hæc autem argumentatio vim nullam haberet, si Deus, sine voluntate aliquos salvandi, faceret nos pro eorum salute orare.

2°. Ex consensu aliorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum eumdem sensum litteralem sectantium.

3°. Ex ipso S. Aug., qui hanc explicationem apertissime L. de Sp. et litt. c. 33. n. 58. supponit, vel tradit, ubi interrogat : cur, si voluntas credendi donum Dei est, non omnibus detur, cum Deus velit omnes homines salvos fieri; sic respondet : *Vult quidem omnes homines salvos fieri... non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur.*

Quoad 2um. vero idem etiam ostenditur 1°. ex *contextu;* cum enim Apo-

stolus loco cit v. 12. dicat : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat*; quod non ad solos prædestinatos, sed ad justos omnes pertinere potest : nec v. 13. immediate subsequens ad prædestinatos solos, sed specialiter tantum et antonomastice pertinet, cujus verba sunt : *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*; quæ postrema verba S. Cypr. interpretatur Testim. adv. Judæos L. 3. c. 91. : *Faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem*; Primasius vero Comm. in hanc epist. : *Illud faciet provenire, quod poteritis sustinere.*

2°. Ex epistolæ *inscriptione*, quæ ad omnes fideles, qui Corinthi versabantur, data erat; quin tamen illos omnes fuisse prædestinatos, ullus dicere ausit.

3°. Ex *usu* Trid., quod illum textum Sess. 24. de Matrim. Can. 9. extendens ad omnes Clericos in Majoribus constitutos et Regulares castitatem professos, affirmat votum castitatis ab omnibus eo adstrictis servari posse : *Cum Deus id* (donum castitatis) *recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.*

4°. Ex S. Aug., qui eumdem textum alibi, nempe in Ps. 61. n. 20. ad omnes saltem justos porrigit.

347. *Dico.* Justis omnibus urgente præcepto, quod sine gratia impleri nequit, confertur a Deo gratia *proxime* vel *remote* sufficiens, qua vere possint implere præceptum. Est de fide.

Prob. Auctoritate. I. Scripturæ. Hujus testimonia aperta et plurima sunt, quibus summa erga justos Dei charitas commendatur, singularis providentia et protectio promittitur, et spes eorumdem vitæ æternæ erigitur. Satis erit hic quædam addere, quæ testentur justos a Deo non derelinqui, nisi ipsi eum reliquerint. Ejusmodi sunt illud Josue 1. v. 5. a S. Th. Lect. 1. in 1. ad Cor. 1. huc derivatum : *Non dimittam, neque derelinquam te.* Ps. 36. v. 25. *Non vidi justum derelictum.* v. 28. *Dominus amat judicium, et non derelinquet Sanctos suos.* Prov. 3. postquam Salomon v. 21. jussisset justum data illi monita exequi, eorum observantiæ mercedem subjicit, et v. 25. addit : *Ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum : Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.* Eccli. 2. v. 12. *Quis permansit in mandatis ejus, et derelictus est ?... quoniam pius et misericors est Deus... et protector est omnibus exquirentibus se in veritate,* etc.

II. Conciliorum; Arausicani c. 26. et Tridentini, quod Sess. 6. c. 11. jubet abstinere a temeraria et a Patribus prohibita voce, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse *impossibilia*; ibidem una docet, justificatos a Deo sua gratia non deseri, nisi ab iis ipse deseratur : et c. 16. declarat, Christum tanquam justorum Caput jugiter in illos, utpote in membra, influere.

III. Pontificum, qui tanquam temerariam, impiam, blasphemam et hæreticam damnarunt propositionem Jansenii primam. Huc pertinet etiam proscriptio *Epistolæ Arnaldinæ*, aliorumque opusculorum in defensionem dictæ propositionis, ab Alex. VII. S. P. facta : Item damnatio plurium propositionum *Quesnelli*, quæ docent hominem sine gratia efficaci nihil posse.

IV. Patrum, præsertim S. Aug. L. de Correpl. et Grat. c. 7. n. 11. : *Si...*

ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit : quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus? Justior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam : quoniam potest dici, homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares si velles ; nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles. Adde illud in Ps. 145. n. 9. *Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur.* Denique accedunt testimonia alia, per quæ L. de Nat. et Gr. c. 26. S. Doctor discrimen statuit inter *medicum,* qui sanat corpus, et *Christum*, qui justificat impium; quia ille, postquam sanavit hominem, dimittit : *Ipse autem Deus..... non deserit si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur;* et in Ps. 7. n. 10. ubi expendens verba Davidis : *Justum adjutorium meum a Domino*, adjutorium justis concessum *justum* vocari dicit ex oppositione ad auxilium peccatoribus datum, quibus ex *misericordia* confertur; unde sequitur, justis tribui ex justitia, h. e. promissione ac fidelitate, qua Deus tenetur justis conferre auxilia sufficientia.

Conf. Ex sola hominis culpa ac vitio esse potest, quod privetur gratia ad agendum necessaria : sed nulla ex parte hominis potest fingi culpa ac causa, cur justis Deus deneget gratiam sufficientem, sine qua non possunt præceptum implere. Non enim 1. peccatum *originale* potest esse causa denegatæ gratiæ; quia hoc in justis per Baptismum perfecte dimissum est, nihilque in iis aut damnationis est, aut Deus odit, ut Apostolus ad Rom. 8., et Trid. Sess. 5. can. 5. loquitur. Nec 2. *concupiscentia;* quia hanc tum supra, tum in Tr. de Pecc., non esse peccatum, neque proin mereri pœnam, abunde ostensum est. Nec 3. est aliquod *peccatum actuale* præcedens; tum quia nec *mortale* illud esse potest, cum hic quæratur de gratia prima, quæ justo negaretur, in quo peccatum supponi non potest : tum quia nequit illud dici peccatum *veniale*, cum adversetur summæ Dei erga justos bonitati, eos ob venialem ac levem culpam destituere omni prorsus auxilio sufficienti : quamvis enim uberiorem gratiam nonnunquam subtrahat in pœnam negligentiæ, *sufficientem* tamen sive remote, sive proxime talem non abnegare, ex sæpe dictis manifestum est.

348. *Obj. I.* Sine gratia efficaci justi nec perseverare, nec adimplere mandata, nec peccata vitare, nec boni aliquid facere possunt : sed non datur justis omnibus gratia efficax; ergo nec datur illis gratia, qua perseverare etc. possunt. *Maj.* quoad 1um. patet ex Trid. Sess. 6. Can. 22. *Si quis dixerit, justificatum..... sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, anathema sit.* Quoad 2um. ex Milev. II. Can. 5. (Labb. t. 2. p. 1539.). Quoad 3um. ex epist. Innoc. I. ad Africanos (Labb. t. 2. p. 1286. A.) : *Necesse est, ut, quo auxiliante vincimus, eodem non adjuvante vincamur.* Quoad 4um. ex epist. Cœlestini ad Gallos c. 6. (Labb. ib. p. 1615.).

R. *N. M. et ejus prob.* Concilia enim et Pontifices hic tantum definiunt contra *Pelagianos,* gratiam generatim esse necessariam, et illam, cum bene agimus, esse efficacem; non autem excludunt gratiam sufficientem. Hinc sicut male quis argumentaretur : Concilia et Patres statuunt, nihil boni fieri posse sine gratia *interiori;* ergo agnoscunt tantum gratiam interiorem, omnemque exteriorem excludunt : sic etiam argumentatio hæc est fallax et

sophistica : iidem statuunt, nihil boni fieri posse sine gratia *efficaci;* ergo aliam gratiam non agnoscunt, quam efficacem.

Hujus vero *ratio* est ; tum quia præcise intendebant negare possibilitatem a *Pelagianis* soli naturæ attributam : tum quia, ut præter alios Petav. T. 3. L. 4. num. 11. notat, Concilia et Patres per *posse* vel *non posse* in ejusmodi dictionibus, ubi de gratia efficaci sermo est, non significant potentiam vel impotentiam, sed potius actum vel carentiam actus; et hoc quidem pro more loquendi a Scriptura usurpato, quæ in hunc etiam sensum exponi debet, dum Genes. 37. dicitur : *Non poterant ei quidquam pacifice loqui.* Marc. 6. *Non poterat virtutem ullam facere.* Act. 4. *Non possumus, quæ vidimus....., non loqui.*

Inst. S. Aug. docet pluribus in locis, gratiam ad perseverandum sufficientem justis deesse, ac a Deo negari. Nam L. de corr. et gr. c. 11. n. 32. postquam asseruisset, Adamo concessum esse adjutorium, sine quo perseverare non poterat; addit : *Nunc autem, quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Item L. de don. persev. c. 22. expendens hanc propositionem : *Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis;* hoc unum in ea reprehendit, quod proferatur in *secunda* persona, vultque in *tertia* exprimi ita : *Si qui obediunt,* etc. Denique iisdem in libris tractans quæstionem, cur Deus justo uni det gratiam, alteri non : recurrit ad *inscrutabilia Dei judicia,* et aliam rationem se ignorare fatetur; quod non faceret, si omnibus gratiam remote aut proxime sufficientem ad perseverandum dari censuisset, cum potuisset rationem hanc reddere : quia unus cooperatus est, alter non.

R. *N. Ass.* Quoad textum 1um. R. Illum intelligi non posse de *justis,* utpote in quibus pœna peccati locum non habet ex dictis : nec etiam de *peccatoribus,* quasi illis negetur gratia sufficiens ex dicendis. Sensum vero proprium dedimus, ubi supra discrimen inter gratiam naturæ integræ et lapsæ, h. e. adjutorium *sine quo non* et *quo* assignavimus.

Quoad 2um. R. *N.* id unum esse reprehensum ab Aug. Is enim ibidem propositionem illam vocat *abominabilem, durissimam* et *odiosam;* substituit vero talem, quæ dictum de subtractione gratiæ resecat, et est ejusmodi : *Quid sententiæ deperit, si ita dicatur : si qui obediunt, sed in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* In hac vero *nihil* etiam *priori deperire* recte dicitur; tum quia hoc accidit, si sententiæ malitia emendatur : tum quia S. Doctor his verbis hoc unum indicat, scilicet sic emendata propositione salvam et integram adhuc remanere de perseverantia doctrinam fidei erroribus *Semipelagianorum* oppositam.

Quoad 3um. R. *N. min. et prob.* Ratio enim hic substituta nec est *universalis,* nec *ultimata:* 1um. quidem; quia, si quæritur, cur e duobus æqualiter orare negligentibus uni tamen detur efficax orationis gratia, cum qua donum perseverantiæ obtineat; aut cur e duobus piis unum rapiat Deus, ne malitia mutet intellectum, dum alterum non rapit; ratio illa assignata non tenet : 2um. vero; quia uno cooperante ex justis, altero non cooperante, adhuc quæritur, quare Deus illi dederit gratiam, cum qua eum cooperaturum præviderat, huic vero talem, qua operationem non conjunctum iri perspexerat; ad quam alius respondendi modus non suppetit, nisi confessio

ignorantiæ et recursus ad Deum, uti Paulus ad Rom. 11. et Aug. Libr. de don. persev. cp. 107. (al. 217.) ad Vital. alibique, exemplo suo ostenderunt.

349. *Obj. II.* Sive gratia sufficiens sumatur *proxime*, scilicet pro illustratione docente quid faciendum sit, et pro affectione inclinante ad illud faciendum; sive *remote* pro gratia orationis; ea justis subinde deest, etiam urgente præcepto : tum quia sub 1ª. acceptione nemo alias peccaret ex *ignorantia*, aut *inadvertentia*, aut indeliberato *passionis* motu : tum quia de 2ª. acceptione aliud docet S. Aug., qui L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 21. sic inquit : *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, et pene nulla, imo omnino interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? quia si vel hoc dolemus, jam oramus;* ergo.

R. *N. A.* Quoad 1ªm. *prob.* R. Stare posse peccatum ex *ignorantia* vel *passione* etiam cum illustratione et affectione supernaturali, si hæ sint *quasi imperceptibiles* hoc sensu, quod leviore ac fugaciore sensatione intima percipiantur, atque hinc subito transeant, neque sui speciem rememorativam relinquant; vel si *generaliores* sint, et in communi proponant justitiam aut rei fugiendæ iniquitatem, et simile etiam desiderium ad Deum confugiendi moveant : quæ dum spernuntur, aut neglectu redduntur inutiles, ignorantiam ac passionem culpabilem faciunt; sed de hoc vid. §. seq.

Quoad 2ªm. *prob.* R. 1°. *N. Cons.* Aliud enim est oratio, aliud gratia orationis; de prima loquitur hic S. Doctor, nos autem de secunda; ubi vero idem de hac loquitur, eamdem non negari justis aperte docet Tr. 26. in Joann. n. 2. *Semel accipe et intellige : nondum traheris? ora, ut traharis.* Et L. de gr. et lib. arb. c. 15. *Ad hoc valet, quod scriptum est : Si volueris, servabis mandata; ut homo, qui voluerit et non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.*

R. 2°. *D. Cons.* Justis quandoque deest gratia orationis efficax, per quam ferventer, sensibiliter ac perseveranter orent *C.* gratia vere sufficiens, per quam hic et nunc reipsa orare possint *N.*

Inst. S. Petrus erat justus, antequam negaret Christum; nam Joann. 13., dum Christus Apostolorum pedes lavaret, v. 10. vocat eum *lotum* et *mundum.* S. Hilarius autem c. 30. in Matth. n. 4., Basilius hom. de Humilit., et Aug. serm. 127. de Temp. (al. in append. serm. 149. n. 3.) tribuunt dilectioni et charitati, quod Petrus se obtulerit paratum ad moriendum cum Christo lapsum sibi prædicente : sed Petro defuit gratia, qua posset tentationi mortis resistere, et non negare Christum; ergo.

Min. prob. 1°. Ex Joann. 13. v. 36. ubi Christus Petro dixit : *Non potes me modo sequi, sequeris autem postea.* 2°. Ex S. Chrys., qui hom. 83. (al. 82. n. 3.) in Matth. de Petro scribit : *Etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio stare non potuit.* Hom. 72. in Joann. (al. 73. n. 1.), Christus, inquit, Petrum *desertum reliquit.* Hom. 31. in ep. ad Hebr. n. 3. *Negatio Petri,* ait, *non tam erat socordiæ ac negligentiæ, quam ex eo, quod Deus eum deseruerat.* 3°. Ex S. Aug., qui serm. 124. de Temp. (al. in append. serm. 79. n. 1.) scribit : *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum,.. Ideo B. Petrum paululum Dominus subde-*

seruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.

R. 1°. Argumentum hoc de S. Petro ex duplici capite inscite a *Jansenio* et *Arnaldo* proponitur ad ostendendum, justis deesse gratiam sufficientem. *Primo* enim per internum peccatum jam ante desierat esse justus, quam externe negaret Christum. *Tria* enim ejus *crimina* redarguit S. Chrys. hom. 83. in Matth., nempe quod dictis Christi negationem illius prænuntiantibus non crederet, se cæteris præferret, de se nimium præsumeret : idem fere repetit hom. 72. in Joann. ; cum quo consonat S. Aug. L. 14. de Civ. c. 13. et alibi, ubi ad gratiæ amissionem manifestandam vocat Petri præsumptionem *ruinam cordis,* quam Chrys. *crimen* et *casus magnitudinem* dixerat.

Unde *N. M.* quæ ex Scriptura non probatur, utpote quæ loquitur de Petri statu, illam præsumptionem præcedente. Quamvis autem Hilarius et Basilius rem videantur tribuere amori, tamen nec ipsi dissimulant Petri præsumptionem, nec hic eorum sententiæ discrepantes attendendæ sunt, præ auctoritate Chrys. et Aug., ad quam unice provocant adversarii, qui assumptum ex iis maxime probant : Augustinus vero illis adjunctus intelligendus est de amore *præpostero* et *inordinato,* ut ipse explicat serm. 106. de diversis (al. serm. 236. n. 1.). *Secundo,* quia Petro non tam defuit gratia sufficiens, et ad orandum, quam ipse ejus effectui obicem posuit, eamque neglexit, cum de se præsumeret, neque de orationis necessitate ac sua infirmitate monitus orare studeret.

R. 2°. *T. M. N. m.* vel *D.* Petro defuit gratia efficax *C.* gratia sufficiens *Subd.* proxime sufficiens *T.* remote sufficiens *N.*

Ad prob. 1am. *N. seq.* quia, cum eo tempore non urgebat præceptum moriendi, ut S. Aug. proxime laudatus docet, contra possibilitatem mandatorum Dei nihil probat, licet Petrus tum ne remote quidem sufficientem gratiam Christum morte sequendi habuerit.

Ad 2am. et 3am. redit prior distinctio, quam ipse Aug. confirmat, dum L. de unit. Eccles. c. 9. scribit : *Petrus, si voluisset, ter Dominum non negasset.* Quomodo autem potuisset, nisi per gratiam vere sufficientem, saltem orationis? Item dum loco postremum objecto voce *subdeseruit,* non omnimodam desertionem significante, est usus. Idem insinuat Chrys. hom. 83. in Matth. de Petro addens : *Totum sibi attribuebat, dicens : Etsi omnes scandalizati fuerint etc. ; cum dicere debuisset : Patrocinio tuo juvabis.* Cæterum, dum negat Petri peccatum tribuendum *socordiæ ac negligentiæ,* de illa loquitur, quæ ex timore oritur; non autem de ea, quæ ex præsumptione ac tumore nata faciebat eum negligere preces, et orationem omittere.

ARTICULUS IV.

AN PECCATORIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD AGENDAM PŒNITENTIAM ?

350. *Nota.* Certum, Deum non præcipere impossibilia; neminem peccare in eo, quod vitare nullo modo potest. Inde sponte sua consequitur, quoscumque *peccatores* vel auxilia habere necessaria, quibus mandatorum observatio et abstinentia a peccatis sit possibilis, vel mandata non observando eos non peccare : quare et in præsens a nobis prætermittitur ea quæstio; an pec-

catoribus detur gratia sufficiens, ut *nova peccata* cavere queant? examinatur autem altera; an possibile iis sit præceptum pœnitendi, sive an peccatores pro loco et tempore habeant gratiam proxime aut saltem remote sufficientem *ad pœnitendum?* Quæstio spectat *peccatores reprobos;* quorum alii excæcati et obdurati dicuntur, qui nempe multas jam gratias et salutis media proterve rejecerunt: alii ex hujus rationis defectu obstinati non dicuntur.

Jansenius peccatoribus his omnibus sive obstinatis, sive non obstinatis passim in suis de gratia Christi libris gratiam sufficientem sensu catholico intellectam adimit: quin et inter Catholicos Theologos nonnulli reperiuntur, qui asserunt, peccatores obstinatos vel simpliciter, vel post certam aliquam gratiarum et peccatorum mensuram, omni nonnunquam ad seriam conversionem auxilio, etiam *mere* sufficienti, in pœnam præcedentium facinorum et neglectarum gratiarum destitui.

351. *Dico.* Peccatoribus etiam *excæcatis* et *obduratis* non deest pro tempore et loco gratia saltem remote sufficiens, qua possent agere pœnitentiam et mentis cæcitatem ac duritiam cordis deponere.

Prob. Auctoritate. I. Scripturæ. In hac nihil est frequentius, quam quod peccatores universim ac sine exceptione, imo et contumaces ac obstinati vel invitentur ad pœnitentiam, vel objurgentur, quod Deo vocanti non obediant, aut non revertantur ad Deum suum. Ejusmodi testimonia sunt Ezech. 33. v. 11.: *Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini?* 2. Petr. 3. v. 9.: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Act. 7. v. 51.: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus! vos semper Spiritui sancto resistitis.* Ad Rom. 2. v. 4.: *An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei.* Hæc autem sive invitatio, sive exprobratio *irrisoria* foret aut *iniqua,* si peccatores destituerentur omni gratia sufficiente, utpote sine qua converti ad Deum ac rite pœnitere nequeunt; ergo.

II. Conciliorum. Præter Araus. II. Lateran. c. *Firmiter,* et Trid., huc faciunt Valent III. Can. 2. (Labb. t. 8. p. 135. E.) ubi dicitur, *malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt:* et Trid. Sess. 6. c. 14., ubi universim sic enuntiatur: *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum,... amissam gratiam recuperare procuraverint.* Quibus verbis contra *Sectarios* statuitur, absolute recuperari posse gratiam ab omnibus per auxilium divinum, omnibus non tantum paratum, sed præsens, ut Senon. anno 1528. habitum, Decr. 15. exponit (Labb. t. 14. p. 457.); non autem *conditionate* tantum, si nempe auxilium detur, cum de hoc nulla controversia aut dubium fuerit.

III. Patrum, præsertim S. Aug. in Ps. 63. n. 19. *Numquid consilii corrigendi et mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? nonne, si vis, hodie fit? nonne, si vis, modo fit?* De simili vero enuntiatione sua L. 1. Retr. c. 22. n. 4. sic loquitur: *Quod non est contra gratiam Dei, quam præ-*

dicamus, in potestate quippe hominis est mutare voluntatem in melius; sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur. Ex quibus duo sequuntur; *alterum,* unumquemque habere potestatem, ut convertatur : *alterum,* hanc potestatem per gratiam constitui : unde demum consequens est, peccatoribus omnibus gratiam sufficientem dari ad veram conversionem.

Prob. Ratione I. Duplex datur excæcatio et obduratio; altera *inchoata* seu *imperfecta,* quæ locum habet in præsenti vita : altera consummata et perfecta, quæ est alterius vitæ, et habetur in termino. Ita docet S. Aug. in Ps. 6. in illa verba : *Turbatus est ab ira oculus meus.* Consentit D. Th. q. 24. de Verit. a. 11. Probat etiam paritas de *confirmatione in gratia,* quæ quia nec tentationes ad malum nec affectus etiam aliquos venialiter malos excludit, sic nec obduratio, quæ est quasi confirmatio in malo, suasiones gratiæ ad bonum piosque affectus omnes abesse postulat. *Subsum.* Sed si *obdurati* omni gratia sufficiente destituerentur, tum eorum excæcatio et obduratio foret *consummata,* tum ipsi non amplius dicendi forent esse in statu viæ, quandoquidem ex defectu omnis gratiæ ad terminum cœlestis patriæ pervenire nullatenus possent; ergo.

II. In hac vita nemo de salute sua desperare debet; quia Trid. Sess. 6. c. 13. docente, *in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent* : sed si post certam gratiarum neglectarum aut commissorum peccatorum mensuram Deus homini ad pœnitentiam negaret gratiam sufficientem, imprimis veniam peccatorum *sperare* non posset; cum juxta adversarios nec promissa a Deo sit, nec etiam detur gratia ad impetrandam peccatorum veniam absolute necessaria : deinde necessario *desperare* deberet de salute; cum una ex parte sciret, veniam a se non posse sperari, ex altera parte non ignoraret spem veniæ ex Trid. Sess. 6. c. 6. prærequiri ad justificationem et hinc salutem consequendam : quibus positis nihil præter desperationem restat; ergo.

III. *Præceptum conversionis* sæpius præsertim sub vitæ finem, etiam obduratos urget; ergo *obduratis* debet esse possibile; cum ex dictis Deus impossibilia non jubeat. Sed vera et salutaris conversio est impossibilis sine gratia sufficiente, ut ostensum est de necessitate gratiæ; ergo.

352. *Obj. I.* Sacra Scriptura docet, certa quædam peccata esse *irremissibilia*; ergo Deus ad agendam pœnitentiam non dat omnibus gratiam sufficientem. *Prob. Ant.* Matth. 12. dicitur : *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ad Hebr. 6. : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Ad Hebr. 10. : *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* 1. Joan. 5. : *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*; ergo.

R. *N. A.,* de quo vide Tr. de Pœnitentia.

Ad textum 1um. R. Per verbum contra Spiritum sanctum non intelligi *blasphemiam quamcumque*, sed agnitæ veritatis impugnationem et maxime peccatum illud, quo quis veritatem fidei, Spiritus sancti virtute et revelatione signisque credibilitatis sufficienter manifestatam, malitiose negat et insectatur, ut Pharisæi divina ac supernaturalia opera a Christo in confir-

mationem suæ Divinitatis patrata tribuendo *dæmoni* ac *Beelzebub* fecerunt; qui est sensus litteralis ac interpretatio ATHANASII, HIERON., CHRYS., AMBR. et aliorum apud Corn. a Lapide. Hujusmodi autem peccatum dicitur nec in *hoc*, nec in *futuro seculo* remitti juxta CHRYS. hom. 42. in Matth. n. 3. et D. TH. p. 3. q. 86. a. 1. ad 3., quia a Deo punitur non tantum in altera, sed jam in hac vita : plerumque etiam hujus peccati culpa non remittitur, non ex defectu auxilii sufficientis, sed ex malitia hominis, qui proterve respuit et repudiat *veritatem fidei*, sine qua impossibile est placere Deo, cumque eo reconciliari.

Ad textum 2um. R. Hic loci non esse sermonem de pœnitentia quacumque, sed de ea, quæ fit in Baptismo, ut illa vox *renovari* indicat, et CHRYS. in hunc locum, D. THOM. aliique exponunt.

Ad textum 3um. R. Similiter, non relinqui aliam hostiam, id est aliam *Christi mortem*, quæ per iteratum Baptisma repræsentetur; ut rursus ex CHRYS. et D. TH. aliisque Patribus SUAR. de Pœnit. Disp. 8. sensum litteralem declarat.

Ad textum 4um. R. Per *peccatum ad mortem* intelligit impœnitentiam finalem S. AUG.; at S. HIER. impœnitentiam finalem non ita stricte sumit, scilicet pro perseverantia et obstinatione in peccato, præsertim *apostasiæ*, quo fides et motiva credibilitatis proterve respuuntur, ut proin moraliter impossibile sit, h. e. difficillimum, talem converti. Nec *absolute* prohibetur oratio, sed tantum dicitur, non ita fidenter orandum esse. Demum inde non probatur defectus omnis alterius gratiæ remote sufficientis.

Inst. 1. SCRIPTURA docet, Deum completa peccatorum certa mensura non amplius misereri. *Prob.* Amos 1.: *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam eum;* idem repetitur ibidem de sceleribus Gazæ, Tyri, Edom, Ammon et Moab. Genes. 15. autem dicitur : *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum;* et Matth. 23. ait Christus : *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum;* ex quibus Eusebius L. 8. de demonst. Evang. c. 2. statuit, Deum exspectare aliquos usque ad certum terminum peccatorum, et postea omnino illos deserere.

R. *N. A.* Pervulgatum enim apud Patres axioma est, homini, dum vivit, locum pœnitentiæ concedi, ut patet ex GREG. L. 17. Mor. c. 4. (al. 6. n. 8.) *Quisquis delinquit, et vivit, idcirco hunc divina dispensatio in iniquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat;* quod idem late EPIPH. hær. 59., FULG. ep. 7. pertractarunt. Itaque

Ad 1um. R. Per negationem conversionis non intelligi *subtractionem gratiæ* ad pœnitendum, sed mutationem tolerantiæ in justam vindictam et inflictionem pœnæ mortis aliorumve malorum temporalium; ut apposite ad contextum hoc loco exponit HIER. his verbis : *Expectavi multo tempore, ut Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, et ideo nolui punire peccantes, ut aliquando conversi reciperent sanitatem : verum quia tertio et quarto eadem faciunt, cogor mutare sententiam, et plagis corrigere delinquentes.*

Ad 2um. et 3um. R. Hæc testimonia eodem, quem modo dedimus, sensu accipi debere, patet in Amorrhæis post 400. annos a Moyse ac Josue deletis, et in Judæis excisa Hierosolyma dispersis, quorum tamen neutris gratia ad pœnitentiam sufficiens negata fuit. Simili ratione intelligendus est Eusebius.

Inst. 2. SCRIPTURA dicit, fuisse certas personas, quibus dare veniam Deus

noluerit. *Prob.* 2. Mach. 9. de Antiocho scribitur : *Orabat hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* Ad Hebr. 12. de Esau dicitur : *Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisiisset eam.*

R. *N.* vel *D. Ass.* Sunt certæ pœnæ, quibus Deus antecedenter noluit dare veniam *N.* consequenter ad eorum liberam in peccando obstinationem ac impœnitentiam *C. Ad* 1um. R. *Antiochum* non orasse petendo veram pœnitentiam vel gratiæ auxilium, sed salutem corporis, ut hæc illius verba indicant : *Non desperans memetipsum, sed spem multam habens fugiendi infirmitatem.* Porro mirum non est, quod hac in re misericordiam non sit consecutus; tum quia, ne quid de iniqua petitione dicam, oratio de *bonis temporalibus* non semper est infallibilis : tum quia quantumvis subinde quis oret, ac etiam peccati pœnitentiam agat, Deus tamen interdum infirmitatem in peccati pœnam immissam non remittit, cum etiam vere pœnitentia per se non operetur remissionem *pœnæ temporalis.*

Ad 2um. R. Neque hunc locum ad rem propositam facere. Nam sermo hic non est de pœnitentia *Esau* aut *peccati*, sed de pœnitentia *Isaaci,* seu de retractatione prioris facti, scilicet benedictionis, quam Isaac Jacobo dederat : hanc enim Esau petebat, et obtinere non poterat. Illud Joan. 9. dictum *cæci nati,* vide num. 306.

Inst. 3. Eadem Scriptura docet, quibusdam in scelera obstinate ruentibus aliquando subtrahi sufficientis gratiæ auxilium. *Prob.* Isa. 5. ait : *Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ : auferam sepem ejus, et erit in direptionem ; diruam maceriam ejus, et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam : non putabitur, et non fodietur : et ascendent vepres et spinæ ; et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Sed hæc designant subtrahendas gratias tam *externas,* quam *internas* animæ peccata multiplicanti, quæ æque ac populus Judaicus sub parabola vineæ intelligitur; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D. m.* Hæc designant subtrahendas animæ peccatrici gratias tam externas, quam internas, extraordinarias, speciales et uberiores *C.* ordinarias et necessarias ac præcise sufficientes *subd.* dum præceptum pœnitendi urget, ac homo adhuc est in via ac vita *N.* dum vel præceptum non urget, vel homo est extra statum viæ, in separatione scilicet corporis ab anima, aut in judicio extremo *C.* Sensus litteralis agit de *populo Judaico* sub parabola vineæ : quæ Deus illi minatur auferre ac negare, *specialia* erant *beneficia,* nec ad vineæ, nec ad animæ fructus exspectandos absolute ac simpliciter necessaria : *desertio* demum et traditio in conculcationem non erat, teste S. Hier. in hunc locum, decreta, nisi in consummatione et abolitione Synagogæ.

Inst. 4. Jerem. 51. v. 9. dicitur : *Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam ;* quæ verba interpretatur S. Hier. in comment. ad hunc locum, de subtractione auxiliorum sufficientium, proferens exemplum *medici* ægro nulla alia media ministrantis, si viderit infirmitatem adhibitis remediis obsistere.

R. In sensu *litterali* verba illa loquuntur gentes Babyloni fœdere conjunctæ; adeoque in *tropologico,* cujus vis ad arguendum minus efficax est, nec Deus, nec angeli boni intelligi queunt, præsertim cum his ululatus ibidem additus tribui nequeat. Interpretationem Hier. non licuit legere in commentariis, quæ nonnisi in priora 32. capita Jeremiæ exstant ; comparatio autem

medicum aut imperitum, aut suo debito minus satisfacientem exhibet; unde ad Deum non pertinet, maxime urgentem præcepto suo ad sanitatis recuperationem per pœnitentiam.

Inst. 5. Joann. 12. v. 40. repetuntur verba Isaiæ de Judæis : *Excœcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde*; in quem locum S. Aug. Tr. 53. n. 6. ait : *Sic enim excœcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest.*

R. *D.* Deus excæcat, et obdurat deserendo et non adjuvando quoad et per gratiam uberiorem vel congruam aut etiam proxime sufficientem *C.* quoad et per gratiam minus uberem, mere aut remote sufficientem *N.* Excæcatio et obduratio *positiva* ab ipso homine est, dicente Scriptura Matth. 13. v. 15. *Oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et corde intelligant, ut convertantur*; et Ps. 94. v. 8. : *Nolite obdurare corda vestra* : *negativa* vero est a Deo abundantiores gratias, sed non omnes, subtrahente, ut dictum est in prob. et in sequentibus ostendetur.

353. *Obj. II.* Trid. Sess. 6. c. 11. et 13. probans, justis a Deo non negari auxilia sufficientia, ex S. Aug. L. de nat. et gr. c. 26. adoptat illud axioma : *Deus neminem deserit, nisi prius ab illo deseratur*; ergo et supponit, peccatores maxime obduratos a Deo deseri, utpote qui Deum jam sæpius aut diu deseruerunt.

R. *D. Cons.* Supponit peccatores deseri a Deo per subtractionem gratiæ habitualis, si ipsi per mortale Deum deserant *C.* deseri per subtractionem gratiæ actualis *subd.* alicujus *T.* omnis *N.* Axiomatis hujus sensum *negativum,* qui formaliter exprimitur, non tantum admittimus, sed etiam *affirmativum,* qui virtute duntaxat continetur. Hic vero simpliciter et absolute verus tantum est de *gratia habituali;* quia infallibilis regula est, quod, qui deserit Deum peccando mortaliter, deseratur ab ipso amittendo gratiam sanctificantem ac filiationem divinam : similiter qui Deum per infidelitatem deserit, per ablationem habitus fidei deseritur, quod idem de spe asseritur habita proportione.

De *gratia* autem *actuali,* saltem præveniente, affirmatio nec universalis, nec infallibilis est; cum enim Trid. loc. cit. jubeat omnes spem firmissimam in Dei auxilio collocare ac reponere, asseratque mandatorum Dei observandorum tum necessitatem, tum possibilitatem; sequitur hominem, quantumvis Deum is iterato ac diu deseruerit, a Deo non iri in hac vita desertum quoad auxilium sufficiens.

Præterea vero licet Deus jus habeat desertoribus suis negandi auxilium efficax, imo et proxime sufficiens, atque id etiam non raro faciat; hoc jure tamen sic *quasi lege* non adstrinxit misericordiam suam, quin et peccatoribus maximis se deserentibus concedere soleat auxilia ad salutem uberiora et efficacia : quam in rem Paulus ad Rom. 10. v. 20. ait : *Isaias autem audet et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, qui me non interrogabant.*

Inst. 1. S. Aug. sæpius declarat excæcatos et obduratos ita deseri, ut nec cernere quidpiam boni, nec velle ac facere possint. *Prob.* 1. Nam L. 11. contr. Faust. c. 7. ait : *Illud miror, non attendere homines cœcos, vel potius*

non miror, non videre cœcos. 2. In L. septemdecim QQ. in Evang. Matth. q. 14. scribit n. 2. : *Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excœcari meruisse, qua tamen excœcatione non potuerunt credere.* 3. Demum L. de nat. et gr. c. 51. inquit : *Cœcus vult videre, sed non potest : si autem vult, et non potest ; inest voluntas, sed amissa est possibilitas ;* ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Aug. non miratur cæcos non videre ex impotentia *N.* ex propria voluntate ac negligentia *C.* Exponit hic S. Doctor textum Pauli, ex quo antilogiam Apostolo impingere *Faustus* studebat : in hujus explicationis discursu autem docet, argumentum nimium probare, cum, si sensus a *Fausto* assertus locum haberet, non tantum Christus, sed et plures alii carnem non essent habituri ; atque hac de sequela propositionem objectam enuntiat, qua non tam *excœcationem* et natam ex ea impotentiam, sed vel stupiditatem vel malitiam aut inconsiderantiam adversariorum arguit. Cæterum potuisse his cæcis et cæcorum duci *Fausto* innotescere verum textus Apostolici sensum, declarat Augustinus in fine c. 6., ubi transit ad illam explicationem dicens : *Si enim tu quoque pie quæreres, posses invenire, quomodo ista perscrutata dilucescant.*

Ad 2am. R. *D.* Excæcati credere non poterant potestate remota *N.* potestate proxima *subd.* quamdiu excæcati erant, et quia nolebant credere *C.* simpliciter, ita ut hanc cæcitatem depellere non possent *N.* S. Aug. illo loco non tam de *impotentia*, quæ ex cæcitate oritur, quam de ejus duratione et *effectu*, quem Deus inde colligit et secundario intendit, tractabat ; ideoque dum attulisset ex Scriptura textus, qui tam dicerent, homines claudere oculos, ne quando videant ; quam docerent, Deum excæcare oculos hominum, quid hic inquirat, subjungit his verbis :

An forte non absurde dicimus, quosdam Judæorum fuisse sanabiles ; sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere, et ad hoc fuisse cæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem, cum cæteris desperatis crucifigerent eum ; atque ita post ejus resurrectionem converterentur, quando jam de reatu mortis Domini amplius humiliati, vehementius diligerent a quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent ; quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset dejicienda. Quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissime legerit.

Quod autem hic loci præteriit, id Tr. 53. in Joann. ad eumdem textum S. Doctor ex professo præstitit, ubi duplicem responsionem nostram aperte dedit ; 1am. quidem, dum dixit n. 10. : *Hinc et illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non possunt ; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere ;* quo sensu L. 2. de serm. Dom. in monte c. 24. n. 79. dixerat : *Quamdiu quisque malus est, non potest facere fructus bonos : si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit,* etc. 2am. vero, ubi ait n. 6. *Quare autem non poterant, si a me quæratur, cito respondeo : quia nolebant.*

Ad 3am. R. *D.* Si cæcus vult, et non potest ex defectu tum gratiæ, tum naturæ, inest etc. *C.* si tantum non potest ex defectu naturæ jam lapsæ ac spoliatæ *subd.* inest voluntas et amissa est possibilitas, quæ fuit Adamo quasi connaturalis *C.* omnis etiam per gratiam possibilitas *N.* Dixerat *Pelagius* in suo scripto : *Ipsa non peccandi possibilitas non tam in arbitrii pote-*

state, quam in naturæ necessitate est. Huic post alia S. Aug. ita respondet : *Si iste, qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata et salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum : posset et medicum quærere, qui cæci oculos sanaret, et videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem ; quoniam cæcus, puto, quod velit, sed non potest : si autem vult, et non potest etc.*

Inst. 2. S. Aug. ad exprimendam apertius videndi impotentiam, negat peccatori adesse necessaria ad videndum. Nam 1. in L. de perfect. justitiæ c. 19. n. 41. excæcatum appellat *desertum omni lumine veritatis.* 2. L. de nat. et gr. c. 23. *Deserti luce justitiæ, et per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam hæc omnia opera tenebrarum.* 3. In Psalm. 57. n. 22. hæc commentatur : *Sed jam est mentis cæcitas, jam oculus mentis extinctus est ;* ergo.

R. *N. Ass. et prob.* 1am. S. Aug. enim eo loco non loquitur absolute, sed ex hypothesi, si aliquis omni gratia destitueretur, ut ex ipso textu patet : *Videte tamen, obsecro, quale sit, ideo volenti et currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quæ illum etiam prævenit, ut curreret, quia de quodam ait Apostolus : quod vult, faciat.... Aut quia dictum est : Si voles præcepta, servabunt te : quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset.*

Ad 2am. R. *D.* Peccatores sunt deserti luce justitiæ omni, et per hoc obtenebrati tenebris exterioribus *N.* sunt deserti luce aliqua, et hinc obtenebrati, sed tenebris necdum exterioribus *C.* Alibi (in Ps. 6. n. 8.) docet, *secludi homines ab interiore Dei luce, sed nondum penitus, dum in hac vita sunt ; et tenebras exteriores pertinere ad diem judicii.*

Ad 3am. R. *D.* Jam et in hac vita oculus mentis est extinctus subtracta gratia, quæ ad quamcumque veritatem cognoscendam est necessaria *N.* subtracta gratia, quæ ad singularem quamdam veritatem cognoscendam requiritur *C.* vel *subd.* ita ut oculus dicatur extinctus quoad actum videndi *C.* quoad potentiam videndi *N.* Textui objecto immediate subjungitur : *Si cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceres : cæcus interius panem Christum non videt, et beatus est?* Itaque hic de cæcitate et oculo extincto respective ad *singularem veritatem* de præsentia Christi in Eucharistia Aug. loquitur, non vero respective ad omnem veritatem ; alias sibi contradixisset, cum in Psalm. 6. n. 8. scribendo etiam ex Davidis testimonio contendat, *oculum non extingui, sed turbari ;* quod primam responsionem confirmat.

Pro secunda facit, quod in commentatione Psalmi objecti *aspidum surditatem* exponat per obdurationem spontaneam aurium contra sonantem incantatoris vocem ; et ad verba : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem,* dicat solem non videri, qui tamen omnibus oritur ; quia homines concupiscentiam contemnunt vincere, et multis excitatis exertisque libidinibus concremantur et obscurantur.

Inst. 3. S. Aug. peccatoribus ejusmodi negari gratiam internam et sufficientem asserit. *Prob.* 1°. Nam L. de nat. et gr. c. 22. de excæcato dicit, quod *tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris ;* vox autem legis est gratia solum externa, et stat in officiis benignitatis humanæ, ut vult Jansenius. 2°. L. de don. persev. c. 12. n. 28. ait : *Dando*

enim quibusdam, quod non merentur, profecto gratuitam, et per hoc veram suam gratiam esse voluit, non omnibus dando, quid omnes merentur, ostendit. 3°. L. de corr. et gr. c. 11. n. 32. de adjutorio sine quo non, sic loquitur : *Si hoc adjutorium vel angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidisset : adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est : quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Sed hujus adjutorii nomine gratiam *sufficientem* intelligi ex prima parte æque certum est, ac nunc quibusdam a Deo negari ex altera liquet; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Excæcatus audit tantum vocem legis, excludendo per hoc gratiam actionis seu proxime sufficientem *C.* excludendo etiam gratiam orationis seu remote sufficientem *N.* Vox illa *legis* est vox Dei interius monentis ad implorandam gratiam Salvatoris, et non est vox tantum exterior hominis : tum quia sermo est de lege naturali cordibus hominum inscripta : tum quia eod. libr. c. 43. hæc admonitio tribuitur Deo, dum dicitur : *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere quod possis, et petere quod non possis;* quibus verbis duplex gratiæ genus in responsione memoratum exprimit.

Ad prob. 2am. R. *D.* Non omnibus datur gratia perseverantiæ, aut alia congrua *C.* non datur gratia sufficiens *N.* De priori duntaxat sermonem fuisse ostendunt tum ipsa inscriptio libri, tum verba proxime præcedentia : *Hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est; quod et si non dat, justus est, et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ;* hæ enim divitiæ in vasa misericordiæ gratias *congruas* significant, quibus vasa iræ carent. *Nec obest,* quod etiam gratia sufficiens sit *gratuita,* et post peccatum primi Parentis beneficium indebitum; etsi enim illa per se non amplius homini lapso debeatur, debetur tamen ex voluntate Dei salvandi omnes peccatum originale consequente, atque ex præcepto divino ad conversionem aliosque actus supernaturales obligante, quod sine concessione aut oblatione gratiæ sufficientis foret impossibile.

Ad 3um. R. Suarez dicit, gratiam ad perseverandum angelis et Adæ datam fuisse *proxime sufficientem,* atque hanc negari jam nonnullis in pœnam peccati; nulli tamen deesse remote sufficientem. Dechamps ait, gratiam in statu naturæ integræ concessam ad potentiam perseverandi fuisse *habitualem,* quod ipsum etiam *Jansenius* fatetur; hanc vero pluribus in statu naturæ lapsæ deesse sive in originalis, sive actualis peccati pœnam, quamvis nulli negetur gratia actualis sive congrua sive sufficiens, eaque vel proxima, vel remota. Alii verba illa : *Nunc autem quibus deest tale adjutorium,* non esse relativa ad adjutorium *Adæ* datum, ut posset perseverare, nec ad adjutorium potestatis perseverandi homini lapso datum; sed referri ad *ipsam perseverantiam,* seu intelligi adjutorium perseverandi efficax, quod jam prædestinatis datur, quia in fine c. 12. subjungit S. Doctor : *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt.*

Quælibet harum responsionum *probabilis* est; in secunda tamen optime videtur explicari, quomodo gratia, quæ nunc quibusdam datur, *non detur secundum debitum;* siquidem hæc negatio significet gratiam quodammodo

secundum debitum fuisse dandam, ubi primus homo non peccasset : eo quod ex divina promissione et pacto cum Adam inito gratia habitualis omnibus in ipsa conceptione deberetur.

354. *Obj. III.* Peccatum, maxime *obdurationis*, meretur subtractionem omnis gratiæ tanquam pœnam; expedit autem ad ostensionem divinæ justitiæ et ad terrorem aliorum, ut interdum Deus illa utatur; ergo de facto id fieri est asserendum.

R. *N.* 2am. *p. Ant.* Quamvis enim peccatum *omni pœna* sit dignum, neque tamen ad justitiam, neque ad providentiam Dei pertinet, illam inferre homini hanc vitam degenti : cum enim homo, quamdiu hic vivit, sit in statu *viatoris,* de ratione autem viæ sit, ut in ea semper possit ad terminum accedi : sequitur repugnare statui viatoris, privari omnibus auxiliis sufficientibus, utpote quibus potestas accedendi ad terminum continetur.

Inst. 1. Deus nonnunquam miraculose interficit hominem actualiter peccantem, et vivum demergit in infernum; ergo etiam aliquos ita deserit in peccatis, ut surgere nequeant; cum hæc pœna sit minor priore.

R. *Disparitas* est; quia hac demersione aut mortis illatione finitur via hominis adeoque statui *viatoris* non repugnat; præsertim cum Deus ita se cum illo gerat, ut si in puncto mortis pœnitentiam agere vellet, auxilium illi non deessset : unde etiam nec misericordiæ repugnat hæc pœna; et quia plerumque est publica ac sensibilis, expedit ad bonum commune : contrarium *ex dictis* manet in alia pœna, quantumvis illa minor esse permittatur.

Inst. 2. Deus aliquando ita confirmat quosdam *in gratia,* ut cadere non possint; ergo et aliquos e contrario derelinquit ita, ut a peccatis resurgere nequeant; tum quia status vitæ hujus ad utrumque est indifferens, tum quia justitiæ non minores tribuendi sunt effectus, ac misericordiæ.

R. 1°. *N. A.* Confirmatus *in gratia* non caret absolute potestate peccandi, sed ita duntaxat custoditur, ac infallibiliter gubernatur, ut hac potestate nunquam abutatur; ideoque tantum, ut tali protectioni substans, dicitur peccare non posse.

R. 2°. *N. Cons. Disparitas* est; quia confirmatio in gratia est opus *misericordiæ,* quod non repugnat justitiæ, nec statui viatoris; quia posse deflectere a via, quod confirmatus in gratia non habet, ad statum viatoris per accidens est; posse autem ad terminum accedere, quod illi convenit, per se requiritur : obstinatio autem in peccato licet videatur esse opus *justitiæ,* tamen repugnat misericordiæ divinæ, et est pœna excedens statum viæ; cum omnino desertus non habeat id, quod per se ad statum viatoris exigitur : ex quo patet responsio ad probationes.

Inst. 3. Sequuntur *varia absurda* : 1. Quod obdurati in *omni instanti* habeant gratiam sufficientem ad pœnitendum; cum in omni teneantur pœnitere : hoc autem dici non posse patet ex monito Davidis, Psal. 94. : *Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

2. Quod non detur peccatum *ignorantiæ,* cum enim hoc supponat defectum cognitionis seu illustrationis, ex quo sequitur impotentia illud vitandi; juxta nos tamen deberet adesse gratia illustrationis, utpote in qua gratiam sufficientem partialiter reponimus.

3. Quod non peccetur adeundo *occasionem proximam* : ideo enim pecca-

tur, quia temerarius est adeundo occasionem, in qua deficit illi auxilium sufficiens ad resistendum; si vero hoc auxilium ibidem non deficeret, nec temerarius foret, qui eam adit, consequenter nec peccaret.

4. Quod vel *scelestissimus* quisque, dum meretricios amplexus captat, mortem meditatur inimico, aut alienis inhiat, sentiat in se mentis illustrationem et motionem cordis salutarem; quod tamen est contra experientiam et impiorum confessionem.

R. *N. Ass. Ad* 1um. *N. Seq.* Nec enim *statim* ac singulis momentis urget præceptum pœnitendi; nec obligat actu *imputabiliter*, nisi actu advertatur: sicut ergo obduratus non committit singulis instantibus peccatum huic præcepto oppositum; sic neque in singulis debetur ipsi gratia sufficiens, sed pro loco et tempore, cum obligatio præcepti advertitur.

Ad 2um. *N. Seq.* Ut ex *ignorantia* vere peccetur, duo concurrere necesse est, nempe ut ignorantia et debuerit et potuerit vitari. Potentiam hanc non deesse obduratis testatur Aug. L. de lib. arb. c. 19. dicens: *Nulli homini ablatum est scire utiliter quærere, quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat;* si quis tamen in ipso actu, qui ex ignorantia ponitur, non habeat potentiam, aut advertat obligationem vincendi ignorantiam, hic actus formalem malitiam peccati non habet distinctam ab illa, quæ fuit in negligentia priore inquirendi veritatem, ut iterum Aug. l. c. docet: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis, quod ignoras; non quod vulnerata membra non colligis, sed quod voluntatem sanare contemnis*: unde patet ad illum actum ex ignorantia factum non requiri novum auxilium illustrationis sufficiens, præter illud, quod ad negligentiam vitandam datum erat.

Ad 3um. *N. Seq.* Non enim imprimis ob *temeritatem* tantum peccat occasionem proximam ingressus, sed maxime, quia gnarus perire eum, *qui periculum amat,* dum periculo se sciens prudensque exponit, se non admodum a lapsu abhorrere demonstrat: deinde vero quamvis in ipsa *occasione proxima* auxilium qualecumque sufficiens non deficiat, inde tamen temeritatis nota minime deletur; cum et in aliis negotiis *temerarius* audiat, qui absque prudenti ratione ac spe probabili periculum vitæ vel fortunarum subit, quantumvis absolute loquendo illud evadere queat. Præterea etsi etiam nec auxilium remote sufficiens præsto foret in ipsa occasione, vel *moraliter* tamen loquendo datum esse auxilium sufficiens ad lapsum in occasione vitandum asseri potest; quia auxilium, quod quis accepit ad non adeundam occasionem, *moraliter* sufficiebat ad vitandum in occasione lapsum: vel saltem nuper dicta de peccato ignorantiæ huc etiam applicari poterunt.

Ad 4um. R. 1°. *N. Seq.* Quia sicut ad peccandum in his casibus non requiritur actualis attentio ad regulam morum, a qua deflectitur per hos actus; sic nec requiritur *actualis perceptio* illustrationis cœlestis, adeoque nec ipsa illustratio: præsertim cum sufficiat eam proxime præcessisse et fuisse rejectam; ac præterea gratiam supernaturalem nec omnibus momentis dari, nec ad omnem actum primum non peccandi constituendum necessariam asseramus.

R. 2°. *N. prob.* Non enim repugnat *experientiæ* ab ejusmodi hominibus in ipso etiam peccati aditu sentiri quemdam horrorem et conscientiæ a peccato

avocantis monitum : nec obstat confessio peccantium forsan contraria; potest enim illa *illustratio* ob subitam animi alio aversi mutationem, aut ob firmam ad objectum malum adhæsionem, tam levem sensum intimum excitare, aut tam tenui reflexione adverti, ut mens ejusdem statim ac prorsus obliviscatur, nec conscia maneat.

Inst. 4. Statuta est a nobis assertio nostra, ut peccatores obstinati *inexcusabiles* reddantur, dum non agunt pœnitentiam et peccant : sed etsi desit gratia sufficiens, obstinati peccatores excusari nequeunt, sive dum pœnitentiam non agunt, sive dum peccant; ergo.

Prob. 1ª. *p. min.* Qui potest implere præceptum pœnitendi, et non agit pœnitentiam, nequit *excusari* : sed etsi desit gratia sufficiens, homo tamen habet potentiam implendi supernaturale præceptum pœnitentiæ; quia retinet adhuc liberum arbitrium, flexile ad bonum et pœnitentiam salutarem, in quo stat sufficiens potestas; uti ex S. Aug. L. de prædest. SS. c. 5. n. 10. colligitur, ubi dicit : *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidem sicut et charitatem, gratiæ est fidelium.*

Prob. 2ª. *p. min.* Ad hoc, ut aliquis *imputabiliter* peccet, seu nequeat excusari, dum peccat, sufficit libertas seu potestas agendi vel non agendi, quod opere ipso exercetur : sed hæc libertas et potestas est etiam in iis, qui gratia sufficiente sunt destituti; tum quia habemus liberum arbitrium ad malum sine gratia, et neutiquam vel ratione *objecti*, vel ratione alicujus *principii* alterius determinatum ad aliquod privatum opus malum : tum quia sicut *Christi meritum* salvatur a D. Thoma per hoc, quod voluntas ejus licet determinata ad bonum, non tamen fuerit determinata ad hoc vel illud bonum; sic etiam hominis demeritum satis habetur per hoc, quod ejus voluntas licet impotens ad bonum ob gratiæ defectum, non tamen sit determinata ad hoc vel illud malum.

R. *N.* Sufficientem potentiam salutariter pœnitendi stare in *flexibilitate arbitrii* ad bonum; hæc enim major non est, quam potestas in ipsis etiam dæmonibus ac damnatis ex eorum conditione naturæ non amissæ remanens. Præterea est mera *capacitas passiva* recipiendi gratiam, quam S. Aug. textu allato tantum indicavit, non vero activa possibilitas credendi aut pœnitendi, quæ tamen una sufficit, ac requiritur, ut prævaricatio legis imputetur ad culpam; quemadmodum id Aug. etiam de angelo et homine in statu integritatis asseruit L. de corr. et gr. c. 11. Demum cum sit *pure naturalis*, est insufficiens et plane nulla potentia ad salutariter pœnitendum; ut constat ex dictis supra, maxime ex Trid. Sess. 6. Can. 3.

Ad prob. 2ªᵉ. *p. T. M. D. m.* Libertas indifferentiæ quoad exercitium, seu potestas agendi vel non agendi etiam est in *obduratis* gratia sufficiente destitutis, in casu præcepti *negativi*, et ubi præcise agitur de vitando peccato *T.* in casu præcepti *affirmativi* supernaturalis, et ubi agitur de ponendo actu salutari, v. g. pœnitentiæ *N.* Sine gratia nulla datur potentia salutariter pœnitendi, aut mutandi voluntatem in melius, adeoque homo sufficienti gratia destitutus non habet libertatem indifferentiæ quoad exercitium respectu hujus *pœnitentiæ* ac conversionis : supponitur autem peccator habere illam libertatem respectu peccati, et Christus etiam habuit potestatem omittendi vel ponendi illum actum bonum, quo est meritus, ut S. Thomas omnesque asserunt.

Transmissa est *Major*; quia licet libertas *contrarietatis* non sit essentialis libertati ut sic essentialiter sumptæ, tamen illa facultas flectendi se ad actus contrarios pertinet ad statum puri hominis viatoris lapsi, sed et reparati; ac proinde sicut facultas datur libera ad peccandum, sic etiam per gratiam adest facultas non tantum ad non peccandum, sed etiam ad oppositum actum rectum.

Inst. 5. Impotentia, quæ est *mere concomitans,* non vero antecedens, ac præterea *voluntaria,* non excusat a peccato : sed impotentia pœnitendi in obduratis est imprimis *mere concomitans*; quia non ideo omittunt pœnitentiam et peccant, quia non possunt pœnitentiam agere et non peccare; sed quia non volunt pœnitere, sed peccare, adeo ut si possent pœnitere, tamen nollent : quod constat inde, quia suæ impotentiæ nescii libentissime peccant et non agunt pœnitentiam. Deinde est *voluntaria,* quia ad eorum peccatum vel originale vel actuale volitum consequitur, ut ex S. Aug. L. de corr. et gr. c. 6., L. 1. op. imperf. n. 105., L. 1. Retr. c. 15. n. 2. et Prosp. Carm. de Ingrat. c. 32. v. 648. et seqq. constat; ergo.

R. 1°. *D. M.* Impotentia concomitans et voluntaria, quæ se tenet ex parte potentiæ executivæ, non excusat a peccato *C.* quæ se tenet ex parte ipsius voluntatis *N.* Si enim ex parte potentiæ executivæ stet impotentia, *mere concomitans* relinquit actui voluntatis rationem voluntarii ac liberi; *voluntaria* vero ac consequens supponit eumdem actum omnino liberum ac voluntarium; adeoque formalem malitiam in actu voluntatis positam non impedit : si autem impotentia afficiat *ipsam voluntatem,* sive dicatur concomitans, sive antecedenter volita, actum primum voluntatis non relinquit indifferentem et ad contradictoria potentem; adeoque non est mere concomitans et consequens, sed *antecedens* : ac proinde libertatem impedit et excusat a peccato saltem formali ac proprie denominato; pro quo valet regula ab Aug. L. 3. de lib. arb. c. 18. n. 50. data : *Hoc brevissimum tene : quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur : quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?*

R. 2°. *N. m.* Quoad 1um. *memb.* R. Obdurati volentes quidem non agunt pœnitentiam, non tamen eam non agunt, quia nolunt, sed quia non possunt pœnitere; cum omittere pœnitentiam ex libera voluntate supponat posse pœnitere, quod deficit in *obduratis gratia destitutis :* neque ignorantia impotentiæ aut falsa existimatio potentiæ facit adesse potentiam, aut tollit impossibilitatem; unde ex eadem nihil inferri potest pro libera omissione pœnitentiæ impossibilis.

Quoad 2um. *memb.* R. Patet ex dictis, illam ex parte voluntatis impotentiam reipsa esse *antecedentem,* tollereque veram libertatem ad merendum et demerendum requisitam; quod confirmatur ex prop. 1a. ab Alex. VIII. damnata.

Neque huic responsioni obstat auctoritas Patrum; quippe qui nec in designatis locis asserunt *omnimodam impotentiam* ex peccatis vel originali vel actuali provenire. Aug. *primo* loco duntaxat loquitur vel de gratia *habituali* vel de gratia *actionis* seu *proxime sufficiente,* quam non regeneratis ob originale primum negatam, regeneratis ob actuale peccatum subtractam ait. *Secundo* et *tertio* loco cæcitatem et resistendi impotentiam pœnam quidem peccati dicit; sed cum eadem simul ibidem asserat esse peccata, scilicet

proprie et *formaliter* talia, hoc ipso nec cæcitatem consummatam, nec impossibilitatem proprii nominis, sed difficultatem intelligit. PROSPERI textus sicut cum loco *primo* AUG. congruit, sic eadem responsione explicatur, præsertim cum c. 15. ad object. Vincent. dicat : *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

ARTICULUS V.

AN INFIDELIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS AD FIDEM ET JUSTIFICATIONEM?

355. *Nota. Negative* infideles sunt, qui Evangelii prædicationem nec audierunt, nec audire recusarunt; *positive* infideles, qui Evangelium vel audire recusarunt, vel auditum contempserunt. Gratia ad fidem sufficiens, sicut reliquæ omnes proprie tales, stat in *illustratione* cœlitus infusa et pio *voluntatis motu* divinitus impresso; plerumque tamen conjungitur cum exteriore aliqua et sensibili. Res hæc externa cum gratia *proxime* ad fidem sufficiente conjuncta, est *prædicatio Evangelii*; ut ex verbis ad Rom. 10. v. 14. colligitur : *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* conjuncta autem cum *remote* sufficiente est *rerum creatarum testimonium,* quo in cognitionem et amorem Dei, aut observantiam legis naturalis homo incitatur; ut rursus ex ead. ep. 1. v. 20. eruitur : *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles.*

Positive infidelibus pro loco et tempore dari gratiam sufficientem facile conficitur; quia his vel prædicatur Evangelium, vel hujus prædicatio offertur : *Prædicatum est autem,* ut S. AUG. de civit. Dei L. 18. c. 50. ait, *toto orbe Evangelium, contestante Deo non solum signis, et ostentis, et variis virtutibus, sed et Spiritus sancti muneribus,* id est, gratia interiori; ergo. Itaque infideles *negative* tales quæstio præcipue tangit; quam tamen cum *Jansenius* L. 3. de gr. Christ. c. 11. universim neget, et gratiam remote sufficientem asserat ex officina *Semipelagianorum* conquisitam; universim quoque nobis loquendum erit.

356. *Dico.* Infidelibus omnibus pro tempore ac loco datur a Deo gratia saltem *remote* sufficiens ad fidem et postmodum justificationem obtinendam.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Gratia fidei comparatur cum luce et calore juxta illud Joann. 1. de Christo enuntiatum : *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* et Ps. 18. v. 7. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus.* Sed tum his Scripturæ verbis apertis, tum Patrum interpretationibus declaratur hanc lucem et calorem dari vel offerri omnibus, nullo excepto : 1um. enim constat ex illis : *omnem hominem* et *non est, qui,* etc. 2um. autem habetur ex CHRYS. qui hom. 7. in Joann. (al. 8. n. 1.) inquit : *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent?... Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt : sed malitia sua;* et ex CYRILL.

Alex. in Joann. L. 1. c. 9., S. Aug. cit. supra, n. 351., Euthym. in Joann. c. 1. v. 9. aliisque.

Conf. Ex 1. ad Tim. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium*; in quem locum Theophyl. ait : *Omnes quidem vult salvos fieri, majorem tamen diligentiam erga fideles ostendit.* Et S. Prosper. de vocat. omn. Gent. L. 2. c. 31. ita scribit : *Dicendo enim,* qui est salvator omnium hominum, *confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem*; *adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ, merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur*; ergo.

II. Patrum. Clem. Alex. in orat. ad Gentes ait (opp. p. 56. E. edit. Paris. 1629.) : *Audite, qui estis longe*; *audite, qui prope : nullis celatum est verbum : lux est communis, omnibus elucescit hominibus.* Ambr. in Ps. 118. serm. 8. n. 37. ita loquitur : *Mysticus sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit..... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat.* Aug. L. 2. de serm. Dom. in monte c. 3. n. 14. ait : *Deus semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem et spiritualem*; et c. 9. n. 32. *Nulla anima est, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus.* Denique auctor de vocat. omn. Gent. L. 2. c. 5. 19. 23. 28. etc. ostendit, quod quamvis adeo copiosa et illustris gratia, qualis nunc datur, non fuerit data semper et apud omnes gentes, tamen non defuerit sufficiens ad consequendam salutem et subtrahendam perituris excusationem.

III. Pontificum. Nam Alex. VIII. damnavit hanc quintam ordine propositionem : *Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum*; *adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente.* Clemens XI. autem proscripsit propositiones Quesnelli 26. : *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem*; 27 : *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum*; 29 : *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

Prob. Ratione. I. Gentiles, qui ex S. Pauli verbis ad Rom. dicuntur per testimonium creaturarum cognovisse Deum, juxta ejusdem etiam verba *sunt inexcusabiles*; *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* : ergo infideles etiam negative tales potuerunt et possunt Deum glorificare per bonos pietatis actus; quia alioquin forent excusabiles omittendo id, quod facere non possunt. Sed nisi cognitioni Dei per creaturas acquisitæ accedat *interior gratia*; non potest ab homine, quantumvis Deum etiam per prædicationem Evangelii externam cognoscente, actus pietatis bonus elici; ergo debet ipsi gratia interior etiam asseri.

II. Fides in Deum *salutaris* est pro omnibus omnino adultis medium absolute necessarium; ergo non minus debet esse possibile hoc medium omnibus adultis, ac mandata Dei sunt possibilia. Sed fides in Deum *salutaris* non est proxime possibilis sine gratia proxime sufficiente, nec remote possibilis sine vera gratia remote sufficiente; cum ex dictis axioma illud, *Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam,* intelligendum sit de faciente per vires gratiæ; ergo.

III. In hominis *libertate* est non minus credere quam non credere, non

minus Deo, quam diabolo parare locum; ut patet tum ex sententia Patrum, inter quos S. Cypr. L. 3. ad Quir. ait, *credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam esse;* et S. Aug. in Ps. 148. n. 2. dicit : *In tuo autem arbitrio Deus esse voluit, cui pares locum, Deo, an diabolo;* tum ex eo quod quilibet homo viator debeat habere libertatem non tantum demerendi, sed et merendi : sed libertas hæc seu potestas credendi, locum Deo parandi ac merendi, nequit esse *absque gratia* seu proxime seu remote sufficiente; ergo.

Conf. Ex voluntate Dei salvandi omnes et morte Christi pro salute omnium; quia ex utroque principio manifeste sequitur, in homines omnes, etiam *infideles,* derivari aliquod gratiæ interioris auxilium; utpote sine quo nequidem remote perveniri potest, tum ad agnitionem veritatis salutarem, tum ad salutem.

357. *Obj. I.* Actor. 14. dicitur Deus, *in præteritis generationibus dimisisse omnes gentes ingredi vias suas;* et c. 16. Apostoli *vetantur a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia;* ergo ante Christi adventum omnes gentes, et post adventum aliquæ carebant gratia sufficiente.

R. *Ad arg. N. Cons.* Quia committitur *sophisma,* quod Dialectici vocant a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Et quidem per primum textum ostenditur tantum, non adeo abundantem gratiam Gentibus concessam, ac fuit data Judæis et Christianis; non vero plane negatam esse gratiam omnem. Id explicat S. Prosp. L. 2. de voc. omn. Gent. c. 4. ita scribens : *Ne in præteritis quidem seculis hæc eadem gratia* (*quæ post D. N. J. C. resurrectionem ubique diffusa est, et de qua scriptum est : Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ*) *defuit mundo. Quamvis enim speciali cura atque indulgentia Dei populum Israeliticum constet electum, omnesque aliæ nationes suas vias ingredi, hoc est, secundum propriam permissæ sint vivere voluntatem; non ita tamen se æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se atque metuendum nullis significationibus admoneret.... qui quidem in comparatione electorum* (id est, Judæorum) *videntur abjecti; sed nunquam sunt a manifestis occultisque beneficiis abdicati.*

Idem multo magis dicendum est de textu secundo, nempe Asianos interea non caruisse sufficientibus ad fidem auxiliis, dum non statim in Asia prædicatum est Evangelium, volente ita Spiritu sancto, ut Apostoli prius irent in Macedoniam; quandoquidem postea in Asiam illata fuit Evangelii prædicatio.

Inst. 1. Extra Ecclesiam non habetur vita, vera virtus aut ullus bonus; ut patet ex ep. Concilii. Carthag. ad Donatistas (inter Augustinianas, 141. n. 4.) *Quisquis ab hac Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter vivere se existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus sit, non habebit vitam;* ex monito a Patribus Concilii Basileensis legatis Eugenii dato, *ne ab universali Ecclesia se scindat, extra quam nulla est vera virtus;* ex ep. Aug. ep. 209. (al. 208. n. 6.) ad Feliciam : *Ab ea* (Ecclesia) *separati, quamdiu contra illam sentiunt, boni esse non possunt; quia etsi aliquos eorum bonos videtur ostendere quasi laudabilis conversatio, malos eos facit ipsa divisio;* ergo.

R. 1°. *N. Cons.* Quia rursus, a determinata gratia negata transitur ad negandam gratiam omnem.

R. 2°. *D. Cons.* Extra Ecclesiam non datur gratia actualis et auxilium excitans *N.* gratia habitualis, sanctificans, et justificatio ac salus, *subd. quam-*

diu quis *contra Ecclesiæ unitatem sentit,* seu obstinate est schismaticus *C.* si reconciliari studeat Ecclesiæ *N.* Recte dicitur *schismaticus* nullam habere vitam gratiæ sanctificantis, nullam virtutem veram, nempe salutiferam, nullam denique bonitatem seu justitiam; sicut nec ea peccatori resipiscere nolenti tribui nequeunt : non tamen ideo dici etiam potest privari omni gratiæ auxilio.

Inst. 2. Fidelibus duntaxat datur gratia, non autem *paganis* et reliquis hominibus omnibus; quod patet 1. ex Aug. serm. 4. de verb. Apost. (al. 153.) *Pagani, qui non habent gratiam Dei per Jesum Christum.* 2. Ex ejusdem serm. 11. ibid. c. 4, (al. 26. n. 4.). *Communis est omnibus natura, non gratia.* 3. Ex Fulg. L. 1. de verit. prædest. c. 20. *Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari; non enim omnium est fides.* Idem habent Episcopi Africani exules in sua Synodica (inter ep. S. Fulgent. 15. n. 10.); ergo.

R. *D. A.* Fidelibus duntaxat, non autem paganis vel hominibus omnibus, datur gratia habitualis seu sanctificans *C.* gratia actualis *subd.* proxime sufficiens, aut quæ includit ipsam cognitionem et fidem Christi *C.* remote sufficiens, aut quæ inducit ad cognoscendum et colendum præcise Deum *N.* Omnis quidem gratia, quæ hominibus datur, sicut meritis Christi est comparata, sic etiam gratia Christi et per Christum data dici potest; juxta phrasin tamen S. Aug. *gratia Christi* proprie dicta et per Christum data vocatur illa, quæ cognitionem illius ac fidem involvit, ut diserte indicat, dum L. de gr. et lib. arb. c. 13. n. 25. ait : *Gratia vero per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides; non enim omnium est fides;* et hinc illam solet compellare *gratiam, qua Christiani sumus.*

Ad hunc modum etiam S. Prosper gratiam fidei vocat *gratiam Salvatoris,* ubi L. 2. de voc. omn. Gent. c. 17. dicit : *Sunt aliquæ nationes quibus nondum gratia Salvatoris illuxit;* gratiam autem infidelibus communem appellat *gratiam Dei,* ibid. c. 31. ita loquens : *In cunctis retro seculis gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse etc.* Atque in hoc sensu textus primus accipiendus est, nempe paganos non habere gratiam Christi, seu cognitionem et *fidem* Mediatoris includentem, quamvis illis non desit gratia Dei, seu cognitionem supremi entis ac causæ primæ involvens. Textus secundus negat omnibus communem esse gratiam *justificantem,* quia subjungitur : *qua facti sumus populus ejus et oves pascuæ ejus per Jesum Christum Dominum nostrum.* Textus tertius de eadem gratia loquitur, ut rursus ex subjunctis constat : *Et quidam charitatem Dei non recipiunt, ut salvi fiant.* Eamdem demum significationem *sententiæ Synodicæ* ostendit contextus.

Inst. 3. Gratia, de qua hic disputamus, est interior *illuminatio* et *inspiratio* : sed gratia illa generalis ab auctore librorum de vocatione gentium asserta, non est *interior* ejusmodi gratia; tum quia dicitur solum stare in dispositione elementorum mundi : tum quia asseritur data aliquibus tantum ad remedium, reliquis ad testimonium : tum quia idem auctor L. 2. c. 3. diserte asserit gratiam internam non esse communem; ergo.

R. *Ad arg. N. min.* Non externam solum doctrinam, sed et *internam* mentis illustrationem et pium voluntatis motum intelligi per gratiam illam generalem S. Prosper satis expressit, dum in textibus allatis eam descripsit talem, quæ *hominum corda pulset,* quæ *quibusdam sufficiat ad remedium,* quæ *homines ad quærendum verum Deum adjuvare possit,* quæ faciat, *ut neque*

ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari. Præterea c. 4. facit comparationem inter elementorum doctrinam et instructionem per legem et prophetas. In præteritis enim semper admonuit divina bonitas homines sui cultus per elementa, sicut populum Israel peculiariter per legem et Prophetas; posteaque addit mundum ita deservisse, ut *in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis ac publica divinæ institutionis doctrina legeretur*: igitur de his ipsis vocibus ac paginis intelligi voluit, quod in ep. ad Demetr. c. 15. (opp. S. Leon. t. 2. p. 275. edit. Ballerin.) scripserat his verbis: *Voces docentium et litteræ paginarum, quæ ad eruditionem audientium vel legentium Deo serviunt, non carent ejus virtute, cui serviunt*; nempe interiore gratia, quæ vim faciendi tribuat.

Ad prob. 1am. *D.* Hæc gratia quoad partem externam spectata dicitur, saltem plerumque, solum stare in dispositione elementorum mundi *C.* quoad se totam aut omnes partes spectata *N.* Sicut gratia *proxime* sufficiens seu fidei dicitur plerumque stare in prædicatione Evangelii, quin tamen eam sejungere liceat ab interiore auxilio: sic quod gratia illa communis et *remote* sufficiens dicatur sita in testimonio creaturarum, non potest facere, ut debeat intelligi destituta a comitatu interioris auxilii.

Ad prob. 2am. *D.* Gratia hæc aliquibus tantum sufficit ad remedium, reliquis ad testimonium ex defectu virium in ipsa gratia *N.* ex defectu voluntatis et cooperationis humanæ *C.*

Ad 3am. *prob. N. Ass.* Textus allatus vel potius contrarium probat, vel de gratia illa *generali* non loquitur.

Inst. 4. Gratiam esse communem et omnibus hominibus dari, cujus beneficio liceret ad fidem accedere, est error *Semipelagianus*, quem exponit S. Prosp. in ep. ad Aug. (inter Augustin. 225.); ergo.

R. *D. A.* Est error *Semipelagianorum*, gratiam dicere omnibus communem, quatenus illi statuebant Deum *indiscrete*, seu indifferenter ac æqualiter velle omnium hominum salutem, h. e. non magis particulari affectu salutem prædestinatorum, quam reproborum; item quatenus volebant gratiæ ex hac indiscreta voluntate oblatæ præcedere *naturalem* hominis libertatem et obedientiam, ut ita possint salvari et salventur homines omnes, qui vel si velint, voluntate scilicet nuda et naturæ viribus *C.* quatenus præcise statuebant omnium hominum salutem a Deo intendi et gratiam sufficientem cuilibet ad illam dari *N.*

Inst. 5. Generalis illa gratia statuitur maxime ex eo capite: quia si nulla penitus daretur infidelibus gratia sufficiens, possent illi excusari a culpa, utpote qui vel necessitate quadam compellerentur ad peccandum ex defectu gratiæ, qua possent non peccare; vel qui absolute non possent sine gratia elicere actus supernaturales, præsertim fidei necessitate medii requisitæ: sed imprimis hoc repugnat doctrinæ S. Augustini, qui in ep. 105. ad Sixt. (al. 194. n. 27.) ait: *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia et ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.* Deinde neutra ratio subsistit: non *prima;* quia homo etiam sine gratia

non est necessitatus ad peccandum, sed potentia saltem physica potest non peccare et servare legem naturalem : non *secunda ;* quia quamvis homo non possit credere sine gratia, seu actualis fides non habeatur sine concursu gratiæ; tamen sine gratia potest credere, seu credendi potentia habetur sine gratia.

R. *N. min.* Quoad 1am. *prob. N. Ass.* S. Aug. hic probat justum esse judicium Dei damnantis homines, etsi Evangelium illis non fuerit prædicatum : quia si potuerunt audire et scire legem Christi, et noluerunt; hac ipsa ignorantia graviter peccarunt et hinc ob *actuale* peccatum juste damnantur : si autem non potuerunt audire, etiamnum juste damnantur ob peccatum *originale,* quod in ipsis ope baptismi non fuit deletum; quæ omnia omnes Catholici contra *Pelagianos* admittimus. Quamvis vero supponat, aliquos non posse audire Evangelium; tamen quia non explicat, an sit impotentia *proxima* aut *remota,* culpabilis aut omnino inculpata, inde nihil contra thesin nostram extundi potest.

Ad 2am. *prob. Transm.* priore *N.* posterius membrum ; neque enim potentiam credendi haberi sine gratia, docuit nos Christus Joann. 15. v. 5. dicens: *Sine me nihil potestis facere,* et supra ex Trid. et Augustino fuit ostensum.

358. *Obj. II.* Nostra assertio rursus plura infert *absurda.* Nam 1°. si Deus nequeat denegare gratias sufficientes, et in earum defectu *justa foret* infidelium *excusatio; non inde jam gratia, sed justitia liberaret,* ut S. Aug. ep. 105. loquitur et reprobat.

2°. Sequeretur, aut non dari infidelitatem *negativam,* aut eam pure talem esse *peccatum,* qui est art. 65us. Baii damnatus : si enim omnes infideles haberent gratiam, ut crederent, possent superare ignorantiam; ideoque non forent infideles negative : aut quia superare ignorantiam possent, in iis negativa infidelitas peccatum foret.

3°. Facile posset explicari, cur ex infidelibus alii perveniant ad fidem, alii non perveniant; dicendo nempe, alios gratiæ remote sufficienti consensisse, alios esse reluctatos; in qua tamen quæstione S. Augustinus semper recurrit ad inscrutabilia judicia Dei.

R. *Ad arg. N. Ass. Ad prob.* 1am. *N. seq. et oppositionem* cum S. Aug. Imprimis enim, quantumlibet Deus jam ob voluntatem salvandi omnes nequeat denegare gratias sufficientes, tamen, cum hæc ipsa voluntas proveniat a sola Dei liberalitate ac misericordia, hoc ipso illæ non sunt homini debitæ ex titulo justitiæ, sed ex fidelitate Dei liberalitatem meram supponente; adeoque gratia semper, non autem justitia liberat. Deinde S. Aug. objectis verbis nihil aliud intendit docere, quam *infideles,* si omni etiam gratia careant, nihilominus juste ob peccatum saltem originale damnari, nullamque excusationem prætexere posse, quemadmodum repetendo summam hujus L. de corr. et gr. c. 7. n. 11. ait : *Nemo liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi : et tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi.* Itaque quamvis hæc excusatio : non audivimus Evangelium, vel nullam accepimus gratiam, liberare homines nequeat a damnatione, quæ facta est per Adam, seu peccato originali debita; tamen liberaret ab eadem damnatione, quæ

propriæ voluntatis additamento seu peccatis actualibus sine gratia non evitandis correspondet.

Ad prob. 2am. *N. utr. seq.* Priorem quidem ; quia licet absolute illa ignorantia Evangelii vinci possit; tamen quousque *infidelibus* reipsa illud non prædicatur, nec ignorantia moraliter vinci potest, nec committitur peccatum infidelitatis ; ut in paritate Jacobi ad Liam ex ignorantia accedentis liquet : Posteriorem autem ; quia, etsi ex abusu gratiæ remote sufficientis sequatur carentia gratiæ fidei seu proxime sufficientis, tamen iste effectus infideli nec est *cognitus* nec *cognoscibilis,* adeoque nec voluntarius; unde nec defectus fidei eidem culpabilis esse potest, saltem sub ratione ac malitia infidelitatis.

Ad prob. 3am. *N. seq.* Quamvis enim verum sit, infideles omnes, qui generali illa gratia recte uterentur, ampliora auxilia accepturos; falsum tamen est 1° ampliorem illam gratiam esse efficacem ; quia Deus hanc, quibus vult, ex solo arbitratu impertit : 2° eam statim esse proxime sufficientem ad fidem et cum prædicatione Evangelii conjunctam; quia hanc Deus, quando et ubi vult, elargitur : 3° illam solis his concedi, qui generali gratia recte sunt usi ; quia Deus ex omnibus fere infidelibus generalem gratiam perinde repudiantibus, alios per misericordiam Evangelii luce collustrat, alios per justitiam eadem privat. Unde ad quæstionem illam, cur hi potius, quam illi ad fidem perveniant, enodandam, ad illud inscrutabile arcanum, de quo Paulus et Augustinus, semper recurrendum est. Atque hoc ad exemplum Magistri sui fecit S. Prosper L. 1. de voc. Gent. c. 21.

Inst. S. Aug. L. de corr. et gr. a c. 6. usque ad 11. solvens objectionem et querimoniam eorum, qui se immerito corripi obtendebant, quod non accepissent gratiam ad ea vitanda, ob quæ corripiebantur, nunquam eo confugit, ut responderet, præsto esse cuilibet *gratiam sufficientem;* sed quantum ad *fideles,* probat, eos merito corripi, quia ab accepta justitia exciderint propria culpa : quantum ad *infideles,* correptionem justam ostendit ex eo uno, quod in Adam peccaverint, et illius culpa justitiam originalem, in qua conditus erat, amiserint; ergo.

R. 1°. *N. Cons.* quia recte non sequitur. Aug. hic loci non facit mentionem gratiæ sufficientis *infidelibus* datæ ; ergo nullibi eam admittit ac penitus ignoravit ; præsertim quia in hoc libro non agit de gratia mere sufficiente, sed de efficaci; nempe qua Deus dat velle, obedire, operari et perseverare, non autem posse tantum velle etc.

R. 2°. *N. A.* S. Aug. L. cit. c. 7. n. 11. distinguit aperte inter correptionem in hac vita, et inter correptionem in altera seu damnationem, dum ait : *Nec se excusabunt dicentes, sicut modo dicunt, quare corripimur ? ita tunc : quare damnamur; quandoquidem ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus qua permaneremus in bono ? nullo modo hac excusatione a justa damnatione se liberabunt.*

Porro utramque asserit esse pœnam justam peccati sive *originalis* sive *actualis;* et quidem eum, qui actuale seu personale peccatum commisit, excusari nullatenus posse, sive corripiatur in hac vita, sive damnetur, ostendit ex eo, quia c. 6. n. 9. loquitur : *Certe iste non potest dicere, non accepi, quia acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio :* eum vero, qui nullo personali peccato addito damnatur, ostendit queri non posse, quia per peccatum *originis* damnationem est meritus, ut c. 7. n. 12.

ait : *Per hoc et qui Evangelium non audierunt... et qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Eumdem denique juste etiam corripi et objurgari posse, probat exinde, quod *prima pravitas, non sine causa dicitur et nostra, quia in illo uno omnes, sicut dicit Apostolus, peccaverunt.*

359. *Obj. III.* Fides est prima omnium gratia : sed multi non accipiunt fidem ; ergo.

R. *Ad arg. D. M.* Fides proprie talis et perfecta est gratia omnium prima *N.* late talis et inchoata, *subd.* sumpta secundum substantiam et actum *N.* sumpta secundum auxilium præveniens et potentiam *C.* Fides *proprie* et *stricte* talis est assensus nixus auctoritate et revelatione formali loquentis Dei : *perfecta* est, quæ explicite credit saltem omnia scitu necessaria necessitate medii. Hujusmodi fidem non esse primam omnium gratiam, patet tum ex damnatione propositionum num. 356. relata, tum ex eo, quod ad ipsam fidem gratia prærequiratur. Fides *late talis* est vel assensus nixus revelatione divina solum virtuali, quatenus hæc per creaturas, indicia et cognitionem de Dei existentia et perfectionibus naturaliter intelligibilibus nobis præbentes, quodammodo fieri dicitur, vel alius quidam supernaturalis actus deliberatus sive intellectus sive voluntatis, quo directe vel indirecte ad fidem divinam proprie talem et perfectam movemur aut disponimur.

Atque hoc sensu Conc. Araus. Can. 5. *credulitatis affectum* vocat *initium fidei* ; August. autem L. de prædest. Sanct. c. 2. n. 5. judicium, quo *prius cogitamus esse credendum,* dicit *fidei cœptum* ; ac L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 2. dispositiones, quibus quasi per gradus quosdam ad fidem paramur, universim *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes* appellat. Porro nec hanc fidem quoad se, substantiam et *actum* spectatam esse primam gratiam, liquet ex dictis, cum ibidem gratiæ etiam prævenientis mentio fiat.

Excipi tamen potest *fides late dicta,* seu cognitio Dei existentis ex creaturis hausta, quæ quamvis ob adjunctum gratiæ concursum sit supernaturalis, tamen quia ex evidentia oritur, *libera* non est, et habet rationem gratiæ excitantis alias in actibus indeliberatis positæ; unde et eamdem diximus ad amorem Dei aliosque actus excitare, in quibus *fides inchoata* nuper est posita.

Ex his similiter *D. m.* Multi non accipiunt nec fidem proprie talem et perfectam, nec etiam late talem et inchoatam, saltem sumptam secundum substantiam et actum *C.* nequidem sumptam secundum auxilium præveniens et potentiam *N.*

Inst. 1. Prima omnium gratia est fides, per quam accedimus ad Deum, et sine qua impossibile est placere Deo : sed talis est fides, ut manifestum est ex Apostolo ad Hebr. c. 11. v. 6. scribente : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* ; ergo.

R. *D. M.* Gratia simpliciter et absolute prima est, per quam etc. *N.* gratia secundum quid, nempe in justificationis negotio, prima *T.* Sicut in justificatione infunditur *habitus* fidei, spei et charitatis, sic per *actus* habitibus illis correspondentes fit proxima ad justificationem dispositio, utrumque

asserente Trid. Sess. 6. c. 6. et 7.; unde sicut ab Innoc. XI. damnata est hæc propositio ordine 23. : *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit*, sic e contrario verum est, quod fides stricte et proprie dicta sufficiat ad justificationem, et quod inter *actus salutares,* quibus homo proxime ad eam disponitur, primus sit.

Exinde tamen necdum conficitur, actum ipsum *formalis fidei* esse primam gratiam etiam ad justificationem, cum constet ex dictis, eumdem præveniri gratia tum *illustrationis* ad judicium credibilitatis, tum *inspirationis* ad piam affectionem; unde et secundum distinctionis membrum transmisimus. Cæterum Scripturam hic duntaxat loqui de prærequisitis ad justificationem, non vero ad actum præcise salutarem aut opus supernaturale qualecumque, patet; tum quia loquitur de eo, quo quis Deo *placet,* seu gratus fit; quod præstat sola gratia sanctificans, utpote qua una, ut Trid. ait, *homo ex injusto fit justus; et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ* : tum quia per *accessum ad Deum* intelligitur accessus ad gratiam sanctificantem seu justitiam, ut se ipsum explicat Apostolus ad Rom. 5. v. 1. et 2.

Inst. 2. Araus II. can. 25. ait : *In omni opere bono nos non incipimus, sed ipse prius fidem inspirat;* et Tridentinum Sess. 6. c. 8. : *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis.*

R. Similiter, fidem non dici hic *initium* gratiarum, sed actuum salutarium, quibus homo proxime disponitur ad justificationem ; quod quidem ex verbis Trid. apertum est, cum fides dicatur initium *salutis* et radix omnis *justificationis*; quam tamen radicem et initium præcedere semen et excitationem gratiæ, idem Concilium c. 6. declarat. Idem liquet ex Araus. agente contra *Semipelagianos,* qui initium fidei, h. e. vel credulitatis affectum vel ipsum actum fidei æque rejiciebant a numero bonorum operum, ac desiderium salutis ex fide conceptum et orationem seu implorationem divinæ benignitatis et opis.

Inst. 3. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 2. ait : *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem* : et L. de Prædest. Sanctor. c. 17. n. 12. *ipsa* (fides) *prima datur, ex qua impetrentur cætera.* Fulgent. L. 1. de verit. prædest. c. 17. n. 36. *Bonæ voluntatis initium,* inquit, *in fide consistere, liber Cantici Canticorum ostendit, ubi Christus dicit Ecclesiæ, venies et pertransies ab initio fidei.* S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 4. : *Prima conversio in Deum fit per fidem;* ergo.

R. Rursus adhibendam esse distinctionem sive de *fide inchoata* vel *perfecta,* sive de *primatu fidei* inter actus salutares ad justificationem aut salutem proxime obtinendum facientes et inter gratias. Nam *primus* Aug. textus loquitur de fide *inchoata* aut saltem Christi cognitionem non complectente, ut ex Cornelii Centurionis exemplo ibidem relato liquet, de quo L. de præd. Sanct. c. 7. n. 12. ait : *Ejus acceptæ sunt eleemosynæ et exauditæ orationes, antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat.*

Secundus textus fidei primatum asserit, non inter gratias, sed inter actus salutares proxime laudatos, ut ex contextu elucet.

Tertius textus non de cujuscumque voluntatis initio enuntiat, sed de voluntate *operandi salutem* ; verbis enim objectis hæc immediate præmittuntur : *Cum timore et tremore salutem vestram operamini ; Deus est enim,*

qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate. Hujus bonæ voluntatis initium in fide, etc.

Demum *quartus* textus desumptus est ex eo loco, ubi S. Thomas agit de dispositione ad justificationem, unde redit data jam aliquoties responsio; præsertim quia memorato etiam sensu 2. 2. q. 4. a. 7. in θ. dicit: *Necesse est, quod fides sit prima inter omnes virtutes*. Eodem modo accipienda sunt dicta Gregor. M. L. 2. Mor. c. 25. (al. 46. n. 71.), et Prosperi in Carm. de Ingr. c. 19., quibus *fides* vocatur *primogenita proles, et voluntatis genitrix, operumque creatrix*.

Inst. 4. Juxta S. Aug. L. de prædest. Sanctor. c. 8. n. 16. *Fides et inchoata et perfecta donum Dei est; et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris Litteris repugnare*: ergo et fides inchoata non datur omnibus.

R. *D. Cons.* Ergo fides inchoata non datur omnibus quoad suam substantiam et ipsum actum *C.* quoad auxilium præveniens et potentiam *N. Actu credere* est quidem donum Dei, et hoc omnibus non datur; sed *posse credere* etiam est Dei donum, quod omnibus dari saltem secundum potentiam remotam, hactenus ostendimus.

Inst. 5. Gratia remote sufficiens est vel *gratia orationis* vel *vocatio divina*: sed neutra omnibus datur; de prima enim id asserit Apostolus ad Rom. 10. v. 13. et 14. : *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* adeoque cum gratia ad *orandum* habeatur per auditum prædicantis, hic autem omnibus non detur, etiam non datur gratia orationis : de *secunda* loquitur Aug., dum. L. de don. persev. c. 9. n. 21. ait : *Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei*; qua disjunctione postrema non tantum congrua, sed et sufficiens vocatio negatur. Idem docet S. Prosper Respons. ad capitula Gallorum, p. 2ª. sent. 4. (opp. p. 220.), scribens: *Qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, si de iis loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, reprehendi non debet*; ergo.

R. *D. M.* Gratia remote sufficiens est gratia *orationis*, qua invocatur Deus fide vel late vel stricte tali cognitus, vel est *vocatio* divina ad qualecumque opus bonum *C.* est gratia *orationis*, qua invocatur vel Deus fide stricte dicta et perfecta cognitus, vel Christus explicite creditus, vel est *vocatio* divina ad fidem Christi maxime explicitam *N.* Testimonia in *min.* producta de gratia orationis et vocatione, posteriori distinctionis membro indicata, loquuntur. Et quidem de textu Pauli id præter versum 9. probat illatio v. 17. subjuncta : *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

De sententia autem Aug. id docet tum totus liber, tum quæ objectioni sunt immediate adjuncta; quia præmittit quæstionem, cur e duobus parvulis unus assumatur, alter non assumatur ad Baptismum, et subnectit quæstionem, cur alter perseverantia in fide et bono donetur, alter non? adeoque in quæstione intermedia sciscitatur de altero vocato, altero non vocato ad fidem Christi. Tandem idipsum contextus aperit de effato S. Prosperi, qui continuo hanc rationem subjicit : *Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus jam in omnibus terræ finibus præ-*

dicatum, nec possumus dicere quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi Matris Ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

Cæterum vel solam *fidem late dictam* sufficere, ut quis Deum invocare queat, colligitur ex epist. ad Rom. gentes inexcusabiles asserente, quod Deum non glorificaverint, ut eum ex creaturarum testimonio cognoverant: gratiam vero quamcumque etiam indirecte tantum moventem ad fidem dici posse *vocationem*, Aug. L. de gr. Chr. c. 13. 14. 19. 35. etc. sæpius ostendit.

360. *Observa.* Post *Lutherum* et *Calvinum* negavit *Jansenius*, Judæis sub lege Mosaica adfuisse auxilia gratiæ sufficientis, atque ad hunc errorem suadendum quinque omnino capita impendit; sed quam fuerit hæc opera maligna, experti sunt inter alios *Arnaldus* et *Quesnellus*, illius in hoc non minus dogmate, quam in reliquis, jurati Sectatores. Prioris enim fuit illa propositio ab Alex. VIII. proscripta, num. 356. Inter posterioris autem propositiones a Clem. XI. solemni Constitutione *Unigenitus*, damnatas, sunt 6. et 7.

Equidem damus, quod nec *lex Mosaica*, pro solis præceptis sumpta, suffecerit ad bene agendum, nec eadem, secundum complexionem Sacramentorum ac principiorum accepta, per se aut justificaverit, aut gratiam contulerit: negamus vero in statu legis aut cum lege hominibus non adfuisse gratiæ auxilium, quo fœderis hujus homines sancti fuerint justificati, reliqui vero omnes sanctificari potuerint; cum ejus oppositum S. Aug. L. 3. ad Bonif. c. 4., et D. Th. 1. 2. q. 93. a. 3. ad 4. aperte doceant.

Rursus concedimus, *bonorum temporalium* promissiones legi antiquæ proprias; inficiamur vero, aut has promissiones in lege fuisse unicas, adeo ut nec implicite vel obscure adjunctæ fuerint promissiones supernaturales ac æternæ; cum *vita æterna* Abrahamo, Tobiæ, Machabæis aliisque legatur in Scripturis promissa, aut saltem exspectata: aut has promissiones detinuisse hominum animos in solo terrenorum amore; cum teste Aug. cont. Faust. L. 4. c. 2., et L. 23. c. 10. bona temporalia Judæis fuerint figuræ æternorum, et incentiva ad felicitatem cœlestem desiderandam.

Tandem fatemur, et occasione legis *abundasse delictum* ex hominum vitio, et legis scopum fuisse aliquem, ut homines capto propriæ infirmitatis experimento implorarent opem Dei: sed quod aut lex ipsa fuerit mala, aut data sit ad finem malum, sic tanquam Manichæi et Calvini blasphemiam detestamur: præterea ab illius assignati scopi intentione seria abfuisse gratiæ sufficientis elargitionem pernegamus; quandoquidem ad opem Dei postulandam gratia sit necessaria, et ut S. Prosper resp. 8. ad cap. Gall. ait, *sine gratia nemo currat ad gratiam.*

CAPUT IV.

DE EFFICACIA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

AN EFFICACIA GRATIÆ STET IN ENTITATE AUXILII DIVINI ABSOLUTE SUMPTI?

361. *Dico I.* Efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii, motione sua voluntatem creatam *necessitantis*. Est de fide contra varios *Hæreticos*.

Prob. AUCTORITATE. I. SCRIPTURÆ. Ubi voluntas se ipsam movet, flectit et determinat ad agendum; ubi ipsa etiam agit et operatur; ubi demum ita agit, ut potuerit non agere; ibi auxilium divinum motione sua voluntatem *non necessitat* : sed in operibus piis ac salutaribus et præsente gratia efficaci voluntati creatæ hæc omnia conveniunt; ergo ibidem auxilium divinum non necessitat voluntatem; ac proin efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii motione sua voluntatem creatam necessitantis.

Prob. min. Quoad 1um. ex Jerem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me.* Zach. 1. *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Ps. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas.* Ezech. 18. *Facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Ad Tim. 4. *Exerce te ipsum ad pietatem,* etc.

Quoad 2um. ex Joann. 6. v. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini.* 1. ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem : Dei enim sumus adjutores* συνεργοὶ, h. e. cooperatores. Ibid. c. 15. v. 10. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Quoad 3um. ex Eccli. 31. *Potuit transgredi, et non est transgressus : facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* 1. ad Cor. 7. v. 37. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit.* Ad Philem. v. 14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, ut ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium*; ergo.

II. CONCILIORUM et PATRUM : VALENTINI III. can. 6. (Labb. t. 8. p. 137.), SENONENSIS Decret. 15. (Labb. t. 14. p. 457.), denique TRID. Sess. 6. c. 5. et can. 2. De PATRIBUS sufficere nobis poterat testimonium, quod reliquit *Calvinus* L. 2. Inst. c. 3. §. 10. de gratia sic scribens : *Voluntatem movet, non qualiter multis seculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari.*

Conf. 1. Est *libertas* arbitrii in omni actione morali, unde nec in pietatis

operibus illa neganda est et inducenda *necessitas*; cum momenta omnia ad genus probandum facientia, valeant etiam pro asserenda specie.

Conf. 2. Gratia quantumvis efficax non destruit *naturam*, sed *perficit*; dat posse operari, si voluntas velit; ergo nec tollit usum naturalem libertatis, sed perficit; ergo potentiam libertatis non minuit, sed auget; ergo ut vere juvet, nec libertatem nec ejus exercitium auferre debet.

Conf. 3. Alias in rebus hujusmodi locum non haberent *præcepta, admonitiones, exempla* et alia id genus; tolleretur e medio omnis diligentia et industria in pietate augenda et excolenda; non forent laude ac præmio digni, qui volunt et exercent hujusmodi opera; nec peccarent, nec juste punirentur, qui illa opera nolunt aut negligunt.

Conf. 4. Discrimen inter prophetiam, donum linguarum, et miracula, et inter fidei, spei et charitatis aliarumque virtutum opera intercedit; sed nullum foret, si in postremis non magis liberi essemus ac in prioribus.

Conf. 5. Est *difficultas*, quæ S. Aug. maxima et summa est visa; videri tamen non debuerat, si habuisset persuasum, conciliandam tantum esse gratiæ efficaciam cum spontaneitate voluntatis, non autem cum libertate, excludendam duntaxat coactionem, non vero necessitatem.

362. *Obj.* In salutis ac pietatis negotio homo plane nihil operatur; ergo liberi arbitrii usus in eo nullus est. *Prob. Ant.* In creatione et resuscitatione nihil operatur, qui creatur et resuscitatur: sed in salutis negotio per gratiam homo creatur, ut patet ex Ps. 50. v. 12. *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*; et resuscitatur, juxta Apostolum ad Coloss. 2. v. 13. dicentem: *Et vos, cum mortui essetis in delictis,... convivificavit cum illo*; ergo.

R. *D. M.* In creatione et resuscitatione substantiali et physica nihil operatur, qui creatur aut suscitatur *C.* in accidentali et spirituali *N.* vel *subd.* Nihil operatur, quantum attinet ad ipsam creationem et resuscitationem *C.* quantum attinet ad dispositionem vel meritum hujus beneficii *N.* In *justificatione* non creatur substantia cordis, sed mundities efficitur, in qua quamvis uni Deo tribuenda sit infusio gratiæ et deletio peccati, tamen ipse homo per actus salutares ex gratia accepta elicitos eamdem de congruo *mereri*, ad eam se *præparare*, et sic *cooperari* potest; quod in physica et substantiali creatione, quæ supponit rem nullo modo præexistere, fieri nequit.

Similiter in *resuscitatione spirituali*, quæ per justificationem evenit, non ita ut cadaveri physico, sic etiam peccatori deest omne genus vitæ aut virtutis vitalis; cum is gratia præveniente excitatus et adjutus, motus salutares edere possit, et sic Deo se ad vitam revocanti cooperari. Cæterum hæ et et aliæ Incarnationis aut miraculosorum operum comparationes quidem usurpantur a Patribus ad declarandam auxilii divini *gratuitatem*, minime vero transferri debent ad exponendum ejus operandi modum; ob quem plures *Quesnelli* propositiones a 21ª ad 25ªm merito sunt damnatæ.

Inst. 1. Ubi Deus omnia et totum operatur, homo operatur nihil: sed Deus omnia operatur in hoc negotio, aiente Paulo 1. ad Cor. 12. v. 6.: *Qui operatur omnia in omnibus*; et operatur totum, fatente Aug. in Enchir. c. 32. *Restat..... ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Et L. de don. persev. c. 13. n. 33. *Hoc nobis*

expedit et credere et dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis et submissa confessio, et detur totum Deo; ergo.

R. *D. M.* Ubi Deus omnia et totum adæquatione tum causæ tum effectus operatur, homo operatur nihil *C.* ubi omnia quidem et totum adæquatione effectus, non autem causæ operatur *N.* Nullus quidem effectus est, et in effectu bono nihil, quod Deus non operetur, et sic omnia ac totum *adæquatione effectus* operatur : hominem tamen cooperari ostensum est num. 361. ; adeoque Deus non operatur omnia et totum adæquatione causæ. Unde S. August. serm. 13. de verbis Apostoli (al. serm. 156. n. 13.) : *Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate. Quia vivitis, utique agitis. Non enim adjutor est ille* (Deus), *si nihil agatis : non enim cooperator est ille, si nihil operamini.*

Inst. 2. Deus ita operatur, ut etiam excludatur humana cooperatio; tum quia Psalmista Ps. 99. v. 3. ait : *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus : ipse fecit nos, et non ipsi nos;* quod ex versu subsequente S. Augustinus intelligendum de secunda generatione contendit : tum quia S. Doctor L. de gr. et lib. arb. c. 17. n. 33. ait : *Ut velimus, sine nobis operatur*; ergo.

R. *N. Ant.* Textus primus simili modo explicandus est, præsertim cum Aug. serm. 15. c. 11. (al. serm. 169. n. 13.) id manifeste declaret : *Totum ex Deo; non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus... Qui ergo fecit te sine te, non te justificat sine te; ergo fecit nescientem, justificat volentem; tamen ipse justificat, ne sit justitia tua.* Quoad textum secundum addi oportet, quod ibidem statim subjungitur : *Cum autem volumus et sic volumus, ut operemur, nobiscum cooperatur;* itaque illa suasio et inspiratio ad volendum, quæ est gratia excitans, fit a Deo sine nobis saltem *libere* cooperantibus; non autem ipsa voluntas nostra bona et opus salutare sine propria libertate et cooperatione habetur.

Inst. 3. Homo non potest resistere voluntati divinæ; ergo nec gratiæ divinæ : tum quia hæc nihil aliud est, quam omnipotens Dei voluntas et operatio : tum quia, si homo resisteret gratiæ Dei, consequenter et ejus voluntati resisteret.

R. *N. Cons. Disparitas* est. Voluntas Dei scilicet *absoluta* et *efficax*, frustrari non potest, neque etiam effectu quantumvis a nostra libertate dependente carere; tum quia ejusmodi decreta Dei fiunt, prælucente scientia media de futuro consensu, quæ falli non potest : tum quia homo impedire non potest, ne Deus habeat et adhibeat *media*, quæ, licet ex se sint repudiabilia, Deus tamen infallibiliter prævideat conjungenda cum consensu hominis libero, ut docet S. Aug. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 13. ubi ait : *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia, si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur.*

Gratia vero ex natura sua est *repudiabilis*, adeoque eidem homo absolute resistere potest : quin etiam si gratia sit medium adhibitum vi voluntatis Dei efficacis, tamen, quia de se repudiabilis manet, homo eidem potest resistere potentia non quidem reducenda, sed reducibili ad actum.

Ad rationes N. Ass. Prioris quidem falsitas liquet ex dictis num. 252. posterioris vero ex contradictione, quam involvit, cum supponatur, talem gratiam esse et non esse habituram effectum. Supponitur enim gratiam dari

ex vi voluntatis *absolutæ* et *efficacis*, ideoque prævideri infallibiliter habituram effectum ; cum nulla detur gratia ex vi talis voluntatis, quæ prius non prævideatur a Deo habitura effectum, si daretur ; simul tamen etiam supponitur, gratiam non habituram effectum, cum homo supponatur ei resistere.

Inst. 4. Cum gratia non stat potentia peccandi, ut docet tum Joannes ep. 1. c. 3. v. 9 : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare ;* tum Aug. L. de corr. et gr. c. 12. n. 33. *Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare : novissima erit multo major, non posse peccare ;* ergo.

R. *N. Ant.* Textus Apostoli intelligendus est non de auxilio gratiæ, sed de *gratia charitatis*, et quidem in sensu *composito*, quatenus ex Deo natus, quamdiu nativitatem hanc et semen gratiæ, quo renatus est, conservat, ejusque ductum sequitur, peccare non potest ; aut in sensu *formali*, quantum scilicet est ex parte nativitatis divinæ, et si vim nativitatis divinæ et gratiæ spectes, quæ si sinatur agere, nec ei resistat liberum arbitrium, excludit omne peccatum, ne cum eo possit consistere : non tamen in sensu *diviso* aut *materiali ;* cum justus absolute peccare possit ; ut in eadem ep. indicat Apostolus, dum c. 2. v. 1. ait : *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis.*

Textus S. Aug. non pertinet ad gratiam, sed ad donum impeccabilitatis, immortalitatis et perseverantiæ, quo ornantur *Beati* in cœlo ; neque hic opponitur status innocentiæ statui naturæ lapsæ, sed statui gloriæ, ut ex verbis immediate subjunctis liquet : *Prima immortalitas erat posse non mori : novissima erit multo major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere : novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere.*

Inst. 5. Gratia juxta Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 16. habet *vires efficacissimas ;* juxta eumdem L. de corr. et gr. c. 12., movet *indeclinabiliter et insuperabiliter ;* juxta Ecclesiasticas preces etiam *rebelles compellit voluntates ;* ergo necessitat.

R. Quoad 1um. *N. Cons.* Quia vires gratiæ quantumvis sint *efficacissimæ*, possunt tamen esse repudiabiles et subjectæ libero arbitrio.

Quoad 2um. *N. A.* Verba enim *indeclinabiliter et insuperabiliter* non afficiunt modum agendi gratiæ, sed ipsam voluntatem a Deo motam et consentientem, quatenus hæc jam nequeat superari a tentatione et adversitate ; unde S. Doctor postquam dixisset : *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur ;* subjungit : *et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur ;* et infra : *Infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere invictissime nollent.* Præterea vide dicta num. 282. ad *Inst.* 2. Item *D. A.* Compellit proprie et stricte, seu cogit et necessitat *N.* improprie et late, seu efficaciter movet et facit, ut voluntates ex nolentibus fiant volentes *C.*

Inst. 6. Voluntas sine gratia nihil boni operari potest : gratiam accipit ante usum libertatis : gratia efficaci posita, necessario ponit opus bonum ; ergo.

R. Vera quidem est propositio prima, quod voluntas sine gratia sit omnino insufficiens et nihil boni operari possit : secunda rursus est vera, quatenus dicit, gratiam dari et accipi ante actualem aut prævisum absolute futurum

libertatis usum; falsa tamen est, si excludatur scientia media seu prævisio consensus liberi sub conditione futuri : tertia est absolute falsa; cum de necessitate antecedente, non autem consequente tantum enuntiet.

Inst. 7. Per gratiam voluntas non tantum regitur, sed agitur, ut pluribus in locis maxime L. de gest. Pelag. c. 3. Aug. ait : *Procul dubio plus est agi, quam regi : qui autem regitur, aliquid agit; qui autem agitur, aliquid agere ipse vix intelligitur : et tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere : Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; ergo nullus hic est usus libertatis humanæ.

R. *N. Cons.* Tum quia per hæc verba : *Qui autem agitur, vix aliquid agere intelligitur,* principalis duntaxat, non autem omnis actio excluditur; tum quia actione ista divina excitatio etiam repudiabilis intelligitur, ut S. Doctor in Enchir. c. 64. declaravit his verbis : *Quamvis de illis sit veraciter dictum : Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei : sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo..... tanquam filii hominum, quibusdam motibus humanis deficiant ad se ipsos et ideo peccent.*

363. *Dico II.* Efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii, virtute sibi intrinseca voluntatem sic moventis, ut *simpliciter* et *absolute* implicet non sequi consensum.

Prob. universim contra *Thomistas, Scotistas,* etc. Gratia præveniens efficax est talis naturæ, ut possit *repudiari* et frustrari effectu; ergo efficacia hujus gratiæ non stat in entitate auxilii virtute sibi intrinseca sic moventis voluntatem etc.

Prob. Ant. 1°. S. Paulus 1. ad Cor. 15. v. 10. ait : *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi*; et 2. ad eosd. 6. v. 1. scribit : *Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Inde sic arguitur : Gratia, de qua Apostolus utrobique loquitur, est talis naturæ, quæ potest repudiari, seu carere effectu, quia juxta S. Ambros. et D. Thom. in hos textus, *tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea effectus percipitur,* secundum illud Isa. 55. : *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcumque volui* : sed gratia, de qua utrobique loquitur Apostolus, est *efficax*; tum quia eodem sensu accipitur posterior gratia, quo sumitur prior, quæ certo est efficax : tum quia ex utroque sensu ostenditur libertas arbitrii sub gratia; ut patet ex Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 12.

2°. Gratia, cui potest resisti, cui liberum arbitrium a Deo motum et excitatum dissentire potest, si velit, quam homo abjicere potest, debet esse talis naturæ, quæ repudiari et effectu carere valeat : sed Concilia Senon. ac Trid. dum hæc prædicata enuntiant de gratia, loquuntur de præveniente efficaci; tum quia hic agunt contra Hæreticos, qui nullam nisi efficacem gratiam admittunt, et eadem libertatem hominis everti contendunt : tum quia Senon. loquitur de *auxilio gratiæ trahentis*, et cujus *interiore afflatu contacta humana voluntas se convertit in Deum*; Trid. autem de gratia, cui *cooperatur libere assentiendo* homo vel arbitrium humanum.

3°. Si gratia præveniens efficax non foret naturæ talis, ut posset *repudiari,* destrueret libertatem arbitrii : nam tenet se ex parte actus primi; et si non

esset repudiabilis, voluntatem antecedenter ac insuperabiliter ad consensum obligaret; ergo.

4°. Eadem gratia, quæ in quibusdam est efficax, in aliis non est efficax, et caret effectu seu consensu; ergo gratiæ efficacia statui nequit in entitate auxilii *virtute sibi intrinseca* voluntatem sic moventis, ut simpliciter et absolute implicet, non sequi consensum. *Prob. Ant.* Matth. 11. v. 21. Christus ait : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*; ergo eadem auxilia, quæ in Judæis fuerunt inefficacia, et caruerunt effectu, in Tyriis et Sidoniis efficacia fuissent, et conjuncta cum effectu.

5°. Effectus gratiæ efficacis dependet etiam a *libera electione,* determinatione et operatione voluntatis creatæ; ergo efficacia gratiæ non stat præcise aut in sola entitate auxilii, aut in ejus motione tali, ut implicet, non sequi consensum. *Prob. Ant.* 1. Ex Eccli. 15. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui,* etc. 2. Ex Trid., quod Sess. 6. c. 7. declarat : *Justitiam in nobis* recipimus, *unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.* 3. Ex *effectu* gratiæ efficacis, qui est operatio *meritoria* : sed ad operationem meritoriam non minus requiritur, ut pendeat ab electione libera et propria determinatione, quam ut sit a gratia divina; ergo.

364. *Obj.* Scriptura pluribus in locis adstruit gratiam tum *prædeterminantem,* tum *per se* efficacem; ergo. *Prob.* Voluntas nostra ita essentialiter pendet a Deo in actibus etiam liberis et bonis, ut eos ipse in nostra voluntate operetur; patet ex Isa. 26. : *Omnia opera nostra operatus es in nobis*; et ad Philipp. 1. : *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet*; ergo Deus voluntatem ad hos actus prædeterminat.

R. *N. A.* Non vacat hic examinare, an testimonia Scripturæ in sensu litterali de auxilio gratiæ asserantur, nec ne; sed eo interim supposito,

Ad prob. R. *N. Cons.* Ex eo enim, quod Deus operetur nostra opera, gratia duntaxat *adjuvans,* non autem præveniens, multoque minus prædeterminans, rite infertur. Præterea primus textus non potius inferret prædeterminationem in operibus bonis, quam malis : secundus autem, juxta D. Thomam, non minus excludit errorem eorum, qui dixerunt, necessitari voluntatem, quam *Pelagianorum,* qui volebant opera bona solis naturæ viribus inchoari et perfici.

Inst. 1. Deus habet liberum creaturæ arbitrium in manu sua, ut quocumque voluerit, vertat illud; patet ex Prov. 21. : *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud;* Jerem. 18. : *Sicut lutum in manu figuli : sic vos in manu* Domini; Esther 14.: *Transfer cor illius in odium hostis nostri,* et 15. : *Convertit Deus spiritum Regis in mansuetudinem.* Sed hoc fieri non potest nisi prædeterminando; ergo.

R. *N. m.* Sicut hoc fieri non debet necessitando, sic nec *prædeterminando;* quia Deus per cogitationes sanctas et congruas, atque per inspirationes et affectiones cogitationibus illis proportionatas, ita movere potest hominis arbitrium, ut quo voluerit, vertat illud. Plus non exigere textum primum ipsa

verba satis declarant : secundus quidem, si comparatio sumatur tanquam omnimoda, amplius quid desiderabit, sed quod sit hæreticum; nempe hominem habere se *mere passive* : reliqui vero mutationem nonnisi morali modo factam, si contextus attendatur, insinuant.

Esther enim c. 14. ita loquitur : *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius,* etc. ; ex qua petitione apparet mutationis medium fuisse sermonem ad movendum accommodatum et aptum, cui Deus interius *rationes congruas* proponendo et affectiones ad persuasionem conducentes excitando cooperaretur. Cæterum ex his et similibus locis Aug. L. 1. contr. 2. epist. Pelagii c. 20. *universim* quidem gratiæ efficacis auxilium, non vero *naturam* vel operandi *modum* colligit; quin L. de gr. et lib. arb. c. 21. eadem testimonia usurpat, ut probet Deum etiam ad *mala* inclinare; quod certe Deus directe ac positive non facit, adeoque nec *prædeterminando,* præsertim si modus agendi per angelos bonos vel malos ibidem a S. Doctore assertus admittatur.

Inst. 2. Voluntas divina est efficacissima et omnipotens, cui non valet resistere humana voluntas; patet ex Isa. 46. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet;* Esther 13. : *Domine rex* omnipotens, *in ditione tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Sed hæc antecedit deliberationem voluntatis humanæ; ergo.

R. *D. m.* Voluntas Dei præcedit deliberationem voluntatis seu consensum absolutum *C.* conditionatum *N.* Ex testimoniis relatis defendenda sunt Catholicis omnibus *quatuor dogmata* ad Deum pertinentia : 1um. est, consilium divinum nec deficere nec frustrari posse : 2um. voluntatem Dei efficacem et absolutam semper impleri : 3um. in manu divinæ potentiæ omnia esse constituta : 4um. neminem tali voluntati divinæ posse resistere. Iisdem vero rursus quatuor alia ad hominem spectantia aliunde debent esse indubitata.

Eorum 1um. est, divinæ voluntatis efficaciam et omnipotentiam non auferre, nec impedire sive electionis sive operationis libertatem : 2um., executionem consilii vel decreti divini sæpius pendere ab hominis libertate : 3um., quæ decreta sunt a Deo, ut per liberum hominis arbitrium fiant, ab eo non fieri simpliciter et absolute inevitabiliter : 4um., decretum Dei de actibus a libero arbitrio præstandis non auferre veram et proximam ejus potentiam ad agendum et non agendum.

Inst. 3. Deus non tantum dat posse, sed etiam *velle* et *agere,* ut patet ex ep. ad Philip. 1. supr. cit. et c. 2. : *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate* : sed gratia, quæ dat velle et agere, est per se efficax; quia ex intrinseca sua virtute id facit; ergo.

R. *N. m.* Ut Deus dicatur dare non solum posse, sed et *velle* ac *agere,* sufficit, quod Deus ad bona opera non solum dona gratiæ, quibus homo fit potens ad talia opera efficienda, sed etiam actu influat in ista opera, dum ea fiunt per gratiæ dona ; quod adeo verum est, ut, licet Deus in voluntate hominis præviam aut necessariam in *actu primo* determinationem daret, illius tamen virtute non diceretur per se ac proprie facere ipsum velle, nisi alio modo *immediate* influeret in ipsum velle vel actum : unde ex præmissa propositione et testimoniis nec infertur nec probatur aliud, quam præcise auxilium efficax et quidem simultaneum seu in *actu secundo,* minime vero auxilium aliquod præveniens sive *prædeterminans.*

Ad rationem additam D. Facit id ex virtute sua intrinseca, h. e. virtute et actione propria, non vero aliena agit et operatur *C.* h. e. ex natura et entitate sua debet agere et necessario cum effectu connectitur *N.* Primum indicat veram et propriam causam efficientem, qualem omnes gratiam esse fatentur; alterum necessariam gratiæ cum effectu connexionem et causalitatem necessario existentem designat, quam nos negamus gratiæ ex *intrinsecis* ejus *prædicatis* convenire.

Inst. 4. Deus facit, ut velimus et faciamus; ut constat ex Ezech. 11. v. 19. : *Dabo eis cor unum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum :... ut in præceptis meis ambulent* : sed hæc gratia rursus alia non est, quam per se efficax; præsertim quia, ut Aug. L. de præd. Sanct. c. 10. n. 19. ait, Deus id *non de nostræ voluntatis potestate ; sed de sua prædestinatione promisit;* ergo.

R. *N. m.* Non intelligi allatis verbis *prædeterminationem* aut aliam determinationem, quam Deus solus in hominis voluntate faciat, patet ex supra dictis, quia ab homine etiam Ezech. 18. postulatur, ut faciat sibi *cor novum,* et *spiritum novum;* et præterea additur : *Cum averterit se impius ab iniquitate sua, quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam : ipse animam suam vivificabit.* Inde vero facile colligitur, nec gratiam *per se* efficacem ex illis verbis probari, sed ad summum congruam excitationem et vocationem, quæ infallibiliter quidem, sed tamen libera determinatione hominis penitus relicta, consensum et operationem inferat.

Ad Rat. addit. R. Duo hic a S. Doctore ostendi; 1um., Deum non solum bona opera *dare* eo tempore, quo fiunt, sed illa etiam priori tempore promisisse, et ab æterno *prædestinasse* : 2um., Deum non dare gratiam ad facienda opera bona, nec facere ipsa bona opera, quia homines ex *naturali* voluntate et propriis naturæ viribus illa in tempore faciunt, aut Deus illos ita facturos prævidit; sed quia Deus hæc priore tempore promisit et ab æterno prædestinavit. Porro ad neutrius veritatem requiritur, ut gratia præveniens, qua Deus facit, ut faciamus, sit *per se* efficax; sed sufficit gratia, cui etiam secundum se spectatæ voluntas humana possit resistere; modo aliunde infallibile sit, consensum futurum, atque hinc implenda promissa et prædestinationem non frustrandam.

Inst. 5. Opus nostrum bonum tribuendum est soli misericordiæ divinæ, aut illi saltem principaliter, juxta illud Pauli ad Rom. 9. : *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* : sed illi non foret ita tribuendum, nisi gratia esset per se efficax et prædeterminans; quia si ideo hoc tantum diceretur, quod voluntas hominis non sufficiat ad recte operandum, nisi adjuvemur misericordia Dei, posset etiam dici, juxta S. Aug. in Enchir. c. 32. : *Non miserentis esse Dei, sed volentis est hominis : quia id misericordia Dei sola non implet;* ergo.

R. *N. Supp. M.* Non propter unam gratiam *adjuvantem,* sed et maxime quidem propter prævenientem opera hominis bona etiam secundum executionis ordinem spectata, tum principalius, tum soli misericordiæ divinæ tribuimus cum S. Aug., qui loco in objectione citato subjungit : *Restat, ut propterea recte dictum intelligatur, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam;* et L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 12. dixerat : *Non igitur ideo dictum putandum est, Non volentis neque currentis, sed*

miserentis est Dei, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed potius, quia sine ejus vocatione non volumus : pro cujus ratione ulteriori assignari potest, quod L. 83. QQ. q. 68. n. 5. dixerat : *Propterea et si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est.* Ex hoc vero quamvis necessitas gratiæ prævenientis ostendatur, pro ejus tamen *natura* et *efficacia* ab intrinseco plane nihil decernitur.

Inst. 6. Ecclesia in orationibus suis agnoscit et petit gratiam, *quæ inspirando sancti Spiritus fervorem reddat nos efficaces, rebelles compellat voluntates, frangat voluntatis pravitatem, quod rigidum est, flectat, et sola efficaciter nos Deo conjungat* : sed gratia hujusmodi est ex se efficax; quia si efficacia gratiæ non peteretur ab ejus natura et entitate, sed a consensu futuro aut hujus præscientia, illa efficacia esset in nostra potestate, et hinc gratiam a Deo postulare non foret necesse : nam ut Aug. L. de nat. et gr. c. 18. ait : *Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habeas;* et L. de don. persev.c. 23. n. 63. *Quis veraciter gemat desiderans accipere quod orat a Domino, si hoc a se ipso se sumere existimet, non ab illo?* ergo.

R. *N. m.* Fatemur quidem diversis his propositionibus exprimi gratiam efficacem : eam autem *ex se* et natura sua efficacem asseri negamus; cum nihil ulla propositio contineat, quod gratiæ quantumvis ex se repudiabili non congruat, si detur ex certa præscientia et prædefinitione futuri consensus. Ejusmodi enim gratia hoc ipso, quod in pia voluntatis affectione sita sit, et efficax statuatur, inspirando fervorem reddit nos *efficaces;* quod efficaciter movendo ex nolentibus faciat *volentes,* tum rebelles compellit voluntates, tum voluntatis pravitatem frangit, tum *rigidum* flectit et inclinat; quod congrue ad amorem Dei excitet voluntatem, sola nos Deo conjungit : maxime cum etiam in Scriptura legamus, homines *terrore, egestate, necessitate compelli, responsione molli iram frangi,* amore *animam Jonathæ conglutinatam fuisse animæ Davidis,* etc.

Ad Rat. Transmisso Supposito, *D. seq.* Efficacia gratiæ esset *in nostra potestate* hoc sensu, quod per liberum nostrum arbitrium, secundum se et nude sumptum, potestatem ac sufficientiam habeamus ad implenda Dei mandata et salutaria opera præstanda *N.* hoc sensu, quod jam collatæ a Deo gratiæ liberum arbitrium possit dissentire; vel eidem per vires ab ea acceptas consentire, et sic facere, ut hæc gratia sit *in actu secundo* efficax, ac talis futura sit prævisa, quam tamen dare vel non dare nobis unice pendeat a libera voluntate Dei *C.* Prius asseruerunt *Pelagiani* eorumque reliquiæ, atque id reprehendit in laudatis textibus S. Aug. ut L. de Hæres. c. 88. testatur : *Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio... Destruunt etiam orationes, quas facit Ecclesia, sive pro infidelibus et doctrinæ Dei resistentibus, ut convertantur ad Deum, sive pro fidelibus, ut augeatur in eis fides et perseverent in ea. Hæc quippe non ab ipso accipere, sed a se ipsis homines habere contendunt.*

Inst. 7. S. Aug. L. 2. contra duas ep. Pelagii c. 8. n. 17. gratiam vocat *inspirationem bonæ cupiditatis, ut homo non sit invitus nec reluctans* : L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 12. *magnam et efficacissimam vocationem* : L. de gr. Chr. c. 24. *internam, occultam, mirabilem et ineffabilem potestatem* : L. 4. contr. Jul. c. 8. n. 42. *omnipotentissimam voluntatem*, et L. de corr. et

gr. c. 14. n. 45. *cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. Sed hæc omnia designant gratiam ab intrinseco efficacem; ergo.

R. *N. m.* Omnia hæc prædicata verificantur de gratia *congrua* præveniente et voluntatem ita afficiente, ut illa non tantum possit velle et operari bonum, sed etiam reipsa velit et operetur, ad quod *infallibiliter* præstandum non requiritur auxilium ex se efficax seu necessario vi suæ entitatis connexum cum consensu, sed sufficit etiam tale, quod ex præscientia futuri consensus ac hujus prædefinitione datur. Præterea S. Aug. gratiæ tribuendo hujusmodi titulos, non intendit explicare *modum* efficaciæ in gratia, sed errores *Pelagianorum* convellere, et ostendere gratiæ necessitatem in excitanda, prævenienda et adjuvanda voluntate.

Ubi vero L. de corr. et gr. asserit Deo humanorum cordium inclinandorum *omnipotentissimam* potestatem, ibidem etiam modum inclinandi exponit gratiæ congruæ convenientem, dicens : *Quomodo adduxit? numquid corporalibus ullis vinculis alligavit? intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit?*

Inst. 8. S. Doctor 1. hanc efficaciam repetit ex *voluntate* et *omnipotentia* Dei, idque declarat exemplis Pauli, Assueri, Amasæ. 2. L. de Spir. et litt. c. 34. n. 60. in assignanda causa, cur unus convertatur et efficaciter vocetur, alter non item, confugit ad illud Apostoli : *O altitudo divitiarum!* 3. L. de don. persev. c. 13. n. 33. statuit, totum opus bonum esse tribuendum *Deo*, non quasi liberum arbitrium non agat, sed quia ut agat, agitur et efficaciter præmovetur.

R. *N. Ass.* Non quidem sequitur ex principio primo, gratiam de se esse efficacem; tum quia hoc axioma rursus verificatur in *gratia congrua*; maxime cum efficacia non repetatur a voluntate et omnipotentia Dei *cæca* et sine sapientiæ suæ præscientia decernente aut agente : tum quia mens Aug. etiam hic non erat, efficacis gratiæ naturam et modum operandi exponere, sed ejus *necessitatem* et *effectum* contra Pelagianos demonstrare. Atque hoc quidem de exemplo Pauli et Amasæ.

Quod porro sententias attinet, quamvis prima et secunda ex aliis capitibus nobis minime repugnantibus sint veræ; S. Doctor tamen in L. de corr. et gr. earum veritatem fundat duntaxat in eo, tum quod *quolibet plantante, rigante ac operante, det incrementum Deus* : tum quod *ille nequeat non facere voluntatem Dei, qui in ejus corde operatus est, ut hoc vellet et faceret*. Tertiam demum sententiam exponit ipse Enchir. c. 100. subjungens : *Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro et ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem : quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens : nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens et de malo facere posset bene.* Adeoque nec *principium* istud pro gratiæ efficacia intrinseca in præsenti statu quidquam evincit.

Nec sequitur ex principio secundo; quia hoc principium ad *distributionem* gratiæ efficacis, minime vero ad ejus naturam pertinet : quandoquidem in quocumque systemate de viribus gratiæ catholico ad solvendam quæstionem, cur alter gratiam efficacem a Deo accipiat, alter non, pro ultimata responsione nihil restare statuatur, quam necessarius ad *illud Apostolicum* recursus.

Denique nec ex tertio principio sequi gratiam de se efficacem, patet ex dictis num. 362. Cæterum citato loco nequidem de gratia *interna*, sed de *externa* duntaxat agitur, qua Deus non inducit aut non sinit nos inferri in tentationem; quod utique totum est dandum Deo, et ab illo petendum, ut ibidem c. 6. n. 12. S. Aug. tum ex Evangelio, tum ex oratione S. Cypriani demonstrat.

Inst. 9. Patres tum priores, tum posteriores Augustino eamdem gratiæ naturam agnoscunt. Ex 1ª. classe Tertull. L. de Anim. c. 21. dicit *vim gratiæ potentiorem natura, habentem in nobis subjacentem sibi liberi arbitrii potestatem.* Basilius L. de Sp. S. c. 8. (opp. t. 3. p. 15. D.), gratiam appellat *auxilium, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis.* Ambr. L. de Sec. fuga c. 1. n. 1. scribit, *non esse in potestate nostra cor nostrum.* Ex 2ª. Prosp. in ep. ad Rufin. n. 6. : *Quis ambigat,* inquit, *tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit?* Fulg. L. 1. de verit. præd. et grat. c. 15. *Ista gratia..... ab illuminatione cordis incipit; et hominis voluntatem non bonam invenit ipsa, sed facit; atque ut eligatur, ipsa prius eligit; neque suscipitur aut diligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur,* etc.

R. *N. Ass.* Quoad 1am. classem, 1. Tertull. l. c. impugnat Valentinianos, *qui convertibilem negabant naturam, ut Trinitatem suam in singulis proprietatibus figurent;* contra quos cum ex sacris Litteris probasset de lapidibus suscitari filios Abrahæ, et genimina viperarum facere fructus pœnitentiæ, illudque ostendisset non evenire *sine mutatione,* demum effectum hunc tribuit gratiæ divinæ moventi liberam arbitrii potestatem, *quæ cum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur.* Unde eatenus gratia asseritur hic *potentior natura, et habens subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem,* quatenus natura est formaliter mutabilis in ipso libero arbitrio, et hoc movetur a gratia; non autem quatenus gratia aut prædeterminat, aut necessario determinat.

2. In Basilii verbis relativum *quod* in accusandi, non autem in nominandi casu usurpatur, ut adeo dicatur auxilium gratiæ in nobis fieri et existere per divinæ potentiæ imperium, quod non efficaci tantum, sed et sufficienti gratiæ convenit. Quodsi vero etiam usurpetur relativum in nominandi casu, non tam gratia efficax, quam sufficiens intelligi potest ex contextu, cum addatur : *Nos fecit vasa utilia Domino, apparatos ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.*

3. S. Ambr. tantum negat cor nostrum esse in potestate nostra, quantum ad excitationem aliquam vel tactum cordis per cogitationem antecedentem, ut patet tum ex antecedentibus : *Frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum offusio mentem occupat, ut quod studeas vitare, hoc cogites animoque volvas;* tum ex consequentibus : *Et nostræ cogitationes, quæ improviso effusæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris, ad secularia revocant.*

Quoad 2am. classem patet ex ipsis verbis objectis, Patres his sententiis pugnasse contra *Pelagianos* et *Semipelagianos*, qui vel negabant gratiam internam et operantem esse necessariam ad fidem aliaque opera bona; vel eam contendebant esse pedissequam voluntatis et meritorum naturalium : quare nulla veri specie ad probandam gratiam *de se* efficacem afferuntur.

365. *Dico III.* Efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii virtute sibi intrinseca voluntatem sic moventis, ut *moraliter* implicet, non sequi consensum; contra *Augustinianos.*

Prob. I. Auxilium sic ex natura sua et per se voluntatem movens nec est *necessarium* ad obtinendum effectum, nec *semper adest*, dum obtinetur effectus; ergo efficacia gratiæ in entitate hujusmodi auxilii male statuitur.

Prob. 1ª. pars Ant. Si auxilium ita voluntatem movens foret *necessarium,* qui illud non reciperet, non haberet auxilium sufficiens; quia hoc includit auxilia necessaria ad agendum : sed plurimi peccatores, qui auxilium ita movens nec sentientes nec recipientes male agunt, vel non convertuntur, auxilio tamen sufficiente non carent, ideoque non excusantur a culpa; ergo.

Prob. 2ª. pars. Constat tum *experientia,* quod in venia inimicis danda, in resignatione ad mortem aliisque in casibus naturali inclinationi repugnantibus, sentiamus magnam operandi difficultatem et animi reluctantiam; tum ex Scriptura, Matth. 11., quod regnum cœlorum vim patiatur, et violenti rapiant illud; ergo nec semper nec passim in operibus salutaribus adest auxilium ita movens voluntatem; cum inde voluntas sentiret magnam difficultatem non consentiendi seu non agendi bene.

Prob. II. Illa *moralis infallibilitas* consensus ponendi et secuturi ex motione illius gratiæ, neque est tantum *late dicta* seu talis, quæ significet consensum passim ac fere semper ponendum, subinde tamen, sed rarissime omittendum; quia in hoc casu quantumvis rarissimo reipsa gratia nec foret efficax, nec medium infallibile ad obtinendum effectum : neque est *stricte dicta* et talis, quæ significet consensum simpliciter non posse non poni; quia alias hæc gratia in se esset irrepudiabilis, atque hinc non posset conciliari cum libertate humana : neque est *quasi intermedia* et talis, quæ significet consensum pro omni casu possibili reipsa ponendum, quamvis simpliciter possit non poni; quia, si infallibilitas hæc fundetur in una auxilii virtute et ratione propria movendi, infallibilitas hæc æque repugnabit libertati, et gratia non poterit repudiari, ac illud dictum est de infallibilitate stricte dicta; cum idem videatur, ob gratiæ entitatem et motionem intrinsecam consensum simpliciter non posse non poni, ac ob eamdem rationem non esse possibilem ullum casum, quo consensus non ponatur, seu consensum pro omni casu possibili esse ponendum.

Prob. III. Præscientia et dominium Dei in actus creaturæ liberos debet esse *metaphysice* infallibile; quia in Deo debet statui omnis perfectio simpliciter simplex, qualis sine dubio est infallibilitas metaphysica sive summa præscientiæ et dominii divini : sed in hac sententia præscientia et dominium Dei in actus creaturæ liberos non foret metaphysice, sed tantum *moraliter* infallibile, ut supponitur; ergo.

366. *Obj.* Gratia, quæ ex natura sua et per se ita movet voluntatem, ut *moraliter* implicet, non sequi consensum, salvat infallibilitatem præscientiæ divinæ; ergo. *Prob. Ant.* Deus per scientiam *simplicis intelligentiæ* comprehendendo essentiam hujus gratiæ et indolem voluntatis humanæ videt hanc veritatem conditionatam : *si existeret hujusmodi gratiæ auxilium, daretur consensus :* sed hoc ipso Deus habet certitudinem metaphysicam de consensu infallibiliter ponendo sub hypothesi talis gratiæ per solam simpli-

cem intelligentiam; sicut juxta nos habet certitudinem metaphysicam de hac veritate per scientiam mediam; ergo.

R. *N. M.* Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehendendo hanc gratiam et voluntatis indolem videt duntaxat gratiæ auxilium habere necessitatem *moralem* ad consensum, non autem in illis videt consensum infallibiliter futurum; quia hic est simpliciter contingens, cujusmodi res tantum per scientiam mediam cognoscuntur, ut dictum in Tr. de Deo.

Inst. 1. Hæc veritas conditionata est *metaphysice* certa, et cognoscitur per simplicem intelligentiam: *si existeret morali necessitate consensus, daretur consensus;* ergo etiam metaphysice certa est, et per simplicem intelligentiam cognoscitur hæc veritas: *si existeret auxilium gratiæ moraliter necessario inferentis consensum, daretur consensus;* quia metaphysice certum est, quod moraliter necessario existat consensus, si existit auxilium moraliter necessario inferens consensum.

R. 1°. *D. A.* Hæc veritas est metaphysice certa et per simplicem intelligentiam cognoscitur, si æquivaleat huic: *si existeret consensus procedens ex morali necessitate, existeret consensus C.* si æquivaleat alteri: *si existeret moralis necessitas ad consensum, existeret consensus N.* Quia simpliciter et absolute fallere potest, quod tantum sub conditione moraliter necessaria infertur.

R. 2°. *T. A. N. Cons.* et *prob.* Ex eo enim, quod metaphysice certum sit, si existat aliquod auxilium, moraliter existere consensum, consensus non existit certo metaphysice, sed tantum moraliter; adeoque nec scientiam Dei metaphysice certam fundare *objective* potest.

Inst. 2. Gratia ejusmodi non necessitaret voluntatem ad consensum necessitate *physica,* sed tantum *morali,* ut supponitur; ergo simpliciter manet libertas.

R. 1°. *N. A.* Quamvis adversarii asserant *in thesi* moralem duntaxat necessitatem, tamen in ejus defensione admittere vel volunt, vel coguntur majorem; tum quia talem gratiæ cum consensu connexionem statuunt, ut pro *omni casu possibili* implicet, consensum non sequi: tum quia summam divinæ scientiæ certitudinem salvare laborant: unde quantum volunt salvare humanam libertatem, tantum destruunt infallibilitatem divinam.

R. 2°. *D. Cons.* Manet libertas mere physica *T.* moralis *N.*

Inst. 3. Quamvis homo lapsus sine gratia nequeat moraliter vincere *tentationes graves,* tamen is cedendo tentationi peccaret, quia saltem habet potentiam physicam illi resistendi; ergo similiter homo cum illa gratia meritorie adhuc ageret, et sic retineret suam libertatem.

R. *T. A. N. Cons. Disparitas* est; peccator in statu naturæ lapsæ non est sine *gratia sufficiente* vel proxime, vel remote tali, unde habet potentiam saltem secundum quid moralem resistendi tentationibus gravibus; adeoque non dicitur peccare *libere,* quia solam habet potentiam physicam resistendi: e contra cum ista gratia nequidem secundum quid staret moralis potentia dissentiendi, adeoque nec libertas aut meritum salvaretur; præsertim cum nec physica potentia sit vera, quæ pro nullo casu possibili exeritur ob proprium, vel alienum impedimentum.

Inst. 4. Gratia, qua conversus est Paulus, fuit talis, quæ voluntatem ita movit, ut *moraliter* implicaret consensum non sequi, ut patet Act. 9. ex

verbis Christi : *Durum est tibi contra stimulum calcitrare,* et ex encomio Aug. : *Magna et efficacissima gratia;* item talis apparet in pluribus justis, ac virtutum habitu valde intenso acquisito imbutis, qui sæpe ad actus faciliores ita excitantur, ut habere necessitatem moralem videantur; ergo.

R. Nec ex textu Scripturæ, nec ex verbis Aug. colligitur vis tanta illius gratiæ, ut moraliter necessitarit, sed ea tantum, cui resistere fuerit difficile; unde negari potest *Antec.* Sed eo etiam permisso negatur tamen *Cons.*, quia consecutio non valet a particularibus quibusdam ad universale; nec ex hoc, quod gratia efficax interdum moraliter minus stricte necessitet, inferri potest, hanc esse gratiæ efficacis essentiam.

ARTICULUS II.

AN EFFICACIA GRATIÆ STET IN ENTITATE AUXILII DIVINI COMPARATIVE SUMPTI?

367. *Nota.* Quæstionem hanc asserunt non tantum *Jansenius* cum suis sequacibus, sed et Catholicorum non pauci, qui, quoniam profitentur, famosas quinque propositiones sincere a se anathematizari, eos Innoc. XII. in Brevi an. 1694. ad Belgas dato prohibet, invidioso *Jansenistarum* nomine traduci et nuncupari. Quomodo *Jansenius* efficaciam gratiæ non ex sola entitate illius, prout hæc est in se, sed prout concurrit cum minore concupiscentia opposita, repetat; expositum est tum num. 216., tum 326.

Ex hujus systemate *reliqui* præsentis quæstionis *assertores,* supposita delectationis indeliberatæ ac prævenientis in carnalem seu terrenam, et in spiritualem seu cœlestem divisione et gradualitate, assumunt 1°. delectationem unam alteri superiorem gradu, seu viribus fortiorem et intensiorem, ipso etiam effectu eamdem vincere : 2°. alterutram esse principium et causam omnium actuum humanorum : 3°. aliquo modo necessarium esse, ut secundum id, quod nos amplius delectat, seu secundum delectationem victricem, agamus.

Ex his statuunt 1°. gratiam esse inspirationem sanctæ delectationis : 2°. hanc delectationem habere suos gradus; eamque, quæ victrix est, seu superat contrariam cupiditatem, esse efficacem; quæ vero vincitur ac minor est, esse inefficacem : 3°. ab eadem delectatione victrice ita moveri et determinari voluntatem, ut necessario sequatur consensus effectus.

368. *Dico I.* Efficacia gratiæ non stat in delectatione relative superiore, seu victrice *ad sensum Jansenii.*

Prob. I. Delectatio relative victrix *ad sensum Jansenii* est fundamentum et basis universi ejus systematis, ex eaque propositiones quinque famosæ deducuntur, ut num. 216. est ostensum : sed et illud systema inimicum est libertati, ac propositiones illæ sunt sæpius damnatæ; ergo nec ejus basis et fundamentum, nec harum radix et origo sana esse potest ac tolerabilis.

Prob. II. Gratiæ efficacia non stat in motione voluntatem *necessitante* : sed delectatio victrix in sensu Jansenii est motio voluntatem necessitans; tum quia ex illius principiis voluntas humana per Adæ peccatum amisit vim flectendi sese pro nutu suo ad aliquid, et hujus facultatis loco successit

delectatio, vel ita impellens ad bonum, si cœlestis sit et superior; vel ad malum, si terrena sit et superior, ut voluntas necessario hunc impulsum sequatur: tum quia ex ejus prop. quarta, gratiæ non potest humana voluntas resistere; ergo.

Prob. III. Discrimina, quæ *Jansenius* L. 8. de gr. Chr. c. 21. inter suam de gratia et libero arbitrio doctrinam et illam *Calvini* a Trid. damnatam ponit, sunt inania et quoad rem nulla; ergo illius de gratia systema non minus, ac Calvinianum, est damnatum. *Ant.* patet: Nam 1°. dum *Calvinus* negat esse in homine boni malique electionem, negat quidem electionem proprie dictam, quæ stet in determinatione voluntatis habentis potestatem se determinandi ad oppositum, quod ipsum inficiatur *Jansenius:* non autem negat improprie dictam, quæ consistat in actione voluntatis *spontanea* cum advertentia rationis, a Jansenio assertam.

2°. Dum *Calvinus* docet, gratiam ita movere hominem, ut ei non sit liberum resistere, negat tantum hominem motioni gratiæ posse resistere in *sensu composito,* seu posse conjungere dissensum cum motione gratiæ, quod ipsum *Jansenius* L. 8. de gr. Chr. c. 3. negat: non vero negat, hominem resistere posse in sensu diviso, seu sub motione gratiæ manere in homine potentiam peccandi, positam præcise in eo, quod voluntas adhuc sit flexibilis ad malum, et cum ea remaneat concupiscentia; per quod eodem Libr. c. 20. se distinguere conatur *Jansenius.*

3°. Dum *Jansenius* scribit, *Calvinum* nolle, quod hominis voluntas gratiæ moventi pedissequa consentiat, falsum imponit; cum hic loco designato sic loquatur: *Quatenus voluntas a gratia prævenitur, in eo, ut pedissequam appelles, tibi permitto: sed quia reformata opus est Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod prævenienti gratiæ pedissequa voluntate obsequatur.* Itaque Calvinus duntaxat negat, liberum esse homini obsequi, vel non obsequi pro arbitrio, atque hinc non tribuendum esse homini, quod obsequatur; quam ipsam doctrinam *Jans.* L. de gr. primi hom. et ang. c. 15. profitetur.

4°. Dum *Calvinus* contendit, virtutem et vitium, bene agere et male, non esse in nostra potestate, idem negat et asserit, quod *Jansenius;* quia negat esse in nostra potestate, quæ sit ad neutram partem determinata et libera a necessitate, non vero negat esse in nostra potestate, quæ, quamvis sit alligata uni parti, tamen adhuc *sponte* agit, et *non coacta.*

5°. Dum *Calvinus* tollit ab homine liberum arbitrium, illud non in alio sensu negat, quam quo etiam negatur a Jansenio, nempe sumptum pro facultate agendi et non agendi expedita et immuni ab omni necessitate antecedente simplici etiam voluntaria: et e contra etiam admittit in sensu *Jansenii,* nempe sumptum pro sola libertate *a coactione* seu facultate agendi sponte et non coacte.

Conf. Quamvis *Calvinus* suis de gratia et libero arbitrio erroribus adjunxerit alium, nempe mandata Dei etiam cum quacumque efficaci gratia esse servatu *impossibilia,* atque hinc videatur satis amplum discrimen inter eum ac *Jansenium* hoc dogma repudiantem intercedere; tamen inter utrumque reipsa non est distinctio in dogmate, sed tantum in principiis. Juxta *Calvinum* enim præcepta sunt servatu impossibilia, quia homo in quolibet opere etiam salutari peccat: ideo autem peccat, quia cuilibet actioni deliberatæ

conjunctus est motus *concupiscentiæ* indeliberatus, qui in hujus hæretici opinione veri peccati rationem habet.

In *Janseniano* autem systemate etiam semper adest delectatio *concupiscentiæ*, quæ, quamvis sit relative minor, ubi adest delectatio victrix cœlestis, tamen deliberatum aliquem motum voluntatis in malum excitat, sicut ex doctrina *Jansenii* L. 2. de gr. c. 27. minima gratiæ delectatio semper imperfectum aliquem pietatis affectum deliberatum producit, quantumvis ex adverso concupiscentia ardentior pugnet et vincat; ergo in hoc systemate homo in quolibet opere etiam salutari peccat; ergo, quia homo semper peccat, præcepta Dei homini *impossibilia* evadunt.

369. *Dico II.* Efficacia gratiæ neque stat in delectatione relative victrici *ad sensum quorumdam Catholicorum* supra expositum.

Prob. I. Principium hoc, quod voluntas majori semper delectationi obsequatur, *Catholicis* maxime suspectum videri debet; tum quia Jansenius hoc tanquam cardinem et *basin* suæ doctrinæ, et tanquam filum Ariadneum in Augustiniano labyrintho habuit; tum quia hoc salvo cætera omnia salva esse contestati sunt celebriores Jansenii sectatores, ut Abbas de *Bourzeis* coll. 3. c. 30. declarat: tum quia ex hoc principio cætera doctrinæ Jansenianæ capita naturali prorsus ac necessaria illatione consequuntur: sed huic principio nixa etiam est Catholicorum ista de efficacia gratiæ sententia; ergo.

Prob. II. Gratia certo et infallibiliter efficax ex *graduali virium superioritate,* quam Catholici etiam delectationis relative victricis nomine adstruunt, vere ac proprie est *necessitans,* quia ita determinat voluntatem, ut eam supponat destitutam vere et proprie dicta potentia resistendi. Nam supponit, voluntatem non habere vires ad resistendum nisi inferiores: sed voluntas, quæ non habet nisi vires inferiores ad resistendum, caret vera ac proprie dicta potentia resistendi, ubi vires contrariæ in voluntatem agunt *ut superiores*; cum physice impossibile sit, ut vires superiores, quæ *ut superiores* agunt, vincantur ab inferioribus, cum alias necesse foret inferiores efficaciter operari ultra activitatis suæ gradus; ergo.

Prob. III. Ex systemate *delectationis victricis* etiam a Catholicis adoptato sequitur 1°., non dari gratiam vere sufficientem contradistinctam ab efficaci. Nam *vere sufficiens* est, quæ tribuit voluntati potentiam ad opus bonum expeditam et relativam etiam ad præsentes subjecti circumstantias, ac præterea sufficit, ut homo cum ea ponat opus bonum: sed delectatio sancta *viribus inferior* relate ad concupiscentiam superiorem, non tribuit potentiam expeditam relate ad præsentes subjecti circumstantias; neque sufficit, ut homo cum ea ponat opus bonum; cum ad hoc ponendum necessaria sit delectatio sancta victrix; ergo.

2°. Sequitur, vel nulli, vel omni gratiæ resisti. Imprimis enim in hoc systemate *nulli* gratiæ resistitur; quia etiam delectatio inferior semper sortitur effectum aliquem, nempe pium desiderium etiam deliberatum sed imperfectum, quantum scilicet opposita delectatio hic et nunc permittit: deinde *omni* etiam gratiæ resistitur; quia delectatio cœlestis victrix perfectiorem etiam effectum produceret in subjecto minus resistente, et a delectatione terrena quantumvis inferiore vacuo.

3°. Sequitur, gratiam non esse *ex se* et virtute sua intrinseca efficacem: eadem enim gratiæ delectatio gradualis, quæ est victrix in uno, est in alio inefficax ob majorem concupiscentiam oppositam; ergo quod victrix in illo sit efficax, non est ex illius natura, sed ex minori oppositæ concupiscentiæ resistentia, et sic *ab extrinseco*.

4°. Sequitur, admittendam esse *scientiam mediam*, qua Deus prius dirigatur, quam gratiam victricem absolute decernat; nisi enim Deus exploraverit, quot concupiscentiæ gradus homo sit habiturus, dum voluerit conferre gratiam efficacem, erit incertus ac dubius de gratiæ effectu, cum nonnisi gradibus superior delectatio sancta vincat concupiscentiam.

Prob. IV. Cum delectatione sancta relative victrici nequit componi *vera libertas*. Si enim hæc componeretur; ergo quia præsente hac delectatione bonum non proponitur sub *omni ratione boni*, et in eo quoque potest apprehendi aliqua ratio mali, adeoque salvatur indifferentia: sed hæc *indifferentia* cum sit *mere objectiva*, non sufficit ad libertatem veram, sed requiritur activa; cum alias vinctus catenis, aut qualitate aliqua necessitante divinitus ad unam partem determinatus, aut destitutus divino concursu retineret *veram libertatem*, modo objectum non proponeretur sub omni ratione boni, et posset sub aliqua ratione mali apprehendi; ergo.

Prob. V. Cum eadem delectatione victrici nequit stare *vera possibilitas resistendi*. Nam posita delectatione victrici, juxta adversarios æque est *impossibile* illi resistere, ac impossibile est virum gravem et sanæ mentis sibi effodere oculos, aut nudo corpore sub meridiem in frequentes urbis plateas procurrere præcise ad ostendendam suam libertatem vel ad jocandum: sed hoc impossibile est *impossibilitate* non tantum morali, sed *physica*; tum quia ostensio libertatis vel captatio joci est vel nullum motivum, vel plane insufficiens ad ejusmodi actiones ab homine sanæ mentis ponendas; sine omni tamen motivo aut *apparenter* saltem sufficienti agere hominem prudentem, est physice impossibile: tum quia, si quis hæc ob ejusmodi rationem faceret, hoc ipso haberetur mente captus; adeoque homini sanæ mentis id agere physice repugnat; ergo. Atqui ubi est *physica impossibilitas*, non potest vera possibilitas asseri; ergo.

370. *Obj. I.* S. Aug. pluribus in locis testatur, voluntatem sine delectatione non moveri aut agere posse; e. g. L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 21. *Quis animo complectatur aliquid, quod eum non delectat?* et ib. n. 22. *Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest.*

R. *D.* S. Aug. passim testatur, voluntatem, in quantum est facultas mali aversativa, non moveri etc. *N.* in quantum est facultas boni prosecutiva *subd.* non moveri aut agere posse sine delectatione stricte et proprie sumpta, seu amore rationem jucundi prosequente *N.* sine delectatione improprie sumpta seu amore qualicumque *C.* S. Doctor passim utitur voluntate pro facultate *prosecutiva*; tum quia hæc nobilior habetur, et antonomastice vocatur voluntas: tum quia hujus actus frequentiores ac notiores sunt; ac præterea opportuniores erant ad ostendendum *Pelagianis*, nihil boni absque gratia inchoari, desiderari et haberi posse.

Inst. 1. Voluntas est facultas *essentialiter appetitiva*, sicut intellectus est

facultas cognoscitiva; adeo ut quemadmodum nulla potest esse operatio intellectus, nisi cognitio sive affirmet, sive neget : ita nulla sit actio voluntatis, nisi volitio seu appetitus boni sive *amet*, sive *oderit* : sed voluntas nec velle, nec appetere potest bonum, nisi ipsi placeat, eique proponatur ut conveniens; ergo.

R. *N. M.* Quamvis enim voluntas possit eatenus dici *essentialiter appetitiva*, quatenus appetitus communis est tam irascibili, quam concupiscibili, motumque duntaxat intentionalem et affectum significat; et hinc omnis voluntatis actio forte certius dici queat *affectio* quædam circa objectum, quam quælibet intellectus operatio dicatur objecti repræsentatio : male tamen statuitur, omnem voluntatis actionem esse *formaliter prosecutivam boni*, et hinc tum eamdem, tum voluntatem essentialiter dicere appetitum concupiscibilem seu boni; quia sicut negatio formaliter non est affirmatio, sic nec aversio et fuga est prosecutio.

Inst. 2. *Finis* juxta omnes est prima causa bonitate sua cæteras excitans, et ejus causalitas seu ratio, qua tendit in effectum, est metaphorica motio voluntatis : sed motio primaria, quam bonitas finis efficit in voluntate, est complacentia vel *delectatio* ; ergo prima omnium voluntatis actio est delectatio. Et quandocumque homo agit, semper agit ex *amore finis ultimi* et beatitudinis saltem universim spectatæ ; ergo omnis actionis humanæ principium est amor boni seu delectatio.

R. *D. M.* Finis ultimus est prima causa bonitate sua movens *C.* finis intermedius et proximus *subd.* si sit positivus, movet sua bonitate *C.* si sit privativus *N.* Quemadmodum plures actus sunt, quibus voluntas *aversatur* objectum, ita et motivum et finis horum actuum dari debet, qui non potest esse bonitas, sed malitia objecti ; adeoque et finis *privativus* debet admitti, qui est malum, quod propter se abhorretur; sicut communius statuitur finis *positivus*, qui est bonum, quod propter se expetitur. Quia tamen, si ultimam agendi rationem attendamus, aversamur ideo malum, ut beati et felices simus, et ipsa beatitudo non minus mala omnia excludit, quam bona complectitur; hinc nonnisi finis, qui sit intermedius aut *proximus*, potest esse privativus.

Ex hoc tamen, quod finem *ultimum* admittamus movere sua bonitate, sequitur quidem complacentiam esse principium *remotum* omnium actionum humanarum, non vero proximum : sed, ut supra jam diximus, de proximo tantum, non autem remoto, actionum humanarum principio hic disceptatur; quia de actionibus *liberis, supernaturalibus* et *meritoriis* agitur, cujusmodi non sunt actus immediate ad beatitudinem terminati, vel ab ea profecti, utpote necessarii, naturales, et hinc nullius meriti.

Inst. 3. Delectationis gradum esse mensuram et regulam ardoris et impetus quo voluntas fertur in objectum, patet ex Aug. tum L. 2. de pecc. mer. et remiss. c. 17. n. 26. scribente : *Nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat* ; *tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius*; tum L. de spir. et litt. c. 35. n. 63.

R. *D. Ass.* Gradus delectationis liberæ ac deliberatæ est regula et mensura ardoris et impetus, quo voluntas fertur in objectum, illudque eligit ac prosequitur *C.* gradus delectationis prævenientis usum rationis et indeliberatæ

N. Testimonia Aug. agunt solum de delectatione, quæ *deliberationem* sequitur, et liberæ est electionis.

Patet id imprimis, quia in utroque textu fit mentio actionis per verba : *Nolunt facere, quod justum est; fieret justitia;* quæ non tantum voluntatis actum deliberatum priorem, qui est consensus; sed et posteriorem, qui intentio vocatur, atque hinc *deliberationem* exigit : tum quia ex principiis S. Aug. delectatio et dilectio justitiæ sunt quid unum et idem, in utroque autem capite dilectio deliberata asseritur : in fine quidem prioris, n. 27. *Tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, auctor qualiumcumque bonorum omnium;* similiter cum in fine posterioris dictum esset : *Nisi tantum delectet, quantum diligendum est;* postea c. 36. orditur ab expositione justitiæ per duplex præceptum dilectionis : denique quia *scopus* utrobique intentus exigit intelligi motum voluntatis liberum.

Inst. 4. Necesse esse, ut voluntas sequatur majorem delectationem, docet idem S. Doctor in exposit. ad c. 5. ep. ad Galat. n. 49. *Quod amplius no delectat, secundum id operemur, necesse est;* et L. de spir. et litt. cap. cit., ubi n. 63. ait : *Quis nesciat, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens, ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est.*

R. *D. Ass.* Necesse est, ut voluntas sequatur majorem delectationem indeliberatam *N.* ut sequatur majorem delectationem deliberatam *subd.* necesse est necessitate stricta et antecedente *N.* minus stricta et consequente, quam passim intelligit S. Aug. usurpando vocem *necesse,* ut ex L. 5. contra Jul. c. 16., L. 1. de nupt. et concup. c. 12., etc. patet *C.* Textum *primum* intelligendum esse de libera et *deliberata delectatione,* patet

1°. Ex *ipsis verbis*; tum quia hæ voces, *hoc me delectat, hoc mihi placet,* in sensu usitato actum voluntatis liberum significant : tum quia non dicit : quod amplius nos delectat, secundum hoc *velimus,* necesse est, sed, *operemur,* necesse est; et paulo post : *secundum hoc vivimus, secundum hoc operamur;* adeoque non agitur hic de delectatione, quam immediate sequitur volitio; sed quam proxime excipit *actio externa* et vivendi ratio : atqui delectationem indeliberatam non immediate sequitur actio externa, sed intermedia, tum voluntatis consensus, tum propositum efficax et electio, quæ deliberatæ delectationes sunt necessitate consequente inferentes actionem externam ; ergo.

2°. Ex *æquipollentia sensus;* quia axioma allatum æquivalet huic : Quod amplius dilexerimus, secundum id nos vivere, seu operari manifestum est ; quam propositionem in eadem expositione ad proximos versus quasi prioris repetitionem subjicit.

3°. Ex *contextu ;* quia objectæ propositioni continuo hæc subjunguntur : *Ut verbi gratia occurrit forma speciosæ fœminæ, et movet ad delectationem fornicationis : sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur ;* ubi sicut *delectatio fornicationis* intelligitur deliberata, utpote distincta a motu tentationis indeliberato præcedente et movente, sic etiam major delectatio cœlestis ex motu castitatis indeliberato

proveniens pro *complacentia libera* est habenda : maxime cum hic ponatur tanquam proximum actionis et instituti vivendi principium.

4°. Ex *scopo* vel *occasione;* quia ubi hanc sententiam profert S. Doctor, expendit verba Apostoli, quæ enuntiant, non esse sub lege ductos a spiritu, probatque illos spiritu duci, in quibus fructus S. Spiritus, *charitas* nempe, *gaudium, pax,* etc. regnant, illos autem non duci, in quibus regnant *peccata,* ac demum unius præ altero regni eminentiam ad majorem delectationem vel in his fructibus, vel in peccato reducit : unde sicut hæc regna eorumque distinctiva actus *liberos* designant, sic et pro eminentiæ notis delectationes deliberatas arguunt. Idem dicendum de textu *secundo.*

Inst. 5. Experientia constat, tanto vehementius nos aliquid velle, quanto ardentius id nos delectat : et videtur contra rei naturam, ut delectatio minor vincat majorem, sicque voluntas non feratur semper ac infallibiliter ad id, quod amplius delectat.

R. Quoad 1um. experientiam non id testari in delectatione *indeliberata,* sed duntaxat in libera, ideoque hunc tantum illius *paræmiæ* esse sensum : quanto efficacius aliquid volumus, atque hinc deliberate delectamur ardentius, tanto vehementius id facere proponimus, atque ipso opere exequimur.

Quoad 2um. *D.* Videtur contra rei naturam, ut delectatio deliberata minor vincat majorem *T.* ex dictis contra axioma 1mum. Videtur contra rei naturam, ut delectatio indeliberata minor vincat majorem *subd.* si comparetur præcise delectatio una ad alteram *C.* si utraque comparetur ad voluntatis libertatem *N.*

Delectatio indeliberata major magis sollicitat et inclinat voluntatem ad consensum, quam minor; et in hoc *major vincit minorem :* voluntas nihilominus hinc minus, illinc magis sollicitata et inclinata, nec *necessario,* nec *infallibiliter,* nec *semper* sequitur majorem inclinationem, aut a majore ad assensum determinatur; sed sub ipsa etiam inæqualitate *propensionis* retinet indifferentiam *electionis* et activam, seipsam elective determinat, sæpiusque adoptat minus delectabile præ majore delectatione.

372. *Obj. II.* S. Aug. docet, *omnem gratiam* esse inspirationem sanctæ dilectionis et delectationis. *Dilectionis* L. de sp. et litt. c. 3., *charitatis* L. 1. ad Simpl. q. 1., *amoris* L. Disp. cont. Fortunat., *bonæ concupiscentiæ* L. de sp. et litt. c. 4., *cupiditatis boni* L. 2. ad Bonif. c. 9., *bonæ voluntatis* L. de gr. Chr. c. 24. etc. *delectationis* et *suavitatis* maxime L. 2. de pecc. mer. c. 18. 19. et enarr. in Ps. 84., *dulcedinis* L. 2. ad Bonif. c. 9., *condelectationis* L. 1. de nupt. et concup. c. 30., *jucunditatis* in enarr. Ps. 85., *voluptatis* Tr. 26. in Joan. etc.

R. *D.* Gratia in sensu absoluto omnis est inspiratio etc. *N.* in sensu accommodo *subd.* est inspiratio dilectionis et delectationis proprie ac stricte sumptæ *N.* minus proprie ac late sumptæ *C.* Plus non evinci ex tot nominibus ostendit tum ipsa hæc vocabulorum *æquipollentia,* qua voluntas quæcumque bona charitas appellatur : tum illud, quod sequeretur omnem gratiam esse charitatem *habitualem,* cum etiam illa, quæ diffunditur in cordibus nostris, charitas soleat ab Aug. frequenter pro quacumque gratia usurpari. Porro hic sensus et minus universalis et minus proprius notandus etiam est pro reliquis corollariis et eorum probationibus.

Inst. 1. Delectationem hanc sanctam et gratiam habere suos *gradus,* nec

semper esse *efficacem* et conjunctam cum effectu, patet tum ex *verbis* Aug. serm. 17. de verb. Apost. c. 2. (al. serm. 159. n. 2.). *Amanda est justitia, et in justitia amanda gradus sunt proficientium*; et L. de gr. et lib. arb. c. 15.: *Gratia Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis... per hanc etiam fit ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.* Tum ex *conversione* S. Aug., quam ipse in Libris Confess. descripsit: in hac enim Deus primum data gratiæ suavitate oppositas cupiditates reddidit minus jucundas, ut ait L. 6. c. 5.; tum conscientiæ stimulis illum pupugit L. 7. c. 8.; postea cœpit ad bonum incommutabile trahere ibid. c. 17.; consecuta hinc est charitatis et cupiditatis pugna L. 8. c. 5.; succedente deinceps nova gratia impediebatur vis concupiscentiæ et relapsus in pristina peccata ibid. c. 11.; tandem obtenta est victoria jucunditate maxima consecuta, ut L. eod. c. 12. narratur.

R. Quoad 1am. *p. D.* Sancta delectatio et gratia habet suos gradus hoc sensu, quod alia sit remote, alia proxime sufficiens, vel alia sit gratia ad volendum, alia ad exequendum, vel alia det simpliciter posse, sed cum quadam difficultate, alia vero etiam cum facilitate *C.* hoc sensu, quod e duabus *gratiis vere sufficientibus* sive ad volendum, sive ad agendum alia vel absolute in se, vel relative ad oppositam concupiscentiam sit minor, et hinc non præstet ad volendum vel agendum, alia vero tanquam absolute vel relative major id præstare queat *N.*

Quoad 2am. *p. D.* Gratia non est semper efficax ob hominis arbitrium libere eam respuens *C.* præcise ob minores virium gradus, aut oppositæ cupiditatis indeliberatæ majorem resistentiam *N.* Textus *prior* ad delectationem maxime indeliberatam plane est impertinens: *alter* sive de gratia successive majore, sive de eadem gratia successive majorem effectum obtinente agat, nihil adversariis favet; cum plenus et perfectus effectus non in *gratiæ entitatem*, sed in voluntatem adjutam ac deliberate agentem referatur: item tenet de postremo, in quo sub nomine *parvæ gratiæ* intelligi gratiam orationis ac remote sufficientem n. 330. ostensum est.

Demum *conversionis Augustinianæ* exemplum probat quidem varietatem gratiarum, luctam gratiæ cum cupiditatibus, et successivum salutis profectum, quæ omnia et nos admittimus; non vero probat, aut gratiæ *minoris* insufficientiam, aut *majoris* necessariam vel infallibilem vim, aut inefficaciam præcise ex indeliberatæ cupiditatis superioritate profluentem.

Inst. 2. Delectationem victricem esse gratiam efficacem, patet rursus ex Aug. L. de gr. et corr. c. 11. n. 31.: *Secunda* (gratia) *plus potest, qua etiam fit, ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* L. de sp. et litt. c. 29. n. 51. *Inspirata gratia suavitate per Spiritum sanctum facit plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit*; L. 2. de pecc. mer. c. 19. etc.

R. *D.* Delectatio scilicet indeliberata victrix, h. e. habens in se majores suavitatis gradus, quam opposita cupiditas, est semper gratia efficax *N.* victrix, h. e. quæ, quamvis gradibus minor, ita allicit, vel allectura prævidetur voluntatem, ut ipsa ampliorem delectationem ex libera electione sua habeat in bono proposito, quam in malæ cupiditatis illecebris *C.* vel *subd.* est aliqua gratia efficax *C.* est omnis seu convertibiliter gratia efficax *N.*

Sensum nostrum comprobant ipsa Aug. testimonia, quia in prioribus omnibus superioritas et victoria non adjungitur delectationi *indeliberatæ* seu entitati gratiæ, sed delectationi *deliberatæ*, seu voluntati et dilectioni : hoc ipsum etiam asserendum esse de postremo, liquet ex *contextu*; ubi posterioribus verbis delectatio per dilectionem liberam explicatur.

Inst. 3. Delectationem victricem necessario sequi voluntatem et effectum, patet ex Aug. L. 13. de Civ. c. 7. *In abundantia gratiæ Spiritus illius, qui ubi vult, spirat, tantum Christum amare possent, ut eum in tanto vitæ discrimine.... negare non possent.*

R. *D.* Delectationem indeliberatam et præcise ex se majorem, seu victricem sequitur necessario effectus *N.* delectationem vel deliberatam, vel etiam indeliberatam, prout congruam ex divina præscientia *subd.* sequitur effectus necessario necessitate antecedente *N.* mere consequente *C.* Responsioni congruit textus Augustini, in quo *non posse* idem sonat ac *nolle* ; quod patet tum ex his præcedentibus : *Qui mortem, cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire vitam*, etc., tum ex iis, quæ sequuntur : *Quibus cum tanta gratia est præmissa et prærogata mors Christi, ut ad eum acquirendum suam non cunctarentur impendere.*

372. *Obj. III.* Systema delectationis relative victricis, prout a *Catholicis* adoptatur, satis differt a *Janseniano*; ergo non est rejiciendum. *Ant.* patet: 1°. *Catholici* delectationem victricem statuunt cum indifferentia judicii, et hinc cum vera libertate conjunctam : *Janseniani* autem eamdem penitus sejungunt a deliberatione et indifferentia judicii : 2°. *Priores* volunt, ex victrice delectatione sequi duntaxat infallibiliter effectum, et voluntatem nunquam ponere oppositum delectationi superiori : *posteriores* amplius quid exigunt, ac delectationi tribuunt : 3°. *Illi* necessitatem solum improprie dictam admittunt : *hi* proprie dictam intelligunt.

Ad arg. R. 1°. *N. Cons.* Nobis non tantum animus non est, Catholicos auctores qui propositiones *Jansenii* damnatas detestantur, et formulæ Alexandrinæ sincera mente subscripserunt, aut, si opus foret, subscribere parati sunt, invidioso *Jansenistarum* nomine compellare; sed nec eorum opinionem, quod alii faciunt, censura notamus. Unde quæ hactenus dicta sunt, tanquam argumentationem theologicam more in Scholis usitato protulimus: et alias addidimus rationes, ex quibus falsitatem systematis probare contendimus.

R. 2°. *N. A. Ad prob.* R. Quæ ibi *discrimina* afferuntur, non sufficere, cum eadem a celeberrimis *Jansenii* discipulis admittantur. Quoad 1um. enim Petrus *Nicole* sub schemate Pauli Irenæi Disq. 6. a. 4. ita scribit : *Speciali hujus status et viæ conditione fit, ut nihil homini proponatur ad merendum et demerendum, nisi per judicium indifferens.*

Quoad 2um. Abbas de *Bourzeis* Collat. 4. c. 29. ait : *Quando dicimus, non posse dissentiri gratiæ efficaci, tantum volumus intelligi per eam impotentiam, quod nunquam contingat huic dissentiri.* Similia Paul. Iren. Disq. 6. a. 3. profert.

Quoad 2um. *de la Lane* in Conformitate Thomistarum cum Jansenio part. 2a. inquit : *Hæc necessitas impropria tantum est, quæ significat tantum certitudinem effectus, quæque nullo modo excludit potentiam ad oppositum.*

St. Albert's College Library

Itaque oportet non tantum indifferentiam judicii mere speculativam, sed practicam, infallibilitatem non antecedentem, sed tantum consequentem, necessitatem non ortam ex superioritate gratiæ, sed in liberi consensus prævisione fundatam admittere, ut vera differentia interveniat.

Inst. 1. Hoc systema male rejicitur tanquam inimicum *libertati humanæ*. Nam delectatio sancta victrix, in qua statuitur gratia efficax, nihil aliud est, quam delectatio *moraliter* determinans, vel ita movens voluntatem ad assensum, ut reddatur *moraliter* impossibilis dissensus : sed delectatio sancta moraliter determinans vel ita movens voluntatem potest dari etiam sine læsione libertatis, ut etiam e *Societate* admittunt Suarez, Ripalda, Tanner etc., atque tum paritas cum tentatione gravi, tum timor mortis temporalis et amor vitæ corporeæ naturaliter impressus, et tamen cum libertate compossibilis ostendunt; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob. D. M.* Gratia efficax et victrix delectatio nihil aliud est, quam delectatio qualiscumque, et quomodocumque moraliter determinans etc. *N.* quam delectatio systematica et certa lege moraliter determinans *C. M.* Similiter *D. m.* sed delectatio qualiscumque, seu quomodocumque moraliter determinans potest dari sine libertatis læsione *T.* systematica, seu certa lege determinans *N.* Delectationem relative victricem ex legibus systematis hactenus expositi esse inimicam libertati liquet ex probationibus allatis.

Præterea, cum hic statuatur, voluntatem non posse agere *nisi ex delectatione,* nunquam etiam agere secundum delectationem *inferiorem,* aut ubi delectatio utrinque est *æqualis,* ac tandem infallibiliter agere secundum delectationem *superiorem;* sequitur omnino, delectationem victricem esse unicum antecedens ac inevitabile principium determinationis, voluntati vero nec electionem, nec, si vim determinandi etiam habet, usum et exercitium relinqui. Quare nihil juvat, a laudatis Auctoribus admissam esse *delectationem aliquam,* quæ illæsa hominis libertate moraliter certo connectatur cum voluntatis assensu, nisi ostendatur, ab iisdem etiam idem systema et omnem *delectationis relative victricis* œconomiam esse adoptatam.

Inst. 2. Inter *Catholicos* hoc systema mitigatum imprimis approbarunt *Card. Laurea* in Opusc. 3. de gratiis actualibus, et D. *d'Aubigné* Archiep. Rothomagens. in Docum. pastorali an. 1708.; tum illud præformarunt Francisc. *Macedo* in Cortina et Scrinio, Cardinalis *Norisius* in Historia Pelagiana, et Antonin. *Massoulié* in D. Thoma sui interprete : demum aperte propugnarunt Nicolaus *l'Herminier* in summa Theologiæ, Gaspar *Juenin* in Institutionibus Theologicis, Ludov. *Habert* in Theologia Dogmatica et Morali, *Berti* in Disciplinis Theologicis, aliique plures; ergo cum horum fides et doctrina non sit suspecta, systema delectationis victricis tanquam innoxium agnosci debet.

R. 1° Plures sunt, qui negant partim *Ant.*, partim *Cons.* Prius quidem, quia contendunt *Lauream* hoc unum docuisse, quod ex gratia delectatio quædam velut ex causa effectus profluat, sed quæ sit motus omnino deliberatus et ex determinatione voluntatis propria ortus.

Aubigneum voluisse solum, sententiam ideo præcise non mereri censuram, quia vim et efficaciam gratiæ in victrice delectatione ponit, cum sensus Catholicus subesse possit.

Macedum asseruisse quidem gradus gratiæ diversos, nec ad omnem ejus

sufficientiam postulasse potestatem operandi proximam et expeditam, quin tamen reliqua systematis capita admitteret.

Norisium in vindiciis ter repetendis priora sua asserta attemperasse vel explicuisse, ut cum Macedi sententia convenire se doceret.

Massoulieum male sensisse, utpote quem Tournelius Tr. de grat. Quæst. 3. sub finem ostenderet, deserta hic schola Thomistica ad Jansenianos transiisse.

Posterius vero, quia contendunt consequens supponere falsum, cum posteriorum Auctorum fidem et doctrinam plane suspectam reddiderint non solæ Theologorum denuntiationes, sed Episcoporum gravissima judicia in mandatis suis et documentis pastoralibus. Ex eorum pluribus sufficiat laudare Episcopum *Vapincensem*, qui an. 1711. Summam l'Herminerii etiam secundo editam; Card. *de Bissy* Ep. Meldensem, qui an. 1711. institutiones Juenini, et an. 1712. animadversiones pro eodem auctore scriptas; Fenelonium Archiep. Cameracensem, qui an. 1711. Theologiam Lud. Haberti frustra defensam; *Saleonium* Archiep. Viennensem, qui an. 1744. Disciplinas Berti censuris theologicis affecerunt et prohibuerunt.

R. 2°. *Transeat* totum; quia nostrum non esse putamus, Catholicorum scriptorum positiones hæreseos aut erroris damnare. Sufficiat nobis oppositæ sententiæ falsitatem ostendisse, quæ non hoc ipso etiam abstergitur, si ut ab errore libera modestiæ ergo permittatur.

ARTICULUS III.

AN EFFICACIA GRATIÆ STET IN CONGRUITATE AUXILII QUALICUMQUE?

373. *Nota.* Efficaciam gratiæ in actu primo explicandam esse per *congruitatem* quamdam seu aptitudinem et proportionem auxilii ad effectum infallibiliter obtinendum conveniunt omnes, qui tum phrasin S. Aug., tum sensum, in explicanda gratiæ efficacis notione sequuntur. Is enim, ne quid ex aliis ejus scriptis proferam, L. 4. ad Simpl. q. 2. n. 13. loquitur: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur, et intelligerent, et sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci electi: illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati. Item verum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia nullius Deus frustra miseretur: cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Diversitas tamen est *in modo* exponendi congruitatem etiam eam, quæ non mere interna est auxilio, nec in certa ac infallibili motione morali superius refutata consistit, sed quæ externa est, et ab adjunctis petitur. Nam alii eam ponunt præcise in habitudine *ad effectum* futurum seu eventum, quod Molinæ tribuitur: alii in *contemperatione* quadam cum hominis ingenio, natura, affectibus variisque locorum ac temporum circumstantiis, ut Suarez addit: alii in multitudine, varietate, consonantia et conspiratione *plurium auxiliorum*, quorum quidem singula effectu suo possunt seorsim

defraudari, at universa sic aggrediuntur hominem, obsident et fatigant, ut ab eo consensum certissime obtineant : ita THOMASSINUS.

374. *Dico I.* Ad efficaciam gratiæ necessaria est congruitas, stans in habitudine auxilii *ad eventum;* non tamen sufficit.

Ratio *primi* est; tum quia sicut gratia efficax in *actu secundo* dicit habitudinem ad consensum actualem, sic efficax in *actu primo* debet dicere habitudinem ad consensum futurum : tum quia sine hac habitudine non esset stricte, speciatim et proprie efficax, sed tantum generatim et latius, et solum intelligeretur gratia sufficiens.

Ratio *secundi;* tum quia ex sola ista habitudine, prout vel in entitate gratiæ, vel in voluntate, libera consensus causa, fundatur, non intelligitur aut existit gratia effectum *infallibiliter* habitura; cum gratiæ entitas possit conjungi cum dissensu, et voluntas libere ac contingenter sit consensura : tum quia alias proprie loquendo discrimen, quod inter gratiam sufficientem et efficacem intercedit, teneret se duntaxat ex parte *actus secundi,* non vero *primi;* quod apud plerosque etiam nostros male audit, et pro Societate nostra tum a Claudio Aquaviva an. 1613., tum a Mutio Vitelleschi an. 1616. improbatum est, et doceri prohibitum.

375. *Dico II.* Ad eamdem efficaciam necessaria est congruitas, stans in *attemperatione* auxilii cum homine ejusque affectionibus; non quidem, ut ea attemperatio præcise enuntiat proportionem auxilii ad personam et ejus circumstantias sive intrinsecas, sive extrinsecas; sed prout ea simul connotat eventum; quamvis nec sic accepta sufficiat.

Ratio *primi* est; quia de hac congruitate intelligendus est textus AUGUSTINI num. 373. recitatus, ut ostendunt tum ipsa verba, tum contextus aliaque testimonia.

Ratio *secundi* est; tum quia gratia potest sortiri suum effectum independenter a quocumque loco, tempore, et aliis circumstantiis; ut testatur AUG. in Ench. scribens : *Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere;* et PROSP. in Carm. de Ingratis c. 16. canens :

> At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
> Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
> Semper adest, quæ gesta velit : non moribus illi
> Fit mora, nec causis anceps suspenditur illis :

tum quia in gratia mere sufficiente potest esse eadem, imo major congruitas ad personam et circumstantias præcise considerata, quam in efficaci, quin tamen sequatur effectus; et e contra minor congruitas ejusmodi deprehensa subinde fuerit in gratia efficaci, qualis fuisse videtur, quæ cor *Assueri* transtulit in mansuetudinem, mulierem *peccatricem* Luc. 7. convertit, et *Saulum* minarum et cædis in discipulos Christi spirantem subito immutavit.

Accedit, quod sine congruitate hujusmodi speciali ex sola libertate creata satis intelligi ac fieri queat, cur idem homo in iisdem circumstantiis uni gratiæ consentiat, et alteri etiam numero tantum distinctæ dissentiat.

Ratio *tertii* patet tum ex num. priore, tum ex verbis AUG. in notamine

laudatis, ubi congruitas sub respectu *ad eventum* semper proponitur; secundum quem loquendi modum alia explicanda sunt, ubi ille respectus aperte non exprimitur. Id ipsum declarat SUAREZ L. 5. de gr. c. 52. Accedit testimonium S. AUG. L. 12. de Civ. c. 6. perseverantiam in bono unius præ alio ad libertatem referentis : *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo et corpore videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?..... Si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, et alterum noluisse a castitate deficere?*

Ratio *quarti* est; tum quia entitas gratiæ in actu primo efficacis conjungi potest cum dissensu, seu gratia hæc ex natura sua est repudiabilis; tum quia nec ex proportione solitaria ad voluntatem ejusque affectiones, nec ex habitudine ad eventum habetur infallibilitas.

376. *Dico III.* Ad efficaciam gratiæ universim explicandam prorsus insufficiens est congruitas, stans in *multitudine et consonantia plurium auxiliorum.*

Ratio est; quia sequeretur 1°. gratiam primam *Angelis, Adamo,* reliquisque postea hominibus datam non fuisse, imo nec esse potuisse efficacem : 2°. Nullum dari singulare gratiæ auxilium certo ac infallibiliter efficax, omneque auxilium, quod seorsim datur, esse inefficax : 3°. Non esse possibilem *instantaneam* peccatoris obdurati conversionem, aut subitaneum actum virtutis heroicum : sed hæc omnia videntur absurda; partim quod repugnent communi Theologorum sententiæ, et satis etiam manifestæ ex Scriptura et historia Ecclesiastica experientiæ : partim quod divinæ omnipotentiæ adversentur ; ergo.

Conf. Quamvis in hoc systemate recte salvetur creati arbitrii *libertas,* et asseri possit infallibilitas gratiæ efficacis *vaga* et *indeterminata,* sicut similem necessitatem peccandi ex pluribus tentationibus ortam exposuimus; nequit tamen satis explicari certitudo et *infallibilitas* divinæ providentiæ conveniens ac propria.

ARTICULUS IV.

IN QUONAM STET EFFICACIA GRATIÆ, TOTAQUE EJUS ŒCONOMIA ?

377. *Nota I.* Tria sunt, quæ in gratia efficaci distinguere oportet; 1um. est vis seu *virtus effectiva* consensus : 2um. actualis, et formalis ejusdem consensus *effectio* seu productio : 3um. *infallibilis connexio* gratiæ seu auxilii ipsius cum actuali et formali consensus effectione. Prius juxta omnes convenit auxilio *per se,* ab intrinseco, et ex vi præcise suæ entitatis physicæ : cum enim gratia etiam in *actu primo* efficax supponatur esse causa propria et per se salutaris consensus, et quidem in suo genere proxima et completa ; sequitur omnino virtutem efficiendi essentialem illi esse et *intrinsecam.* Accedit, quod ex dictis gratia sufficiens physice consistat in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiæ adjuvantis, proportionatam et expeditam ad effectum potentiam præstante; adeoque id multo magis gratiæ *efficaci* sit

tribuendum. Alterum habetur ab actione, qua consensus salutaris a voluntate et auxilio simul agentibus et efficientibus indivisibiliter dependet. Postremum non provenire ab intrinseco et ab ipsa entitate auxilii, sed ab alio et *extrinseco,* hactenus ostensum est, in eoque conveniunt nostri omnes.

378. *Nota II.* Porro observandum : 1°. Distingui posse triplicem infallibilitatem; aliam *objectivam;* quæ est infallibilitas objecti, vel quatenus hoc est terminus alicujus actionis infallibilis, vel quatenus objectum sic erit necessitate sive antecedente, sive consequente : aliam *formalem cognoscitivam ;* quæ est infallibilitas ut cognita, vel infallibilitas cognitionis, qua infallibiliter objectum cognoscitur, quale est, aut erit : aliam *formalem affectivam;* quæ est infallibilitas ut volita, vel infallibilitas volitionis, qua infallibiliter objectum decernitur, quale est, aut erit.

2°. In gratia efficaci considerari posse, imprimis præcise rationem *efficaciæ secundum se* sumptæ et sine ullo alio respectu, præterquam ad consensum : deinde rationem *medii providentiæ divinæ* ad obtinendum infaillibiliter consensum : demum rationem specialis beneficii Dei consensum præ dissensu misericorditer et benevole intendentis.

3°. Gratiam efficacem spectari posse, vel prout præscindit a Deo, qui dat, et a tempore, quo datur : vel prout collata est a Deo in statu naturæ *integræ* : vel prout jam datur in statu naturæ *lapsæ.*

379. *Dico I.* Efficacia gratiæ quoad infallibilitatem connexionis *objectivam,* habetur a futuritione conditionata consensus : quoad infallibilitatem *cognoscitivam* a scientia media de consensu sub hypothesi talis auxilii conditionate futuro : quoad infallibilitatem *affectivam* a decreto Dei dependenter a scientia media prædefinientis consensum, seu conferentis gratiam ex benevola intentione consensus.

Ratio primi est; infallibilitatem *objectivam* haberi ex futuritione conditionata consensus, nihil aliud est, quam ad complexum ex veritate conditionata operationis et positione auxilii haberi infallibilem certitudinem objecti sive consensus. Sed ad hoc complexum sequitur ista certitudo ; quia ex his præmissis : *Si Petro detur auxilium A, consentiet : atqui datur illi auxilium A ,* sequitur hæc consequentia necessaria : *ergo consentiet;* cum ex veritate conditionali et purificatione conditionis infallibiliter inferatur conditionatum ; ergo.

Conf. Consensus futurus *utroque modo* habet infallibilitatem objectivam : 1°. quidem, quia est objectum scientiæ mediæ certæ ac infallibilis : 2°. quia est objectum, in quod gratia efficax tendit, et posita gratia determinate est id, quod est, adeo ut necessitate consequente repugnet, esse aliud quid vel dissensum. Sed esse *futurum* habetur a futuritione; et quod sit *determinate* consensus posita gratia , habetur a veritate conditionali et purificatione conditionis; ergo.

Ratio secundi est; quia Deus per scientiam mediam non tantum infallibiliter *subjective* cognoscit futuritionem consensus sub certo auxilio, sed ipsum etiam *auxilium* constituit in ratione infallibiliter connexi cum consensu. Nam ex eo, quod Deus per scientiam mediam prævideat consensum futurum, si poneretur tale auxilium, eadem certitudine auxilium tale, si

detur, sortietur effectum seu consensum, qua certitudine Deus præscit auxilium fore sortiturum effectum, si daretur ; quia si auxilium in sensu composito *scientiæ mediæ,* cui subest, frustraretur effectu, falleretur ipsa Dei præscientia : sed certitudo , qua Deus hoc per scientiam mediam præscit, est infallibilis; quia Dei scientiam falli absolute repugnat ; ergo ex eo, quod Deus per *scientiam mediam* hoc præsciat, auxilium infallibiliter sortietur effectum ; ergo et a scientia media provenit, seu constituitur auxilium in ratione infallibiliter connexi cum consensu.

Conf. Infallibilitas connexionis *cognoscitiva* habetur a cognitione, seu scientia certa et infallibili Dei : sed non habetur a scientia *simplicis intelligentiæ ;* quia hæc solum est de possibilibus, non autem futuris, et possibilem duntaxat consensum pro objecto habet : nec habetur a scientia *visionis ;* quia hæc decretum Dei absolutum sequitur, cognoscit duntaxat absolute futura, et pro objecto gratiam in actu secundo efficacem habet ; ergo habetur a scientia media.

Ratio tertii est ; quia per ejusmodi *decretum prædefiniens* non tantum Deus fit certus ac indubius tum ratione sui affectus, tum ratione consensus, sed ipsum etiam auxilium denominatur infallibiliter connexum cum consensu. Nam Deus per decretum hoc non solum vult et intendit consensum simpliciter, sed consensum per tale auxilium ; ergo sicut hic infallibilitas consensus habetur a *decreto Dei* absolute et efficaci, utpote quod falli simpliciter repugnat ; sic et infallibilitas connexionis auxilium inter et consensum ab eodem repeti potest : præsertim quia, etiamsi nulla præcessisset veritas conditionalis, nec scientia media de futuro consensu, nihilominus auxilium in statu absoluto, ut subest *illi prædefinitioni,* infallibiliter connecteretur cum consensu : quod suppositum quamvis impossibile de facto sit, tamen id, quod probandum erat, satis ostendit.

Conf. Si Deus auxilium efficax conferret absque eo, quod intenderet consensum et bonum illi, cui auxilium confert ; id daretur a Deo præcise quatenus est *sufficiens* ad consensum salutarem : sed auxilium præcise sub hac ratione collatum nullam dicit *affectivam* infallibilitatem ; utpote qua caret auxilium præcise sufficiens ; ergo sine prædefinitione non habetur infallibilitas affectiva ; ergo ex opposito ab illa hæc habetur.

380. *Dico II.* Gratia in *actu primo* efficax præsentis status est gratia adæquate præveniens, entitative quidem indifferens, sed congrua ; quatenus ut substans futuritioni conditionatæ, scientiæ mediæ et prædefinitioni consensus sub ipsa, a Deo datur.

Explicatur. Dicitur 1°. *gratia præveniens ;* quæ scilicet sit sancta illustratio intellectus et pia affectio voluntatis ; quia gratia efficax tum ab Apostolo, tum a S. Aug. *vocatio,* a Trid. et aliis Conciliis *pulsatio, motio, excitatio, illuminatio* aut *inspiratio* appellatur.

2°. *Adæquate præveniens ;* quæ scilicet connotet vel præsentia vel parata gratiæ adjuvantis principia, quibus voluntas elevetur et fiat potens ad supernaturaliter operandum ; quia gratia hæc complectitur totum *actum primum* ad salutariter operandum, et est causa per se et propria, in suo genere proxima et completa salutaris consensus.

3°. *Entitative indifferens ;* non quasi gratia æque se habeat ex natura sua

ad dissensum et consensum, cum per se solummodo voluntatem ad consensum sollicitet et moveat, minime autem *ad dissensum,* utpote ad quem voluntas contra gratiæ impulsum movetur a cupiditate vel alia affectione terrena : sed quatenus non habet *ab intrinseco* vim infallibilem, sed duntaxat contingentem, producendi consensum ; ita ut, si voluntas consentiat, illa per auxilium excitans *moraliter,* et per adjuvans *physice* influat in consensum; si autem voluntas dissentiat, auxilium excitans frustretur suo effectu, principium vero adjuvantis gratiæ plane non agat.

4°. *Congrua* ; quia gratia efficax per congruitatem formaliter constituitur, et differt a gratia inefficaci. Quia vero *congruitas* hæc neque sufficienter per solam habitudinem ad eventum, neque universim et necessario per attemperationem quamdam specialem, neque probabiliter quidem per multitudinem et consonantiam auxiliorum constitui aut explicari potest; hinc additur

5°. *Quæ ut substans futuritioni conditionatæ, scientiæ mediæ, et prædefinitioni datur ;* quia congruitas sic explicata præstat omnia, quæ in prioribus desideravimus; tum quia non ab entitate gratiæ, sed *ab extrinseco* petitur : tum quia infallibilem connexionem auxilii cum consensu ostendit; cum hoc ipso, quod gratia sive his quasi formis extraneis subsit, sive ad eos quasi terminos respectum dicat et actu detur, infallibilitatem tum *objectivam,* tum *cognoscitivam,* tum *affectivam* possideat.

Probatur. Gratia efficax modo descripta complectitur omnia prædicata, quæ illi in præsenti lapsæ naturæ statu a Scriptura, Concilius et Patribus tribuuntur. Nam

1°. Debet esse *infallibiliter* connexa cum consensu, et quidem infallibilitate triplici memorata ; quia ex dicendis habet infallibilitatem *affectivam,* hæc vero dirigitur a *cognoscitiva,* ista autem terminatur ad *objectivam :* sed infallibilitas objectiva habetur a futuritione conditionata, cognoscitiva a scientia media, affectiva a prædefinitione ; nec aliunde sive ab entitate auxilii aut absolute, aut respective sumpti, sive a congruitate qualicumque repeti potest; ergo.

2°. Debet posse componi cum *libertate humana,* quia gratia est principium meriti, ad merendum autem et demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas a *necessitate,* nec sufficit libertas a coactione : atqui hoc in nostra sententia fieri potest, non tantum, quia gratiæ entitas est indifferens, sed tum, quia sicut ipsa futuritio *conditionata,* sic et *scientia media* ad eam terminata, et *prædefinitio* ab hac dependens indirecte saltem impediri potest : tum quia hæc omnia non sunt principia ad operationem necessaria, sed *per accidens* tantum et respectu Dei requisita : tum denique, quia his etiam stantibus decretum applicativum omnipotentiæ est indifferens.

3°. Debet esse *medium providentiæ divinæ,* seu aptum instrumentum, quo Deus non casualiter, sed certo, non cæco modo, sed provide obtineat liberum creaturæ consensum; quia Deus per gratias efficaces maxime erga electos ostendit providentiam supernaturalem : sed per futuritionem conditionatam *remote* et objective, per scientiam *proxime* et formaliter id habetur, et Deus fit potens non casualiter, sed certo, non cæco modo, sed provide obtinere liberum creaturæ consensum; ergo.

4°. Debet esse *speciale beneficium* et singulare argumentum Dei miserentis; quia si gratia *mere sufficiens* sit simpliciter materiale et formale beneficium,

gratia efficax saltem in præsenti statu erit materialiter et formaliter majus beneficium; tum quia non est ratio negandi Deo propriam rationem benevolentiæ in elargitione gratiæ efficacis : tum quia gratia naturæ lapsæ juxta S. Aug. non tantum est *potentior,* sed et *major,* quam illa naturæ integræ : sed non est formale beneficium sine intentione benevola conferentis, ut patet in eo, qui, dum metu naufragii sine voluntate favendi inimicis projicit merces, quas videt illis profuturas, non dicitur erga inimicos beneficus : neque est *formaliter majus* beneficium sine majore affectu, qui ut sit major, debet esse efficax, ac consequenter prædefinitio ; cum Deus *affectu inefficaci* in sua linea maximo possit intendere consensum sub auxilio sufficiente, quin tamen hinc magis sit beneficus in dissentientem sub eo auxilio; ergo.

Infertur 1°. Discrimen inter gratiam actu efficientem et inefficacem desumi quidem ab actu secundo, quo una efficit, secus altera : inter gratiam tamen, quæ simpliciter dicitur efficax, et sufficientem non in actu tantum secundo, sed alterius etiam in actu primo esse positum.

2°. Hoc discrimen in *actu primo* non esse *intrinsecum* ipsis entitatibus auxiliorum, aut provenire ex eorum natura vel gradu intensionis; sed esse extrinsecum, seu provenire ab extrinseco : adeoque denominationem efficacis non esse essentialem et pure intrinsecam; sed accidentalem, et vel *mere extrinsecam,* si hæc denominatio explicetur per prædefinitionem, et alia tanquam per formas extrinsecas; vel *intrinsecam ab extrinseco,* si per ea tanquam per terminos explicetur, quibus positis in auxilio resultat respectus ad eosdem.

3°. Si gratia efficax consideretur præcise *secundum se,* et accipiatur quomodocumque posita, distinguitur a sufficiente per solum respectum ad futuritionem conditionatam; quia tunc præscinditur vel non intelligitur substare scientiæ mediæ ac prædefinitioni divinæ, quamvis reipsa ejusmodi status non sit realis, et nunquam fuerit, aut sit possibilis : si vero consideretur simul ut *medium providentiæ divinæ,* aut benevolentiæ signum, et prout actu a Deo gratia collata fuit, vel confertur, alios respectus habet adjunctos, ut ex præmissis liquet.

4°. Gratia efficax, maxime *perseverantiæ* in statu naturæ integræ collata dicebat duplicem duntaxat respectum, ad futuritionem nempe conditionatam et scientiam mediam, et inde distinguebatur a sufficiente; quia dabatur scientia media tantum *prælucente,* non autem dirigente : dabatur cum prævisione quidem consensus, non autem ex ejusdem intentione et eo affectu, ut, si prævisa fuisset caritura effectu, alia fuisset data; unde et dicitur *relicta* fuisse *libero arbitrio,* et vocatur auxilium sine quo non, non autem quo.

5°. Gratia efficax, quæ de facto datur, triplicem respectum ad memoratos terminos dicit, eoque a sufficiente distinguitur; quia datur etiam dirigente scientia media, ex intentione efficaci consensus et eo affectu, ut alia daretur, si hæc prævisa fuisset non habitura consensum; unde dat non tantum posse, sed et velle; vocatur auxilium, *quo fit, ut faciamus et perseveremus :* per illud Deus miseretur, cujus miseretur; discernit perfecte consentientem a dissentiente; inclinat hominum corda et voluntates, quo vult etc.

381. *Obj. I.* Trid. statuit gratiam *intrinsece* efficacem stare cum libertate creata; ergo efficacia gratiæ non est repetenda ab extrinseco, sed ab intrin-

seco et ejus entitate vel motione. *Prob.* Illa gratia vel motio juxta Trid. stat cum libertate, quæ juxta *Calvinum* cum ea non stat, sed eam tollit; quia cum Concilium *Calvino* contradicat, eumque damnet, de eadem gratia intelligi debet: sed gratia intrinsece efficax, seu motio physice prædeterminans juxta *Calvinum* non stat cum libertate, sed eam tollit; quia *Calvino* non venit in mentem, quod gratia entitative indifferens, quam nos admittimus, libertatem tollat; ergo.

R. *N. A. ad prob.* R. 1°. Argumentum hoc putidum esse sophisma, patet imprimis, si sic subsumatur: sed gratia *antecedenter necessitans* juxta Calvinum non stat cum libertate; ergo juxta Trid. cum libertate stat gratia antecedenter necessitans. Patet deinde, si similis forma transferatur ad aliam materiam, qualis est hæc: Illud Verbum juxta Conc. Nicænum est Patri æterno æquale et consubstantiale, quod juxta *Arianos* æquale non est, nec consubstantiale: sed juxta *Arianos* Verbum creatum seu in tempore productum æterno Patri non est æquale et consubstantiale; ergo *Verbum creatum* juxta Nicænum est Patri consubstantiale. Patet denique *invertendo* argumentum pro nostra sententia sine ulla sophismatis fallacia hoc modo: Cum illa motione vel gratia potest juxta Trid. voluntas humana dissensum componere, cum qua juxta *Calvinum* non potest: sed cum gratia efficaci hujus providentiæ, et secundum physicam suam entitatem considerata juxta *Calvinum* non potest humana voluntas componere dissensum; ergo juxta Trid. id potest; ergo nulla hujus providentiæ gratia efficax est ex vi suæ entitatis physicæ efficax vel physice prædeterminans.

R. 2°. *D. M.* Illa gratia juxta Trid. stat cum libertate, quæ sub motione gratiæ a Tridentino agnita et approbata, juxta Calvinum non stat cum libertate *C.* quæ sub motione a Trid. vel rejecta vel in dubio relicta juxta Calvinum non stat *N. M.* Similiter *D. m.* Gratia intrinsece efficax juxta Calvinum non stat cum libertate, et hæc gratia etiam sub nomine intrinsece efficacis, vel sub motione præsertim determinante erat a Trid. agnita et approbata *N.* erat vel absolute rejecta, vel saltem in dubio relicta *C. m.* et *N. Cons.* Veritas hujus responsionis elucet quasi *a priori* ex Trid., quod, ubicumque gratiæ efficacis cum libertate concordiam inculcat, nunquam gratiæ sive *intrinsece* efficacis sive *prædeterminantis* sub his aut æquivalentibus terminis meminit, sed solum appellat gratiam excitantem et moventem, sub eaque motione eam definit stare cum libertate, eo quod sub eadem motione id fuerit a *Calvino* negatum.

Porro an etiam omnis vel aliqua gratia excitans et movens in præsenti providentia sit *intrinsece efficax* aut *physice prædeterminans*, ut præterea censuit Calvinus; et an eadem cum libertate cohæreat, ut Thomistæ hac in parte Calvino oppositi censent? id certe Trid. verbis expresse omnemque dubitationem excludentibus nec affirmando, nec negando definivit; quamvis Theologi Catholici suam quisque sententiam illi conformare, aut ex eo deducere conetur, quod licet, et laudem meretur.

Inst. 1. Trid. vel loquitur de motione prædeterminante, vel de motione indifferente, vel de motione in genere, prout ab utraque præscindit? 2um. dici nequit; quia *Calvinus* minime negavit motionem indifferentem posse cum libertate componi: ergo vel 1um. vel 3um. est asserendum. Sed quodcumque

ex utroque admittatur, sequitur motionem prædeterminantem stare cum libertate; ergo.

R. *D.* 1am. *prop.* Trid. loquitur vel de motione prædeterminante, vel de indifferente sub conceptu *formali* et *explicito*, aut terminis uni vel alteri motioni aperte et indubitate æquivalentibus *N.* sub ejusmodi conceptu et terminis, ex quibus unam vel alteram significationem Theologi deducere conantur *C.* Quandoquidem Ecclesia permittit efficaciam gratiæ sive per auxilium intrinsece efficax, sive per auxilium entitative indifferens a Catholicis Theologis explicari, et sub anathematis pœna a Paulo V., aliisque Pontificibus prohibitum est, ne quis alterutram sententiam censura theologica notare præsumat; omnino patet, neutram sententiam a Trid. explicite et expresse definitam aut damnatam dici posse adeoque nec Concilium simili forma de una aut altera fuisse locutum. Sicut tamen licitum est Theologis, ut pro sua quisque sententia mentem Trid. conjecturis probabilibus indaget et captare conetur; sic et intellectam ab eodem motionem indifferentem dici posse ex prioribus colligimus.

Inst. 2. Si Trid. negasset hoc antecedens : *Datur gratia seipsa efficax*; Pelagianos idem pernegantes non damnasset, quod tamen præstitit : si vero approbasset illatum inde ab hæreticis hoc consequens : *Ergo tollitur humana libertas*; rem omnino gratam fecisset Luthero et Calvino, utpote qui illud tanquam rite illatum admiserunt. Sed Concilium damnavit et *Pelagianos*, et rem *Luthero* et *Calvino* gratam sua definitione minime præstitit; ergo nec gratiam a seipsa efficacem dari negavit, nec libertatis ruinam ex illa sequi concessit.

R. 1o. *D.* 1am. *p. M.* Non damnasset *Pelagianos* ob hanc causam, quod negassent illud antecedens. *C.* non damnasset aliam ob causam *N. Pelagianos* æque ac *Semipelagianos* damnatos a Trid. fuisse ob negatam gratiæ interioris necessitatem ad opera salutaria et fidei initium, ex ejusdem Sess. 6. can. 1. 2. et 3. constat. Quamvis vero *hæretici* isti putarent admissa gratia tolli liberum arbitrium, et fatum induci; id tamen non deducebant ex gratiæ *natura* aut *viribus intrinsecis*, sed ex ejus tanquam principii ad salutares actus necessario requisita existentia; uti ex eorum primario fundamento manifestum est : quare falsum est utrumque suppositum hujus partis, quod nempe *Pelagiani* gratiam præcise intrinsece efficacem negaverint, et ideo damnati fuerint; cum potius damnata fuerit 4a. *Jansenii* propositio, quæ asserit, illos in hoc fuisse hæreticos, quod vellent gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

R. 2o. *N. supp. et seq.* 2. *part. M.* 1um. quidem; quia non ideo damnati sunt *Lutherus* et *Calvinus*, quod dixerint gratiam intrinsece efficacem non stare cum libertate, aut hujus ruinam ex illa admissa recte inferri : sed quia volebant voluntatem se *mere passive* habere, moverique a gratia, non qualiter multis seculis traditum et creditum, ut nostræ postea sit electionis monitioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo; quod utrumque can. 4. a Trid. damnatum est.

2um. vero; quia si permittatur Hæreticos hos esse damnatos, quod gratiam *prædeterminantem* admiserint, Concilium vero concesserit, hanc gratiam non stare cum libertate, non sequitur Concilium id concedendo rem fecisse hæriticis gratam; cum priore damnatione radicem consequentiæ, nempe

gratiam *prædeterminantem*, succidisset, et hinc ipsam quoque consequentiam ipsis amatam perdidisset. Cæterum potius theologice contendimus, Trid. anathemate feriens Hæreticorum doctrinam non solum damnasse hoc consequens : *ergo tollitur humana voluntas* ; sed etiam implicite illud antecedens : *datur gratia seipsa infallibiliter efficax et physice prædeterminans* ; eo quod necessaria inter utrumque connexio esse videatur.

Inst. 3. Si gratia non est ab intrinseco efficax, sequitur eamdem esse *versatilem* et subjectam libero arbitrio : sed hoc est absonum ; ergo.

R. *N. Sequelam. Versatile* duntaxat *proprie* dicitur illud, quod ex se non magis propendet ad unam partem, quam ad alteram, potest tamen ab alio agente vel movente in partes contrarias flecti aut inclinari ; qua ratione in *physicis* tritones, seu ventorum indices turribus impositi, in *moralibus* voluntas solent vocari versatiles ; ejusmodi autem non esse gratiam plane est evidens ; tum quia hæc natura sua voluntatem determinate ad *bonum* allicit et movet ; tum quia voluntas sua libertate facere nequit, ut gratia secum ad *actum malum*, vel omissionem concurrat ; quamvis facere possit, ut cum omissione actus boni, ad quem inclinat, et etiam cum actu malo, a quo retrahit, gratia componatur, eo quod necessitatem non inferat : unde multo minus adhuc gratia actualis potest dici *versatilis*, quam supernaturalis habitus.

Deinde etiam distinguendum est inter *gratiam* ipsam et *usum gratiæ* : ipsa gratia sive quoad entitatem, sive quoad existentiam non est *subjecta* libero arbitrio, sed soli Deo, qui illam creat, facit hujus vel illius speciei aut intensionis, dat homini, vel negat : *usus* tamen *gratiæ* potest dici relictus in potestate humana, quatenus de fide est, hominem accepta gratia posse consentire vel dissentire ; quamvis, cum ipse bonus gratiæ usus et consensus non sit a voluntate, nec in potestate ejus, nisi per gratiam elevatæ et adjutæ, nequeat dici libero arbitrio proprie subjectus.

Inst. 4. Sequeretur illam determinari a voluntate, non vero voluntatem ab illa ; ergo.

R. *N.* Falsitas sequelæ constat tum ex dictis, tum ex eo, quod voluntas plane nihil agat in gratiam ; gratia vero, licet sit *indifferens* indifferentia negante connexionem infallibilem cum actu, non tamen sit indifferens indifferentia affirmante inclinationem ad actum malum æque ac bonum, sed potius sit determinata ad agendum bonum, non quidem absolute, sed tantum *conditionate*, si nimirum voluntas cooperetur. Si tamen ulterius quæratur, num gratia, an vero voluntas in actione bona ab utroque hoc principio profecta determinet ?

Observandum est imprimis, hanc quæstionem non versari de *determinatione* proprie tali et *physice causali*, aut afficiente ipsam gratiam vel voluntatem ; sed de prioritate duntaxat *logica*, causalitate formali, attemperatione gratiæ cum voluntate in ipsa operatione : deinde responderi potest, in hac acceptione *voluntatem* posse dici *determinantem*, non vero gratiam ; tum quia voluntas sic cum gratia operatur, ut pro sua libertate antecedenter potuerit non operari : tum quia, ubi effectus idem una indivisibili actione a pluribus causis procedit, ab illa sola dicitur procedere ut determinante, a qua procedit ut *formaliter libere* ipsum afficiente.

Inst. 5. Saltem gratia acciperet suam efficaciam ab extrinseco, maxime

a voluntate vel consensu : sed hoc tum rationi, tum auctoritati repugnat ; ergo.

R. *N*. Nullitas sequelæ ostenditur ex iis, quæ in gratia distinguere oportet. Nam vis seu *virtus effectiva* causaliter est a solo Deo, formaliter ab ipsa gratia, sub nulla vero consideratione a voluntate : *actio* ipsa gratiæ inadæquate sumpta rursus est a sola gratia ; adæquate sumpta est quidem etiam a voluntate, ita tamen, ut nullus influxus in gratiam, sed duntaxat in effectum a gratia simul et voluntate productum intelligatur : *infallibilitas* denique connexionis, quamvis a veritate et futuritione conditionata, et sic etiam a voluntate aliquomodo habeatur, tamen perficitur per purificationem conditionis et positionem auxilii, quæ unice a Deo, nullatenus a voluntate creata dependet. Accedit, quod sensus adversariorum sit, gratiam suas vires et operandi virtutem accipere *ab extrinseco* seu voluntate ; quod falsum omnino esse ostendimus.

Inst. 6. Gratia ex sua entitate est *causa* consensus : sed causa debet ex sua entitate esse efficax ; ergo gratia ex sua entitate debet esse efficax, consequenter ab intrinseco.

R. *D. M.* Gratia ex sua entitate est causa necessaria et infallibilis *N*. contingens et fallibilis *C*. similiter *D. m.* Causa ex sua entitate necessaria debet etiam ex sua entitate esse efficax *C*. Causa contingens et fallibilis *Subd.* debet ex sua entitate esse efficax, h. e. habere vim et virtutem efficiendi *C*. h. e. habere necessariam vel infallibilem connexionem cum effectu *N*.

Inst. 7. Gratia in statu conditionato est efficax *antecedenter* ad scientiam mediam et prædefinitionem, utpote quæ futurum consensum supponunt : Item si eadem gratia, quæ nunc ut substans futuritioni scientiæ ac prædefinitioni dicitur efficax, daretur sine his formis et terminis, nihilominus foret efficax, eliceretque consensum ; ergo debet esse efficax ab intrinseco.

R. *Quoad* 1um. *D. A.* Gratia in statu conditionato antecedenter ad scientiam mediam jam est efficax in actu primo *N*. in actu secundo *T*. Gratia efficax in actu primo est gratia infallibiliter habitura consensum : sed si sumatur in statu conditionato antecedenter ad scientiam mediam ejusque objectum seu futuritionem, nec habet infallibilitatem ex sua *entitate,* utpote quæ est indifferens ; nec ex *complexo* entitatis sive cum scientia media, sive cum scientiæ mediæ objecto, seu futuritione ; utpote ante quod complexum gratia concipitur ; ergo. Est itaque tantum efficax in actu secundo, et quidem mere contingenter et *fallibiliter* : quia proprie non est, sed tantum foret efficax, quia esset consensum voluntatis libere ac contingenter obtentura, si a Deo daretur ; unde et hanc partem transmisimus.

Quoad 2um. *similiter D.* Nihilominus foret efficax in actu primo *N*. in actu secundo *Subd.* efficacia late dicta, materiali et philosophica *C*. speciali, formali et theologica *N*. Ad postremam efficaciam non sufficit, reipsa quomodocumque poni effectum, sed poni a causa, quæ in *actu primo* dicit infallibilem connexionem ad effectum ; sicut ad efficaciam causæ per se non sufficit effectum poni per accidens.

382. *Obj. II.* Forma *discretionis* inter consentientem et dissentientem non potest esse communis ; quia S. Aug. L. de præd. Sanct. c. 5. n. 10. quærit : *Numquid per hæc dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discer-*

nuntur homines ab hominibus? Sed forma discretionis est gratia; et si hæc esset indifferens, foret forma communis; ergo gratia nequit esse indifferens.

R. *D. M.* Forma *discretionis* in actu secundo et formalis non potest esse communis *C.* Forma discretionis in actu primo et causalis seu radicalis *Subd.* non potest esse communis tam intrinsece seu entitative, quam extrinsece seu respective *C.* non potest esse communis saltem intrinsece et entitative *N.* Similiter *D. m.* Gratia est forma discretionis in actu primo et radicalis *C.* in actu secundo et formalis *N.* Item si esset indifferens, foret communis intrinsece et entitative *C.* etiam extrinsece et respective *N.* Ex dictis tum in præsenti, tum in Tr. de Deo, *discretio formalis* et in actu secundo consentientis a dissentiente stat in ipso consensu, seu, ut loquitur S. Aug. l. c. *Fides discernit fidelem ab infideli,* quæ sane non est communis dissentienti et infideli : *causalis* autem et in actu primo stat in gratia, non quidem secundum solam entitatem et intrinsecum sumpta, sed ut substante tribus illis formis vel connotatis.

Unde quamvis gratia sit communis quoad illam, non tamen convenit omnibus secundum hanc acceptionem. Textus S. Aug. non est ad rem, quia eo agit contra *Semipelagianos,* qui per ea dona intelligebant naturam, vel gratias meritis naturalibus debitas; quæ utique vel non discernunt hominem ab homine, vel faciunt, ut homo gloriari possit, quasi non acceperit : quod utrumque repugnare Apostolo S. Doctor ibidem ostendit.

Inst. 1. Si gratia efficax esset entitative indifferens, voluntas foret *causa principalis* consensus, non autem gratia vel Deus; quia, ubi duo concurrunt ad eumdem effectum, hic illi tribuitur præcipue, qui se ipsum et actionem, ac consequenter aliquo modo alium etiam determinat, quod voluntati convenire ex dictis liquet : consequens vero a nemine admittitur; ergo.

R. 1°. *N. M. Ad prob. D.* Effectus præcipue tribuitur determinanti, si determinans habeat ex se vires producendi effectus *C.* si accipiat ex benevolo affectu causæ indifferentis, et potestas ipsa determinandi sit ex suppositione determinationis Dei, volentis sic concurrere, ut libere agat creatura *N.*

R. 2°. *D. M.* Voluntas foret causa principalis productiva consensus *N.* solum electiva *T.* Gratiam nihilominus esse causam principalem productivam salutaris consensus, tametsi voluntas dicatur esse causa primaria in ratione *principii electivi,* patet tum ex eo, quod voluntas ad actum salutarem solum concurrat ut principium elevatum, gratia autem ut elevans : tum ex hoc, quod actus salutaris, utpote supernaturalis, simpliciter excedat proprias voluntatis vires.

Præterea vero transmissum duntaxat est, voluntatem esse *principalem causam electivam;* quia licet voluntas supposita collatione gratiæ seipsam determinet ad consensum, tamen, cum Deus non solum conferat gratiam et per eam vires agendi, sed etiam dependenter a scientia media infallibiliter prædefiniat creaturæ consensum, Deus in *linea morali* etiam causa principalis electiva dici potest.

Inst. 2. Gratia efficax nequit esse *æqualis* gratiæ sufficienti quoad entitatem et congruitatem desumptam a circumstantiis loci, temporis, subjecti et modi movendi; quia hæ gratiæ utpote solo numero differentes vel non possent discerni, ita ut una anteponatur alteri, vel si una etiam ab altera discer-

neretur, nulla posset esse voluntati ratio sufficiens, unam præponendi alteri ; ergo nec potest esse *entitative indifferens,* vel saltem non est talis indifferentiæ, qualis est sufficiens.

R. 1°. *Ad prob.* 1am. *N. Ass.* Quia negamus tantum inæqualitatem auxiliorum in ordine ad congruitatem, non vero in ordine ad circumstantias simpliciter individuantes. Similiter *N. prob.* 2am. ejusque *Supp.* Voluntas non solum est libera ad eligendum inter inæqualia, sed etiam *inter æqualia;* imo in hoc maxime consistit dominium voluntatis, et libertatis ratio : alioquin voluntas semper etiam quoad exercitium actus determinanda esset vel ab intellectu, vel ab objecto. Ut autem voluntas tunc eligat, sufficiens ratio est, quod in uno medio vel objecto inveniatur motivum sufficiens, ut appetatur; in altero autem nihil sit, quod necessitet ad ejus electionem : hoc enim posito, quamvis idem reperiatur in altero objecto vel medio, non est necessarium speciale motivum, sed sufficit *sola libertas,* ut unum assumatur, et alterum relinquatur ; sicut eadem libertas sufficit sine novi motivi accessione, ut quod objectum vel medium in priori instanti fuit assumptum, in subsequenti relinquatur.

R. 2°. *N. Cons.* Quia nec illi, qui ad gratiam efficacem congruitatem *attemperationis* exigunt, in ejus entitate certitudinem auxilii physicam aut infallibilitatem connexionis cum consensu reponunt.

383. *Obj. III.* Gratia est efficax *pro priori* ad consensum conditionate futurum; tum quia vera est hæc propositio : *Ideo gratia obtinebit consensum, quia est efficax;* illa autem est falsa : *Ideo est efficax, quia obtinebit consensum :* tum quia consensus est effectus gratiæ efficacis qua efficacis; ergo.

R. *Ad prob.* 1am. Si sermo sit de gratia *ante veritatem conditionatam* concepta, neutra propositio est vera; quia in hoc statu nec verum est dicere : gratia obtinebit consensum; nec : gratia est efficax seu infallibiliter obtentura consensum ; adeoque neutra causalis locum habet. Si autem sermo sit de gratia *supponente veritatem conditionatam,* utraque propositio est vera in sensu formali; unde et S. Thom. Lect. 6. in cap. 8. ep. ad Rom., ait : *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia hujusmodi vocationi consentiunt.*

Ad prob. 2am. R. *D.* Consensus ut actualiter positus et executioni datus, est effectus gratiæ efficacis qua efficacis *C.* Consensus ut objective prævisus *N.* sic enim non est, sed esset effectus. Porro *disparitas* est, quod consensus in statu existentiæ et *absoluto* fiat a gratia ut jam prævisa habitura effectum et cum eo connexa, adeoque habente omnem efficaciæ rationem : in statu autem *conditionato,* nec prævidetur futurus a gratia ex se cum effectu connexa, quia hæc alioqui esset necessaria et a voluntate impediri nequiret; nec a gratia per aliam scientiam vel futuritionem jam adepta hujusmodi connexionem, ut supponere oportet : adeoque gratia in hoc statu rationes ad efficaciam *theologicam* requisitas non habet, nec ab ea ut efficaci futurus consensus prævideri potest.

Inst. 1. Ad efficaciam gratiæ habendam nequit prærequiri *futuritio conditionata;* tum quia alias Deus pro collatione gratiæ exspectaret liberi arbitrii determinationem; quod a Concilio Araus. II. can. 4. est damnatum : tum quia initium salutis foret ex nobis ; quod rursus damnatum est Sess. 6.

c. 5. in Trid. : tum quia prima gratia conferretur propter merita conditionate prævisa; quod iterum Ecclesia damnavit in *Semipelagianis;* ergo.

R. *D. A.* Ad efficaciam gratiæ quoad vim operandi nequit prærequiri futuritio conditionata *C.* quoad infallibilitatem connexionis *Subd.* nequit prærequiri futuritio conditionata prioritate logica et subsistendi consequentia *N.* prioritate physica et causali *C.*

Ad prob. 1am. *D. seq.* Deus exspectaret determinationem liberi arbitrii ex propria et naturali virtute agentis *N.* agentis per vires gratiæ *Subd.* exspectaret proprie ac physice cum suspensione actionis *N.* improprie ac logice, quatenus Deus non ante prævisionem scientiæ mediæ decernit dare gratiam *C.* Sicut in errore quinto *Semipelagianorum* ostensum est, sententiam nostram non convenire cum erroneo dogmate horum Hæreticorum; sic Arausicani Concilii definitio illos oppugnans contra nos hic proferri nequit. Quamvis vero improprius modus loquendi sit, cum dicitur Deus *exspectare* nostram determinationem; tamen nostro sensu eumdem tum a Scriptura, tum a SS. Patribus esse usurpatum, constat ex Isa. 5. v. 4. et 7., item cap. 30. v. 18. et S. Hier. in laudatos textus, ac Prosp. L. 2. de vocat. gent. c. 8. supra relatis.

Ad prob. 2am. *N. seq.* Tum quia consensus etiam *conditionate futurus* dependet a gratia per modum conditionis importata : tum quia is nulla ratione est causa vel physica, vel moralis, ut conferatur gratia ; sed unica Dei voluntas libera; quæ proinde est radix et initium nostræ salutis.

Ad prob. 3am. Rursus *N. seq.* cujus ratio patet tum ex proxime dictis, tum ex eo quod, sicut in illo priori dantur *merita* conditionate, sic etiam dantur *demerita;* adeoque neutrum præ alio habere queat rationem movendi Deum, sed sint duntaxat objectum scientiæ Dei, secundum quod libere et infallibiliter eligi queat.

Inst. 2. Si efficacia gratiæ haberetur a consensu conditionate futuro, sequeretur 1., dari *mutuam causalitatem;* quia consensus foret causa efficaciæ, et efficacia est causa consensus : 2. *Discretionem* etiam *radicalem* non fieri a solo Deo, sed simul a nobis : 3. Deum per gratiam non facere hominem *ex nolente volentem,* sed solum ex conditionate volente absolute volentem : hæc omnia vel absurda, vel etiam erronea sunt ; ergo.

R. *Quoad* 1um. *D. seq.* Foret mutua causalitas in eodem causandi genere et respectu ejusdem *N.* secus *C.* Nam imprimis consensus *conditionatus* est causa efficaciæ, efficacia autem est causa consensus *absoluti :* deinde consensus est causa duntaxat resultantiæ et *objectiva,* efficacia autem causa producti et *effectiva :* deinde consensus est causa efficaciæ quoad *infallibilitatem,* efficacia autem secundum *vim operativam* proprie est causa consensus.

Quoad 2um. *et* 3um. *N. seq.* Ratio *prioris* est; tum quia, sicut in statu conditionato nulla est discretio, utpote ubi quilibet prævidetur multa et *mala* et *bona* facturus sub aliqua conditione; sic et a consensu tantum conditionato non potest dici discretio esse ex nobis : tum quia discretio proprie juxta S. Aug. fit a conferente gratiam : *Ille* enim *discernit, qui, unde discernaris, impertit :* collatio autem gratiæ fit et dependet a solo Deo, non ab homine. Ratio *posterioris* est; quia Deus quidem, prout confert auxilium A, cui prævidet hominem consensurum, facit ex conditionate volente absolute

volentem; sed prout confert auxilium idem præ auxilio B, cui videt hominem dissensurum, facit ex nolente volentem. Præterea alio etiam modo, scilicet quatenus dat homini gratiam *efficacem*, qui sibi relictus nollet operari, aut quatenus homini gratiis remissioribus alias resistenti dat gratiam *uberiorem*, ex nolente facere volentem intelligitur.

Inst. 3. Ante scientiam mediam jam est bonus gratiæ usus; tum quia scientia media est *speculativa*, et supponit suum objectum : tum quia enuntiat consensum esse futurum sub conditione gratiæ efficacis, et non sub conditione sui ipsius; ergo scientia media nihil confert ad gratiæ efficaciam.

R. *D. A.* Jam ante scientiam mediam est usus bonus gratiæ absolutus *N.* conditionatus *Subd.* est sub aliqua formalitate, scilicet connexionis determinatæ et objectivæ infallibilis *T.* sub omni formalitate, infallibilitatis formalis tum cognoscitivæ, tum affectivæ *N.* Dixi : *Transeat*; quia infallibilitas objectiva perficitur purificatione conditionis.

Ad prob. 1am. *D.* Scientia media est speculativa respectu consensus conditionati *C.* respectu consensus absoluti *N.* Hujus enim respectu potest dici *practica* non quidem effective, sed tamen *directive*; quatenus ratione hujus scientiæ Deus est proxime potens certissime ac provide obtinere liberum hominis consensum, si illum obtinere velit.

Ad prob. 2am. *N.* 1am. *p. Ass.* Ratio est, quia gratia efficax est, quæ per scientiam mediam prævidetur habitura effectum : sed scientia enuntians consensum esse futurum sub conditione, si Deus daret gratiam, quæ per scientiam mediam prævidetur habitura effectum, non est scientia media, sed scientia necessaria seu *simplicis intelligentiæ*; ergo et scientia enuntians consensum esse futurum sub conditione gratiæ efficacis non erit scientia media, sed necessaria.

Itaque *scientia media* solum enuntiat consensum esse futurum sub conditione gratiæ in actu primo proximæ et sufficientis hoc modo : si homini tali tempore, occasione et loco daretur auxilium A, homo illi consentiret. Porro hoc scientia media non enuntiat esse futurum infallibiliter, sed infallibiliter enuntiat esse futurum contingenter : unde scientia non habet *infallibilitatem* propter necessariam et intrinsecam connexionem gratiæ cum consensu; sed propter infinitam intellectus divini perfectionem, qui sicut ex sua essentia est determinatus ad cognoscendum omne futurum seu absolutum seu conditionatum, ita pariter est determinatus ad illud cognoscendum cognitione certissima, cui falsum subesse nequit.

Inst. 4. Bonus usus gratiæ *conditionatus* non pendet a scientia media; ergo nec *absolutus*, quia uterque dependet ab iisdem principiis. Item inefficacia gratiæ non pendet a scientia media de *dissensu*; ergo nec efficacia gratiæ dependet a scientia media de *consensu*.

R. *Quoad* 1um. *D.* Uterque pendet ab iisdem principiis per accidens tantum ad operationem requisitis *N.* per se requisitis *Subd.* eodem etiam modo extrinsece affectis *N.* diverso affectis modo *C.* Principia consensus salutaris tum conditionati, tum absoluti *per se* requisita, sunt gratia et voluntas; quæ in statu absoluto substant triplici illi formæ, vel ad tres illos terminos respectum dicunt, in statu autem conditionato illis carent : eædem formæ etiam possunt dici principia consensus, sed *per accidens* tantum requisita; quia vel sine illis operatio simpliciter haberi potest, vel pertinet potius ad rationem

medii providentiæ et beneficii divini in operatione explicandam, quam ad ipsius effectus positionem.

R. *Quoad* 2um. *N. A.* Quia gratiæ *inefficacia* quoad infallibilitatem etiam habetur a futuritione conditionata dissensus, et scientia media de dissensu, et gratia prout his formis substans est in actu primo inefficax. *Disparitas* tamen inter efficacem et inefficacem est, quod gratia non inducat aut concurrat ad *dissensum,* nec Deus intendat aut prædefiniat eumdem, adeoque ut substans scientiæ mediæ nequeat proprie dici medium ad dissensum.

Inst. 5. Deus independenter a scientia media per solam *simplicem intelligentiam* videt consensum liberum hominis sub auxilio A indifferenti esse possibilem ; ergo hoc ipso est proxime potens ad impetrandum infallibiliter consensum hominis per istud auxilium ; tum quia Deus efficaciter potest decernere existentiam cujuslibet objecti, quod possibile per scientiam *simplicis intelligentiæ* cognoscit : tum quia alias pro eo signo, pro quo consensus liber est possibilis creaturæ, idem consensus non esset possibilis Deo.

R. *D. A.* Deus independenter a scientia media per solam *simplicem intelligentiam* videt consensum liberum esse possibilem remote, et prout ejus possibilitas præcise dependet ab omnipotentia *C.* videt illum possibilem proxime, et prout possibilitas dependet a voluntate divina potente illum proxime et infallibiliter producere *N. A.* et *Cons.*

Ad hujus prob. 1am. *D.* Deus, cognita per scientiam simplicis intelligentiæ possibilitate, potest efficaciter decernere existentiam cujuslibet objecti a sua solius libertate dependentis, quale est v. g. mundus *C.* objecti simul a libertate creata dependentis, qualis est liber hominis consensus *N. Disparitas* est, quia in posteriori casu vel decretum Dei sine prævia scientia media esset frustrabile, vel actus creaturæ non foret liber.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* ; quia in illo signo scientiæ simplicis intelligentiæ iste actus est creaturæ etiam solum *remote,* imo remotius, quam Deo possibilis.

384. *Obj. IV.* Sine *prædefinitione* habetur in gratia efficaci ratio specialis beneficii ; ergo prædefinitio nec debet, nec potest statui forma vel terminus gratiæ efficacis. *Prob.* Ad rationem *specialis beneficii* sufficit, quod Deus prævideat gratiam habituram effectum et illam tribuat, licet ipsam efficaciam non intendat ; tum quia gratia efficax *naturæ integræ* erat speciale beneficium, quamvis daretur sine hac intentione : tum quia, ut quis specialem alteri injuriam inferat, sufficit, quod ponat actionem, ex qua prævidet secuturum damnum, licet illud non intendat.

R. *N. Ass.* Ex dictis enim nequidem esset beneficium formale, multo minus specialiter formale.

Ad rat. 1am. *D.* Gratia efficax naturæ integræ erat speciale beneficium, sumendo speciale pro materialiter et quoad effectum majore *C.* sumendo pro formaliter et quoad affectum ac benevolentiam majore *N.*

Ad rat. 2am. R. 1°. *N. Ass.* Quia si quis ad ponendam actionem, ex qua sequitur alterius damnum, quod alter impedire potest, habeat jus, non infert alteri injuriam, nisi hanc intendat.

R. 2°. *N. parit.* Quia *injuria* pertinet ad malum, quod habetur ex quolibet defectu, et ad quod sufficit cognitio et voluntarium quodcumque etiam

negativum, indirectum vel in causa : beneficium vero est in ordine *boni*, quod non est nisi ex integra causa, et debet non tantum cognosci, sed et positive intendi, ut denominationem boni moralis nanciscatur.

Inst. 1. *Prædefinitio* divina nihil speciale ponit ex parte actus primi proximi prævisi efficacis, quod non ponat permissio peccati ex parte illius actus prævisi inefficacis ; ergo sicut ex illa permissione non habetur in gratia inefficaci singulare maleficium, sic ex prædefinitione non habetur speciale beneficium.

R. *D. A.* Prædefinitio nihil speciale intrinsecum et entitativum ponit ex parte actus primi proximi, quod non ponat permissio peccati *T.* nihil speciale extrinsecum et denominativum *N.* Gratia efficax respicit singularem affectum misericordiæ divinæ ac intentionem consensus, inefficax autem illa non respicit. Dixi : *Transeat* ; quia prædefinitio consensus sæpe ponit gratiam etiam entitative majorem et intensiorem, quamvis adhuc indifferentem ac repudiabilem.

Inst. 2. Prædefinitio est voluntas Dei absoluta et efficax : sed absoluta et efficax Dei voluntas tollit *libertatem* actus prædefiniti ; tum quia hæc voluntas Dei est infrustrabilis : tum quia ille, cujus actus est prædefinitus, non potest non consentire; ergo.

R. *D. M.* Prædefinitio independens a scientia media est voluntas Dei absoluta et efficax *C.* Prædefinitio a scientia media dependens *subd.* est voluntas Dei absoluta nullam includens conditionem creaturæ liberam, et efficax mere ab intrinseco *N.* est voluntas absoluta implicite saltem dicens conditionem creaturæ liberam, et efficax ab extrinseco, scilicet a cooperatione creaturæ libera *C.* Similiter *D. m.* voluntas Dei penitus absoluta et mere ab intrinseco efficax tollit libertatem *C.* voluntas Dei simpliciter quidem absoluta, secundum quid tamen conditionata et efficax dependenter a cooperatione creaturæ conditionata. *N.*

Ad ejus rat. 1am. *D.* Voluntas Dei penitus absoluta et mere ab intrinseco efficax est infrustrabilis *C.* simpliciter absoluta et ab extrinseco efficax *subd.* est infrustrabilis, sed tamen indirecte impedibilis *C.* est tum infrustrabilis, tum nequidem indirecte impedibilis *N.* Scientia quidem media, si datur, nequit falsificari, et prædefinitio posita frustrari seu carere effectu nequit; utraque tamen *impediri* potest, ne ponantur : si enim homo non esset consensurus, nec scientia media, nec prædefinitio de consensu fuisset ab æterno.

Ad rat. 2am. *D.* Ille, cujus actus est prædefinitus, non potest dissentire antecedenter *N.* consequenter *subd.* non potest dissentire simultate potentiæ, ita ut non habeat veram potentiam dissentiendi stante etiam prædefinitione consensus *N.* potentia simultatis, ita ut non habeat potentiam conjungendi dissensum cum existentia prædefinitionis de consensu. *C.* Homo ejusmodi habet actum primum proximum indifferentem ad consentiendum vel dissentiendum, et posset simpliciter dissentire; certo tamen non dissentiet : et si esset dissensurus, neque scientia media, neque prædefinitio de consensu existerent.

Inst. 3. *Præmotio physica* tollit libertatem; ergo et prædefinitio.

R. *N. Cons.* Multiplex ex alibi jam dictis est disparitas. Nam 1°. *præmotio physica* se teneret ex parte creaturæ; esset principium per se requisitum et proxime influens in consensum; non relinqueret principia alia, quæ una

influunt, *indifferentia* : e contra prædefinitio a scientia media dependens se tenet solum ex parte Dei ; est principium per accidens duntaxat requisitum et remotum ; relinquit reliqua principia non minus, ac actum primum proximum, indifferentia. 2°. *Præmotio* habet *infallibilitatem intrinsecam* et in ipsa virtute causandi fundatam : prædefinitio autem solum extrinsecam et fundatam in consensu libero conditionate futuro. 3°. Denique tum decretum prædeterminans, tum præmotio esset a creatura *inimpedibilis* : prædefinitio nostra potest saltem indirecte a creatura impediri.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SIT HISTORIA CONTROVERSIÆ DE GRATIÆ AUXILIIS SUPERIORIBUS SECULIS INTER CATHOLICOS AGITATÆ ?

385. *Nota*. Præter Acta *Lemosii, Pegnæ, Coronelli* aliorumque in Congregationibus de gratiæ auxiliis, variæ narrationes tum a Patronis gratiæ per se efficacis, tum a Nostris aliisque editæ priori jam seculo extabant. Anno ejusdem seculi postremo tandem prodiit justum volumen, complexum Historiæ congregationum de auxiliis gratiæ divinæ sub summis Pontificibus Clemente VIII. et Paulo V. Libros quatuor, auctore Augustino *Le Blanc* SS. Theol. Doctore : oppositi huic sunt an. 1705. Historiæ controversiarum de divinæ gratiæ auxiliis sub Sixto V., Clemente VIII. et Paulo V. Libri sex, auctore Theodoro *Eleutherio* Theologo.

Recusa subin fuit historia prior, aucta libro quinto superiorum quatuor apologetico, auctorque, quem jam ante Eleutherius detectum vulgaverat, inscriptus est Fr. Jacobus Hyacinthus *Serry* Ord. Prædicatorum : eidem reddidit vices, vindicato ab objectionibus opere, quod sub Eleutherii schemate prius emiserat, aperta jam fronte P. Livinus *de Meyer* Soc. Jesu. Ex alterutro postmodum concinnarunt hujus historiæ compendia Theologi plerique inter quos nonnulli non tam veritatis amore, quam partium, quas circa gratiæ efficaciam sectantur, studio, Historicum alteri alterum prætulerunt.

Cujus quidem vitii suspicio ne relationi nostræ aspergi queat, visum est aliena opera uti, et adoptare epitomen Auctoris, qui præter reliquas judicis vel arbitri dotes animum neutri addictum parti professus est, quæ alios circa materiam de scientia Dei et gratiæ auxiliis in sectas dividere solet. Hujusmodi autem omnino est Honoratus *Tournely* Doctor Sorbonicus; cujus proinde historicam epitomen ex Prælectionibus Theologicis contractis fideliter descriptam, exceptis quibusdam erroribus forte typographicis, damus.

§ I.

De Occasione Congregationum.

386. Vix instituta erat Societas Jesu, jamque e vivis defuncto sanctissimo fundatore, sparsis per Europam illius membris, et primas in Universitatibus cathedras occupantibus, conquesti sunt plerique PP. Dominicani, novam

eos, eamque a Pelagianismo non satis recedentem edocere doctrinam : nec minus de Dominicanis conquerebantur Societatis Patres, quod suo præsertim circa prædeterminationem systemate Calvini defensoribus faverent. Talis atque tantus fuit rumor ille, ut summi Pontificis auctoritas in medium vocata accusationum veritatem dignoscere dedignata non fuerit : quomodo autem ad suum tribunal causam reservare fuerit adducta, nunc venit exponendum.

387. I. Anno 1581. Prudentius de Monte Major publicis apud Salmanticenses Thesibus doctrinam de scientia media propugnavit. Ipsi præluserant, teste Gabriele de Henao Libr. de scientia media historice propugnata, Fonseca apud Conimbricenses, Molina Eboræ, Henricus Henriquez Cordubæ, Deza in Complutensi Academia, Didacus Paez et Michael Marco in urbe Salmanticensi. Verum his omnibus famosior Prudentius. Contra illius Theses disputavit celebris ex Ordine Prædicatorum Dominicus Bannez in eadem Universitate Salmanticensi primariæ cathedræ moderator; qui et a disputatione egressus sexdecim propositiones Inquisitionis sanctæ tribunali, suo et amicorum quorumdam nomine denuntiavit. Has S. Officii Commissarius damnavit, inquisito prius censorio Doctorum Salmanticensium judicio ; sed illas *Prudentio de Monte Major* non tribuit Inquisitor, et ipse Prudentius eas velut sibi proprias nusquam agnovit, nec illas tanquam doctrinæ a se assertæ consectarias fassus est. Atque hæc fuere initia celeberrimorum dissidiorum, quæ in Hispania Prædicatorum Ordinem cum Societate commiserunt.

388. II. Fervebat adhuc in Salmanticensi Academia disputationis æstus, cum Lessius et Hamelius apud Belgas eamdem, ac Prudentius, doctrinam propugnarunt annis 1586. et 1587. Iis obstiterunt Academiæ Lovaniensis ac Duacensis, ducibus hic Estio, ibi Baio; atque quatuor supra triginta propositiones damnarunt : hic dissidiorum origo in Belgiis. Orta isthæc dissidia auctoritate sua compescuit Sixtus V. summus Pontifex, dato die 15. Aprilis an. 1588. Brevi ad suum in Belgio Nuntium Apostolicum, quo totius controversiæ cognitionem summo reservavit Pontifici. Utriusque porro dictæ Academiæ censuram a sancta Sede fuisse approbatam anno 1679. contendunt nonnulli; reclamant cæteri.

Negans sententia nobis videtur probabilior : etenim, ut alia prætermittam, ex quibusdam excerptis Registrorum S. Officii constat, die 10 Decembr. an. 1679. prohibuisse sacram Congregationem Oratoribus Lovaniensibus, ne censuram prædictam typis mandarent, et lata prohibitione subditur : *Significet autem Oratoribus, quod nec Sanctitas sua, nec sacra Congregatio unquam approbavit dictam censuram, seu ejus justificationem in materia gratiæ.* Nihil certe disertius.

389. III. *Molina,* primarius in Eborensi Academia Theologiæ Professor, suum celebre opus *de Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis,* etc. edidit. Commentarium est in nonnullos primæ partis divi Thomæ Articulos, de divina scilicet præscientia, prædestinatione et reprobatione. Huic efformando jam a triginta annis incubuerat Molina. Vix lucem videbat Opus, a Bartholomæo Ferreira Dominicano approbatum, et statim varios expertum est

hostes, præsertim Bannezium : ast re in sanctæ Inquisitionis tribunali contradictorie expensa illæsum remansit, ejusque promulgatio concessa an. 1588.

390. IV. Istud Molinæ opus e Lusitania ad Hispanos delatum, faventibus supremis Castellæ et Arragoniæ Conciliis, typis mandatum fuit, approbantibus Hispanis duobus Theologis : hic denuo suscitatæ in Hispaniis Dominicanorum querelæ. Æstuantibus interim hinc et inde animis ac vehementi suscitatis ardore, an. 1594. in urbe Vallisoletana Antonius Padilla e Societate Jesu, Thesibus publicis Molinæ, ab urbis hujus Dominicanis læsi, patrocinium suscepit : insurrexere in illum Dominicani tum viva voce, tum Thesibus publice propositis ; et eo usque prorupit altercatio, ut propositiones e Molina excerptæ a Dominicanis, et e Bannezio a Societatis Patribus sanctæ Inquisitionis Hispanicæ tribunali denuntiatæ fuerint.

391. V. De his motibus a supremo Inquisitore certior factus S. Pontifex Clemens VIII. necdum lato Inquisitionis judicio, ut crescentibus in dies per totam Hispaniam dissidiis occurreret, totius causæ cognitionem sibi reservavit eodem an. 1594. : imperato primum utrique parti silentio ; posthac permissa disputatione, prohibitis tamen acrioribus notis ac censuris : tandem postulatis acceptisque utriusque partis momentis, Consultoribusque designatis celebres præcepit inchoari congregationes *de Auxiliis*.

§. II.

De ipsis Congregationibus.

392. An. 1590. Supremum diem obierat summus Pontifex Sixtus V. Ejus successoribus Urbano VII., Gregorio XIV. et Innocentio IX. citius fato functis, ad sanctam Sedem evectus est an. 1592. Clemens VIII. Is est, cujus jussu habitæ sunt celebres Congregationes, quæ *de Auxiliis* dictæ sunt, quia in illis exagitata potissimum fuit quæstio de auxilio divinæ gratiæ. Celeberrima isthæc congregatio integris novem annis et octo mensibus perduravit : a die scilicet 2. Januarii an. 1598. ad 28. Augusti an. 1607., atque claritatis gratia in quinque epochas distribui potest.

Epocha 1ª. a 2. Jan. an. 1598. extenditur ad 22. Febr. an. 1599. sequentis : congregationibus undecim (*intra* 2. *menses et* 11. *dies absolutis*) tractata est causa : demum Censorum judicia lata sunt scripto de prohibendo omnino Molinæ libro. Soli his congregationibus adfuerunt octo Consultores a Pontifice designati, quibus præerant Cardinales Ludovicus Madrutius et Pompeius Arrigonius. Interim advenientibus Hispanis e Societate Patribus, de tali censura querelæ motæ sunt : hinc jubente summo Pontifice novæ congregationes celebratæ.

Epocha 2ª. a 22. Feb. an 1599. ad diem 20. Aprilis an. 1600. octo collationibus peracta est, præside adhuc Madrutio, cui adjuncti sunt post secundam congregationem Card. Bernerius Ord. Præd. et Bellarminus e Soc. In his congregationibus disputarunt Jesuitæ cum Dominicanis : ex parte *Dominicanorum* adfuerunt Didacus Alvarez et Michael a Ripa : ex parte vero Patrum *Societatis* Michael Vasquez et Petrus Arrubal. Inter hæc moritur Card. Madrutius 20. April. an. 1600. ; sicque abrumpuntur institutæ collationes,

Epocha 3ª. complectitur congregationes a die 27. Aprilis an. 1600. ad 20. Martii an. 1602., quarum septuaginta septem habitæ sunt. Primis præfuit Propertius Resta, sed post vigesimam quartam morbo, atque paulo post morte correptus; cæteris præfuit Julius Sanctutius de Monte Filatrano, et ipse quoque Episcopus et Consultor. Dictam in viginti Molinæ propositiones *censuram* probarunt adhuc Consultores : huicque subscripserunt 29. Novembr. an. 1601., eamque die 5. Decembris summo Pontifici obtulerunt. Censuram hanc agentibus Societatis Patribus non admisit summus Pontifex, remque totam se ipso præsente agitari et discuti voluit, auditis utriusque partis Theologis, ut scilicet causa sic contradictorie discussa, pronuntiandæ juridice sententiæ viam sibi pararet.

Epocha 4ª. Celeberrima est isthæc epocha : a die 28. Martii an. 1602. ad 22. Januarii an. 1605., sexaginta octo congregationibus integra Molinæ causa retractata fuit. His præfuit ipse Papa Clemens VIII., cui adstiterunt semper duo Cardinales supremi Inquisitores, Camillus Borghesius, qui postea ad Petri cathedram sublimatus fuit sub Pauli V. nomine, et Pompeius Arrigonius : sextæ et sequentibus congregationibus interfuere insuper Cardinales Asculamus, Pinellus, Sfondratus, de Avila. Hæc erat tota congregatio S. Officii, uno excepto Cardin. Bellarmino, qui jam antea Capuam secesserat, cui Diœcesi a S. Pontifice præfectus fuerat.

Ad quinquagesimam quintam vocati sunt præterea Cardinales de Givry, Taberna, de Monopoli ; ad sexagesimam septimam Card. du Perron ; ad postremam Cardinales Aldobrandinus, Bellarminus, Blanchettus. Adfuerunt *Censores* Episcopi quinque, Lombardus Archiep. Armachanus, Lælius Suessanus, Julius Sanctutius, Hippolytus Masserius, Basilius Pignatellus : *Consultores* Theologi novem, duo Doctores Sorbonici, duo ex Ordine S. Augustini, duo ex Ordine S. Francisci, unus ex Ordine S. Benedicti, unus Carmelita, et Procurator generalis Capucinorum, postea S. R. Ecclesiæ Cardinalis. Ex parte *Prædicatorum* interfuere Hieronymus Xavieres Magister Generalis Ordinis, Didacus Alvarez et Thomas de Lemos : ex parte vero *Societatis* Claudius Aquaviva Præpositus Generalis; successive autem disputarunt Gregorius de Valentia, Petrus Arrubal, Ferdinandus Bastida, Joannes de Salas.

Quinquaginta octo primis congregationibus varia doctrinæ Molinæ capita discussa sunt : in decem postremis agitata fuit celeberrima de scientia media disputatio. Inter hæc moritur Clemens VIII. die 4. Martii an. 1605. Eligitur Leo XI., cui paulo post fatis functo successit 16. Maii ejusdem anni Paulus V., sub quo resumptæ sunt Congregationes.

Epocha 5ª. Ultima hæc epocha includit congregationes sub Paulo V. celebratas. Septemdecim omnino numerantur : prima ex illis habita fuit die 14. Septembris an. 1705., et omnium ultima die 1. Martii anni sequentis. In iis data opera et ex professo agitata est controversia de gratia ex sese efficaci et physice prædeterminante. Atque ex his patet, præter tot congressus et collationes, quibus per quatuor et amplius annos absente summo Pontifice ventilatæ sunt arduæ ac difficiles de gratiæ auxiliis quæstiones, octoginta quinque insuper coram Clemente VIII. et Paulo V. solemnes ac publicas de eodem argumento habitas fuisse congregationes. Quis autem fuerit omnium illarum disputationum finis, jam dicendum.

§ III.

De Congregationum exitu.

393. Absolutis disputationibus singula Consultorum vota sigillo munita sibi soli communicari voluit Paulus V., eaque ipso jubente sæpius incudi reddita : tandem ad finem Julii anni sequentis 1607. Cardinalibus, qui Congregationibus interfuerant, exhibita sunt, de iis postmodum constituto tempore judicium laturis. Subinde Pontifex eosdem Cardinales die 28. Augusti ejusdem anni convocavit, et inquisivit, num expediret, ultimum præsenti controversiæ finem imponere. Quæ fuerit opinantium sententia, quidve conclusum fuerit a Pontifice et Cardinalibus, servato inviolabilis silentii secreto, manet adhuc ignotum, nec ullis monumentis certo resciri potest.

Utut sit, Paulus V. vocatis post diem tertium Præpositis utriusque Ordinis litem omnem dato fiduciario Rescripto in suspenso posuit, ut advertit Augustinus Le Blanc L. 4. c. 18. Eo in Rescripto S. Pontifex 1°. utrique parti permisit propriam defendere utrinque ac propugnare sententiam : 2°. prohibuit, ne quis partem suæ oppositam censura quapiam notaret, nec sibi invicem odiosa affingerent nomina : 3°. ab eodem Pontifice cautum paulo post, ne circa hanc materiam ullus typis mandaretur liber absque sanctæ Sedis licentia. Et hic fuit Congregationum *de Auxiliis* exitus.

394. *Quæres I* : An finitis disputationibus sancitum fuerit *Apostolicum judicium,* atque lata in Molinæ doctrinam censura?

Affirmant nonnulli cum historico *Le Blanc* cit. L. 4. c. 15. Contendunt illi Paulum V. majoris partis Cardinalium suffragia secutum, delineandæ Bullæ Pontificiæ curam Consultoribus commisisse, quam illi diligenti studio elaboratam summo Pontifici obtulerint : sicque instructum esse sancitumque apostolicæ Sedis judicium, atque paratam dogmatum Molinæ censuram; eique solam deesse promulgationem, quam distulit S. Pontifex, aliis permotus rationibus. Negant alii cum Theod. *Eleutherio* L. 6. c. 23. Volunt isti Bullam Pauli V. ab Historico jactatam omnino commentitiam esse, nullamque a sancta Sede efformatam fuisse censuram; sed solum in ultima Cardinalium congregatione inquisivisse S. Pontificem, num oporteret tantam ultimo judicio dirimere litem. Quod quidem probant

1°. Quia Alvarez, Gonzalez, Nazarius, aliique Jesuitarum æmuli, qui post finitas proxime congregationes scripserunt, quique minutissima recensent, quæ in suæ doctrinæ commendationem utcumque conducere existimabant, de prædicta Bulla prorsus silent; non nisi elapsis quadraginta et amplius annis de ea mentio habita est, cum scilicet Paulus V., ascitique in congregationem *de Auxiliis* Cardinales et Consultores omnes e vivis excessissent. Hinc certe non leve exsurgit suppositionis præjudicium.

2°. Innocentius X. solemni decreto ann. 1654. pronunciat, *autographo assertæ Constitutionis Pauli V. aliisque assertis actis Francisci Pegnæ, Fr. Thomæ de Lemos etc.,* quibus prædictæ Bullæ historia superstruitur, *nullam esse omnino fidem adhibendam* ; ergo.

3°. Esto, sancitum fuerit Pontificium diploma : ast qua tandem ratione

extundi poterit, inquit Eleutherius, potius *Jesuitis*, quam *Dominicanis* fuisse adversum? Equidem præjudicium erat contra Molinam Consultorum suffragium : verum præterquam quod de studio partium sæpius accusati fuerant Consultores in libellis supplicibus Clementi VIII. et Paulo V. oblatis : 1. omnino concors non fuit eorum suffragium ; 2. sæpe a Pontificibus ad incudem remissum, sæpe et notabiliter variatum ; semper cum quadam præpropera festinatione latum ; 3. favebant Jesuitis contra Dominicanos, ipso non diffitente Augustino Le Blanc, plerarumque Academiarum Hispaniæ, Italiæ, Germaniæ, etc. sancita, ac Sacræ Congregationi submissa judicia. Porro ex hypothesi, quod judicium tulerit summus Pontifex ; quis certo affirmare ausit, ipsum hæcce Consultorum suffragia tot celeberrimarum Academiarum judicio prætulisse?

395. *Quæres II.* In quam partem Consultores, Cardinales, et summi Pontifices inclinarint ; *Dominicanis*, an *Jesuitis* faverint?

R. 1°. In toto congregationum decursu Consultores ferme omnes in censuram constanter propensos fuisse : unde de illis multum et pluries conquesti sunt Societatis Patres in memorialibus et libellis supplicibus S. Pontifici oblatis. Hoc certum, in eoque consentiunt Historici *Le Blanc* et *Eleutherius*.

R. 2°. Cardinales Perronium et Bellarminum constanter favisse Jesuitis; id certum, nec diffitetur *Le Blanc* : ast cæteros ipsis fuisse adversos contendit idem Historicus ; quod negat *Eleutherius*, ac observat, quid in ultima Cardinalium cum Pontifice congregatione decretorie pronuntiatum fuerit, servato inviolabilis silentii secreto, nulli unquam mortalium fuisse revelatum.

R. 3°. Initio Congregationum, fatentibus Molinæ vindicibus, Clementem VIII. dogmata Molinæ improbasse : verum iidem contendunt, sub finem disputationum, re per sese inspecta, animum mutasse. Id ex eo colligunt, quod in ipso exemplari libri Molinæ, quem paucis ante mortem mensibus a capite evolvere aggressus fuerat, plusquam octoginta occurrant Molinæ textus sacra Pontificis manu subnotati, cum notatis quibusdam marginalibus ; qui textus et notulæ eo maxime tendunt, ut ab objecto Pelagianismi errore doctrina Molinæ vindicetur. Extat dictus codex in Bibliotheca Romana Patrum Societatis, eoque donati sunt a Clementis nepote Card. Aldobrandino.

Quod ad Paulum V. spectat, exitu constat, neutram sententiam approbasse aut improbasse : utrique enim parti, ut vidimus, permisit Pontifex suam tueri sententiam, ac vetuit alterutram hæreseos, aut alia quapiam nota insimulare.

396. *Quæres III.* Quid judicandum de iis, quæ sub nomine Congregationum *de Auxiliis* circumferuntur, Actis ?

R. Plurima esse hujusmodi acta aut scripta ad illas spectantia : præcipua ex his sunt Acta *Coronelli*, Jacobi *le Bossu*, *Pegnæ*, *Lemos*, nec non autographum assertæ Constitutionis Paulinæ. Quid de illis sentiendum sit, docet decretum Innocentii X. datum die 23. Aprilis an. 1654. cujus hic tenor est : *Cæterum cum tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam asserta acta manuscripta, et forsan typis excusa Congregationum habitarum coram fel.*

recordationis Clemente VIII. et Paulo V. super quæstione de Auxiliis gratiæ, tam sub nomine Francisci Pegnæ, olim Rotæ Romanæ Decani, quam Fratris Thomæ de Lemos Ordinis Prædicatorum, aliorumque Prælatorum et Theologorum, qui, ut asserit, prædictis interfuerunt Congregationibus; nec non quoddam autographum seu exemplar assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de Auxiliis, ac damnationis sententiæ, seu sententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu : eadem Sanctitas sua præsenti hoc suo decreto declarat ac decernit, prædictis assertis Actis, tam pro sententia FF. Ordinis S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Jesu Religiosorum, et Autographo sive exemplari prædictæ assertæ Constitutionis Pauli V. nullam omnino esse fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, seu a quocumque alio allegari posse vel debere; sed super quæstione prædicta observanda esse Decreta Pauli V. et Urbani VII. suorum prædecessorum.

Augustinus *Le Blanc* in Præfatione suæ historiæ §. 12. contendit, Innocentii decreto prædictis actis interdictam esse fidem, non quidem humanam et historicam, sed publicam duntaxat, juridicam, contentiosam, quæ nempe valere in judicio possit. Ast e vestigio occurrit adversæ partis Historicus *Eleutherius* art. 10. et 11. Præfationis ad suam historiam; ubi advertit huic exceptioni plurima repugnare.

Obstant 1°., inquit, decreti verba, quæ generalia sunt, nihilque excipiunt, *nullam omnino fidem esse adhibendam;* ac proinde sive juridicam, sive historicam fidem iis actis eripit.

Obstat 2°. finis et scopus decreti : si enim unica duntaxat, quæ in judicio valere possit, juris fides exclusa dicatur Innocentii decreto, otiosum plane fuisset ac inutile : jam enim solemni decreto Societatis de gratia doctrinam in Ecclesia doceri permiserat Paulus V., et sub gravissimis pœnis vetuerat, *ne quis illam censura quapiam notaret :* neque ullus exinde fuit, qui ex prætensis congregationum Actis Jesuitas in judicio convenire et damnatæ doctrinæ arguere ausus fuerit.

Obstant 3°. circumstantiæ loci, temporis, nec non personarum, quæ dubiam saltem et incertam reddunt eorum instrumentorum auctoritatem : id imprimis, quod nempe non ante e tenebris eruta illa fuerint ac vulgata, quam e vivis excessissent Paulus V., Cardinales in Auxiliorum congregationes asciti, aliique, qui interpolatores falsi convincere potuissent.

Ex his omnibus infert *Molinæ* vindex, quæ circumferuntur congregationum acta, esse fidei ut minimum dubiæ atque suspectæ, taliaque, quibus nemo prudens citra deceptionis aleam assentiri possit, aut debeat. Hactenus *Tournely.*

DISPUTATIO VI.

DE GRATIA HABITUALI, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

CAPUT II.

DE GRATIA HABITUALI.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT ENTITAS GRATIÆ HABITUALIS?

397. *Nota. Calvinus* in sola peccatorum remissione justificationem posuit; *Lutherus, Bucerus, Osiander,* quin et *Pighius* statuerunt non minus hanc gratiam, quam causam justitiæ formalem in aliquo extraneo sine ulla intrinseca justitiæ acquisitione, quatenus volebant justificari hominem per favorem Dei mere extrinsecum, vel per justitiam Dei et Christi sive increatam, sive creatam, nobis duntaxat imputatam. Inter Catholicos *Magister Sententiarum,* quatenus charitatem non distinguit a Spiritu sancto, videtur gratiam istam constituere in dono increato. *Vasquez* salva fide doceri posse existimat, quamvis ipse non doceat, adultos formaliter justificari per actus virtutum theologicarum, atque hinc gratiam justificantem reponi posse in his actibus physice præteritis et moraliter perseverantibus. *Alii* conveniunt in eo, quod statuant gratiam hanc esse qualitatem creatam, homini intrinsecam, ac physice permanentem; velintque eam recte dici habitualem.

398. *Dico I.* Gratia habitualis non est favor Dei mere extrinsecus, aut justitia tantum imputata; sed donum homini intrinsecum. Ita Trid. Sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.* Similiter præmiserat ead. Sess. cap. 7. *Formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritus mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes.*

Prob. I. Ex Scriptura. Hæc enim 1°. dicit, Deum per justificationem esse, habitare et permanere in nobis. 1. ad Cor. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est?* Joan. 14.

v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eùm veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

2°. Docet gratiam dari et diffundi, fieri, esse et manere in nobis. 2. ad Cor. 1. v. 22. *Qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ad Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* 1. ad Tim. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te.* 1. Joann. 3. v. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet,* etc.

3°. Tribuit gratiæ effectus, qui sine interna affectione intelligi nequeunt: quales sunt renasci, regenerari, renovari spiritu, fieri consortem naturæ divinæ. Joann. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit,* etc. 2. Petr. 1. v. 4. *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ,* etc.

II. Ex Traditione. Et quidem 1°. licet antiquiora Concilia parum ad habitualem gratiam attenderint, cum de sola fere *actuali* gratia litigarent hæretici: eam tamen etiam parvulis infundi, inhærere ac internam esse judicavit ut probabile Innoc. III. cap. *Majores* de Baptismo; Conc. Vienn., ut habetur in Clementina, *Ad nostrum,* assumpsit ut probabilius; Trid. denique loco cit. definivit ut de fide certum.

2°. Consonant Patres, quorum testimonia a Bellarmino Controv. t. 4. de Justif. L. 2. c. 8. et a Petavio L. 8. de Trin. c. 4. et 5. collecta ad triplicem illam probandi rationem facile reduci possunt. Nazianz. or. 41. n. 11. (edit. Benedict. Paris. 1778.), explicans triplicem Spiritus sancti communicationem per depulsionem morborum, per insufflationem Christi in Apostolos, et per adventum sub linguis igneis factam, hæc subjungit: *Verum primo quidem obscure, secundo expressius, nunc vero perfectius: ut qui non jam operatione sola præsens sit, ut antea; sed substantiali, ut sic loquar, modo adsit ac simul versetur. Decebat enim, ut, cum Filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset, Spiritus quoque corporeo nobiscum modo versaretur, et, cum Christus ad sese reversus esset, ille ad nos descenderet.* S. Aug. L. de Sp. et litt. c. 9. ait: *Justitiæ autem Dei per fidem Jesu Christi, hoc est, per fidem qua creditur in Christum. Sicut autem ista fides Christi dicta est, non qua credit Christus; sic et illa justitia, non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum: sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur.* Quibus similia de charitate ibid. c. 32. n. 56. repetit. Cyril. Alex. L. 34. Thesaur. (opp. t. 5. p. 1ª. p. 352. E.): *Spiritus sanctus per se ipsum in nobis operatur, vere sanctificans et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat, ac divinæ naturæ participes reddit.*

Accedunt illi, qui ea verba Genesis: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,* non de sola animæ rationalis creatione, sed de justitia et sanctitate potissimum interpretantur; quales sunt Cyrill. dial. 4. de Trinit. (opp. t. 5. p. 1ª. p. 532. C.) Cyrill. Hieros. catech. 17. n. 12.; hi enim gratiam habitualem omnino esse *intrinsecam* homini manifeste declarant, vel supponunt.

III. Ex Ratione. 1°. Deus nequit amare hominem amore supernaturali, nisi eum vel inveniat, vel reddat *dignum* tali amore et cum eo proportionatum; alias enim non amaret, nisi indignum hoc amore et cum eo non proportionatum: sed illa dignitas et proportio sive supposita, sive facta, est homini

intrinseca; cum hoc de *prima* pateat, si daretur : sed cum non existat prior, debeatque admitti posterior, idem dicendum est de *secunda;* præsertim cum dilectio divina sit efficax et actuosa, et tamen extra hominem nihil efficiat; ergo.

2°. Per gratiam reddimur *filii Dei*, et quidem per adoptionem tales; at non per adoptionem mere legalem et declarationem, sed sublimioris generis, quæ novam in nobis generationem, nativitatem, vitam, salutem et spiritum efficiat; ut dictum est in probatione 1ª. : sed hæc intelligi nequeunt sine intrinseco; ergo.

3°. Ad justitiam requiritur ut homo *interius* sit bene affectus ad opera justitiæ et habeat eorum potentiam quasi connaturalem; uti ex dictis contra *Pelagianos* colligitur : sed hæc non præstantur sine aliquo intrinseco; ergo.

399. *Obj.* Nulla in nobis est justitia, sed tantum nobis imputatur; ergo. *Prob. Ant.* 1°. Ad Rom. 4. v. 3. dicitur : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*; 2°. ibid. v. 5. additur : *Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam* : 3°. denique v. 8. asseruntur hæc Davidis verba : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; ergo.

R. *ad Arg. N. A. ad prob. D. C.* Ergo justitia Dei aut Christi nobis imputatur *N.* fides cuilibet propria et intrinseca, *subd.* imputatur et reputatur in justitiam, quatenus fides sit ipsa justitia aut ex se justitiam pariat et producat *N.* quatenus acceptatur ad justitiam a Deo, qui propter fidem formatam nobis largitur et infundit gratiam, reputatque nos justos amicos et filios suos *C.* sicut Apostolus ad Galat. 3. v. 6., ubi eadem sententia de imputatione fidei ad justitiam utitur, sic et hic prioribus textibus duntaxat statuit, justificationem non ex *operibus legis*, sed ex fide et gratia suum habere initium: minime vero negat justitiam nobis inhærentem, aut asserit justitiam nostram esse justitiam Dei vel Christi, nobis extrinsece imputatam.

Nam λογίζεσθαι seu reputare, rationem et computum significat, et est verbum arithmeticum. Itaque sicut merces, quæ computatur et numeratur fossori aut messori, non per heri imputationem vel æstimationem, sed per propriam laboris computationem, rationem et æstimationem, est merces : ita pariter justitia a Deo nobis computata et annumerata, non per solam computantis imputationem, sed per se ipsam, suamque intrinsecam rationem computatur, æstimatur, et reipsa est vera et realis justitia.

In *textu postremo,* Deum non imputare alicui peccatum idem significat, ac aliquem non habere peccatum; quia ex eo, quod quis peccatum non habeat, sed vitet et caveat, sequitur, quod Deus illi peccatum imputare nequeat. Duas enim beatitudines Apostolus ex Psalte refert; prior est : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*; h. e. Beati sunt, qui a peccatis sunt expurgati, justificati, et charitatis stola tecti et amicti : posterior : *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*; h. e. Beatus, imo beatior est, qui postquam a peccatis est expurgatus, juste deinceps vivit, omnique studio vitat peccata, ita ut nihil mali faciat, quod Deus ipsi in peccatum imputare possit. Porro *imputari* alicui peccatum, non est tantum reputari in aliquo peccatum, sed illi etiam reipsa inesse; præsertim cum

Deus, qui juste judicat, in peccatum imputare et quasi peccatum punire opus nequeat, quod vere in se non est peccatum.

Inst. 1. Christus est nostra justitia, et per hunc justificamur; ergo. *Prob. Ant.* In 1. ad Cor. 1. v. 30. de Christo dicitur : *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.* ad Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi;* ergo.

R. *D. A.* Christus est nostra justitia efficienter, et per hunc tanquam causam efficientem et meritoriam justificamur *C.* Est nostra justitia formaliter, et per hunc tanquam causam formalem justificamur *N. Prioris* textus est sensus, quod non propriis viribus, sed beneficio mortis Christi acceperimus doctrinam fidei, justitiam, aliaque gratiarum munera. Præterea eodem modo dicitur Christus *nostra justitia,* uti hic sapientia, et Deus in Psalmis fortitudo, virtus, patientia, salus et protectio vocatur; quæ omnia *metonymice,* posita nempe causa pro effectu, accipienda sunt.

In *posteriori* textu quamvis instituatur comparatio inter inobedientiam Adami et obedientiam Christi, ac utriusque tum vitii, tum virtutis fructus; tamen multiplex tum ab Apostolo ibidem, tum a Patribus hoc loco asseritur antithesis et diversitas; inter quas et illa est, quod peccatum Adami sit *moraliter nostrum,* et ut Trid. Sess. 5. Can. 3. ait, omnibus inest unicuique proprium; secus vero sit de merito Christi.

Præterea vero, ex facta *comparatione* potius contrarium sequitur. Nam sicut ad contrahendum actu peccatum originale necesse est ex Adamo *naturaliter* nasci, ita ad justitiam Christi participandam necesse est ex eo nasci *spiritualiter* per baptismum : ex hoc autem sequitur, quod, sicut inobedientia et peccatum Adæ realiter nobis inest, non autem duntaxat nobis imputatur; ita multo magis nobis insit ac inhæreat gratia Christi, nec tantummodo imputetur.

Inst. 2. Non aliter in nobis est justitia, quam in Christo peccatum : sed in Christo est peccatum sola imputatione; ergo et similiter justitia in nobis sola est imputatione. *Prob. M.* ex 2. ad Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ex Aug. in Ench. c. 41. *Ipse ergo peccatum, ut nos justitia : nec nostra, sed Dei; nec in nobis, sed in ipso : sicut ipse peccatum, non suum, sed nostrum, nec in se, sed in nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in qua crucifixus est, demonstravit.*

R. *D. M.* Non aliter nobis inest justitia, quam in Christo est peccatum, acceptum pro actu aut macula peccati *N.* Peccatum acceptum pro sacrificio oblato ad satisfactionem pro peccato *C.* In textibus allatis non agi de peccati macula, sed de *sacrificio* pro peccatis, liquet tum ex ipsis verbis Apostoli, qui non dicit : Is, nempe Christus, qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum; sed Deus Christum nobis peccatum, h. e. sacrificium pro peccatis fecit; sacrificium autem hoc Christus reipsa et vere, non tantum imputative fuit : unde S. Aug. l. cit. sic ait : *Propter similitudinem carnis peccati, in qua venerat, dictus est et ipse peccatum, sacrificandus ad diluenda peccata. In vetere quippe lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis : quod vere iste factus est, cujus umbra erant illa.*

Cæterum sensus Apostoli et Aug. est, quod sicut causa efficiens et merito-

ria passionis Christi non est peccatum, quod ipsi inerat, aut ab eo commissum, sed peccatum nobis inhærens, et nostrum ; sic causa efficiens ac meritoria, qua justificamur, non est nostra justitia, sed Dei ; nec in nobis, sed in ipso : attamen ut Christus ob peccatum, quod nobis inerat, vere factus est *sacrificium* pro peccatis ; ita ob justitiam, quæ est in illo, vere accipimus gratiam, vitam spiritualem ac spiritus novitatem.

Inst. 3. Justificare nihil aliud significat, quam *absolvere* accusatum et declarare innocentem : ad Eph. 4. v. 24, justitia habet se per modum *vestis*, vel indumenti : justificamur non in nobis, sed in Christo ; ut ibidem dicitur c. 1. v. 6. *Gratificavit nos in dilecto filio suo* ; ergo, justificationis forma est quid mere extrinsecum, et vel remissio aut carentia peccati, vel favor Dei extraneus.

R. Quoad 1um. *D.* Justificare juridice ac in foro civili nihil aliud significat, quam etc. *C.* theologice et in foro Ecclesiæ *subd.* subinde *C.* semper *N.* Etiam a Scriptura justificationis vox quadrupliciter usurpatur ; 1° quidem pro declaratione innocentiæ, ut Isa. 5. v. 23. *Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* 2° Pro divina lege, qua justitiæ præcepta proponuntur, ut Ps. 118. v. 5. *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* 3° Pro interna animi sanctitate et rectitudine ; ut ad Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium.* 4° Pro justitiæ incremento, ut Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Ex his primam *Novatores* duntaxat admittunt, nos autem maxime tertiam cum Catholicis exigimus et probamus.

Quoad 2um. *D.* Justitia se habet per modum indumenti corporalis *N.* per modum indumenti spiritualis *C.* Indumentum etiam *materiale* corpori adjacet, ut penitus extraneum dici non possit : quamvis vero in eo *spirituale* cum corporali indumento conveniat, quod, sicut vestis corpus, ita gratia animam exornet, hæc tamen in ratione intrinseci illam superat ; cum de virtutibus dicat Apostolus ad Coloss. 3. v. 12. *Induite vos... viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem*, etc. ; imo ipse Deus *decorem ac fortitudinem indutus* Ps. 92. v. 1. dicatur.

Quoad 3um. *N. Ass.* ; tum quia, quo modo Christi, eodem etiam gratiæ fit mentio, ut ex integro textu patet : *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo* : tum quia præpositio *in* hoc ipso in capite usurpatur loco præpositionis *per*, adeoque causam efficientem significat ; ut liquet ex v. 10. *Instaurare omnia in Christo* ; v. 11. *In quo et nos sorte vocati sumus* ; v. 13. *in quo et credentes signati estis*, etc.

Inst. 4. Justificatio hominis fit per *adoptionem*, qua filii Dei nominamur et sumus : sed adoptio est favor duntaxat extrinsecus ; ergo.

R. *D. m.* Adoptio civilis et humana est favor duntaxat extrinsecus *C.* adoptio theologica et divina *N.* Prior est tantum relatio rationis, tribuit solum jus filii, nec communicat naturam adoptantis adoptato, aut aliquam participationem ejus, vel physicum quid efficit : posterior fundat relationem realem, tribuit *generationem* quamdam spiritualem, facit participationem et consortium divinæ naturæ, ponitque in creatura formam aliquam absolutam ; ut ex dictis constat.

Inst. 5. Homo *hominis gratiam* habet per benevolentiam tantum extrinsecam ; quin et Deus hominem odio habens nihil facit in homine ; ergo

gratia justificans Dei sine aliqua interna hominis affectione est per extrinsecum favorem.

R. Quoad 1um. *Disparitas* est; cum juxta Hier. in c. 7. Mich. *Amicitia pares aut accipit, aut facit;* amor autem *humanus* sit sterilis et infœcundus, amatus etiam possit esse similis amanti; supponitur in amato, quod gratum est, et gratia hominis per extrinsecum favorem habetur : quia vero similitudo cum Deo homini ex se convenire nequit, amor autem *divinus* efficax est et fœcundus; producitur in amato, quo is gratus fiat, et gratia Dei per donum intrinsecum constituitur.

Quoad 2um. *Disparitas* est; quia *odium* aversatur objectum ob præsentem in eo malitiam, potiusque intendit auferre aliquid, quam in objecto ponere : *amor* autem efficaciter prosequitur objectum, et vel bonum in objecto amato supponere, vel in eo ponere debet, ut fiat amore dignum ac proportionatum.

400. *Dico II.* Gratia habitualis non est ipse Spiritus sanctus; sed donum aliquod creatum, à Spiritu sancto distinctum.

Prob. I. Distinguitur *donum* a donante, *signum* a signante, *pignus* ab oppignorante, *semen* a seminante, *diffusum* a diffundente : sed gratia habitualis est donum, signum, pignus, semen et diffusa; Deus autem seu Spiritus sanctus est donans, signans, oppignorans, seminans et diffundens, ut ex textibus Scripturæ manifestum est; ergo.

Conf. Psal. 83. v. 12. dicitur : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Hic perinde dicitur dari gratia ac gloria : ast *gloria* non est Spiritus sanctus; sed ipsa vitalis et homini propria visio intuitiva Dei per lumen gloriæ perfecta; ergo nec *gratia* est Spiritus sanctus, sed donum aliquod supernaturale a Deo communicatum, quo gratus fiat Deo, et ad actiones salutares potens.

Prob. II. Trid. Sess. 6. cap. 7. imprimis *justificationis causam efficientem* statuit *Deum, Spiritum sanctum* autem docet, *partiri singulis mensuram justitiæ, prout vult :* deinde significat, *sanctificationem hominis fieri per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum; charitatem* ait, *diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhærere; Christianam justitiam* vocat *primam stolam per Christum donatam, candidam et immaculatam conservandam, et ante tribunal Christi perferendam :* denique Can. 11. anathema decernit dicenti hominem justificari, *exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat;* ergo omnino distinguit gratiam a Spiritu sancto.

Conf. 1. Ex SS. Patribus, inter quos Cyrill. Alex. L. 4. in Isa. or. 2a. (opp. t. 2. p. 591. B.) ait : *Formatur autem in nobis Christus, sancto nobis Spiritu divinam quamdam formam per sanctificationem et justitiam indente.* Ambr. L. 6. in Lucam n. 2. inquit : *In eo justificatio Dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes per ablutionem factos videatur et justos sua munera transtulisse.* Aug. L. 12. Confess. c. 15. n. 20. : *Quantum interest inter lumen quod illuminat et quod illuminatur, tantum inter sapientiam quæ creat et istam quæ creata est; sicut inter justitiam justificantem, et justitiam, quæ justificatione facta est,* etc.

Conf. 2. Spiritus sanctus neque est *actus* animæ; cum actus vitales sint

ab intrinseco : nec *habitus* aut qualiscumque forma nobis unita ; cum prius per se dici nequeat : posterius autem repugnat, quia nec statui potest unio substantialis et hypostatica, nec accidentalis per aliquod medium, quod non admittitur. Ad hæc, ipsa justitia divina nequit dici *causa formalis* justificationis et gratia habitualis : sed si hæc staret vel substantialiter in Spiritu sancto, vel in ejus possessione ; dicendum foret, Dei justitiam esse formalem justificationis causam ; ergo.

401. *Obj.* Ipse Deus recte dicitur gratia habitualis : 1°. quia 1. Joann. 4. v. 16. dicitur : *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet.* 2°. quia Aug. L. 8. de Trin. c. 7. n. 2. ait : *Qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est... consequens ergo est, ut præcipue Deum diligat.* 3°. quia idem ibid. L. 15. c. 17. docet, charitatem non esse tantum donum, sicut patientia donum est ; cum simpliciter dicatur : *Deus est charitas,* non autem simpliciter : Deus est patientia, sed *patientia mea.*

Ad 1um. R. *D.* Deus est charitas substantialis et increata *C.* accidentalis *subd.* formaliter *N.* effective *C.* Deus est charitas *formalis* in se, tum *essentialis,* quæ communis est toti Trinitati, quia perfectiones omnes divinæ sunt ipsa Dei essentia, ut contra Gilbertum definivit Concilium Rhemense : tum *notionalis,* quæ est propria Spiritui sancto, utpote qui a Patre Filioque per amorem procedit : porro Deus etiam est charitas, sed *causalis* in nobis, idque in omni genere causæ ; puta materialis, quia ipse est objectum charitatis nostræ ; quasi formalis, quatenus ipse est exemplar ejusdem ; efficientis, quia eam in nobis producit ; finalis, quia est finis noster et amoris nostri. Porro verba illa : *qui manet in charitate*, non tantum de increata, sed et de creata accipi possunt ; qui enim manet in charitate creata, manet quoque in increata, seu Deo ; quia ubi illa est, et hæc, seu Deus est, qui creatæ est auctor et conservator.

Ad 2um. R. S. Thomas 2. 2. q. 23. a. 2. ad 1. vult, S. Aug. ita loqui, quia charitas, qua proximum diligimus, est quædam participatio divinæ charitatis ; sicut dicimur *boni* bonitate, quæ est Deus : quia bonitas, qua sumus boni, est participatio divinæ bonitatis ; quem loquendi modum S. Doctor dicit communem fuisse apud *Platonicos,* quorum doctrinis Aug. imbutus fuerit. Verum hoc etiam omisso eadem distinctio, quæ prius, adhiberi potest, asserendo Deum esse dilectionem substantialem et *formalem* in se, *causalem* autem in nobis.

Ad 3um. R. 1°. Si S. Aug. in Libris de Trin. sensit aliter, quam hactenus docuimus ; nobiscum tamen convenit in L. de spir. et litt., cujus ibi dicta potius sunt a nobis assumenda ; tum quia hunc librum altero posteriorem esse ex L. 2. Retr. c. 15. et 37. colligitur : tum quia eamdem sententiam alio in loco adoptat, contrariam autem L. de fid. et symb. c. 9. n. 20. et 21. dubitanter tantum proponit.

R. 2°. Ratio, cur Deus simpliciter dicatur *charitas*, patientia autem vel spes tantum nostra, habetur ex eo, quod illa, non perinde ac ista, imperfectionem aliquam includat, sed sit præstantissima dos ac virtus, quæ cæteras omnes transcendit ; ex quo postremo etiam Deus potius charitas, quam sapientia, potentia, etc. nuncupatur.

Inst. 1. Juxta SS. Patres, præsertim Cyrill. Alex., sanctificamur per Spiritum sanctum, et non per medium aliquod, vel qualitatem creatam; ergo.

R. *D. A.* Juxta SS. Patres per Spiritum sanctum et non per aliquid creatum sanctificamur efficienter *C.* sanctificamur formaliter *subd.* quatenus ipse Spiritus sanctus per propriam substantiam nos inhabitat, et sic etiam nos suæ naturæ physice participes vel consortes facit *C.* quatenus ipse sit forma sanctificans, nullamque in nobis mutationem intrinsecam per justitiæ formalis a se distinctæ communicationem faciat *N.* Cum Patres negant, justos per creatam qualitatem vel substantiam sanctificari, non excludunt a sanctificatione gratiam, dona et charismata Spiritus sancti, sed ipsum duntaxat Spiritum sanctum non esse *creaturam* ostendere conantur.

Patet id tum ex *scopo* præfixo, qui erat ex sanctificatione, quæ Spiritui sancto appropriatur, probare ejus divinitatem et eamdem cum Patre et Filio substantiam : tum ex eorum verbis; Cyrillus enim L. 9. in Joann. (opp. t. 4. p. 810. E.) *Quomodo divinæ naturæ participes erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur.* Athanas. in ep. 1. ad Serap. n. 24. : *Porro si creatura esset Spiritus sanctus, nulla nobis in ipso esset Dei participatio.* etc.

Inst. 2. Spiritus sanctus juxta eosdem Patres, præs. SS. Athan. loc. supra cit. n. 23., Hier. in c. 4. ep. ad Ephes. v. 30., Cyrill. de Trinit. dial. 7. (opp. t. 5. p. 1. p. 638.), est sanctitas ipsa et velut sanctificans forma, qua justi sumus; quia Spiritus sanctus sigillum ipsum dicitur, quo fit imago, signaculum et similitudo Dei in nobis; ergo.

R. *N. Ass. ad prob. D.* Spiritus sanctus dicitur sigillum in genere causæ efficientis *C.* in genere causæ formalis *N.* Quantumvis verba Patrum secundum se spectata videantur plus aliquid significare, id tamen minime videtur admittendum; tum quia esse *creatum* duntaxat removetur a causa efficiente et Spiritu sancto : tum quia *missio* Spiritus sancti invisibilis non habetur per solam ejus præsentiam et substantialem inexistentiam in justo, utpote quæ ratione immensitatis necessaria est respectu omnis entis; sed fit per mutationem intrinsecam hominis, quæ a gratia sanctificante provenit; tum quia alias ipsa divinitas et sanctitas, qua Spiritus divinus sanctus est, esset forma sanctificationis contra apertam SS. Patrum et Concilii Trid. doctrinam.

402. *Dico III.* Gratia habitualis est donum physice permanens.

Prob. I. Scriptura per gratiam habitualem dicit Spiritum sanctum habitare in nobis, et corda nostra constituere templa sua et sacraria : *inhabitatio* autem dicit permanentiam physicam; unde et S. Aug. hanc gratiam vocat gratiam *inhabitationis.* Deinde gratia hæc exprimitur nomine *seminis, pignoris, signaculi, unguenti, fontis,* etc.; quæ omnia stabile quid ac physice permanens significant. Demum in justificatione dicimur *regenerari, renasci, participare naturam divinam,* fieri et esse filii Dei; quod rursus sine stabilitate et permanentia intelligi nequit.

Prob. II. Certum est 1°. ex Trid. Sess. 5. Can. 5. per gratiam, quæ in baptismo confertur, reatum peccati originalis remitti, et tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet.

2°. Hanc definitionem esse intelligendam etiam de *parvulis*; tum quia

Trid. ibid. can. 3. definierat, Christi meritum per baptismi sacramentum rite collatum tam adultis, quam parvulis applicari : tum quia Can. 4. decrevit, parvulos baptizandos esse in remissionem peccati originalis.

3°. Remissionem peccatorum æque ac justificationem non fieri per solum favorem extrinsecum, aut per solam imputationem justitiæ Christi, exclusa gratia et charitate, quæ nobis inhæreat, ut ex Trid. Sess. 6. Can. 11. supra recitavimus.

4°. Parvulos secundum legem Dei ordinariam esse incapaces actualis gratiæ; tum quia hoc principium aliunde est receptissimum in Ecclesia; tum quia, sicut secundum Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 17. nullos actus culpabiles eliciunt, sic nec habent laudabiles; tum quia nequidem habent actum credendi, ut idem Aug. l. cit. c. 19. tradit, et Trid. Sess. 7. de bapt. Can. 13. supponit. Ex his porro tanquam certum

5°. Apparet, gratiam justificantem nequidem in actibus *physice* præteritis et *moraliter* perseverantibus stare, atque hinc ab actibus omnino esse distinctam.

403. *Obj.* Scriptura specialiter tribuit Christo gratiam permanentem, ut constat ex Joann. 1. v. 33. *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est*; ergo non est permanens in puris creaturis.

R. *N. Cons.* Quamvis etiam permanens in justis asseratur gratia et Dei inhabitatio, tamen permanentia ista *speciali modo* Christo adhuc relinquitur, qui modus in eo stat, quod Christus sit Deus; quod in eo tanquam in fonte fuerit gratiæ plenitudo; quod ratione unionis hypostaticæ illi debita fuerit omnis gratia.

Inst. 1. Tempore Innocentii III. et Clementis V. in Conc. Viennensi probabile fuit, gratiam non infundi et permanere; quia Pontifices illi admiserunt contrarium tantum ut probabile, vel ut probabilius : Trid. etiam nunquam utitur illis vocibus *physice* permanens, habitualis etc.; demum potest intelligi de forma moraliter inhærente, sicut idem Concilium interpretamur loquens de peccato *originali*; ergo ex Conciliis pro nostra conclusione nihil certi eruitur.

R. Quoad 1um. *N. A.* Discrimen est inter quæstionem *absolutam* et simplicem, an dentur habitus infusi respectu hominum; et inter quæstionem *restrictam*, an habitus infundantur parvulis in baptismo. De prima nec Innoc., nec Clemens loquebantur, testaturque Suar. L. 6. de gr. c. 3. nullum a se inventum Theologum antiquum, qui illam negarit : quin, dum Innocentius secundam duntaxat tractat, videtur supponere de adultis, et de prima nunquam fuisse dubium inter Theologos; quod ipsum supposuisse videtur Clemens cum Concilio Viennensi, eligens opinionem asserentem, infundi parvulis in baptismo virtutes, ex hac ratione : *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum pariter omnibus applicatur, opinionem secundam*, etc.

Quoad 2um. *N. Cons.*; quia modus loquendi a Trid. adhibitus sufficit ex dictis ad certitudinem faciendam, quamvis permittatur Concilium non intendisse hanc veritatem ut *dogma fidei* definire; præsertim quia Pallavic. P. 1. hist. Conc. Trid. L. 8. c. 14. testatur, quod, cum postulatum esset ab aliquo, ut expressius declararetur justificationem fieri per habitum infu-

sum, Patres responderint, id satis intelligi ex ipsa voce *inhærentia*, quæ proprie convenit habitibus, non vero actibus.

Quoad 3um. *N. A. Disparitas* de pecc. originali est; quia, quæ prædicata tribuuntur gratiæ a Trid., ex propria et obvia significatione designant permanentiam physicam : talia autem non sunt prædicata *originali* peccato attributa, quæ erant illud esse propagatione transfusum, et inesse unicuique proprium. Per ea enim Trid. intendit damnare errorem dicentium, peccatum originale non esse unicuique proprium, neque singulos inficere, sed solum esse peccatum inficiens Adamum ; ad hoc autem impertinens est inhærere *physice* : nam certum est de fide, dari peccatum habituale proprium et inficiens peccatorem; nihilominus juxta communem Theologorum nihil est physice et permanenter inhærens, in quo talis macula constituatur.

Inst. 2. Peccatum *habituale* est actus physice præteritus, et moraliter perseverans; item homo fit *beatus* per actum suum; ergo et gratia habitualis potest esse actus moraliter duntaxat perseverans, et homo fieri gratus Deo per actum, seu dilectionem suam.

R. *N. Cons.* Quoad 1um. *Disparitas* est; quia præter jam dicta *peccatum habituale* moraliter spectatum non fit novorum actuum principium, quos natura ex se elicere nequeat : *gratia* autem est novum saltem radicale principium operationum supernaturalium; quod utique debet esse physicum.

Quoad 2um. *Disparitas* est; quia *beatitudo* est possessio, quæ in actu consistit, quique necessario physice, non autem moraliter tantum existit : justitia autem gratum faciens est jus potius ad possessionem, quam possessio; nec jus autem in actu consistit, nec actus hominis viatoris possunt esse physice perpetui.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT ESSENTIA GRATIÆ HABITUALIS?

404. *Dico.* Gratia habitualis *realiter* distinguitur ab habitu charitatis.

Prob. Auctoritate. Scriptura 2. ad Cor. 13. v. 13. inquit : *Gratia D. N. J. C., et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Et 1. ad Tim. 1. v. 14. *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide et dilectione.* Item ad Ephes. 6. v. 23. *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et D. N. J. C.; gratia cum omnibus, qui diligunt D. N. J. C.*

Conc. Viennense loco cit. ait infundi in baptismo *informantem gratiam et virtutes* : Trid. Sess. 6. c. 7. docet in justificatione renovari hominem per voluntariam susceptionem *gratiæ et donorum* ; et can. 11. damnat dicentes justificationem fieri sola remissione peccatorum, *exclusa gratia et charitate* : Mogunt. ann. 1549. celebratum c. 7. (Labb. t. 14. p. 674. B.), inquit : *Cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, et per Spiritum S. una cum fide simul charitatem in corde diffusam ac spem accipit.* Demum Catechismus Trid. de baptismo, postquam dixisset gratiam infundi, quam *splendorem quemdam et lucem appellat,* subjungit : *Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia divinitus infunduntur.*

Dionys. L. de Hier. Eccl. c. 2. p. 1ª. *statum divinum et vitam* prærequirit, *ante operationem supernaturalem,* sicut *prius necessarius est status vitæ humanæ, quam humana operari possimus;* adeoque ante charitatem tanquam virtutem operativam sentit nobis dari gratiam, qua in statu viventium *vita divina* constituamur, ut opera viva connaturaliter exercere valeamus. Accedunt recitata præced. art. testimonia S. Aug., quibus justitiam seu gratiam justificantem distinguit a charitate, eamque huic æque ac fidei opponit.

Prob. Ratione. Habitus charitatis nequc ex suo conceptu *generico*, neque ex conceptu *speciali* talis habitus, qui nunc datur, per se et formaliter reddit hominem intrinsece sanctum, divinæ naturæ participem, amicum et filium Dei, etc., quæ sunt munera gratiæ sanctificantis. Non 1ᵘᵐ. quia *habitus,* ut præcise est *charitatis,* solum dicit virtutem, quæ elevat voluntatem ad dilectionem Dei propter se, ut habitus fidei elevat ad actus fidei supernaturales : sed hoc ex suo conceptu non dicit facere sanctum, participem divinæ naturæ, amicum et filium Dei; tum quia, quod hominem facit potentem, ut diligat regem propter se, non facit hoc ipso eum dignum, ut a rege amicabiliter diligatur et in filium adoptetur : tum quia omnipotentia Dei specialiter applicata potest elevare hominem ad Deum propter se diligendum, quin illa gratiæ munera præstet; ergo. Non 2ᵘᵐ. quia *specialis* illa virtus charitatis, quæ ex conceptu ipsius habitus non provenit, debet asseri ex certo privilegio divinitus concesso : hoc autem probari nequit, ut ex objectionum solutione constabit; ergo.

Conf. 1. Tria maxime divina, quæ in statu supernaturali participantur, sunt natura, cognitio, amor : sed *cognitio divina* ab homine ex parte intellectus participatur per fidem in via, et per visionem in patria; *amor* ex parte voluntatis participatur per charitatem; ergo *natura divina* ex parte animæ et substantiæ quatenus a facultatibus et operationibus distinctæ participatur per id, per quod homo renascitur, fit filius Dei et hæres : sed id, per quod homo renascitur, et filius ac hæres Dei fit, est gratia; ergo.

Conf. 2. Gratia dat *esse* divinum, et est fundamentum primum totius supernaturalitatis : sed charitas non dat esse, sed *operari* divine; nec est primum supernaturalitatis fundamentum, cum tanquam virtus appetitiva præsupponat etiam fidem et cognitionem supernaturalem; ergo.

Conf. 3. Reliquæ virtutes infusæ omnes solum elevant hominem ad suos *actus speciales;* quamvis aliquæ possibiles sint, quæ formaliter etiam sanctificent; ergo congruum est, ut idem dicatur de habitu charitatis, ex hypothesi quod non adsit pro disparitate urgens ratio, quod nunc examinabitur.

405. *Obj. 1.* Eosdem effectus, qui gratiæ communius tribuuntur, charitas teste Scriptura etiam proprios habet : nam charitas 1°. expellit peccatum; Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. Joann. 3. v. 14. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres : qui non diligit, manet in morte.*

2°. Hominem facit Deo gratum et dilectum; Prov. 8. v. 12. *Ego diligentes me diligo;* et Joann. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo.*

3°. Reddit nos sanctos; ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso..... ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*

4°. Deo nos conjungit; 1. Joann. 4. v. 16. *Deus Charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

5°. Confert nobis vitam spiritualem; 1. Joann. 4. v. 7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

6°. Constituit filios Dei; 1. Joann. 3. v. 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.*

7°. Profert omnes virtutes; et hæredem vitæ æternæ facit; 1. ad Cor. 13. v. 4. et seqq. *Charitas patiens est, benigna est,* etc. Et Jacob. 1. v. 12. *Coronam vitæ... repromisit Deus diligentibus se*; ergo.

R. 1°. *N. Cons.* Certum enim est inter Catholicos, cum quibus hic disputamus, *gratiam* non esse eumdem habitum cum *fide*; et tamen ex Scriptura facile æquali ratione ostendi potest, eosdem effectus attribui fidei. Prov. 15. v. 27. *Per fidem purgantur peccata.* Sap. 1. v. 2. *Invenitur* (Deus) *ab his, qui non tentant illum : apparet autem eis, qui fidem habent in illum.* Eccli. 45. v. 4. habetur : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* 1. Joann. 5. v. 1. *Omnis, qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est,* etc.

R. 2°. *D. A.* Effectus gratiæ proprii tribuuntur etiam charitati secundum suam significationem *genericam,* et tam tropo, quam proprietati communem acceptæ *C.* charitati *specifice* et in propria significatione actus vel habitus virtutis specialis acceptæ *subd.* tribuuntur illi in genere causæ formalis *N.* in genere causæ meritoriæ vel efficientis vel dispositionis, aut propter connexionem gratiæ cum charitate *C.* Responsio clarius patet ex dicendis ad singula.

In 1°. uterque textus agit de actu charitatis, qui in priori proponitur ut *dispositio* : in posteriori ut *signum* remissionis peccati, quæ fit per gratiam.

In 2°. rursus in utroque actus charitatis asseritur esse dispositio vel *causa meritoria,* cur homo diligatur a Deo.

In 3°. vel hic est sensus : Deus elegit per charitatem, ut simus sancti et immaculati; vel iste : elegit nos Deus, ut in sanctitate serviamus illi, non ex timore pœnæ, sed ex charitate : ex neutro autem sensu colligi potest, gratiam esse *sanctitatis formam.*

In 4°. solum declaratur, eum, qui in charitate manet, habere Deum in se manentem; quia charitas *inseparabiliter connectitur* cum gratia, per quam Deus in nobis manet : minime autem dicitur, charitatem esse hanc ipsam gratiam; præsertim cum ibi distinguatur inter manere in Deo, et inter habere Deum in se manentem.

In 5°. denuo sermo est de actu charitatis vel *dispositione,* vel *signo* et *fructu,* non autem forma nativitatis divinæ.

In 6°. charitas non sumitur pro *actu* vel *habitu* virtutis creatæ, sed pro dono ex charitate collato, vel effectu divinæ charitatis.

In 7°. per priora verba charitatis habitus indicatur quidem tanquam radix virtutum, sed quæ sit instar *facultatis,* cum gratia sit radix, sed instar *naturæ* : per posteriora autem charitas asseritur esse meritum gloriæ cœlestis; huic tamen merito condignitatem tribuit gratia.

Inst. SS. Patres, et inter eos maxime S. Aug., tribuunt charitati ea prædicata, quæ ostendunt esse eamdem cum gratia. Nam 1. dicit, charitatem esse donum præstantissimum : L. 15. de Trin. c. 18. *Nullum est isto Dei dono*

(charitate) *excellentius*; ex conc. 1. in Ps. 113. *Nihil eminentius in Scriptura sancta inveniri potest, quam charitas.*

2. Eam vocat unam præ omnibus necessariam; Tr. 32. in Joann. n. 8. *His omnibus tam magnis rebus præposuit charitatem; ipsam habeto, et cuncta habebis, quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris.*

3. Charitatem statuit tanquam notam discretionis; Tr. 5. in 1. ep. Joann. n. 7. : *Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli.*

4° Eamdem dicit esse formam sanctificantem; L. de mor. Eccles. c. 12. *Cavere debet, ne ab ipsius Dei charitate, qua sanctificatur ut beatissimus maneat, alterius creaturæ, id est, hujus sensibilis mundi amore separetur.*

5. Eam demum aperte apellat justitiam; L. de nat. et gr. c. 42. *Ipsa enim* (charitas) *est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia.*

R. *N. Ass.* Ista enim prædicata vel tribuuntur charitati propter *connexionem,* quam illius habitus in præsenti providentia possidet cum gratia, aut quia, ut D. Thomas vult, charitas semper per gratiam formatur : vel si tribuantur charitati propter se, *æqualitatem* talem aut præcellentiam non inducunt, ad quam evitandam necesse sit charitatem cum gratia confundere.

Nam descendendo ad singula, sive 1um. accipiatur de actu, sive de habitu, charitas potest dici donum excellentius et eminentius comparate ad *fidem, spem,* et *reliquas virtutes,* non autem comparate ad gratiam, utpote inter quæ extrema tam parum S. Aug., quam S. Paulus 1. ad Cor. 13. oppositionem instituit : quanquam, si mens S. Doctoris ex contextu attendatur, potius loquitur de charitate Dei, *qua ipse nos diligit, non qua nos eum diligimus,* ut c. 17. præmisit.

Idem respondetur ad 2um. ubi rursus mentio fit de *præcellentia* : quod vero necessitatem attinet, nisi charitatis nomine intellectam velis gratiam ipsam, illa oritur ob connexionem charitatis cum gratia, sine qua nihil sane ad vitam æternam proxime prodest.

Quoad 3um. charitatis actus *dispositive* distinguit inter filios Dei et diaboli, habitus *significative* seu tanquam signum et fructus filiationis divinæ ; nec plus intendit Aug., qui ibidem ait : *Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes, Alleluia; baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi charitate.*

Quoad 4um. hoc loco intelligitur *actualis charitas,* qua meremur sanctitatem, sicut in cap. sequenti eamdem intelligit, qua conservetur sanctitatis forma.

Quoad 5um. denique charitatis actus appellatur justitia actualis, seu operatio justitiæ ; quia subjungitur : *quoniam id, quod voluntate hominis adjuta per Dei gratiam fieri posse confiteor,* etc. Ac postea c. 70. dicitur : *Charitas inchoata, inchoata justitia est ; charitas provecta, provecta justitia est : charitas perfecta, perfecta justitia est.*

406. *Obj. II.* Trid. satis aperte identificat gratiam cum charitate. Nam 1°., cum Sess. 6. cap. 7. dixisset, hominem justificari per susceptionem *gratiæ et donorum,* ac postea docuisset causam formalem nostræ justificationis esse *justitiam,* qua interius renovamur, et merita passionis D. N. J. C. communicantur ; mox subjungit, *id fieri, dum ejusdem passionis merito per*

Spiritum sanctum charitas diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur; ergo eamdem, quam gratiam et justitiam vocaverat, declarat esse charitatem.

2°. Ibidem statim additur : *unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem,* nulla facta gratiæ aut alterius habitus mentione; ergo hanc sub nomine charitatis intelligere videtur.

3°. Idem ead. Sess. cap. 10. ubi dixerat justitiam bonis operibus augeri, adjungit : *Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum* ; ergo indicat justitiam in his tribus tantum consistere, nimirum in charitate per se, in aliis, ut charitate formantur.

4°. Ibid. can. 11. definit justificationem non fieri sine *gratia et charitate,* quæ in cordibus hominum *diffundatur* ; ergo, dum in singulari dicit *diffundatur,* indicat gratiam et charitatem unam duntaxat esse formam.

5°. Idem Sess. 14. cap. 4. ait, contritionem *charitate perfectam* hominem Deo reconciliare : sed gratia est quæ Deo reconciliat ; ergo.

R. *N. Ass.* Concilium nihil hic definire voluisse, colligitur ex varia loquendi ratione, qua modo gratiæ et donorum, modo justitiæ, modo charitatis solius, modo fidei, spei et charitatis nomen usurpat. Nihil ex eodem theologice deduci posse pro *identitate charitatis* cum gratia, ostenditur facile, si singula examinemus.

Quod enim 1um. attinet; imprimis illa particula *dum,* in rigore non indicat identitatem, sed connexionem duntaxat vel concomitantiam; unde solum significatur, quod tunc, quando charitas diffunditur, homo justificatur, minime autem significatur, quod id *formaliter* fiat per ipsam charitatem ; deinde nec vox charitatis, aut ejus hic loci usurpatio est ita restricta, ut necessario debeat sumi pro virtute et habitu charitatis; cum accipi etiam possit pro ipsa gratia seu dono nos Deo charos faciente, et ex divina charitate in nos collato.

Quoad 2um.; imprimis inde probaretur nimium, nempe etiam *fidem* et *spem* esse identificatam cum gratia : deinde, quamvis Trid. hic non faciat *explicitam* mentionem gratiæ, uti facit Moguntinum num. 341. laudatum, dici tamen potest, fieri mentionem implicitam in verbis *cum remissione peccatorum* ; quia hæc vel formaliter fit per gratiam, vel non fit sine gratia, ut can. 11. dicitur.

Quoad 3um.; rursus imprimis probaretur nimium : deinde, sicut per augmentum *fidei, spei et charitatis* non excluditur augmentum reliquarum virtutum infusarum, sic nec augmentum gratiæ. Quod autem virtutum duntaxat *theologicarum* hic mentio fiat, ratio est; quia tanquam certum asseruit Concilium, has virtutes in justificatione infundi et in justificationis incremento augeri, tanquam incertum vero reliquit, gratiam et alias virtutes tanquam realiter distinctas a charitate infundi et augeri.

Quoad 4um.; verbum *diffundatur* in singulari positum refertur more Grammaticis usitato ad postremum substantivum, de quo in c. 7., cui canon præsens correspondet, textum Apostoli protulerat; adeoque modus hic loquendi identitatem non indicat.

Quoad 5um. *D. M.* Contritio charitate perfecta meritorie et dispositive

reconciliat peccatorem *C.* formaliter *N.* Contritio charitate perfecta est actus; actus vero formaliter non justificant, nec reconciliant.

Inst. 1. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ; ergo cum divina natura sit per se *formaliter* operativa, talis etiam debet esse gratia sanctificans; ergo est indistincta ab habitu charitatis operativo.

R. *N. Cons.* Rursus enim imprimis instantia est hæc; ergo sicut divina natura realiter est sua operatio, sic etiam erit gratia sibi sua operatio. Item *Disparitas* est; quia gratia non est participatio divinæ naturæ cum omnimoda similitudine, sed cum aliqua duntaxat, quam charitatis habitus non possidet.

Inst. 2. Gratia et charitas sunt mutuo inseparabiles; ergo sunt identificatæ.

R. 1°. *N. Cons.* Tum quia retorquetur in virtutibus *moralibus infusis*: tum quia, licet separabilitas sit signum distinctionis realis, inseparabilitas tamen signum identitatis non est, ut in Personis divinis inseparabilibus quidem, sed tamen personaliter distinctis, manifestum est.

R. 2°. *D. A.* Gratia et charitas sunt inseparabiles metaphysice, seu de potentia etiam absoluta *N.* physice, vel tantum in hac providentia vi præsentis decreti *C.*

ARTICULUS III.

QUINAM SINT EFFECTUS FORMALES GRATIÆ HABITUALIS?

407. *Dico I.* Per gratiam habitualem efficimur *consortes naturæ divinæ.*

Prob. Natura divina potest spectari vel *physice* et realiter pro substantia Dei, vel *ethice* et moraliter pro indole, inclinatione ac dispositione Dei ad operationes: sed sub utraque acceptione naturæ divinæ consortes constituimur per gratiam; ergo.

Prob. 1ª. *p. min.* tum quia mediante gratia et charitate Deus substantialiter est, habitat et manet in justo; tum quia, ubicumque datur aliquid exigens divinæ personæ præsentiam ita, ut, si ubique illa non esset, ex vi solius illius rei revera inciperet esse præsens; tunc dicitur persona divina esse præsens creaturæ, atque illi de novo quasi uniri: sed quoties ponitur in homine justo gratia, toties verum est, quod Deus, seu appropriative persona Spiritus sancti esset præsens homini justo, si non esset ubique.

Prob. 2ª. *p.* Per gratiam homo fit consors naturæ divinæ *ethice* acceptæ, si per gratiam imitetur indolem divinam, eique assimiletur in perfectione repugnandi cum peccato et recte disponendi ad honeste operandum; in hoc enim potissimum stat conformatio morum cum moribus divinis, et etiam sensus verborum Petri dicentis: *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*; quia continuo subjungit: *fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem*: en aversionem a peccato; *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*; quibus promptitudo ad omne virtutum opus abunde exprimitur.

408. *Dico II.* Per eamdem efficimur *amici* et *grati Deo.*

Prob. Supposito ex parte Dei essentiali jure et *dignitate infinita*, ut is ab homine benevole et propter se diligatur; supposita item in Deo potentia et *propensione* ad hominem benevole diligendum et dona cum illo sua communicandum; ut habeatur etiam ex parte hominis amicitiæ vinculum, requiritur in eodem tum dignitas quædam, ut ametur a Deo; tum potentia, ut Deum benevole amet: sed utrumque præstatur per gratiam; ergo.

Prob. 1ª. *p. min.* 1°. Similitudo morum est fundamentum amicitiæ et dignitas, ut quis ametur: sed per gratiam habetur *similitudo morum,* quia habetur consortium naturæ divinæ ethice acceptæ; ergo. 2°. Gratia habitualis est vera justitia; sed vera justitia est maxime grata et amabilis illi, qui per antonomasiam justus est, nempe Deo, juxta illud Ps. 10. v. 8. *Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus;* ergo. 3°. Per amorem, quo Deus hominem diligit, fit iste Deo gratus et amabilis: juxta illud 2. Reg. 12. v. 25. *Vocavit nomen ejus: Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus;* et Sap. 4. v. 10. *Placens Deo factus est dilectus*: sed Deus non diligit hominem, nisi amore suo dignum; vel nisi faciat eum dignum per gratiam, cum non sit amor ejus sterilis, sed efficax; ergo.

Prob. 2.ª *p.* Ex dictis; quia gratia vel est eadem cum charitate, vel certe ab eadem inseparabilis.

Conf. utr. p. Præter obviam phrasin in Scripturis, qua justi dicuntur amici Dei, Trid. Sess. 6. c. 7. ait, hominem *per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum* fieri *ex inimico amicum;* et c. 10. justificatos factos esse *amicos Dei et domesticos;* ergo.

409. *Dico III.* Per eamdem efficimur *filii Dei adoptivi.*

Prob. Filiatio Dei adoptiva præter extraneitatem personæ dicit similitudinem in *natura* et jus ad *hæreditatem* cœlestem: sed utrumque præstatur per gratiam; ergo. *Prob.* 1ª. *p. min.* 1°. Similitudo cum Deo maxime habetur per *regenerationem* et nativitatem spiritualem ex Deo: sed hæc habetur per gratiam; quæ ideo etiam 1. Joann. 3. v. 9. *Semen Dei* in justo *manens* vocatur; ergo. 2°. Quia per gratiam habetur natura Dei *ethice* sumpta, quæ proprie in similitudine consistit. *Prob.* 2ª. *p.* 1°. Per gratiam signati sumus Spiritu sancto: sed signati Spiritu sancto habent jus gloriæ cœlestis, juxta illud ad Eph. 1. v. 13. *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ;* ergo. 2°. Per gratiam sumus filii Dei; sed hæreditas est filiorum, ex illo ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi;* ergo.

Conf. Trid. Sess. 6. c. 3. et 4. docet nos *renasci per gratiam, qua justificamur;* justificationem autem vocat *translationem de potestate tenebrarum ad regnum filii dilectionis suæ, et ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum*: item c. 7. docet *per gratiæ susceptionem* fieri, *ut* homo *sit hæres secundum spem vitæ æternæ;* ergo.

410. *Dico IV.* Per eamdem efficimur *justi.*

Prob. Justitia, non prout est specialis virtus, qua reddimus cuique suum, sed quatenus est *rectitudo* illa *totius hominis,* per quam tum est sanctus,

seu immunis a peccato, tum dispositus et ordinatus ad opera salutaria tam debita, quam pia, stat tum in expulsione *peccati*, tum in potentia eliciendi *actus supernaturales* æternæ vitæ meritorios : sed per gratiam expellitur peccatum; et per eamdem habetur potentia illa; vel quia ex gratia tanquam radice necessario emanant virtutes habituales velut proprietates et potentiæ, vel quia hæ virtutes saltem pertinent ad gratiæ constitutionem integralem, ut alibi ostendetur ; ergo.

Conf. Justi maxime efficimur, dum justificamur, regeneramur, renovamur, novum hominem induimur : sed hoc fit per gratiam; quia ad Rom. 3. v. 24. dicitur : *Justificati gratis per gratiam ipsius* ; ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per J. C., ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ;* et ad Ephes. 4. 23. *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis :* quod ipsum fieri *per gratiam, quæ in baptismate confertur,* Trid. Sess. 5. can. 5. definivit; ergo.

411. *Dico V.* Per eamdem efficimur *sancti,* seu mundamur et immunes sumus ab omni peccato mortali.

Prob. Eadem *forma,* quæ facit hominem Deo amicum, filium Dei adoptivum et hæredem regni cœlestis, mundat etiam et immunem facit a *peccato mortali*; cum enim peccatum mortale faciat hominem Deo inimicum, reum æternæ pœnæ constituat, et consequenter tum jure hæreditatis cœlestis, tum filiatione divina privet; e contrario forma, quæ opposita præstat, tollere peccatum vel expellere debet : sed gratia ex dictis hæc omnia efficit; ergo.

Conf. Gratia et peccatum comparantur 1°. Ut lux et tenebræ; ad Eph. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* ; et 2. ad Cor. 6. v. 14. 2°. Ut sanitas et ægritudo; juxta Aug. L. de spir. et litt. *Per gratiam sanatio animæ, ablatione peccati :* 3°. Ut novitas et vetustas; ad Coloss. 3. v. 9. 4°. Ut mors et vita; ad Rom. 5. v. 21. 5°. Ut sepultura et resurrectio; ibid. c. 6. v. 4. Accedit Trid. Sess. 5. Can. 5.

412. *Observa I.* In nullo instanti reali coexistere *gratiam habitualem* et *peccatum mortale* certum jam videtur : tum quia vere dicimus, justum seu gratia dotatum peccare : tum quia justo peccanti demeritorie aufertur gratia, qui proinde prius natura peccat, quam in pœnam peccati expellatur gratia; ad quod opus est, pro priori natura præexistere gratiam; et pro posteriori existere gratiam in eodem instanti reali.

Ratio est; tum quia clare infertur ex Baii prop. 43. damnata, quæ talis est : *In hominibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum* : tum quia effectus formales *gratiæ habitualis* sicut peccato repugnant pro reliquis instantibus, ita et repugnant pro instanti primo : ac præterea evenire alias posset, ut homini lethaliter peccanti nunquam auferretur gratia, si nempe immediate ad commissionem peccati perfecte contereretur.

II. Disputari solet, an gratia habitualis habeat ex *intrinseca sua vi,* natura et dignitate, sine ullo favore et condonatione extrinseca, quod expellat pec-

catum? In hac quæstione, quamvis facile concedatur requiri peculiarem Dei voluntatem remittentis et condonantis peccatum; videtur tamen TRIDENTINO conformius, si dicatur gratiam formaliter adæquate expellere peccatum: cum enim juxta Concilium justificatio sit *translatio a statu peccati*, hujus autem justificationis *unica formalis causa* asseratur *justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, et renovamur spiritu mentis nostræ*, ac præterea doceat, *per susceptionem gratiæ hominem ex injusto justum, et ex inimico amicum* fieri; videtur rite consequi illud assertum.

III. Ex eodem deducunt multi contra multos oppositionem gratiæ habitualis cum peccato mortali tam actuali, quam habituali esse essentialem ac metaphysicam, atque adeo nec de potentia Dei absoluta posse illa conjungi in eodem subjecto.

CAPUT II.

DE JUSTIFICATIONE.

ARTICULUS I.

AN ET QUÆNAM DISPOSITIO REQUIRATUR AD JUSTIFICATIONEM?

413. *Nota.* Cum non minus ex Scriptura, Deuter. 1. v. 59., et ad Rom. 9. v. 11., quam experientia certum sit, *infantes* discretione boni et mali carere, ac proinde incapaces esse dispositionis propriæ, fingere autem sine fundamento miraculum, et id tanquam medium ad salutem necessarium exigere, divinæ providentiæ ordini ac sapientiæ contrarium sit, adeoque fidei Ecclesiæ non minus, ac communi sensui repugnans; quæstionem propositam patet ad solos pertinere *adultos*, quemadmodum et ad hos TRID. suam doctrinam Sess. 6. c. 5. et 6. aperte restrinxit.

Plures etiamnum circa quæstionem ita limitatam errores sunt Hæreticorum; 1. fidem justificantem esse specialem divinarum promissionum fidem: 2. fidem illam solam justificare; ubi vox *sola* juxta *Lutherum* ac rigidiores Lutheranos excludit necessitatem præsentiæ aliorum actuum virtutum, juxta alios vero jam plures et *Calvinum*, meritum duntaxat et efficientiam quamcumque etiam dispositivam, non autem præsentiam excludit: 3. ipsam fidem justificare, non quidem per modum *causæ* formalis, aut efficientis vel meritoriæ, aut etiam *dispositionis* proprie dictæ; sed per modum *meri organi* seu instrumenti, quo apprehenditur justificatio, quod explicant exemplo manus, qua pauper eleemosynam a divite recipit.

414. *Dico I.* Ad justificationem non sufficit *sola fides*. Est de fide.

Prob. 1. Ex SCRIPTURA. 1°. Paulus docet fidem sine charitate nihil prodesse; ad Galat. 5. v. 6. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque*

præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur; et 1. ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Jacobus vero, fidem sine operibus vocat mortuam.

2°. Qui habent fidem, possunt esse sine charitate et operibus, ut patet, præter dicta, ex Joann. 12. v. 42. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei;* et Matth. 25. ex parabolis *Virginum fatuarum* ac *servi inutilis* talentum unum sibi datum in fœnus non exponentis: sed ejusmodi non salvantur; ut rursus patet ex Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est;* et ex Matth. 25., ubi fatuis virginibus, quantumlibet Christo per fidem desponsatis, dicitur: *Amen dico vobis: nescio vos;* servus ejicitur in tenebras exteriores; ac demum sententia damnationis in eos, qui carent operibus, enuntianda subjungitur; ergo.

3°. Fidem solam habentes possunt etiam esse adulteri, fures, avari, ebriosi etc., cum Jac. 2. v. 19. de immisericorde dicat: *Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: et dæmones credunt et contremiscunt:* sed ex 1. ad Cor. 6. v. 9. hujusmodi *iniqui regnum Dei non possidebunt;* ergo.

II. Ex Traditione. 1°. Ex Patribus, inter quos Chrys. hom. 25. (al. 24. n. 1.) in Matth.: *Non enim solum qui fidem habet, si vita negligatur, e cœlis excluditur; sed etiamsi cum fide multa signa ediderit, nec boni quidpiam fecerit, a sacris similiter portis repelletur.* Et in Joann. hom. 30. (al. 31. n. 1.): *Num ergo sufficit, inquies, in Filium credere, ut vita æterna habeatur? Nequaquam..... si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem... Opus namque nobis est et vitæ et morum instituto probo.* Ambros. ep. 78. n. 8. *Fides velut prævia charitatis occupat animam, et præparat semitas venturæ dilectioni. Sic omnis* (perfecta) *fides est, ubi perfectio charitatis.* Auctor Comm. in ep. S. Pauli qui sub nomine Ambrosii circumferuntur, in ep. ad Gal. c. 5. v. 5.: *Sola fide opus est in charitate ad justificationem; fides enim charitate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis.* Aug. de Trin. L. 15. c. 18.: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.* Cf. etiam L. de fide et oper. c. 14. S. Leo M. serm. 48. c. 3. (de Quadrag. 10.): *Quamvis magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes.*

2°. Ex recensione *errorum.* Inter hos enim tanquam antiquissimum et tempore Apostolorum occasione verborum D. Pauli exortum, a Petro autem, Joanne, Jacobo et Juda oppugnatum Aug. L. de fid. et op. c. 14. refert. Irenæus eumdem tribuit *Valentino,* ejusque antecessoribus Simoni mago et Pseudo-Apostolicis, dum L. 1. contr. hæres. c. 6. docet, eum promisisse salutem suam sequentibus doctrinam sine operibus. Idem Aug. L. de Hæresibus hær. 54. dicit de Eunomio.

3°. Ex Trid. quod Sess. 6. can. 9. sic definit: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur... anathema sit.*

III. Ex Ratione. 1°. Fides justificat ut fundamentum et *radix* justitiæ; ergo hoc ipso debet complementum addi per alia; vel si fundamentum suf-

ficiat, idem debet concedi charitati, cum ad Eph. 3. v. 17. *in charitate radicati et fundati* dicuntur justi.

2°. Si *fides sola* justificaret; ergo vel foret ex natura fidei et excellentiæ, vel ex voluntate Dei sub sola fidei conditione justificationem donantis: sed nec habetur ex *primo;* quia charitas est fide excellentior juxta illud 1. ad Cor. 13. v. 13. *Major autem horum est charitas:* nec ex *secundo;* quia tum ex dictis, tum ex proxime dicendis patet, a Deo non requiri solius fidei conditionem ad justificationem; ergo.

3°. Nec requiritur sola fides, prout est *assensus intellectualis;* tum quia id concedunt Heterodoxi: tum quia neque auctoritas, neque ratio ostendit, ad justificationem necessarium esse actum solius intellectus, non autem voluntatis: nec sola fides requiritur, prout est *actus voluntatis,* aut specialis confidentia; tum quia idem argumentum fieri potest respectu actus intellectus et aliorum voluntatis: tum quia illud singulare officium apprehensionis, si permittatur fidei, etiam concedendum est amori et gaudio, de quibus ita loquitur Aug. L. 8. Conf. c. 2. n. 5. *Volebant eum omnes rapere intro in cor suum, et rapiebant amando et gaudendo: hæ rapientium manus erant.*

415. *Obj.* Justificatio tribuitur fidei simpliciter. *Prob.* Ad Rom. 10. v. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam;* et Christus tum Matth. 7., tum Luc. 7. et 17. hæmorrhoissæ, Magdalenæ, leproso ac cæco ait: *Fides tua te salvum fecit;* ergo.

R. 1°. *N. Cons.*; quia eadem de timore, spe, amore ac pœnitentia referuntur, quin tamen concedant aut Hæretici, aut Catholici, quodlibet eorum se solo justificare hominem.

R. 2°. *D. A.* Fidei confidentiali Hæreticorum tribuitur simpliciter et universaliter justificatio *N.* fidei intellectuali Catholicorum *subd.* fidei solitariæ et informi, aut otiosæ *N.* fidei conjunctæ cum operibus per charitatem formatæ et operanti *C.* Textus primus utilitatem et necessitatem fidei ad justificationem ostendit, non autem solius sufficientiam, sicut dum præcedente versu dicitur: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitaverit a mortuis, salvus eris;* non solius resurrectionis fidem sufficere, sed et aliorum articulorum fidem requiri ac valere declaratur.

Reliqui textus quantum enuntiant de fide *hæmorrhoissæ, paralytici* ac *cæci,* ad materiam nostram plane non pertinent, cum in iis non de salute animæ seu justificatione, sed de salute corporis et sanitate agatur: quantum autem de *Magdalenæ* fide loquuntur; hujus quidem loci sunt, sed manifeste intelligendi sunt de fide per charitatem operante, cum Christus Luc. 7. dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum,* expressis verbis justificationem charitati tribuat. Cæterum quia *fides* est fundamentum spei, *spes* autem incitat ad orationem pro bonis sive corporis sive animæ fundendam, aut aliud quodvis pro illis obtinendis suscipiendum; hinc est, quod Christus utrobique salutem tribuerit fidei, tanquam *fœcundæ radici.*

Inst. 1. Scriptura justificationem fidei tribuit universaliter. *Prob.* Act. 10. v. 43. Petrus dicit, *remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum;* Ibid. 13. v. 39. Paulus ait: *In hoc omnis, qui credit in eum, justifica-*

tur; et 1. Joann. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*; ergo.

R. Particula *omnis* vel potest intelligi negative, vel affirmative; si *negative* exponatur, sensus textuum est : nemo sine fide remissionem accipit, justificatur, ex Deo nascitur; et hic sensus satis convenit cum scopo Petri et Pauli in Actis loquentium, pertinetque maxime ad alios textus objici solitos, quales sunt Joann. 3. *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et ad Rom. 1. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.* Si autem *affirmative* sumatur, sensus est : omnis, qui credit in Deum non solum speculative, sed et practice, h. e. qui habet fidem, non mortuam vel otiosam, sed vivam et operantem, remissionem accipit, justificatur, ex Deo nascitur; quia tum Principes Apostolorum in Actis, tum Joannes in sua epistola plura alia ad salutem postularunt.

Præterea verò cum constet generalem esse regulam, quod, si universales de *spe, humilitate, oratione, obedientia* aut aliis virtutibus affirmationes hujusmodi in Scripturis proferuntur, posita una conditione necessaria, aliæ non excludantur, sed potius subintelligantur; idem etiam dicendum est de objectis sententiis, adeo ut sensus sit, *fidem* ex parte sua justificare et salvare, modo addantur alia, quæ simul requiruntur.

Inst. 2. Justificatio formaliter tribuitur fidei. *Prob.* Habac. 2., ad Rom. 1., ad Hebr. 10. dicitur : *Justus ex fide vivit*; similiter ad Rom. 5. v. 1. dicuntur *justificati ex fide*; tandem 1. Joann. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*; ergo.

R. Particula *ex* in prioribus textibus usurpata, nec ob sermonis proprietatem, nec ob aliquas horum locorum circumstantias, dicit *causam formalem.* Itaque sicut *arbor* dicitur ex radice vivere, et aqua profluere ex fonte, sic et justus ex fide vivere ac justificari intelligitur, eo quod, ut cum aliis Patribus S. Aug. ep. 105. (al. 194. n. 9.) ait : *Fides unde omnis justitia sumit initium.* Quem sensum etiam proposuit Trid. Sess. 6. c. 8. *Ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis.* Postremus textus cum subsequente conjunctus ostendit quidem *fidei fructum* esse vitam æternam; sed nec de fide mortua, informi aut otiosa loquitur, nec de causa formali intelligi potest.

Inst. 3. Solam fidem requiri et sufficere ad justificationem, tum Scriptura, tum Patres declarant. Nam Luc. 8. v. 50. Christus Jairo ait : *Crede tantum, et salva erit.* Inter Patres Hilar. c. 8. n. 6. in Matth. ait : *Fides sola justificat*; Basil. in hom. de humilit. n. 3. *Novit se ipsum veræ justitiæ indigum, sola autem fide in Christum justificatum*; Chrys. hom. de fide et leg. nat. n. 1. (opp. t. 1. p. 826. D.) : *Latro credidit tantum, et justificatus est*; et hom. 3. in ep. ad Tit. n. 2. (opp. t. 11. p. 746. D.) : *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides justificare non sufficiat sola?* Aug. L. 1. ad Bonif. c. 21. de Sanctis V. T. ait : *Quantœlibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides mediatoris.* Similia de S. Ambr. Leon. et Bern. referuntur.

R. *N. Ass.* vel *D.* Fides sola sufficit, per hanc solitudinem excludendo alias dispositiones internas ad justitiam tum a Scriptura, tum a Patribus requisitas *N.* excludendo aliud quidpiam, quod ex circumstantiis locorum adductorum colligi potest *C.* Textus Scripturæ ad rem non spectat, quia non agit

de fide justificante, sed de *fide miraculorum*, seu impetrativa extraordinarii beneficii; nec de salute animæ, sed *corporis*, seu resuscitatione filiæ Jairi. Quod vero Christus ad impetrationem hujus beneficii fidem duntaxat postulavit, *ratio* est; tum quia ad simpliciter quidpiam impetrandum charitas non est necessaria, cum etiam peccatores possint orando impetrare : tum quia, ut S. Th. 2. 2. q. 83. a. 15. ad 3. inquit : *Efficacia impetrandi principaliter fidei attribuitur, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiæ divinæ et misericordiæ, ex quibus oratio impetrat, quod petit.*

Hilar. excludit solum legem Mosaicam; tum quia inter hanc et fidem facit oppositionem dicens : *Movet Scribas remissum ab homine peccatum..... quod lex laxare non poterat : fides enim sola justificat*; tum quia c. 7. n. 4. conjungit fidem cum operibus, dum ait : *Salus gentium omnis in fide est, et in præceptis Domini vita est universorum.*

Basilius excludit sola opera sine fide et gratia facta, cum ita scribat : *Hæc est perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat; sed novit seipsum*, etc., unde sola fide justificari apud ipsum nihil aliud est, quam ex dono Dei justificari, non ex operibus omne Dei donum prævenientibus; et justitiam veram non esse humanam, innixam sapientiæ humanæ ac viribus naturalibus, sed supernaturalem et divinam, seu fundatam in fide, quam infra cum Paulo ad Phil. 3. v. 9. vocat *justitiam, quæ ex Deo est in fide.*

Chrys. primo loco excludit solum opera *externa* pœnitentiæ, satisfactionis et aliorum mandatorum, quæ latro in cruce præstare non poterat; non vero actus internos comitantes et velut formantes fidem, ut justificare valeat, cum alibi latronem *pœnitentiæ Doctorem* nominet; et loc. cit. præmiserit : *Non oportet quidem nudam ab operibus esse fidem, ut ne vituperetur, verumtamen sublimior est fides, quam opera;* secundo autem loco excludit duntaxat *cæremonias* legis veteris, quia verbis objectis hæc subdit : *Quid te spontaneæ servituti subdis, et legis jugo collum submittis?*

Aug. excludit opera aut solius *naturæ* viribus, aut ex solo legis mosaicæ spiritu facta; non vero opera cum gratiæ auxilio elicita, et per fidem in futurum reparatorem perfecta; id patet ex contextu.

Inst. 4. Eadem Scriptura et Patres ita tribuunt fidei justificationem, ut excludant opera : ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis;* ad Gal. 2. v. 16. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro;* ad Philip. 3. v. 9. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ in lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justitia in fide.*

R. *D. Ass.* Fidei sic tribuitur justificatio, ut excludantur vel opera legis Mosaicæ tanquam ex se inutilia et in lege gratiæ etiam mortifera, vel opera sine gratiæ auxilio ex solis naturæ viribus facta *C.* ut excludantur opera auxilio gratiæ facta *N.* Scriptura loquitur duntaxat *de operibus legis;* hæc autem nec ad justificationem per se *necessaria* sunt, cum sine his Abraham legatur justificatus : nec tempore datæ legis ad eam *utilia* erant ex vi ipsius legis, cum hæc per se nihil ad perfectum adduxit, nec vim justificandi habebat; sed tantum ut facta ex spiritu fidei Dei et Christi; nec jam in lege

gratiæ ita sunt *requisita*, ut Judæi vel increduli et Christo repugnantes, vel in materiali quasi observatione legis confisi contendebant; contra quos hic loquens Paulus demonstrat, totam justificationem in *spiritu fidei* habere radicem, et per *opera fidei*, ut talia sunt, comparari ac compleri.

Inst. 5. Paulus ad Rom. 9. v. 12. dicit : *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est*; ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est : non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Ad Tit. 3. v. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* etc.

R. Scripturam de operibus *mere naturalibus* intelligendam esse declarant verba maxime textus secundi; quod idem de reliquis, sive ad justificationem, sive prædestinationem referantur, dicendum.

Inst. 6. Inter Patres Orig. L. 3. in ep. ad Rom. n. 9. (opp. t. 4. part. 1ª. p. 516. E.) ait : *Dicit* (Apostolus) *sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Ambr. in c. 4. v. 6. ejusdem ep. scribit : *Beatos dicit de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore et aliqua observatione, sola fide justificentur apud Deum.* Aug. L. de fid. et op. c. 14. n. 21. inquit : *Scial se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint : sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum*; ergo.

R. Origenes excludit sola opera *externa*; quia ponit exemplum *peccatricis* et *latronis*, qui non leguntur jejunasse aut eleemosynas fecisse, antequam justificarentur. Ambr. rejicit duntaxat observationes circumcisionis, sabbati, neomeniæ et similium *legalium*, ideoque ibidem addit, *cessante lege*, solam fidem sufficere. Aug. quamvis forsan exponi possit de operibus sine gratia factis, cum dicat : etiamsi *legis* opera non præcedant; tamen si accipiatur etiam *universim* de operibus omnibus, ut addita ab eo ratio videtur exigere, dici imprimis potest, excludi ab eo duntaxat opera *externa*, non vero internos actus, quos certe supponit, cum aperte loquatur de fide per charitatem operante.

Deinde *intentio* ejus duntaxat est docere, quod, licet homini opera non fuerint necessaria *ante fidem*, ut per fidem justificaretur, quia justitiam et fidem gratis accepit; nihilominus indigeat operibus justis post acceptam justitiam, ut ne illam amittat : in quo posterius dogma asserit contra modernorum errorem de *justificationis inamissibilitate*; prius autem hic vel quasi permittit, vel si etiam asserat, solum eatenus assumit, quatenus nec opera justificationem præcedentia sunt de condigno meritoria, nec meritum aut opus priora sunt ipsa gratia : quod postremum colligitur ex eo quod ibidem provocet ad disputata in L. de spir. et litt., in quo c. 9. sic ait : *Justificati gratis per gratiam : non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem, sed justificati gratis per gratiam ipsius; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem*, etc.

416. *Dico II.* Ad Justificationem requiruntur etiam *actus quidam aliarum virtutum.*

Prob. I. Ex Scriptura. Hæc 1°. universim requirit ex parte hominis aliquid libere præter fidem præstandum, ut is justitiam vel remissionem con-

sequatur. Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Act. 2. v. 37. Judæi *dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos : Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos : Pœnitentiam,* inquit, *agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum ; et accipietis donum Spiritus sancti.*

2°. Operibus vel actibus etiam a fide aliis tribuit justificationem. Prov. 14. v. 27. Timor Domini *fons vitæ;* Eccli. 1. v. 18. *justificare cor;* v. 27. *expellere peccatum* dicitur. Prov. 28. v. 25. legitur : *Qui sperat in Domino, sanabitur;* Matth. 9. v. 2. *Confide, fili : remittuntur tibi peccata tua ;* et 1. Joann. 3. v. 3. *Qui habet hanc spem, sanctificat se.* Præterea de amore Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* 1. Joann. 4. v. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Demum de pœnitentia Psalm. 31. v. 5. *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino : et tu remisisti impietatem peccati mei;* et Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies ;* Ezech. 33. v. 14. et seq. *Si* impius *egerit pœnitentiam a peccato suo... vita vivet, et non morietur : omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.*

3°. Negat sine hujusmodi actibus dari justificationem. Sic enim Eccli. 1. v. 28. dicitur : *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Ad Hebr. autem 11. v. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Tum 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Tandem Luc 13. v. 3. et 5. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis,* etc.

II. Ex Traditione. 1°. Patres, præterquam quod idem de singulis his actibus asserant ; justificationis et salutis nostræ negotium confici per virtutes illas sibi succedentes testantur. Sic Ignat. in ep. ad Philipp. c. 14. ait : *Principium vitæ est fides, finis vero ejus dilectio : ambæ autem simul junctæ hominem perficiunt.* Clem. Alex. L. 2. Strom. (opp. p. 384. D.) : *Præcedit fides, timor ædificat, perficit autem dilectio.* Orig. in ep. ad Rom. L. 4. n. 6. (opp. t. 4. p. 1ª. pag. 531. A.) : *Puto quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est, profectus vero et augmenta ædificii spes est, perfectio autem et culmen totius operis charitas.* Aug. serm. 16. de verb. Apost. (al. serm. 158. n. 6.) : *Incipit homo a fide..... sed adhuc ista fides discernatur ab immundis spiritibus. Ad fidem quid pertinet? Credere..... Si tantum credis, et sine spe vivis, vel dilectionem non habes : et dæmones credunt et contremiscunt..... Adde ergo fidei spem..... speique ipsi adde charitatem.*

2°. Idem docetur a Synodis : Araus. II. can. 25. ubi definitur, *non solum fidem, sed et amorem sui a Deo inspirari, ut et baptismi Sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum ea, quæ sibi sint placita, implere possimus.* A Trid. autem Sess. 6. tum cap. 6., tum can. 3., ejusmodi actus tanquam necessarii ad justificationem recensentur.

III. Ex Ratione. 1°. Sine operibus homo non salvatur, ut manifestum est ex sententia judicis divini Matth. 25. ; ergo nec sine illis homo justificatur ; cum plus videatur requiri ad acquirendam, quam ad retinendam justitiam.

2°. Sicut ex multis *infidelibus* quidam accipiunt fidem, et non alii ; ita etiam certum est ex *adultis impiis* quosdam justificari, et ex recipientibus Sacramenta obtinere remissionem peccatorum, alios non : sed hæc diversitas non potest proxime referri, nisi in cooperationem aliquorum cum

gratia, aliorum autem defectum hujus cooperationis ; cum Deus paratus sit omnibus infundere gratiam justificantem, ut ex Prophetarum oraculis abunde constat ; ergo.

3°. Si non requirerentur *opera* ; ergo vel quia homo per peccatum excidit a libertate, et hinc ejus opera tanquam necessaria sunt inutilia ; vel quia quælibet hominis lapsi opera, etiam pietatis, totidem sunt peccata mortifera : sed ista *Heterodoxorum* fundamenta alibi jam sunt diruta et omnino falsa ; ergo.

417. *Obj.* Justificamur omnino *gratis* ; ergo nulla dispositio ad eam ex parte nostra præcedit, aut postulatur ; quia, sicut dum gratia nobis dicitur dari gratuito, inde inferimus ad eam non requiri dispositionem ; sic idem dicendum est de justificatione. *Ant.* patet : ex ep. ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ibid. 4. v. 4. et 5. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum : ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.*

R. *D. A.* Justificamur omnino *gratis,* sumendo justificationem *radicaliter,* vel etiam adæquate tam pro initio et primo motu ad justitiam, quam pro infusione ipsa gratiæ *C.* sumendo justificationem *formaliter* vel inadæquate pro sola justitiæ infusione, *subd.* justificamur *gratis,* per hoc excludendo merita tum propria, quæ sint ex nobis et non ex Deo, tum de condigno talia, quæ absolute et simpliciter merita dicuntur *C.* excludendo merita duntaxat de congruo vel opera principaliter ex Dei gratia profecta *N.* Si justificatio *priori modo* accipiatur, verum est, quod ad illam nulla detur dispositio, cum ante primam gratiam et opus pium auxilio hujus gratiæ factum, nihil sit in homine, quod ad aliud disponat ; atque in hoc tenet paritas cum gratia, vel potius est identitas aut æqualitas.

Si autem *posteriori modo* sumatur justificatio, et comparetur cum gratia prima : *Disparitas* constat ex eo, quod *dispositio* ad aliquid supernaturale debeat esse ejusdem ordinis ac supernaturalis, talis autem dispositio ad gratiam hoc ipso præcedere nequeat, quod *prima* sit : justificationem autem formalem seu infusionem gratiæ habitualis præcedit gratia actualis, et cum ejus auxilio elicitum opus supernaturale. *Dixi :* si justificatio formalis comparetur cum gratia *prima ;* quia si comparatio fiat cum gratia *secunda ;* paritas probat pro nobis, cum ex alibi dictis bonus usus gratiæ prioris sit meritum de congruo, vel saltem dispositio positiva ad alias gratias posteriores.

Inst. 1. Trid. Sess. 6. c. 8. dicit : *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Et S. Aug. L. 83. QQ, q. 76. n. 1. ait : *Quod si, cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo ; nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit ; non consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur ;* ergo.

R. Cum Trid. fidem et opera justificationem præcedentia sæpius declaraverit esse dispositionem et præparationem, quam ipsa justificatio sequatur, et quasi pro mensura habeat, et Aug. pluribus in locis fidei tribuat rationem alicujus meriti, vel loc. cit. loquitur de fide *plane mortua* et informi, ac operibus sine gratiæ prævenientis auxilio factis, illisque negat omnem meriti

rationem; vel excludit ab illis meritum duntaxat *de condigno*, tanquam communius intellectum sub nomine meriti absolute et simpliciter dicti. Denique si etiam permittatur, Concilium non tantum præscindere a merito congruo, sed illud etiam de fide et operibus justificationem præcedentibus negare; inde tamen non sequitur, quod adversarii intendunt, negari etiam rationem *dispositionis*, utpote quam Trid. expressis verbis attribuit fidei, aliisque hominis actibus. S. Aug. verbis allatis negat meritum operibus legis et sine fide factis, non vero fidem comitantibus, et ex dono gratiæ profectis.

Inst. 2. Opera omnia, quæ justificationem præcedunt, vel mala sunt, vel mortua; ergo nequidem dispositiones esse possunt. *Prob. Ant.* 1ª. *p.* ex S. Aug. in Psalm. 31. n. 7. scribente: *Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum : attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala.* 2ª. *p.* vero constat ex eo, quia sicut homo ante justificationem est mortuus, sic etiam ejus opera sunt mortua.

R. *N. A.* Quod damnavit Trid. Sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; .... anathema sit.*

Ad prob. 1am. R. Aug. loqui de operibus ante fidem, non autem ex fide factis; quia in sequentibus sic loquitur : *Debebat* (tibi Deus) *vindictam; dat indulgentiam : incipis ergo esse in fide per indulgentiam, jam fides illa assumpta spe et dilectione incipit bene operari,* etc.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* Sunt opera mortua, h. e. non sunt informata gratia sanctificante, quæ est vita animæ, nec sunt a Spiritu sancto operantem inhabitante *C.* h. e. sunt mortifera et peccata, seu nequidem procedunt ex gratiæ auxilio, nec sunt a Spiritu sancto operantem movente, excitante et adjuvante, nec sunt dona Dei *N.*

Inst. 3. Nec actus nostros exspectat Deus ad justificationem, ut ex Araus. II. patet, quod Can. 4. ait : *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, ... resistit Spiritui sancto.* Nec eos semper sequitur justificatio; cum plures etiam pœnitentes non justificentur; ergo illi proprie non disponunt.

R. Quoad 1um. *D. A.* Deus non exspectat actus nostros in vocando, seu conferendo gratias prævenientes *C.* in justificando seu conferendo gratiam sanctificantem *N.*

Quoad 2um. *D.* Actus nostros qualescumque non sequitur justificatio *C.* Actus nostros debito modo ac numero positos *N.* Quales et quot esse debeant actus ad justificationem infallibiliter disponentes, exponit Sess. 6. c. 6. Trid.

418. *Dico III.* Fides et reliqui actus supernaturales requisiti sunt *veræ dispositiones, præparationes et impetrationes* justificationis. Est *de fide.*

Prob. I. Ex Scriptura, quæ voce præparationis utitur. 1. Reg. 7. v. 3. *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, et præparate corda vestra Domino.* Eccli. 2. v. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Amos 4. v. 12. *Postquam hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel.*

II. Ex Patribus. Aug. in expos. c. 3. ad Gal. n. 27. *Filii fiunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante Mediatoris fide.* Et L. de prædest. Sanct. c. 7. *Ipsa* (Fides) *prima datur, ex qua impetrantur cætera.*

Basil. in Psal. 33. n. 9. *Timor salutaris, qui ad sanctitatem ducit, qualis existat, attende.* Ambr. L. 1. de Pœnit. c. 1. n. 4. *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Aug. de catech. rud. c. 4. n. 8. *Quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret, sperando amet.* Ambr. L. 7. in. c. 14. Lucæ, n. 204. *Nec hoc tamen plenum est, ut aliquis vocatus adveniat, nisi vestem habeat nuptialem, hoc est, fidem habeat et charitatem.* Aug. L. 4. contr. Jul. c. 3. n. 33. *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo,* etc.

III. Ex Trid., quod Sess. 6. c. 5. dicit exordium justificationis sumi a vocatione, ut homines a Deo aversi, *per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, et cooperando, disponantur*; tum c. 6. subjungit : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam*; c. 7. autem sic inchoat : *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur*; et in contextu ait, justitiam distribuit *secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem* : demum can. 4. et 9. aperte definit, hominem excitatum et a Deo adjutum aliquid *operari, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet.* Item *necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi,* etc.

419. *Obj.* Fides ad justificationem requisita tum ex definitione tum ex effectu sumenda est pro *fiducia*; ergo fides specialis est admittenda. *Prob. Ant.* 1°. ex ep. ad Hebr. 11. v. 1., ubi dicitur fides *sperandarum* ὑπόστασις *rerum,* quod non exponi debet *substantia*, sed *exspectatio,* prout sumitur Psal. 38. v. 8. Et ad Hebr. 3. v. 6. et 14. intelligitur. 2°. Ex Matth. 9. v. 2. ubi dum Christus dicit paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua,* fidem, per quam peccata delentur, nihil aliud esse declaravit, quam firmam in Christo fiduciam.

R. *N. A.* Quia quamvis Scriptura, Patres et Trid. spem ac fiduciam exigant ad justificationem, nec fidem tamen confundunt cum fiducia, nec fiduciam ponunt in confidentia absoluta et persuasione ex omni parte certa de remissione peccatorum sibi concessa.

Ad prob. 1am. *N. Ass.* imprimis enim ὑπόστασιν recte exponi per substantiam suadet, tum Interpretum Græcæ linguæ peritissimorum, nempe S. Chrys., Theodoret. et Theophyl. in hunc locum vulgatæ versioni congrua expositio : tum expositionis veritas, quia fides est spei nostræ basis ac fundamentum, prætereaque rebus sperandis tanquam necdum subsistentibus tribuit in mente *subsistentiam,* in quantum præstat, ut, quæ nec videntur, nec adhuc sunt, quasi præsentia sint animo et firmiter hæreant.

Neque his obstant citati textus : licet enim dum in Psal. legitur : *et substantia mea apud te est,* in Hebræo dicatur *exspectatio mea,* septuaginta tamen Interpretes, gnari exspectationis nomine rem ipsam exspectatam, veram scilicet vitam, significari; ὑπόστασιν verterunt. In cap. autem 3. ad Hebr. per *initium substantiæ* non intelligitur fiduciæ, sed fidei initium, quia Apostolus de novæ in Christo creaturæ initio loquitur, quod tribui debet fidei, utpote per quam Christus in nobis formari incipit, sicut per dilectionem perficitur. Accedit, quod in principio cap. 1. ad Hebr. Filius dicatur

figura substantiæ Patris, quo vocabulo non significari expectationem, sed personam Patris subsistentem apud omnes certum est.

Deinde transmisso etiam, quod ὑποστασέως nomine intelligatur exspectatio; inde tamen *fiducia* illa Heterodoxorum justificans colligi nequit; cum sperandæ res non indicent hic loci misericordiam Dei peccata remittentis et justitiam imputantis, sed vitam æternam et corporis resurrectionem dantis, ut ad Tit. 2. v. 13. exponitur : *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei*. Similia ad Rom. 8., alibique habentur.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* Nam 1°. Fiducia hic tantum exprimitur, utique ad justificationem necessaria; non autem eamdem esse cum fide asseritur, quæ præcedere debet, ut Trid. Sess. 6. c. 6. hunc ipsum textum adducens ostendit.

2°. Cum *paralyticus* sanitatem corporis quæreret, Christus volens illum perfecte et radicitus sanare, tollendo scilicet tum morbum, tum morbi causam h. e. peccatum, postulavit ab eo non *fidem specialem* de propria justitia, (utpote de qua corporeæ salutis cupidus nihil ante cogitarat, nec audierat etiam, maxime per Christi justitiam sibi imputandam) sed spem futuri beneficii, seu *talem fiduciam*, qua speraret non tantum sanitatem, sed et remissionem peccatorum, ac omnia ad eam necessaria se accepturum; unde verosimile est, Christum vel interius ad memoriam peccatorum et eorum detestationem illum excitasse, cum diceret : *confide, fili*; vel saltem aliquem pœnitentiæ motum simultaneum inspirasse, cum adderet : *remittuntur tibi peccata tua.*

3°. Quamvis permittamus *paralyticum* excitatum fuisse ad specialem illam fiduciam a Christo, eamque ab illo cum exclusione omnis timoris esse conceptam, perperam tamen exemplum hoc objicitur; quia et Christus ipse, quem Deum credere oportebat, et sine omni ambiguitate verborum remissionem peccatorum paralytico impendebat : nobis vero Christus ipse nostram dispositionem perspectans *visibiliter* non tribuit remissionem, sed impendunt absolutionem sacerdotes, quos interior animus noster latet.

Inst. 1. Fides, qua Abraham justificatus fuit, nihil erat, nisi fiducia in Dei promissionem; nam in ep. ad Rom. 4. v. 16. de eo Paulus ita loquitur : *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio*; et v. 18. addit : *Qui contra spem in spem credidit*; demum v. 20. et seqq. adjungit : *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est in fide, dans gloriam Deo, sciens plenissime, quia, quæcumque promisit, potens est et facere : ideo et reputatum est illi ad justitiam*; ergo.

R. *N. Ass.* Neque enim hoc probatur ex textu primo; tum quia per vocabulum *promissionis* non intelligitur remissio peccatorum, sed vocatio gentium, ut patet ex toto sensu : *Ut firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solum, sed et ei, qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est : quia patrem multarum gentium posui te* : tum quia per vocem *fidei* non significatur fiducia seu fides specialis, sed fides dogmatica, seu quam vocant *historicam*; cum in textu tertio exponatur ejus objectum esse *omnipotentiam* divinam ad quæcumque a Deo promissa reipsa præstanda.

Neque ex textu secundo; quia sensus est : Abraham ob divinam promissionem de filio sibi nascituro datam, credidit se consecuturum a Domino sobolem, vel posse sperare filium ex Sara, quamvis id naturaliter sperare

non posset, cum fere centum esset annorum, et emortua pariter vulva Saræ, ut ibidem inquit Apostolus.

Neque ex tertio; tum quia *diffidentia* non usurpatur hic ut opposita fiduciæ, sed fidei; cum in Græco legatur ἀπιστία, h. e. incredulitas; quo sensu etiam dum Jac. 1. v. 6. dicitur : *postulet autem in fide nihil hæsitans*, postrema vox in Græco exprimitur διακρινόμενος, h. e. dijudicans et in dubium revocans : tum quia, si tribuatur etiam Abrahæ confidentia certa; tamen imprimis illa non erat fides ipsa, sed *effectus* fidei, qua in Dei veracitatem et omnipotentiam credebat : deinde non habebat pro *objecto* remissionem peccati, sed sobolis nativitatem : præterea si nihilominus admittatur tanquam fiducia sine ullo timore firmissima et tanquam justificativa; tamen nec illa fides erat solitaria, cum Abrahæ *obedientia* satis sit nota et in Scripturis laudata : nec comparari potest cum nostra, quia ejus objectum speciali revelatione innotuerat Abrahæ, quod nobis non contingit.

Demum nec congruit Hæreticorum systemati; quia probat *justitiæ incrementum* ab iis pernegari solitum; cum de Abrahamo annum ætatis 84. agente asseratur Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*; textus autem tum Apostoli, tum Genes. 17. de Abrahamo jam 99. annos nato, rursus de justitia, non amissa et recuperata, sed aucta loqueretur.

Inst. 2. Fides non justificat, ut respicit *historias*, quia proposito Deum non placari, nisi morte filii, potius terremur, quam invitamur ad pœnitentiam : nec ut respicit *minas* et judicia Dei, ex simili ratione : nec ut respicit *mandata* et leges Dei; quia ex postulata legis observatione accurata, quæ est impossibilis, rursus ad desperationem homo adigitur : nec ut respicit *promissiones generatim* propositas, quia promissio, nisi speciatim applicata, pacem animi non adfert, nec tranquillitatem; ergo fides non justificat, ut respicit promissiones nobis specialiter convenientes; quales sunt ad Galat. 1. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris*, et 2. *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, etc.*

R. 1°. Errare adversarios in supposito, cum volunt *fidei justificantis* officium esse, ut reddat homines certos ac securos de remissione peccatorum et salute æterna.

R. 2°. Falsa esse pleraque Antecedentis membra quoad suas probationes. Nam 1. multæ sunt *historiæ*, quæ nos *in spem* erigunt; et licet mortis Christi historia ostendat summam Dei iram contra peccatum, simul tamen declarat, mortem illam fuisse pretium redemptionis nostræ.

2. *Comminationes* quidem non justificant adferendo securitatem, sed revocando a peccato et disponendo ad justitiam; cum timor Domini sapientiæ sit initium, ut Scriptura ait; et exponente Trid. homines divinæ justitiæ timore utiliter concussi, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo *in spem* erigantur etc.

3. Fides respiciens *leges* et *mandata* excitat in homine propositum ea observandi seu bene agendi, sine quo nemo justificari potest; unde sicut eamdem ad justificationem disponere certum est, sic aliunde falsissimum constat esse, quod de impossibilitate observandorum Dei mandatorum adjicitur.

4. Fides respiciens promissiones *generatim* factas, illas etiam nobis appli-

care potest et debet speciatim, non tamen ad tollendam omnem sollicitudinem ac timorem, cum hæc ad spem non requirantur; neque absolute ac sine omni conditione, sed cum debitis conditionibus ex parte nostra positis.

Unde R. 3°. Falsam quoque esse consequentiam, utpote quæ supponit propositiones illas pertinere ad singulos non solum quoad *sufficientiam*, quod nos etiam affirmamus, sed et quoad *efficaciam*; idque vel absolute et sine omni conditione a nobis præstanda, vel sub conditione solius fidei, quod hactenus refutavimus.

420. *Dico IV*. Fides ad justificationem requisita, nec est *specialis promissionum fides*, nec per modum *meri organi* et instrumenti concurrit, quo apprehendatur justificatio. Est de fide, ex Trid. Sess. 6. Can. 12. et 14.

Prob. 1ª. *p.* Fides illa *Novatorum* specialis, qua quis credat se esse justificatum, aut sibi remitti, vel non imputari peccata, 1°. non est *sufficiens*; quia, etsi etiam permittatur ad justificationem necessaria, tamen præter eam necessario requiritur fides dogmatica et catholica. 2°. Non est *necessaria*; quia necessitas hæc nec habetur ex ipsa natura rei, ut facile dabunt Heterodoxi : nec habetur ex institutione divina, cum nullibi in S. Scriptura talis fides a nobis postuletur; fiducia autem in Dei providentiam, misericordiam vel promissionem concipienda, possit esse sine tali fide seu certitudine de remissis sibi peccatis et imputata justitia. 3°. Est *impossibilis*, loquendo secundum legem ordinariam, et secluso privilegio; quia, ut illa fides specialis sit possibilis, oportet, ut promissio de remissione peccatorum *singulari* homini facienda vel facta, sit absoluta; cum afferat singulari homini obligationem credendi, peccata sibi esse remissa : verum non potest ostendi, promissionem absolutam hujusmodi esse ullibi factam; sed potius patet tantum promissam esse remissionem peccatorum hominibus *universim*, sub hac conditione, si egerint pœnitentiam, vel alia simili; ergo.

Conf. 1. Si certo atque ex fide credere debeo, peccata mihi esse remissa per Christum; ergo nec cum publicano dicere possum : Deus, propitius esto mihi peccatori; aut cum Ecclesia orare : dimitte nobis debita nostra; nec opus est baptismo, vel pœnitentia, vel aliis remediis peccatorum divinitus institutis : sed sic *fides ista specialis* non tam est justificans, quam justificationem impediens; ergo.

Conf. 2. Fides specialis juxta *Calvinum* et alios novatores est justificans simul et certos nos reddens de *prædestinatione* : sed ejusmodi fides seu fiducia, qua quis certus est se esse prædestinatum, jam præsupponit justificationem, et pendet a bona conscientia ac perseverantia, juxta illud 1. Joann. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et ibid. 2. v. 28. *Manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam*; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Modus justificandi per fidem tanquam per *organum* et *instrumentum*, quo promissio justificationis, vel ipsa justitia apprehendatur, non habet fundamentum in Scriptura, utpote in qua de hoc fidei officio nulla penitus mentio facta ostendi potest : non fundatur in *natura fidei*, quia si hæc statuatur in assensu intellectuali, illa non apprehendit, sed rem apprehensam appendit, discernit et approbat; si vero ponatur in voluntatis

fiducia, rursus non apprehendit, sed rei jam apprehensæ firmiter adhæret : non tribuit fidei præcellentiam, quæ potius amori, quam fidei esset tribuenda : denique nihil veritatis in se continet.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT NATURA JUSTIFICATIONIS ?

421. *Nota.* Tres sunt præcipui *Lutheranorum* et *Calvinistarum* circa justificationis naturam errores. 1us. quod velint in justificatione peccata vere et proprie non deleri, sed tantum non imputari ad pœnam, ob Christi justitiam, qua circumvestimur : 2us. quod velint justificationis naturam in mera illa peccati non imputatione consistere, absque interiori hominis renovatione et sanctificatione : 3us. quod velint justificationem non fieri per formam internam ac inhærentem, sed externam et imputatam ; justitiam nempe Dei vel Christi ope fidei apprehensam. Equidem contra hos errores veritatem Catholicam jamdum vindicavimus ; quia tamen *Hæretici moderni* contendunt, a nobis male sanctificationem, seu renovationem hominis cum justificatione confundi, et attribui justificationi, quæ *aliis donis* referenda sunt ; non abs re erit, recensitos errores omnes, quantum contra has exceptiones necessum est, refutare.

422. *Dico I.* In justificatione impii a Deo vere remittuntur peccata. Est *de fide.*

Prob. I. Ex Scriptura. 1°. Ex *verbis,* cum quorum significatione propria nequit componi sensus Hæreticorum. Ejusmodi est 1. *delere* : Psal. 50. v. 11., Isa. 43. v. 25., etc. 2. Sunt verba *lavare* et *mundare* ; Psal. 50. v. 4., etc. Isa. 1. v. 18. 3. Sunt verba, quæ peccata penitus ablata significant ; Psal. 102. v. 12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras* ; Mich. 7. v. 19. *Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ad Rom. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo Jesu.*

2°. Ex *Prophetiis* et testimoniis de fine adventus et redemptionis Christi. Nam Jerem. 31. v. 34. dicitur, et ad Hebr. 10. v. 17. repetitur : *Propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non memorabor amplius* ; Petrus Act. 10. v. 43. provocans ad Jerem. 31. v. 34. et Mich. 7. v. 18. ait : *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum* ; Joann. Baptista autem Joann. 1. v. 29. *Videns Jesum venientem ad se,* inquit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Paulus denique ad Hebr. 9. v. 28. scribit : *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* ; et c. 1. v. 3. *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram majestatis in excelsis.*

3°. Ex effectu Sacramentorum, maxime baptismi ; de quo vid. Tr. de Sacram.

II. Ex Traditione. 1°. ex Patribus. inter quos Chrys. hom. 2. in Ps. 50. n. 8. ait : *Ea sola (gratia) sordes meas, perfecte abstergere, ac nivis candorem mihi conciliare potest.* Aug. inEnch. c. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum* ; Greg. L. 11. ep. 45. (Opp.

t. 3. p. 1131.) scribit : *Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius?* Similia affirmant Ambr. L. 6. in Luc. n. 3., Theodoret. in Ps. 31., Bern. Serm. in Cœna Dom. n. 2. aliique.

2°. Ex Concilii, inter quæ Trid. Sess. 5. can. 5. sic definit : *Si quis per J. C. D. N. gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed istud dicit tantum radi, aut non imputari ; anathema sit.* Eamdem veritatem Concilium supponit circa peccati actualis remissionem, dum Sess. 6. can. 30. damnat eos, qui dixerint, quod *post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpa remittatur, et reatus æternæ pœnæ deleatur, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ vel in hoc seculo, vel in futuro;* quin etiam aperte asserit, ubi ead. Sess. c. 14. docet satisfactionem esse necessariam, *non quidem pro pœna æterna; quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ non tota semper dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati Spiritum sanctum contristarunt.*

III. Ex Ratione. Si peccata in justificatione non vere remitterentur, id fieret, vel quia Deus non *potest,* vel quia non *vult* destruere peccata : sed non potest dici 1um.; tum quia in hoc nulla potest excogitari implicantia, cum peccatum remittere non sit facere, ut peccatum commissum non fuerit commissum, sed, ut Aug. sæpius loquitur, est tollere seu destruere id, quod ex actu peccati remanet, quodcumque demum illud sit : tum quia peccatum alias foret *potentius,* quam Deus, cum illud quamcumque justitiam hominis penitus tollat, Deus autem justificando hominem non posset tollere penitus injustitiam.

Neque 2um. ; quia hoc est contra *veritatem Dei,* qui cum tanta exaggeratione propriam et veram remissionem toties promisit; contra ejus *misericordiam,* quæ magna a Davide Psal. 50. laudatur, nec tanta tamen foret in hoc casu : contra veram et *copiosam redemptionem* Christi, qui non venit ut solum a pœnis, sed maxime ab ipsa malitia et iniquitate nos liberaret : quibus accedit, quod nullo vel apparenti fundamento negari possit in Deo voluntas vere remittendi peccata ; cum hæc in ejus libertate posita fuerit, et nullibi contrariam voluntatem declararit.

Conf. Ex contrario dogmate sequitur 1. Ecclesiam Sanctorum, ad quam pœnitentes perseverantes ac prædestinati spectant, habere rugam et maculam, atque in cœlesti Jerusalem habitare plures coinquinatos : 2. Deum non *judicaturum* homines secundum veritatem, neque secundum opera singulis retributurum mercedem : 3. justificatos esse similes *sepulchris dealbatis,* sed fœtida cadavera complexis; atque hinc justitiam Christianorum correspondere Pharisæorum justitiæ, quam Christus sæpe est execratus.

423. *Dico II.* Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed insuper interiorem hominis renovationem formaliter includit. Est *de fide.*

Prob. I. Ex Scriptura. 1°. Ex iis textibus, quibus justificationi tribuitur *resurrectio, regeneratio, et vita,* quales sunt ad Rom. 4. v. 25. Ad Tit. 3. v. 5. Ad Rom. 8. v. 10. etc. 2°. Ex iis, quibus cum remissione peccati ejusmodi dona in justificatione conferri declarantur; ut ad Rom. 6. v. 4.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut, quomodo Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Ibid. c. 8. v. 10. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem.* 1. ad Cor. 6. v. 11. *Et hæc quidam fuistis ; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ad Ephes. 4. 22. et seqq. *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem Spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Ibid. 5. v. 23. et seqq. 3°. Ex iis, quibus ostendimus *effectus formales* gratiæ habitualis.

II. Ex Traditione. 1°. Ex Patribus, inter quos Cyr. Alex. L. 2. in Joann. (opp. t. 4. p. 147. A.) ait : *Dominus enim noster Jesus Christus regenerationem quæ per Spiritum fit, desuper esse aiebat, ostendens spiritum supremæ omnium substantiæ illum esse, per quem divinæ consortes efficimur naturæ, dum percipimus eum qui substantialiter ex ipsa procedit, et per ipsum atque in ipso ad exemplarem pulchritudinem reformamur, et sic ad vitæ novitatem renascimur, et in filiorum Dei adoptionem refingimur.* Chrys. hom. 1. in ep. ad Ephes. n. 3. inquit : *Non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles :* Ambr. L. de mysteriis c. 7. n. 34. *Accepisti... vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina.* Aug. L. de spir. et litt. c. 6. ad verba Pauli ad Rom. 6. ait : *Nempe satis elucet mysterio Dominicæ mortis et resurrectionis figuratum vitæ nostræ veteris occasum et exortum novæ, demonstratamque iniquitatis abolitionem renovationemque justitiæ;* et L. 1. de pecc. mer. c. 7. etc.

2°. Ex Concilius, inter quæ Mogunt. alias laudatum c. 7. ait : *Quæ* justificatio *cum peccatorum remissione etiam sanctificationem et interni hominis renovationem confert.* Trid. autem cum Sess. 6. c. 7. dixisset : *Hanc dispositionem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et renovatio interioris hominis,* etc. ; Can. 11. ita definit : *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate..... anathema sit.*

III. Ex Ratione. 1°. Non ideo solum justificamur, ut gehennæ pœnas evadamus ; sed ut *vitam cœlestem* habeamus ; tum quia hoc Paulus ad Rom. 6. declarat ex fine, ubi v. 22. ait : *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam :* tum quia id ostendit per ordinem, quem ibid. c. 8. v. 30. manifestat : *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit :* Sed sola remissio peccatorum liberat a pœna, non vero tribuit gloriam, ut patet in justificatione forensi ; ergo.

2°. Justificatio ex inimicis facit amicos, cives sanctorum, domesticos Dei et filios adoptivos, hæredes regni et cohæredes Christi ; sed appellationes adeo insignes non exprimunt solam peccati remissionem, ut rursus ex paritate cum foro civili constat ; ergo.

Conf. Si a justificatione distinguenda esset sanctificatio, et hæc *successive* fieret per *opera bona,* quibus tandem peccatum extinguatur penitus ; ergo justificatus adultus mox a justificatione accepta e vivis decedens non haberet locum, quo secundum Protestantium principia abiret : non enim damnan-

dus foret ad *infernum*; cum fidelis sit et justus : non admittendus ad *cœlum*, cum in eo necdum extinctum, sed etiamnum vivum esset peccatum, ac ipse etiam reipsa adhuc foret coinquinatus, cui Apoc. 21. v. 27. ingressus ad cœlum est præcisus : neque relegandus ad *purgatorium*; cum tertium inter cœlum ac infernum locum non patiantur.

424. *Dico III.* Ipsa justificationis gratia est aliquid homini intrinsecum et inhærens. Est *de fide*, ut constat ex verbis Trid. Sess. 6. Cap. 7. et Can. 11.

Prob. I. Ex Scriptura. 1°. Justificationis gratia est gratia, qua *creamur in Christo*, ut dicitur ad Ephes. 2. v. 10., aut sumus *nova creatura*, ut ad Galat. 6. v. 15. dicitur; est gratia, qua, ut ad Eph. 2. v. 5. et 6. legitur, *mortui peccatis convivificamur*; est gratia, qua, ut Christus Joann. 3. v. 5. ait, *renascimur* : sed id, quo creamur, vivificamur, resuscitamur aut renascimur, debet esse intimum ac intrinsecum; ergo.

2°. Justum esse *formaliter* nihil aliud est, quam esse immunem a peccato et rectum seu bene dispositum et ordinatum : sed per justificationis gratiam ita immunis est homo a peccato, ut id penitus sit remissum, deletum et ablatum; et ita est rectus, ut interius sit renovatus; ergo.

3°. Esse gratum Deo, filium Dei adoptivum, hæredem gloriæ cœlestis est effectus formalis gratiæ, non autem alterius, nisi justificantis et sanctificantis; sed hæc amicitia, adoptio et jus hæreditatis denotatur a Scriptura tanquam aliquid homini intrinsecum, ut patet ex ep. ad Ephes. 1. v. 5. et seqq. *Qui prædestinavit nos..... in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in filio dilecto suo, in quo habemus remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Item ad Rom. 8. v. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, pater*; et v. 23. *Nos ipsi primitias Spiritus habentes intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Denique ad Tit. 3. v. 5. et seqq.

II. Ex Patribus. Cyr. Alex. Thes. L. 34. (opp. t. 5. part. 1ª. p. 352. E.); ait : *Spiritus sanctus per seipsum in nobis operatur, vere sanctificans atque uniens nos sibi ipsi; et per conjunctionem ac copulam nostri secum, naturæ divinæ participes facit.* S. Cyrill. Hieros. Catech. 17. n. 14. : *Si ignis ferri crassitudinem intus permeans, totum in eo efficit ignem, quodque metallum frigidum erat, fervidum efficitur, et quod nigrum et obscurum, collucens evadit; si ignis, cum corpus sit, in ferri corpore se insinuans, ita absque impedimento operatur; quid admiraris, si Spiritus sanctus animæ interiora ingreditur?* Idem paulo supra dixerat. *Aqua* (in Baptismate) *exterius corpori circumfunditur : Spiritus vero etiam intus latentem animam sine ullo defectu perfundit et baptizat.* Cypr. in ep. ad Donat. n. 4. scribit : *In expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infundit, postquam, cœlitus Spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit.* Chrys. hom. ad Neophyt. (opp. t. 5. p. 289. D. edit. Lat. Ducæi Antuerp. 1614.) ait : *Etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant.* Hier. in Comm. Isa. c. 26. v. 14. sic loquitur : *Qui iniquitate mortuus est atque peccatis, antequam vivificetur justitia atque virtutibus per eum qui dicit : ego sum vita, vivere non poterit.*

Aug. ep. 85. (al. 120. n. 20.) ad Consent. dicit : *Quid est aliud justitia, cum in nobis est, vel quælibet virtus qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?*

III. Ex Ratione. 1°. Per justificationis gratiam homo non tantum fit non malus, seu non peccator, sed etiam fit *bonus* et justus; sed homo non fit bonus et justus per extrinsecam denominationem, ut constat ex ipso communi hominum sensu; ergo justificationis gratia debet esse *interna*, seu hominem intrinsece afficiens.

2°. In priori capite ostensum est, hominibus justis infundi gratiam *internam* ac *inhærentem* : sed hæc gratia includit omnia necessaria ad constituendum hominem justum, cum nihil ad constitutionem justi a quopiam requiri queat, quod non explicetur per *effectus formales* gratiæ habituali ibidem assertos; ergo gratia interna et inhærens est gratia constituens justum, seu forma justificans.

3°. Datur justificatio *duplex* : altera, quæ transit a simplici carentia, altera, quæ a privatione vel contrario transit ad justitiam; sed justificatio *prior* consistit in aliquo positivo intrinseco; cum hic non imputatio peccati locum non habeat; ergo et *posterior* : quia hæc idem dicit, quod prior, et superaddit duntaxat peccati perfectam remissionem.

425. *Obj. contr.* 1um. Psal. 31. v. 1. dicitur : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata;* ergo peccata teguntur, non vero delentur.

R. *D. Cons.* Peccata teguntur ita, ut tantum lateant, quamvis reipsa adsint et maneant *N.* ita ut auferantur et sanentur, vel ut gratiæ donis et sanctis operibus excludantur et reparentur *C.* Verbum *tegi* secundum vim præcise vocis non significat quidem *deleri* et extingui; ut omnes norunt, quin id doceantur a Kemnitio ad id probandum versum ex Prov. 12. *Homo versutus celat scientiam,* afferente; secundum sensum tamen *deleri* indicari in textu objecto, patet imprimis; quia hoc verbum *tegi* refertur ad Deum : Deo autem tegi nihil potest, nisi penitus deleatur, cum ex ep. ad Hebr. 4. v. 13. *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.*

Deinde quia in eodem textu conjunguntur *remitti iniquitates* et *tegi peccata,* quorum prius est verbum *proprium,* et juxta textum tum hebraicum, tum græcum auferri significat, posterius autem *metaphoricum*; regula autem generalis hermeneutices vult metaphoricum esse exponendum per proprium, specialis etiam præscribit Scripturam cum proprietate interpretandam : denique quia in aliis Scripturæ locis *tegi* et *deleri* conjunguntur, uti accidit in Psal. 50. v. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele;* et 2. Esdr. 4. v. 5. *Ne operias iniquitatem eorum, et peccatum eorum coram facie tua non deleatur.*

Accedit Patrum interpretatio; inter quos S. Aug. Enarr. 2. in Ps. 31. n. 9. imprimis negat peccatum permanere ex eo, quod dicatur tegi : *Non sic intelligatis, quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant;* postea vero per similitudinem explicat ita tegi, ut deleantur n. 12. *Medicus tegat et curet; emplastro enim tegit* : quod ipsum etiam Greg. M. in Psal. 2. pœnit., et Nazianz. Or. 40. in S. Bapt. n. 11. asserunt. Reliqui per verbum *tegi* non minus aliquid, sed plus, quam remitti, volunt intelligi; Basil. enim in

citata Psalmi verba ait, tanta Deum uti benignitate in peccatores, *ut non solum peccata remittat, sed etiam contegat.* THEODORET. ibidem; *Erga peccatores tali liberalitate utitur, ut non modo remittat, verum etiam obliteret, ut ne vestigia quidem horum remaneant.* AMBR. in Apol. 1. David. c. 6. n. 25. ait : *Sic dilexit Dominum* (David), *ut nimia charitate peccatum omne tegeret atque absconderet. Etenim si sanctus Apostolus Petrus lapsum suum confessione charitatis abolevit.... quanto magis David.* CHRYSOLOG. serm. 3. de fil. prod., etc.

Inst. 1. Juxta Scripturam impius etiam post justificationem coram Deo manet turpis et maculatus; ut patet ex Isa. 64. v. 6. *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*; et ex Psal. 142. v. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; ergo macula seu peccatum non deletur.

R. *N. A.* Textus primus prophetice agit de justitia Judæorum legali post Evangelium promulgatum; ut exposuit HIERON. in hunc locum; CYRILL. L. 5. in Isa. (opp. t. 2. p. 889. B.) et fatetur *Musculus* Lutheranus : vel agit quidem de justitia Judæorum Isaiæ coævorum, sed intelligi debet in sensu universali accommodo, non autem absoluto, ut ipse *Calvinus* in hunc locum docet; aut ideo tantum justitia eorum extenuatur, quod lex vetus nihil ad perfectum adduceret, et populus tum temporis suas legis justificationes innumeris peccatis adjectis corrumperet; ut S. BERN. serm. 5. innuit.

Secundus vero textus declarat, nullum hominem purum *de se* omnino esse innocentem et liberum a peccato veniali, nec posse de sua justitia præsumere; ad prioris enim confirmationem pertinet illud Jobi 4. v. 17. *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir?* Ad posterioris autem AUG. expositio in hunc locum : *Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et pravus invenior.* Cæterum veram justitiam ac innocentiam hominibus nihilominus convenire, constat ex Psal. 17. v. 21., aliisque locis innumeris.

Inst. 2. HIER. L. 3. in Jerem. c. 13. v. 12. proximum Psalmi versum adducens ait, verba hæc referenda esse, *non ad comparationem Dei* (*ut veteres et novi hæretici volunt et patroni hæreticorum*), *sed ad scientiam ejus : homo enim videt in facie, Deus in corde, et quod nobis interdum mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur.* GREG. L. 23. Mor. in fine declarat, omnia in homine esse *pura mala*; AMBR. L. 2. de Jacob. c. 2. n. 9. justificationem explicat exemplo *Jacobi* sese vestimentis Esau ac pelle hædina occultantis; ergo Patres sentiunt etiam in justificatis manere peccata; eaque duntaxat contegi justitia Christi.

R. *N. Cons.* HIER. veterum ac novorum hæreticorum nomine indicavit *Origenistas* et *Pelagianos*, qui hominem propriis ex viribus docebant posse absque omni peccato vivere; unde S. Doctor in sua expositione et ad humanam conditionem gratia divina destitutam, et ad peccata venialia, quibus homo in corpore corruptibili obnoxius est, respexisse cognoscitur. GREG. se ipsum exponit, cum loquatur de operibus bonis, quorum honestatem captatio laudis et superbia corrumpit. Denique comparatio Jacobi cum homine justificato, si quidem, quod alii negant, a S. AMBROSIO sit instituta, nec debet necessario convenire quoad omnia, nec ad causam justitiæ formalem expo-

hendam pertinet, sed ad *causam meritoriam*, quatenus Christi passio et merita nostris dispositionibus per gratiam applicata, aut per Sacramenta, quæ suscipimus, proposita Deum ad justitiam nobis conferendam movent.

426. *Obj. contr.* 2um. *et* 3um. In verbis Psalmi : *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*, etc. : vel continetur plena, vel dimidia definitio justificationis; si plena sit, justificatio constat sola peccatorum remissione, cum nulla fiat justitiæ infusæ mentio : si dimidia, male diceretur a Davide beatus, qui nonnisi media ex parte est justificatus.

R. 1°. Quando Psalmista dicit : *Beatus vir, qui timet Dominum;* aut Christus : *Beati pauperes spiritu, beati mites, etc.* vel his verbis continetur plena, vel dimidia definitio justificationis : si plena; ergo justificatio non stat in remissione peccati : si dimidia, male dicitur beatitudo.

R. 2°. Potest dici, quod in his verbis contineatur integra definitio justificationis, sed *implicite*, quatenus remissio peccati de facto non fit, nisi justitia simul infundatur ; id quod tum S. Paulus ostendit ad Rom. 4. v. 6. scribens : *Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, etc.* ; tum comparatio de tenebris declarat, quæ non fugantur, nisi lumen succedat. Vel dici potest, non poni hic definitionem justificationis plenam, sed solum explicari id, quod pertinet ad justificationem, aut ad acquirendam beatitudinem, ut ex textibus pro instantia allatis liquet.

Præterea nec David, nec Paulus illum textum producunt, ut justificationis definitionem exponant; cum uterque intendat duntaxat probare veniam peccatorum esse *donum Dei*, neque propriis viribus, sed gratiæ divinæ adscribendam, ut in hunc Psalmum D. Aug. commentatur.

Inst. 1. Bern. Serm. 22. in Cantica n. 8. ait : *Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris ; et justus sum ;* et Serm. 23. n. 15. *Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi ;* et paulo post : *Non peccare Dei justitia est, hominis justitia indulgentia Dei ;* ergo justitia in sola remissione stat.

R. *D. Cons.* Ergo justitia adæquata stat in sola peccatorum remissione *N.* inadæquata *C.* Duas in justificatione partes agnosci a S. Bern., constat ex eod. Serm. 22. in Cantica, ubi ait n. 8. : *Tam validus es ad justificandum, quam multus ad ignoscendum.* Et infra n. 9. : *Tactus a peccatrice justus justitiam impertit, non perdit ; nec sorde peccati, qua illam mundat, se inquinat ;* postea : *Flevit amare, quatenus culpam dilueret, recuperaret justitiam.* Similia alibi plura passim apud eumdem occurrunt.

Inst. 2. S. Aug. L. 19. de Civ. c. 27. ait : *Ipsa nostra justitia, quamvis vera sit propter veri boni finem, ad quem refertur ; tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum ;* ergo justitia non videtur esse virtus a Deo infusa; præsertim cum sententia Aug. confirmetur ex fine redemptionis Christi ; quia quod præcipue fuit intentum in *generali redemptione* Christi, est etiam præcipue cum proportione intentum in *justificatione impii*, cui applicatur redemptio : sed Christi redemptio principaliter et juxta plures unice fuit intenta ac ordinata ad delendum peccatum; ergo.

R. *N. Cons.*, quia τὸ *potius* non excludit perfectionem virtutum, sed ei

remissionem peccati duntaxat præponit. *Ratio* autem hujus est partim ex eo, quod in baptismo peccata adeo perfecte deleantur, ut nihil omnino rationem culpæ habens remaneat; virtutes autem infusæ non sunt ita perfectæ, ut non quotidie magis ac magis perfici debeant: partim quia S. Doctor hic non agit de prima justificatione, comparando infusionem justitiæ cum remissione peccati, sed loquitur de justitiæ nostræ statu in præsenti vita, quem magis remissione peccati, quam perfectione virtutis constare dicit, quia quoad *durationem* et *conservationem* raro est constans, homoque a casu sæpe resurgere debet; vel si etiam conservetur justitia, tamen pura non est, sed multis peccatis venialibus admixta, adeoque quoad puritatem ejus perfectio acquiritur potius remissione peccatorum hujusmodi, quam virtutis perfectione: atque hoc ipsum declarat ratione adjecta, qua docet justos quotidie clamare; *Dimitte nobis debita nostra*; hancque orationem justis esse necessariam.

Ad prob. Cons. R. Opera redemptionis Christi, quatenus *satisfactoria*, fuisse principaliter ordinata ad remissionem peccatorum, non item quatenus *meritoria*; quia hæc propter vitam gratiæ et gloriæ nobis obtinendam offerebantur; atque hæc responsio tenet pro sententia tum D. Thomæ, tum Suaresii de motivo incarnationis, ac præter alia fundamentum habet in verbis Pauli supra jam relatis: *Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.*

427. *Observa I.* Superest quæstio, an præter gratiam sanctificantem quam supra distinctam a charitate docuimus, in justificatione infundantur etiam *virtutes* tum theologicæ, tum morales, seu virtutes cardinales per se infusæ? Sed de prioribus actum a nobis est alibi; de posterioribus breviter respondeo: non esse quidem *fide certum*, morales virtutes in justificatione infundi; esse tamen verum, et Scripturæ, Patribus ac rationi magis consentaneum.

Ratio primi est, quia nec ante Trid. de hac infusione aliquid est definitum, ut concedunt omnes; nec etiam ab ipso Trid., cum id de illis non solum in specie nihil enuntiaverit, sed nec sub generali quidem appellatione virtutum. Præterea quamvis Sess. 6. c. 7. fecerit mentionem *donorum* præter gratiam, et possint etiam probabili conjectura dici sub hoc vocabulo esse intellectæ, id tamen ut certum, maxime de fide, asseri nequit. Solum in Can. 3. nominavit *pœnitentiam* cum *fide, spe* et *charitate*; sed et ibi loquebatur de actibus, non autem habitibus; et actus pœnitentiæ non supponit semper habitum proprium, sed a charitate proficisci potest.

Ratio secundi est, tum quia testimonia quædam Scripturæ in faciliori et altiori sensu possunt intelligi de virtutibus hujusmodi infusis, qualia sunt: Sap. 7. v. 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*; Sap. 8. v. 7. *Sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*; ad Coloss. 1. v. 10. et 11. *In omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus*: tum quia Aug. in enarr. Ps. 83. ad illa verba: *Ibunt de virtute in virtutem*, enumeratis quatuor virtutibus cardinalibus inquit: *Istæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis*. Greg. autem hom. 5. in Ezech. n. 2. et 11. et Ambr. L. 6. Hexam. c. 7. has virtutes morales tribuunt Spiritui sancto: tum quia virtutes hujusmodi sunt possi-

biles in ordine gratiæ, ut aliunde probatur; ergo infunduntur cum gratia; partim quia hoc postulat perfectio gratiæ et justitiæ supernaturalis, partim quia id exigit necessitas eliciendi actus his virtutibus respondentes.

ARTICULUS III.

QUÆNAM PROPRIETATES CONVENIANT JUSTIFICATIONI?

428. *Nota.* Ex palmari illo de justitia Christi per fidem apprehensa, qua justi efficiamur et Deo accepti, deducunt 1°. *Lutherus* ejusque, præter Kemnitium, Bucerum et alios quosdam, plerique sectatores justitiam, utpote ipsam et eamdem Christi, in omnibus justis esse æqualem, nec unum altero esse justiorem : 2°. *Calvinus* cum suis colligit, esse immobilem et inamissibilem, adeo, ut semel justificati, quantumvis gravissima scelera patrent, nunquam tamen excidant a gratia, et Spiritum sanctum amittant, ut cum suo Magistro docet Theodor. Beza, et definit syn. Dordrectana contra Arminianos; vel ita ut, licet justi ob peccatum subinde commissum excidant a gratia, non tamen remaneant in reatu mortis æternæ, sed per pœnitentiam redeant ad sanctitatem. 3°. Uterque demum concludit, posse ac debere omnes fide divina certo credere, se esse justos, adeo, ut si id non credant, jam justi non sint, cum per solam fidem justificentur.

429. *Dico I.* Justitia tum in diversis hominibus justis de facto est inæqualis, tum in uno eodemque homine potest crescere et fieri inæqualis. Utraque est *de fide*; ex Trid. Sess. 6. cap. 7. et c. 10., item can. 24. 32.

Prob. 1ª. *p. I.* Auctoritate. 1°. Quia unus altero est major et sanctior. Matth. 11. v. 11. *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista; qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*; et ex epist. 57. Aug. (al. 187. n. 17.) : *Unde in omnibus sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?* 2°. Quia datur gratia secundum mensuram tum providentiæ et voluntatis Dei, tum dispositionis et capacitatis nostræ; ep. ad Ephes. 4. v. 7. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus*; et ex Aug. tum in ep. cit. ibid. : *Cum igitur qui ubique est, non in omnibus habitet; etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat*; tum in ep. 29. (al. 167. n. 13.) : *Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus.* 3°. Quia in N. T. major gratia et Spiritus abundantia communicatur Ecclesiæ, quam antea daretur hominibus, ut ex differentia inter veterem et novam legem constat.

II. Ratione. Quia supposita gratiæ habitualis inæqualitatis et augmenti intensivi possibilitate, quam a posteriori et ex effectu in sequente parte secundum fidei principia probamus, ratio, cur uni major justitia tribuatur, quam alteri, reddi potest vel ex *voluntate Dei* ad ostensionem gratiæ suæ ita decernentis; vel ex *causa* gratiam uberiorem applicante, qualis est Sacramentum; vel ex *dispositione* supernaturali majore vel minore, quæ variat in hominibus ad justificationem se parantibus.

Prob. 2ª. *p. I.* Auctoritate. 1°. Quia Scriptura justitiam per augmentum

describit, Prov. 4. v. 18. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem;* et Psal. 83. v. 7. et 8. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit: etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem;* in quem locum SS. PP. commentantes statuunt virtutem, merita et gratiam in justis frequenter augeri.

2°. Quia eadem adhortatur ad justitiæ augmentum, Eccli. 18. v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari;* ad Coloss. 1. v. 9. et seq. *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati,* etc.; Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: et sanctus, sanctificetur adhuc;* unde Ecclesia Dom. 13. post Pentecost. sic orat: *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, charitatis augmentum;* et in Trid. Sess. 6. cap. 10. declarat, hac oratione *justitiæ incrementum peti.*

3°. Quia similiter docet dari charitatis vel justitiæ fructuum augmentum, aut ad id adhortatur; ut patet ex 2. ad Cor. 9. v. 10. *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ;* ad Philipp. 1. v. 9. *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et omni sensu;* et ad Ephes. 4. v. 15. *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Paulum imitatur Aug. L. 21. de Civ. c. 15. scribens: *Hic pignore accepto illud, cujus est hoc pignus, suo tempore consequemur: nunc autem ambulemus in spe, et proficientes de die in diem spiritu facta carnis mortificemus;* dum autem jam justificati proficimus, ut idem serm. 16. de verb. Apost. (Al. serm. 158. n. 5.) ait, *ipsa justitia in nobis crescit:* charitas autem vel eadem, vel inseparabiliter conjuncta est cum justitia ex supra dictis.

II. Ratione. Quia in pluribus reperiuntur vel actus essentialiter et objective *perfectiores,* vel actus ferventiores et cum majore affectu ad meritum virtutis, præsertim ad placendum Deo eliciti, vel *frequentiores* quoad numerum, aut universaliores quoad plura virtutum motiva, vel susceptiones Sacramentorum perfectiores, ferventiores aut frequentiores; ergo cum actus virtutum sint *dispositiones* ad justitiæ initium, sequitur eosdem a justificatis elicitos multo magis esse dispositiones ad illius incrementum, vel potius, ut Trid. loquitur, *justitiæ augendæ causas.*

430. *Dico II.* Vere justificatus potest justitiam peccando amittere etiam in perpetuum, et ita, ut nunquam illa reparetur. Est de fide, et constat ex Trid. Sess. 6. c. 12. Item can. 23. et 27.

Prob. 1ª. *p. I.* Auctoritate. Scriptura sacra 1°. docet justos posse amittere gratiam; in Veteri Testamento Ezech. 18. v. 24. dicitur: *Si averterit se justus a justitia sua et fecerit iniquitatem..., numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, et in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Item c. 33. v. 12. In N. T. Paulus ad Rom. 11. v. 20. ait: *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time;* et v. 22. *Vide ergo in te bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin et tu excideris.* Joannes vero ep. 2. v. 8. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis.*

2°. Ostendit justos de facto amisisse gratiam; nam, ut omittamus exempla

singulorum, *Adami* scilicet, *Davidis* ac *Petri*, de quibus alibi dictum. Paulus id testatur de quibusdam, dum 1. ad Tim. 1. v. 5. ait : *Finis præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta, a quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium*; et v. 19. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* De pluribus determinate asserit ad Galat. 1. v. 6., etc. Demum de pluribus universim enuntiat ad Hebr. 6. v. 4. et seqq.

Similiter Patres idem asserunt 1°. *Expressis verbis.* 2°. *Æquivalenter*, dum justis timorem, ne cadant et gratiam perdant, consulunt; perseverantiam incertam et speciale ad illam auxilium requisitum dicunt; pœnitentiam etiam justis post lapsum necessariam, sæpiusque iterandam denuntiant; ex quibus evidenter sequitur, justitiam sæpius amitti posse.

II. Ratione. Quia hæc veritas ex principiis fidei alibi stabilitis desumitur; inter quæ 1um. est, justum obligari præceptis naturalibus divinis et humanis; 2um. transgressionem præcepti in materia gravi esse peccatum mortale; 3um. peccatum mortale non posse simul esse cum charitate; 4um. gratiam habitualem non determinare aut necessitare voluntatem, ut liquet ex paritate de gratia actuali, et per se evidens est in aliis habitibus.

Prob. 2a. *p. I.* Auctoritate. Scriptura rursus 1°. docet, justos posse fieri reprobos; et quidem in Veteri Testamento Ps. 2. v. 11. et 12. *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.* Ezech. 33. in v. 13. sup. cit. additur : *In iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* In N. T. autem 1. ad Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*; Apoc. 3. v. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

2°. Ostendit justos de facto fuisse reprobatos, ut patet in angelorum lapsu et Judæ interitu, quos præter *Cainum, Saulem* et *Salomonem*, de quibus nonnulli disputant, Hieron. L. 2. contr. Jovinian. producit. His adjungi possunt tum *Judæi*, tum *Christiani*, quorum illos post circumcisionem, istos post baptismum et sic gratiam justificationis acceptam non paucos in æternum damnatos esse, etiam ex *sacris litteris* abunde declaratur. In idipsum consentiunt SS. PP.

II. Ratione. Homo semel justificatus potest peccare et amittere justitiam; sed is potest non recuperare justitiam; quia recuperatio justitiæ nec certo et absolute est omnibus promissa, nec omnibus secundum legem ordinariam datur; ergo justificatus potest sic amittere justitiam, ut eam recuperet nunquam.

Conf. Si semel justificatus non posset amittere justitiam in perpetuum; ergo quilibet justus actu perseveraret, *perseverantia* vero non foret donum speciale, nec justus teneretur ad illam assiduis precibus petendam, nec esset causa, cur salutem cum timore et tremore operaretur et revereretur Omnipotentem, qui potest corpus et animam perdere in gehennam : sed hæ sequelæ repugnant experientiæ, Patribus et Scripturæ; ergo.

431. *Obj.* Scriptura negat justificatum posse peccare, ut patet ex Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Et 1. Joan. 3. v. 9.

Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare.

R. Quoad. 1um. *N. Ass.* Textus *primus* juxta Greg. in hunc locum, et Ambr. L. de Jacob. c. 7. commendat efficaciam amoris et charitatis, si ea homo uti velit, contra tentationes et maxime tribulationes ; non vero dicit hominem cogi semper, et infallibiliter adduci ad utendum charitate, ne ab illis vincatur. *Secundus* juxta alibi jam dicta ex Hier. L. 2. contr. Jovin. n. 2. intelligendus est *sensu composito,* quatenus, quamdiu homo manet in Deo, gratia et charitate, nec peccet, neque peccare possit ; quia secundum legem saltem ordinariam gratia et peccatum simul stare nequeunt.

Inst. 1. Negat peccatorem antea fuisse justificatum, Psal. 118. v. 3. *Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt,* et 1. Joann. 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.*

R. *N. Ass.* Ad textum *primum* eadem est responsio, quæ modo est data ; tum quia præteritum ponitur hic pro præsenti, uti in Psal. 1. v. 1. similis usurpatio habetur : tum quia S. Aug. serm. 2. in eumdem Ps. 118. n. 2. hac interpretatione utitur scribens : *Si ambulant, non operantur iniquitatem ; si non operantur iniquitatem , non habent peccatum, quia peccatum iniquitas est.* Eadem expositio valet pro simili objectione ex 1. Joann. 3. v. 6. *Omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum;* de quo Aug. L. de perf. just. c. 18. inquit : *Intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt et cognoscit, infirmitas vero absumenda non videt, nec cognoscit eum,* etc.

Ad textum *secundum* solutionem præstat Aug. L. de don. persev. c. 9. n. 21. *Quid est, quæso, Non erant ex nobis ? Nonne.... vocati fuerunt, et vocantem secuti..... ex impiis justificati et per lavacrum regenerationis.... renovati? sed si hoc audiret ille, qui sciebat procul dubio quod dicebat, respondere posset et dicere : vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant ; verumtamen secundum aliam discretionem non erant ex nobis ;* nempe secundum prædestinationem ad gloriam.

Inst. 2. Negat justitiam unquam amitti, ut liquet ex Jerem. 32. v. 40. de gratia N. T. sic loquentis : *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me;* et ex 1. ad Cor. 13. v. 8. *Charitas nunquam excidit;* ergo.

R. *N. Ass.* Textus *prior* accipiendus est juxta S. Aug. L. 4. contr. duas epist. Pelag. c. 6. n. 13. et 14. de gratia *actuali* efficaci et dono perseverantiæ, quod justificatis omnibus non datur , non vero de gratia *habituali* justis omnibus communi. *Posterior* si cum S. Chrys. hom. 13. in 1. ad Cor. accipiatur pro amore Dei erga justos, inde non sequitur hos peccare non posse, sed duntaxat gratiæ auxilio nunquam destitui ; si vero cum S. Aug. L. de mor. Eccles. c. 11., et alibi, de charitate Pauli ; poterat id loqui de se ipso ex speciali revelatione : si demum secundum textum et litteram intelligatur de habitu amoris justis infuso, dicitur charitas non excidere, non quia peccando amitti nequeat, sed quia usque ad mortem retenta non evacuatur quoad suam *substantiam*, sed in statu gloriæ perficitur, atque secundum hoc a fide, spe et similibus donis differt.

Inst. 3. Similia statuunt Patres. Nam 1°. Aug. Tr. 3. in ep. 1. Joann. n. 9, ait : *Radicata est charitas : securus esto, nihil mali procedere potest ;* et Greg. L. 10. Mor. c. 12. (al. 21. n. 39.) : *Virtuti mortis dilectio comparatur ; quia nimirum mentem, quam semel ceperit, a delectatione mundi funditus occidit.*

2°. Aug. juxta Gratian. dist. 2. de Pœn. c. 1., inquit : *Charitas, quæ deseri potest, nunquam vera fuit*; et Ambr. in 2. ad Cor. c. 6. v. 6. scribit : *Simulata charitas est in his, qui in necessitate deserunt fratres*; et Prosp. (al. Julian. Pomerius) L. 3. de vit. contempl. c. 15. n. 1. *Si veram charitatem habemus de corde puro, conscientia bona et fide non ficta, facile peccato resistimus*; ergo.

Quoad 1um. R. Ex illis testimoniis nihil evinci nisi *efficaciam* charitatis, si quidem ea non sit otiosa, sed operatrix; et hoc quidem ostendere Greg. l. c. intendit, ideoque mox subjicit : *Et tanto hanc* (mentem) *valentius in auctoritatem erigit, quanto et insensibilem contra terrores reddit* : Aug. vero aliud institutum habet, tractatque de rectitudine operum exteriorum, quæ a charitate procedunt, et sic loquitur : *Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga : noli attendere quod floret foris, sed quæ radix est in terra. Radicata est cupiditas ; species esse potest bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt : radicata est charitas? securus esto, nihil mali procedere potest.*

Quoad 2um. R. Priorem textum male citari a *Gratiano* ex ep. ad Julianum, quam invenire hactenus non licuit ; extare tamen in L. de salutar. docum. c. 7., sed qui liber S. Doctori duntaxat est suppositus : præterea vero nihil probare, quia charitas licet *ex se* et vi sui motivi, dum vera est, exigat manere et non desinere, tamen ex mutabilitate *subjecti* deseri potest. Atque hoc sensu exponitur illud Hieronymi ep. 66. (al. 81.) ad Ruffin., ubi ait : *Amicitia, quæ desinere potest, nunquam vera fuit*; nempe si fundatur in rebus, quæ desinere possunt, puta in divitiis, favore humano et reliquis motivis terrenis.

Eodem modo accipienda sunt verba Ambr., qui illis hæc subjicit : *Hæc vera charitas est, si sua utilitate contempta, ejus curam agat, quem diligere se profitetur.* Prosperi sententia declarat, quid charitas operans præstet et in sensu composito, de quo vid. responsionem ad Argumentum.

Inst. 4. Gratia *ex natura sua* est perpetua et incorruptibilis ; tum quia est spiritualis et altioris ordinis : tum quia est aliquo modo perfectior, quam lumen gloriæ et visio beatifica de se incorruptibilia ; ergo semel infusa amplius desinere nequit, et hinc neque amitti : cum ob similem rationem anima, quantumvis ob peccatum destrui meretur, tamen non desinat.

R. *D. A.* Gratia in statu patriæ est perpetua et incorruptibilis *C.* in statu viæ *subd.* est ex natura sua incorruptibilis, quatenus in se non habet principium corruptionis, vel etiam non habet sibi physice contrarium oppositum *T.* quatenus exigat semper existere et permanere in suo subjecto, et sic ratione *subjecti* nequeat dici corruptibilis *N.*

Ad prob. 1am. R. perpetuitatem substantiæ spirituali asseri, non item accidenti.

Ad prob. 2am. discrimen est, quia lumen gloriæ et beatifica visio constituunt hominem in statu *patriæ* perpetuo, adeoque necessitatem afferunt connaturalis perpetuitatis; quod non convenit gratiæ habituali ad statum *viæ* pertinenti.

Inst. 5. Semel justificatus per baptismum aut alia ratione non potest damnari; ergo licet aliquando gratiam amittat, tamen illa nequit perpetuo carere. *Prob. Ant.* Ex Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*; Joann. 4, v. 13. et seq. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non*

sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ, salientis in vitam æternam; Ad Rom. 8. v. 30. *Quos justificavit, illos et glorificavit*; ergo.

R. *N. A.*, de quo Trid. Sess. 7. can. 6. sic enuntiat: *Si quis dixerit, baptizatum non posse gratiam amittere, anathema sit.*

Ad hujus prob. N. Cons. Nam *prioris* textus promissio continet tacitam conditionem, si homo justificatus præstando reliqua et observando mandata Deum non deseruerit, ideoque Christus hæc promittens apud Matth. c. 28. v. 20. præmiserat: *Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Textus *alter*, nisi cum Aug. Tr. 15. in Joann. n. 16. referatur ad beatitudinem, similiter exponendus est *conditionate*, nimirum si fons aquæ in vitam æternam salientis non deseratur; quod tamen non raro fieri declaravit Dominus per Jeremiam c. 17. v. 13. *Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Postremus* denique non agit de justis quibuscumque, sed *prædestinatis*, ut patet integro textu sæpius jam recitato; de quibus certum est, gratiam in perpetuum non admitti, quin tamen inde sequatur idem dicendum esse de reliquis omnibus, ob manifestum discrimen.

Inst. 6. Justus per gratiam et merita consequitur jus ad gloriam; ergo, cum ex ep. ad Hebr. 6. v. 10. *Non injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*; in perpetuum non frustrabitur gloria, tanquam objecto hujus juris.

R. *D. A.* Consequitur jus absolutum, vel ad gloriam jam statim, et sine alterius conditionis impletione consequendam *N.* jus conditionatum vel ad gloriam, non tamen sine impleta conditione consequendam *C.* Universalis conditio ad obtinendam gloriam sive ut *hæreditatem*, sive ut *coronam* requisita declaratur a Christo Matth. 10. v. 22. *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Præterea totum illud jus fundatur in gratia, et gloria non est promissa nisi *justis* et *Dei filiis*, hujus gloriæ capacibus: qui ergo a se ipso gratiam sponte abjicit, et exuit filiationem, nec recuperat per pœnitentiam; nec capax est gloriæ, nec illius negationem Deo, sed sibi imputare debet; cum Deus ex justitia non teneatur incapacem gloriæ et juris sui dissipatorem remunerare, aut ad agendam pœnitentiam cogere. Si tamen homo gratiam conservet, aut eam pœnitendo recuperet, ad Dei justitiam pertinet, jus illud homini conservare aut reddere, et tandem gloriam tribuere; præter quod aliud nihil in textu Apostoli ad Hebr. asseritur.

Inst. 7. Nec *prædestinatus* perpetuo potest carere gratia, ut per se patet: nec *reprobus*; quia hic nunquam vere est justus, adeoque nec justitiam amittere potest: cum, sicut prædestinatus est justus, sic et reprobus est injustus, eo quod eadem debeat esse contrariorum ratio.

R. 1°. *N.* 1am. *p. A.*; quia licet *prædestinatus* reipsa gratiam non sit perpetuo amissurus, antecedenter tamen potest illam in perpetuum amittere, quia libere eamdem retinet, et libertatem humanam nec præscientia Dei, nec prædestinatio subvertit.

R. 2°. *N.* 2am. *p. A. ejusque prob.* inverto pro nobis: *Prædestinatus* toto vitæ suæ tempore non debet esse justus, ut patet in S. Paulo prædestinato, et antecedenter tamen ex propria et repetita confessione gravi peccatore; ergo nec reprobus semper debet esse injustus.

Utriusque *ratio* est; tum quia justitia non constituitur per prædestinationem, nec injustitia per reprobationem, sed utraque hanc et illam ante-

cedit : tum quia, ut homo sit prædestinatus vel reprobus, satis est, quod ille in gratia, hic in peccato moriturus præsciatur, licet priori tempore aliquandiu injustus fuerit aut justus.

432. *Dico III.* Nemo, seclusa speciali revelatione, debet aut potest habere certitudinem fidei de propria justitia. Est de *fide*, et constat ex Trid. Sess. 6. tum c. 9. tum can. 13. et 14.

Prob. 1ª. *p. I.* Auctoritate. 1°. Scriptura ait, Eccl. 9. v. 1. *Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum odio vel amore dignus sit ; sed omnia in futurum servantur incerta ;* Prov. 20. v. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato ;* Eccli. 5. v. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.*

2°. Viri sanctissimi idem testantur in Scriptura. Job. 9. v. 20. *Si justificare me voluero, os meum condemnabit me : si innocentem ostendero, pravum me comprobabit : etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Item licet David Psal. 25. v. 11. canat : *In innocentia mea ingressus sum ;* tamen Ps. 18. v. 13. quærit : *Delicta quis intelligit?* et tum precatur : *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Demum Paulus 1. ad Cor. 4. v. 4. et seq. ait : *Nihil mihi conscius sum ; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus,* etc.

3°. Principia alia in Scripturis pervulgata eamdem veritatem inferunt ; cujusmodi sunt, justificationem dependere a *certis conditionibus* ex parte nostra, de quarum maxime supernaturalitate certi esse non possumus ; hominum actiones aut vitam non æstimandam judicio humano, sed divino ; timorem ac sollicitudinem in universo salutis negotio esse salutarem, etc.

4°. Interpretatio Patrum in textus supra laudatos, et alias etiam declarata sententia cum nostro asserto congruit, ut videre licet apud Bellarmin. de Justif. L. 3. c. 7.

II. Ratione. Non potest quid fide divina credi, nisi quod vel immediate continetur in verbo Dei, vel inde per evidentem consequentiam deducitur ; quia *fides divina* niti debet auctoritate loquentis Dei : sed imprimis non continetur immediate in verbo Dei, hunc vel illum determinatum hominem esse justificatum ; cum promissiones Scripturæ sint *universales*, et præterea conditiones aliquas exigant, ut singulis applicentur : deinde nemo per evidentem consequentiam ex verbo Dei deducere potest se esse justificatum.

Nam nisi adsit *specialis revelatio*, homini impossibile est per se cognoscere supernaturalitatem conversionis necessario requisitam ; nec conversionis veritas evidenter cognoscitur ab homine ; partim quia, ut Jerem. 17. v. 9. ait, *pravum est cor omnium et inscrutabile : quis cognoscet illud?* partim quia plures etiam circa animi sui sensum falluntur, ut patuit in S. Petro, dum se paratum diceret in carcerem et mortem ire, et in S. Paulo, qui spirans minarum in Christianos putavit se charitate Dei flagrare : tum quia et ipsa signa veræ conversionis et gratiæ jam obtentæ possunt esse fallacia ; qualia sunt fides, quæ montes transfert, facultatum in pauperes distributio, traditio corporis sui, ut ardeat ; ut ex 1. ad Cor. 13. manifestum est ; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Tum ex intolerabili *absurdo*, quod inde sequeretur, nempe omni

et quocumque peccato mortali veram fidem excuti, eo quod fides justificans amittatur; adeoque omnem peccatorem simul esse hæreticum, et cum hæreticus extra Ecclesiam sit, etiam non pertinere ad veram Christi Ecclesiam, qui *Donatistarum* error erat : tum ex inutilitate vel potius gravissima *noxa;* quandoquidem hæc certitudo foret radix superbiæ, causa torporis et occasio licentiæ : tum ex repugnante *experientia,* quia Hæreticorum plures et diversæ sectæ hanc fidei certitudinem conantur sibi tribuere; quorum tamen aliquos falli necesse est, imo omnes errare secundum principia fidei hactenus exposita omnino sequitur.

433. *Obj.* Scriptura docet nos habere certam cognitionem fidei de nostra justificatione; nam Joann. 14. v. 17. de Spiritu sancto dicit : *Vos cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit;* et v. 20. *In illo die cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Ad Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum;* et c. 8. v. 16. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* 1. Joann. 4. v. 13. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et ipse in nobis : quoniam de Spiritu suo dedit nobis;* et c. 5. v. 19. *Scimus, quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est.*

R. Quoad 1um. *N. Ass.* Textum primum explico sub distinctione : cognoscetis Spiritum sanctum esse et existere, ejusque divinitatem, ut Cyrill., Aug. et alii Patres communius exponunt *C.* Spiritum sanctum esse in vobis per gratiam *subd.* in vobis, per hoc intelligendo communitatem et Ecclesiam *C.* intelligendo singulas aut determinatas personas, et quidem non conjecturaliter tantum, sed certitudine fidei cognoscetis *N.*

Eodem modo explicatur textus secundus, nisi eum quis intelligere velit cum quibusdam de adventu Spiritus sancti supra Apostolos in *die Pentecostes*; sed tunc admittendum erit, Apostolos de sui sanctificatione habuisse specialem revelationem.

Tertius textus plane non est ad rem; tum quia continet duntaxat admonitionem ad conservationem gratiæ, non vero affirmationem : tum quia non de gratiæ notitia, sed de ipsa solum gratia loquitur.

De quarto alibi diximus, ibidem asseri quidem testimonium Spiritus sancti *quoad se,* non autem quoad nos et nostram cognitionem; aut si quidem etiam posterius detur, hanc cognitionem tantum esse *conjecturalem* et *conditionatam,* non autem absolutam et fidei perfectione consummatam, quod confirmatur; tum quia ad litteram sermo non est de testimonio per revelationem et locutionem, sed per operationem et inspirationem ad orandum : tum quia hæc testificatio non est Spiritus inhabitantis, sed moventis, unde juxta S. Aug. serm. de verb. Apost. pertinet etiam ad peccatores, qui sunt filii Dei potentia, quatenus qui credunt, acceperunt potestatem filii Dei fieri.

Quod verba Joannis in textu quinto et sexto attinet, tum ex integris Capitibus, tum ex posteriore testimonio liquet, ea referenda esse non ad singulas personas, sed ad communitatem et Ecclesiam Christi, cujus unius privilegium est esse infallibilem et sanctam, atque hinc Spiritum sanctum habere dirigentem ac inhabitantem. Si quis tamen ea ad singulos referenda putet, non aliam inde cognitionem, quam *conjecturalem* et scientiam in vulgi sensu demonstrabit.

Inst. 1. Eadem docet, quod possimus certo cognoscere, dispositiones ad justificationem requisitas penes nos esse; quia Luc. 17. v. 10. dicitur : *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis; dicite : servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Et 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat;* ergo.

R. *N. Ass.* Neque textus allati probant certitudinem fidei, sed *conjecturalem* duntaxat cognitionem, aut eam, quæ subjacet falso, quamvis a culpa excusare queat : ut enim quis existimare possit omnia præcepta a se servata, seque ipsum probet, sufficit *bona fides,* quin sic remorsus conscientiæ de negligentia aliqua in servandis præceptis suique probatione habeatur.

Inst. 2. Sancti Patres, præterquam quod loquantur vel de certitudine status veræ religionis, vel fidei, vel de certitudine spei, vel de certitudine fidei circa veritates catholicas in genere, aut particularem illam, quod vere pœnitentibus detur gratia, vel de certitudine qualicumque et minus stricta, ut videre est apud *Bellarm.* L. 3. de Justif. c. 11.; etiam asserunt haberi posse certitudinem fidei de propria sanctitate et justitia.

Nam Cyrill. L. 10. in Joann. de specialibus Dei amicis inquit (opp. t. 4. p. 850. D.) : *Quicumque vero per omne virtutis genus suam mentem illustrant, et ad discenda divina et arcana mysteria sunt idonei, illustrationem Spiritus accipient, ipsumque in semetipsis inhabitantem Dominum mentis oculis intuebantur;* et Cypr. de Cæn. Dom. (opp. p. 331. edit. Rigalt. Paris, 1666.) de anima rite communicante ait : *Se sanatam et sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit et lacrymis se baptizat.* Aug. serm. 28. de verb. Domini (al. in app. serm. 84. n. 1.) dicit : *Prædicare quod acceperis, non est superbia sed devotio;* et de verbis Apost. serm. (al. serm. 155. n. 14.) : *Ecce, adjuvante ipsius misericordia, spiritum Christi habemus, ex ipsa dilectione justitiæ, integra fide, catholica fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus.* Bern. serm. 1. de annunt. n. 3. ait : *Si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, et in quem peccatum non cadit, bene facis : sed adde, ut et hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur;* ergo.

R. *N. Ass. et prob.* Cyrillus vel intelligendus est de cognitione Spiritus sancti per effectus, ex quibus quis conjicit habitationem ejusdem : vel de dono sapientiæ justis omnibus non communi, minore tamen, quam sit fidei certitudo : vel de evidentia in ratione credibilis, non autem ipsius veritatis cogniiæ : in nullo autem sensu nobis est contrarius.

Cyprianus vel loquitur de efficacia Sacramenti ex parte sui, ut præcedentia insinuant; vel si loquitur de efficacia in sanctificatione in nobis recepta, agnitionem experimentalem et ex effectibus conjectatam tantum insinuat.

Aug. loco priore fidem commemorat, non qua certus quis est de dono accepto, sed qua Deum auctorem fatetur doni, quod vel credit, vel opinatur, vel scit sibi datum : in posteriore loco vel agit de fide generali, qua Spiritum sanctum in Christianis universim esse credimus, vel si de fide particulari loquitur, eam pro conjectura usurpat, quæ in delectatione justitiæ, h. e. internis Spiritus sancti effectibus fundatur.

Bernardus docet equidem credendum, quod a Christo peccata possint donari, et per Christum reipsa donentur : sed hoc est dogma universale, nec

de propria alicujus particularis justitia enunciatum fuit; quia de hac postmodum subjungitur, quomodo signis et conjecturis agnoscatur.

Inst. 3. Dantur ratiocinia, quorum *propositio* est universalis revelata, *assumptio* est physice vel moraliter evidens, et *conclusio* est legitima, infertque hominem determinatum esse justificatum; ergo. *Prob. Ant.* Ejusmodi sunt 1um. Qui sacramentum baptismatis rite suscipit, justificatur : sed potest quis esse physice vel moraliter certus tam ex parte ipsius materiæ et formæ, quam ex parte ministri et sui tanquam subjecti, baptismum a se esse rite susceptum; ergo. 2um. Qui longo tempore non peccat mortaliter, est in gratia Dei : sed potest quis certo experimento novisse, se non peccasse mortaliter; ergo.

R. *N. A. Ad prob.* In utroque ratiocinio negatur assumptio; de prima quidem constat ex dictis in postrema theseos assertione : de secunda docent exempla Jobi, Davidis et Pauli ibidem relata.

CAPUT III.

DE MERITO.

Meriti nomen affectionem quamdam actibus humanis, vel alterius creaturæ rationalis operibus propriam significat, cui merces vel retributio correspondet; quæ quidem retributio tam in partem malam et pro supplicio, quam in bonam partem et pro præmio accipi potest; usu tamen a Theologis jam diu receptum est, ut *meritum* simpliciter dictum in bonam partem et pro merito præmii sumatur; acceptum autem in malam partem vocetur *demeritum,* vel meritum cum addito, malum, aut supplicii. Sic vero meritum *generatim* sumptum describi potest opus dignum præmio, dignitas præmii, vel valor operis, propter quem debetur boni cujusdam retributio.

Dividi *universim* solet ratione præmiatoris in meritum apud *hominem,* et in meritum apud Deum; ratione præmii in meritum naturale, et in supernaturale vel theologicum; hoc vero ulterius distinguitur in meritum *de condigno* et in meritum *de congruo;* prius meritum simpliciter dicitur et ex justitia, seu cui ex justitia, sive ea rigorosa sit et stricta, sive minus stricta, præmium debetur : posterius etiam meritum secundum quid et ex congruentia appellatur, seu cui præmium ex quadam decentia debetur.

ARTICULUS I.

QUÆNAM CONDITIONES AD MERITUM THEOLOGICUM REQUIRANTUR.

434. *Nota I. Conditiones* ad meritum proprium constituendum universim repeti possunt vel ex parte ipsius *operis* meritorii, vel ex parte personæ *merentis*, vel ex parte personæ *remunerantis.* Præcipua difficultas circa conditiones illas versatur, quæ se ex parte ipsius operis meritorii tenent.

Conveniunt quidem facile omnes 1°. quod meritum debeat esse actus positivus. 2°. Actus in obsequium Dei præstitus; quia sine eo potest quidem opus esse laude, non autem præmio dignum. 3°. Quod etiam cedere debeat in commodum vel emolumentum Dei, si quidem per illud intelligatur commodum extrinsecum, gloria nempe, laus, et hujusmodi similia; cum hæc operibus humanis respectu Dei tribuat ipse Christus Matth. 5. v. 16. dicens: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*: non vero si intelligatur aliquid Deum intrinsece afficiens; quia sicut Job. 35. v. 6. dicitur: *Si peccaveris, quid ei nocebis? et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?* ita mox v. 7. additur: *Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?*

435. *Nota II.* Discrepant vero Catholici ab hæreticis, quorum aliqui *minus*, alii *plus* ad meritum exigunt, quam reipsa necessarium sit. Ad primam classem pertinent *Janseniani*, quibus libertas a coactione; *Pelagiani*, quibus bonitas naturalis; *Semipelagiani*, quibus existentia conditionata duntaxat videbatur sufficere ad meritum. Ad secundam spectant *Lutherani* et *Calviniani*, qui ultra conditiones vulgo assignari solitas exigunt, ut opus meritorium sit prorsus indebitum, penitus nostrum, et nulla ratione præmiatoris, ac omnino æquale cum mercede. Equidem nonnulla etiam est discrepantia inter ipsos *Catholicos*, maxime circa charitatem, quam quidam quasi radicem omnis meriti exigunt; sed hæc controversia salva fidei integritate, alibi tractatur.

436. *Dico I.* Universim ad meritum theologicum requiritur EX PARTE OPERIS MERITORII, ut sit actus creaturæ rationalis 1°. quidem liber a necessitate, 2°. moraliter bonus, 3°. supernaturalis seu ex auxilio gratiæ procedens, 4°. in aliqua temporis differentia absolute existens; EX PARTE PERSONÆ MERENTIS, ut, qui meretur, sit viator; EX PARTE DEI REMUNERANTIS, ut adsit ordinatio divina meriti ad mercedem saltem consequens, seu talis, qua opus acceptetur in meritum actuale et efficax determinati præmii.

Pars I. Quoad 1am. *conditionem* constat tum ex verbis Eccli. 31. v. 10. *Qui potuit transgredi, et non est trangressus; facere mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*: tum ex definitione TRID. Sess. 6. Can. 4. ac condemnatione propositionis tertiæ Jansenii: tum ex S. AUG. L. de nat. et gr. c. 65.: *quod ait* (Pelagius) *a memorato dictum esse presbytero* (Hieronymo), *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est, quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* tum ex *ratione*, quæ docet nihil posse imputari ad meritum, quod non est sub potestate et electione operantis.

Quoad 2am. rursus constat tum ex verbis Genes. 4. v. 7. *Nonne, si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* tum ex TRID. Sess. 6. cap. 16., ubi ad versum 58. ex 1. ad Cor. 15. provocat, et aliquoties repetit *bona opera* esse, quæ apud Deum merentur: tum ex ratione, quæ docet *malum* opus utpote pœna dignum non esse meritum; *indifferens* autem opus non esse meritum potius, quam demeritum, nec afferre Deo

utilitatem quamdam et commodum, quæ tamen conditio ad meritum ab omnibus asseritur : tum ex universa omnium conspiratione, cui nemo sanus serio contradixit.

Quoad 3am. iterum constat tum ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepisti?* et ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate* : tum ex Araus. II. Can. 18. *Debetur bonis operibus merces, si fiant; sed gratia præcedit, ut fiant;* cui Trid. Sess. 6. Can. 2. concinit : tum ex S. Aug. libris omnibus contra *Pelagianos* et *Semipelagianos* : tum ex ratione, quæ docet inter meritum et præmium debere esse proportionem.

Quoad 4am. tandem, tum ex verbis Christi Luc. 10. v. 13. *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent;* ex quibus habentur merita conditionate existentia, sed tamen absque præmio, cum idem judicium in has urbes ac in Sodomam futurum versu subsequenti addatur : tum ex Araus. II. Can. 5., Trid. Sess. 6. Cap. 5., ubi statuitur initium fidei et salutis gratis dari et non ex merito; quod non foret, si mere conditionate futurum posset habere rationem meriti : tum ex Aug., qui hunc errorem L. de præd. Sanct. c. 12. n. 34. et L. de don. persev. c. 9. n. 22. et c. 12. n. 31. data opera expugnat : tum ex *ratione,* quæ docet, præter finalem causam, omnem aliam, adeoque et moraliter efficientem seu *meritoriam,* præsupponi suo effectui secundum realem existentiam saltem ordine naturæ; quod autem sub conditione nunquam existente tantum futurum esset, nec est, nec futurum est, nec fuit; atque hinc realem existentiam non habet.

Prob. II. Pars. Scriptura et Traditio docent, 1°. tempus vitæ tantum esse tempus meriti, Eccli. 14. v. 17. *Ante obitum tuum operare justitiam;* et c. 18. v. 19. *Ante judicium para justitiam tibi;* et v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Item Joann. 9. v. 4. *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est,* ut S. Aug. Tr. 44. in Joann. n. 4. et seqq. exponit.

2°. docent, tempus mortis esse tempus retributionis; Eccli. 11. v. 28. *facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* et Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula;* quam parabolam S. Hier. ep. 151. ad Algas. q. 6. (al. 121. c. 6.) de morte et mercede cœlesti explicat.

3°. docent, post mortem non dari locum aut tempus meriti; Eccl. 9. v. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas;* et c. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum; aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* Joann. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.*

Conf. Tum quia oportebat posse perveniri ad terminum : tum quia, sicut Deus hanc vitam destinavit militiæ et labori, sic in altera posuit coronam et mercedem : tum quia meritum fundatur in fide, quæ cum visione beatifica non stat.

Pars III. prob. Quamvis in meritis nostris sive *condignitas* et proportio, sive *congruitas* ad præmium supernaturale supponatur, tamen statuenda etiam est necessaria quædam Dei *ordinatio* : tum quia Deus, qui suaviter et sapienter omnia disponens, nec addens aliquid superfluum de facto ita disposuit, ut indicat illa sententia : *Tanta est misericordia Dei, ut nostra*

voluerit esse merita, quæ sunt dona sua; quam Coelestin. Papa ep. ad Episc. Galliæ c. 9. (Labb. t. 2. p. 1617. E.), Aug. ep. 105. (al. 194. c. 5. n. 19.), Chrys. hom. de Adam. et Eva. (opp. t. 1. p. 209. C. ed. Lat. Ducæi, Antuerp. 1614.) et Trid. Sess. 6. c. 6. usurpavit : tum quia ad relationem, quæ intercedit inter merita et præmium non sufficit sola illa *proportio* sive dignitatis, sive congruitatis, sive medii, utpote non physica, sed moralis, atque hinc tantum fundamentum remotum; sed requiritur proximum, quod non habetur per aliud, quam ordinationem, vel pactum Dei; quemadmodum id ex *rebus humanis* constat, ubi, quamvis inter cursum in stadio et bravium, inter actiones litteratorum aut militum et præmium, habeatur aliqua vel condignitatis, vel congruitatis proportio, pactum tamen vel lex potestatem habentis intervenire debet ad relationem perfectam habendam.

Conf. Quamvis inter merita Christi et redemptionem *dæmonum*, inter bona opera *angelorum, beatorum* et *animarum purgantium* ac præmium sive essentiale, sive saltem accidentale intercedat condignitas, vel alia proportio, tamen non fuerunt, aut sunt actuale et efficax meritum hujus præmii; idque vel defectu acceptionis divinæ, vel defectu status viæ, quæ conditio ex libera Dei ordinatione habetur; ergo.

437. *Dico II.* Ad meritum *de condigno* requiritur 1°. EX PARTE OPERIS MERITORII, ut aliquo modo sit æquale præmio; 2°. EX PARTE PERSONÆ MERENTIS, ut, qui meretur, sit justus; 3°. EX PARTE DEI REMUNERANTIS, ut præcesserit promissio; 4°. EX PARTE PERSONÆ, CUI QUIS MERETUR, ut ipse sibi mereatur : ad meritum *de congruo* sufficit 1°. ut adsint conditiones ad meritum universim requisitæ, et 2°. vel una desit ex requisitis ad meritum de condigno.

Pars I. Quoad 1am. *conditionem* constat : quia retributio meriti maxime condigni in Deo est opus aliquod justitiæ, cum Matth. 16., ad Rom. 2., 1. ad Cor. 3. et alibi passim dicatur *merces secundum opera* vel *laborem*; et 2. ad Tim. 4. appelletur *corona justitiæ*; imo ad Hebr. 6. v. 10. addatur : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri*; ergo aliqua æqualitatis proportio requiritur, quam non tam a gratia actuali, quam ab habituali repetere oportet : utpote quæ sola et proprie juxta ep. 2. ad Cor. 1. v. 22. *Pignus Spiritus*; juxta Joann. 4. v. 14. *Fons aquæ salientis in vitam æternam*; juxta 1. Joann. 3. v. 9. *Semen Dei* est et appellatur.

Quoad 2am. constat tum ex verbis Christi Joann. 15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis*; et ex verbis Apostoli ad Rom. 8. v. 17. *Si autem filii, et hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Tum ex Trid. quod Sess. 6. c. 16. de merito agens solorum justificatorum meminit, uti et can. 32. definiens, bona opera ita esse dona Dei, ut simul sint merita, de homine justificato duntaxat agit : tum ex damnatione propositionum *Baii* 13. 16. et 18., in quibus status gratiæ et adoptionis ad meritum requiri negatur.

Tum ex S. Aug., qui L. de sp. et litt. c. 3. 8. 9. et 29., L. de fid. et op. c. 14. et alibi docet, nos non posse operari justitiam, seu mereri ex justitia, nisi prius justificemur, cui plures Patres alii apud Suarez consentiunt.

Tum ex ratione, quæ docet, non satis esse ad meritum de condigno pro-

portionem, quæ ex ipsa velut substantia operi accedit, sed requiri simul eam, quæ ex habitudine ad personam operantem exsurgit; cum ex Scriptura de Abele et Christo constet, ex dignitate personæ operantis valorem et dignitatem operis præcipue haberi.

Quoad 3am. constat rursus tum ex parabola operariorum Matth. 20., ubi, dum dicitur : *Nonne ex denario convenisti mecum,* et fit applicatio ad meritum pro regno cœlorum, ratio æquitatis et justitiæ inter laborem ac mercedem ponitur in conventione seu promissione mercedis sub conditione laboris : tum ex Trid., quatenus id Sess. 6. c. 16. docet, justis bene operantibus proponendam esse vitam æternam, *tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddendam;* tum ex Aug. qui serm. 16. de verbis Apost. (al. serm. 158. n. 2.) inquit : *Debitor factus est* (Deus) *non aliquid a nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo,* etc. Tum ex *ratione,* quæ docet, nec Deum constitui posse debitorem, nisi quatenus convenit, ut sit *fidelis* et stet promissis; nec opus quantumvis excellens exigere posse præmium, nisi pactum intercesserit.

Quoad 4am. constat iterum tum ex Scriptura, quæ ubicumque de præmio operum loquitur, illud ad ipsum operantem refert; unde de operantibus universim dicitur ad Rom. 14. v. 12. *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo;* et 2. ad Cor. 5. v. 10. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum;* de justis autem Apoc. 14. v. 13. additur : *Opera enim illorum sequuntur illos* : tum ex Trid., quod vocem *ipsorum* relativam bonis operibus merentibus addit : tum ex S. Aug., qui L. 1. de pecc. mer. c. 14. docet soli Christo convenire merendo sanctificare alios; imo Tr. 73. n. 3. et 102. n. 2. in Joann. contendit, neminem alium posse pro altero orando quidpiam pro eo infallibiliter impetrare : tum ex ratione, quæ docet adæquate id referendum in liberam Dei ordinationem.

Pars II. Quoad 1um. patet; quia, quamvis opus aliquod non habeat *æqualitatem,* si tamen possideat illas conditiones universim requisitas, habet *proportionem quamdam* ad præmium; et licet persona operans non sit grata, tamen in via est per supernaturale opus ad amicitiam : item, licet careat *promissione,* tamen ordinatio consequens ex dictis adesse supponitur : unde licet ex justitia non debeatur merces, ex convenientia tamen, congruitate ac decentia aliquod debitum æquitatis oritur.

Quoad 2um. autem liquet ex eo, quod, sicut ad omne imperfectum, sic et ad imperfectum meritum, sufficiat aliquis defectus perfectionis.

438. *Dico III.* Ad neutrum meritum requiritur, ut aut sit omnino æquale, aut prorsus indebitum, aut penitus nostrum, et nulla ratione præmiatoris.

Prob. I. Universim *negative;* quia pro his conditionibus nec ex auctoritate, nec ex ratione solidum fundamentum præsto est; ut ex solutione objectionum patebit.

II. Speciatim et *positive.* Et quidem *quoad* 1um.; tum quia ex 2. ad Cor. 4. 17. *Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur;* tum quia Trid. Sess. 6. c. 16. ait, *in sacris litteris usque adeo bonis operibus tribui, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ dederit, promittat*

Christus, eum non esse sua mercede cariturum; tum quia nec inter meritum et præmium tanta æqualitas requiritur, quanta inter *pretium* et *mercem*, quæ ipsa tamen omnimodam æquiparantiam non exigit; nec retributio meritorum fit ex justitia stricta, quæ communius inter Deum et hominem negatur: sed tantum ex justitia *minus stricta*, eminentiali, gubernativa, distributiva et proportionali; nec justitia Dei stricta, si quidem hæc etiam in retributione operis asseratur, fundatur in sola, aut absoluta comparatione operis cum munere reddendo, sed aut primario, aut simul in promissione Dei et pacto.

Quoad 2um. Quia, quod *ratio debiti ex præcepto* non obstet merito, patet tum ex Scriptura vitæ æternæ mercedem observationi mandatorum promittente; tum ex Trid. Sess. 6. c. 16. docente, nihil deesse justificatis, *quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam..... vere promeruisse censeantur*. Quod etiam non obsit ratio debiti *ex conditione hominis servili*, liquet ex eo, quod Deus homini concesserit libertatem arbitrii et dominium in proprios actus, in quo, sicut ratio demeriti, ita et meriti radicatur; demum quod nec defectus commodi in Deum conferendi, aut alia ratio quæcumque obstet, ostendit meritum Christi, quod alias etiam foret negandum.

Quoad 3um. verum quidem est, quod meritum debeat esse *nostrum*; sed falsum est imprimis, quod opus per et cum gratia factum nequeat dici nostrum, ut volunt Hæretici; tum quia ex Scriptura, Conciliis et Patribus patet, opus istud vere etiam a nobis fieri cum libertate agendi vel non agendi: tum quia ex legibus etiam humanis patet, recte dici nostrum, quamvis cum alio sit commune, ut ex L. 5. ff. de leg. et fideicomm. constat. Deinde vero falsum est, quod meritum nulla ratione debeat esse *præmiatoris*, cum alias nec Christus potuisset mereri, nec miles, Principis armis vincens, mercede dignus foret.

439. *Obj. I.* Justitia inter datum et acceptum postulat *æqualitatem*; et Deus etiam in retributione servat totam justitiæ formam; ergo in merito theologico debet dari omnimoda æqualitas cum præmio.

R. *Ad* 1um. *D.* 1am. *p.* Justitia stricte dicta, seu commutativa, postulat æqualitatem inter datum et acceptum *C.* minus stricte dicta et distributiva *N.* Communior autem postremam duntaxat justitiam in Deo respectu hominum admittit. Omissa tamen hac controversia scholastica *D.* aliter: Justitia postulat inter datum et acceptum æqualitatem aliquam, scilicet proportionis saltem aut virtutis *C.* æqualitatem omnimodam, entitatis scilicet aut perfectionis *subd.* ubi datum et acceptum se habent instar pretii et mercis, aut invenitur medium rei *T.* ubi illa se habent instar meriti et præmii, et exigitur tantum medium rationis *N.*

Item 2am. *p. D.* Deus in retributione servat justitiæ formam proportionaliter, pluribus nempe et majoribus meritis reddendo præmia plura et majora, sicut paucioribus et minoribus pauciora et minora redduntur *C.* æqualiter omnino et commensurando substantiam ac entitatem cum substantia et entitate *N.*

440. *Obj. II. Servus* nihil meretur apud dominum præcepta ejus implendo; nec *debitor* aliquid apud creditorem reddendo debitum; ergo nec homo meretur aliquid apud Deum per quemcumque actum, utpote vel præceptum, vel aliis titulis plus quam ex justitia debitum; præsertim quia Christus Luc. 17. v. 10. ait : *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus;* et similia Theophil. in hunc locum, ac Bern. serm. 22. de diversis n. 6. docet.

R. *T. A. N. Cons. Disparitas* est; quia apud *homines* valor operis consideratur juxta quantitatem laboris in utilitatem alterius impensi, et utilitatis ex labore vel opere emergentis; utrique autem decedit, si labore aut utilitas sit debita : apud *Deum* vero valor operis ex morali ejus bonitate, et ad hanc bonitatem resultante in Deum gloria; cum vero illa habeatur, et ista Deo dari censeatur, quatenus opus aliquod voluntarie, libere ac alacriter facimus, atque hoc non minus in operibus tam *debitis* et præceptis, quam *indebitis* et non præceptis haberi queat; inde nec valori, nec merito aliquid decedit.

Ad prob. R. Imprimis in textu allato non negari *meritum operis,* sed utilitatem Deo allatam; alias vero etiam servum appellari bonum et fidelem, ut Matth. 25. et alibi legitur. Præterea *inutilitas* illa repeti potest vel ex hoc, quod propriis viribus et sine gratia nullum efficere bonum possimus, vel quod Deus potuerat nobis mandata proponere mercede nulla promissa. Demum his verbis Christus intendit nobis commendare *humilitatem* in bonorum operum exercitio, vel excitare nos ad opera etiam liberalia et supererogationis, vel accendere in nobis studiosam *sollicitudinem* et *perseverantiam,* cum *inutilis* servus Matth. loc. cit. accipiatur pro cessatore et otioso.

Inst. Præceptum vel tollit *omnem libertatem,* ut in Christo, B. Virgine et aliis in gratia confirmatis, in quibus sicut locum non habet illud : *potuit transgredi et non est transgressus,* ita nec illud : *ideo stabilita sunt bona illius in Domino;* vel aufert saltem *libertatem moralem*, licet non naturalem, in aliis; quæ tamen ad meritum tanquam aliquid morale maxime est necessaria; ergo.

R. *N. A.* Pars *prior* est falsa; cum nec Christus, nec B. Virgo, nec alii in gratia confirmati caruerint libertate, ut alibi ostenditur. Falsa etiam est *posterior;* quia moralis libertas non stat in hoc, quod aliquid possit tam fieri, quam omitti impune, ut objectio supponit; sed in facultate agendi et non agendi per intrinsecum rationis usum, seu actio vel omissio licita sit, seu non; quæ sane etiam sub præcepto manet : si vero *libertatis moralis* nomine forsan intelligeretur exemptio ab obligatione vel necessitate præcepti; negamus hanc ad actionem moralem requisitam, ut patet in peccatis et demeritis.

441. *Obj. III.* Opera bona, quæ in nobis fiunt, tota sunt a Deo; tum quia hoc expresse declarat Aug. in Enchir. c. 32. et L. de don. persev. c. 13. n. 33.; tum quia id insinuat Paulus 1. ad Cor. 15. v. 10. scribens : *Abundantius illis omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum;* ergo nequeunt esse nostra.

R. *D.* Totum est a Deo totalitate effectus *C.* totalitate causæ *N.* Quod testimonium Pauli attinet, illa verba : *abundantius laboravi, et gratia Dei mecum,*

satis demonstrant, non gratiam solam, sed et hominem operari. Itaque sicut dum Matth. 10. v. 20. dicitur : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* ; his verbis non excluditur loquela propria ab Apostolis, sed tantum denotatur eos loqui, *prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis,* ut Act. 2. v. 4. exponitur ; sic et illa negatio, *non ego,* hunc unum designat, quod Paulus nihil fecerit absque gratiæ auxilio.

ARTICULUS II.

AN IN HOMINE POSSIBILE SIT, AC DETUR MERITUM THEOLOGICUM ?

442. *Nota.* Adeo Novatores omnes negant, vel justos homines suis operibus, quantumvis ex gratia fiant, posse aliquid ad vitam æternam pertinens apud Deum mereri, ut *Calvinus* et alii vel ipsum meriti nomen tanquam extraneum a Scripturis, et per Scholasticos inventum respuant, et velut fastuosum Christoque injuriosum damnent. Ad hunc errorem fulciendum substernunt alium, quo contendunt, nullum in homine opus simpliciter bonum, sed omnia ejus opera esse *peccata,* licet ut talia a Deo non semper imputentur.

443. *Dico I.* Plura dantur hominum opera, quæ simpliciter sunt bona et nullatenus peccata. Est de fide, et definitum a Trid. Sess. 6. Can. 7. et 25.

Prob. 1. Ex Scriptura. Hæc 1°. hominum quorumdam opera absolute vocat opera bona, ut Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona* ; ad Ephes. 2. v. 10. *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* ; ad Tit. 3. v. 8. *Curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo.*

2°. Docet opera quædam placere Deo, ut Genes. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel et munera ejus,* h. e. ut Chrys. hom. 18. exponit, *grata hæc habuit et laudavit* ; Malach. 3. v. 4. *Placebit Domino sacrificium Juda et Hierusalem, sicut dies seculi et sicut anni antiqui* ; Sap. 9. v. 11. *Deducet me in operibus meis sobrie, et custodiet me in sua potentia ; et erunt acepta opera mea.*

3°. A personis et ab operibus quibusdam excludit peccatum, ut Jobi 2. v. 3. *Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo, et adhuc retinens innocentiam ?* Et David Ps. 17. v. 21. *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi : quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.* Luc 11. v. 36. opus perfecte bonum sic exprimitur : *Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* 2. Petr. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando* ; ergo.

II. Ex Patribus. Aug. L. de sp. et litt. c. 36. n. 65. ait : *Dici potest quædam justitia minor huic vitæ competens, qua justus ex fide vivit, quamvis peregrinus a Domino, et ideo per fidem ambulans nondum per speciem : non absurde dicitur etiam ad istam pertinere, ne peccet.* Hier. L. 3. adv. Pelagian. n. 4. *Hoc et nos dicimus, posse hominem non peccare si velit, pro tempore, pro loco,*

pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cythara. Ambros. in Apolog. 1. David c. 6. n. 1. *Etenim, quia non potest sine peccato esse humana fragilitas, cavendum est, ne plura sint peccata, quam opera virtutum.* Greg. et Bern. vid. ap. Bellarm. L. 4. de Justif. c. 16.

III. Ex Ratione. Christus mortuus est, ut faciamus bona opera juxta illud ad Tit. 2. v. 14. *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum:* Deus adhortatur nos ad opera bona facienda; idem ea in nobis operatur, ita ut tota Deo tribuenda sint: sed Deus nequit adhortari ad peccata, aut ea principaliter facere; nec Christus dici potest mortuus, ut peccata sectemur; ergo opera bona nequeunt dici peccata.

Conf. Opera bona nequeunt dici peccata ob innatam *cupiditatem*; tum quia hæc non est peccatum, sed infirmitas tantum, nisi ei consentiatur; tum quia opera bona aliquando fiunt ex charitate, non autem cupiditate: neque ob *defectum dilectionis* aut fervoris in ea; quia licet hic defectus ostendat opus esse minus perfectum, quam aliud cum ista perfectione sive hic, sive in patria: tamen non ostendit positivam imperfectionem, seu peccatum et culpam: neque ob *admixtionem peccati* sive venialis, sive mortalis, quia admissa etiam frequenti in venialia prolapsione, nec auctoritate tamen, nec ratione aut experientia ostenditur, in singulis operibus hanc admixtionem contingere.

444. *Obj.* Scriptura 1°. dicit Eccles. 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, et non peccet*: 2°. docet omnes quotidie peccare, juxta illud Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes;* et hinc etiam justis orandum: *Dimitte nobis debita nostra*: 3°. declarat ipsa etiam bona opera esse vitiata apud Isa. 64. v. 6. *Facti sumus ut immundus omnes nos, et quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ;* ergo.

R. *ad Arg.* Sensus sacrorum textuum alios esse ab intentione hæreticorum, nec probare eorum errorem. Nam *primus* non significat hominem justum etiam bonum faciendo peccare; sed neminem esse tam justum, ut semper bonum faciat et nunquam peccet; quemadmodum et cum ex Prov. 24. v. 16. dicitur *septies cadere justum*: cum enim etiam addatur ibidem *justum resurgere,* nec ipsa resurrectio possit appellari casus, et numerus septenarius non infinitum quid, sed *determinatum* sonet; constat justum non cadere ad omnes et singulos passus, et sic in bonis etiam operibus non peccare: Vide Hier. L. 1. ad Pelag. n. 12. ac in ep. ad Ctesiphontem n. 2.

Secundus textus hoc ipso, quod dicat nos *in multis* tantum, non autem *in omnibus* offendere, proxime datam expositionem confirmat; præsertim cum idem Apostolus probet, hominem ex operibus justificari. Similiter ex petitione quinta *Dominicæ orationis* recte quidem sequitur, humanam conditionem non esse impeccabilem, et a quotidianis nævis venialibus immunem, ut Aug. et Hier. exinde contra Pelagianos deduxerunt; minime autem, singula etiam opera hominis haberi, aut esse peccata.

Quod *tertium* attinet, jam num. 425. demonstratum est, illud ad rem præsentem non pertinere, ut ipsi *Lutherus* et *Calvinus* in suis ad hunc locum commentariis fatentur; quantumvis alibi eum contra operum justi-

tiam usurpent. Accedit, quod Isa. ibid. v. præc. dicat : *Occurristi lætanti et facienti justitiam : in viis tuis recordabuntur tui ;* quibus verbis cum opera justorum laudet, Deoque placere significet, non potuit eadem opera verbis prioribus intelligere, et tam propudioso compellare vocabulo.

Inst. SS. Patres, nempe Aug. L. 9. Conf. c. 13. n. 34. et Greg. L. 9. Mor. c. 8. (al. 14. n. 21.) enuntiant, *vitæ humanæ etiam laudabili esse timendum, si remota pietate discutiatur.* Idem, ille nempe L. 3. contr. duas ep. Pelag. c. 7. n. 19., hic L. 9. Mor. c. 19. (al. 36. n. 57.) docent in homine etiam justo *virtutem aut munditiam perfectam et veram non esse, sed tantum nominari aut imitari :* demum ep. 29. (al. 167.) ad Hier. et L. 9. Mor. n. 2. dicunt *charitatem nostram et omne virtutis nostræ meritum esse vitium.*

R. Nec SS. Patres favere hæreticis. In 1°. enim non meminerunt operum aut justorum aut singulorum, sed *vitæ* duntaxat, quæ utique, licet laudabilis sit propter opera bona, pietate Dei nihilominus eget propter peccata saltem venialia, a quibus nulla justorum vita penitus immunis invenitur.

In 2°. uterque S. Doctor non loquitur de virtutis ac munditiæ perfectione et veritate absolute sumpta, sed comparata ad perfectionem justitiæ in vita beata ; hinc Aug. ibid. subjungit n. 3. *Justitia, secundum quam justus ex fide vivit.... vera justitia est; quæ licet non immerito in aliquibus justis pro hujus vitæ capacitate perfecta dicitur, parva tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum.* Greg. autem L. 5. Mor. c. 27. (al. 37. n. 67.) ait : *Humana justitia divinæ justitiæ comparata, injustitia est; quia et lucerna in tenebris fulgere cernitur, sed in solis radio posita tenebratur.*

In 3°. vox *vitii* ab Aug. non usurpatur pro peccato *stricte* dicto seu culpa, sed pro imperfectione, quam vel nostro statui concupiscentia tribuit, vel ex comparatione ad charitatem patriæ nuper facta deducere licet ; ut ipse Aug. L. de perfect. just. et L. de sp. et litt. c. ult. declarat. Greg. autem dicit, *omne virtutis nostræ meritum esse vitium, si ab interno arbitro districte judicetur,* h. e. si homo nolit agnoscere, se habere omnia a Deo, quæ habet, et consideret duntaxat sua, remotis donis gratiæ Dei.

445. *Dico II.* Datur opus bonum, quod ab homine ex gratia seu per gratiam operante factum, est meritum theologicum. Est de fide, et constat aperte ex Trid. Sess. 6. can. 26. et 32.

Prob. I. Ex Scriptura. Ea 1°. hujus meriti nominatim mentionem facit Eccli. 16. v. 16. *Misericordia faciet locum unicuique, secundum meritum operum suorum ;* et ad Hebr. 13. v. 15. *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci ; talibus enim hostiis promeretur Deus.*

2°. Sub nomine dignitatis exprimit, quod secundum græcam phrasin merito æquivalet; quo pertinent illa Sap. 3. v. 5. *Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se;* Luc. 20. v. 35. *Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, et resurrectione ex mortuis,* etc. 2. ad Thess. 1. v. 5. *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.*

3°. Correlativum operis boni vocibus ejusmodi, compellat, quæ opus indicant esse meritum : vocat enim *retributionem* Luc. 14. v. 13. ; vel *remunerationem* ad Hebr. 10. v. 35. ; vel *præmium* Tob. 4. v. 10. ; vel *mercedem* Genes. 15. v. 1. ; vel *coronam* certaminis, justitiæ et fidelitatis 1. ad Cor. 9. v. 25., 2. ad Tim. 4. v. 8., Apoc. 2. v. 10.

II. Ex Traditione. Et quidem 1°. ex Patribus, quorum testimonia num. 443. attulimus.

2°. Ex Conciliis, inter quæ Araus. II. Can. 18. ait (Labb. t. 4. p. 1670.) : *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Later. IV. in c. *Firmiter* dicit (Labb. t. 11. part. 1. p. 144. A.) : *Non solum virgines et continentes, verum etiam conjugatæ per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Flor. denique in decreto Unionis (Labb. t. 13. p. 515. C.) docet animas, quæ nihil expiandum habent, *in cœlum moox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate aliu malio perfectius.*

III. Ex Ratione, quæ desumitur partim ex conditionibus ad meritum requisitis; partim ex fundamento damnati erroris in priore thesi disjecto.

Conf. Ex *congruentia*; tum quia, sicut humana opera dantur digna laude, sic et merito digna videntur; tum quia decet Deum tanquam gubernatorem rei humanæ statuere præmia bonis operibus, et ut honorarium operum obsequio retribuere aliquid, sua bonitate dignum.

446. *Obj.* Scriptura contrariatur merito : dicit enim 1°. dona supernaturalia a Deo dari gratis; Isa. 55. v. 1. *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac* : 2°. retributionem fieri ex misericordia ; Psal. 102. v. 4. *Coronat te in misericordia et miserationibus* : 3°. vitam æternam esse gratiam; ad Rom. 6. v. 23. *Stipendia peccati mors; gratia autem Dei, vita æterna.*

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Dona supernaturalia gloriæ dantur a Deo gratis *N.* Dona gratiæ, præsertim primæ *C.* Textus Isaiæ juxta quosdam *litteraliter* loquitur de terra promissionis, *mystice* de gratia ; juxta alios etiam litteraliter sub metaphora de vocatione ad Ecclesiam et fide in Christum, in cujus rei signum baptizatis gustandum vinum et lac oblatum fuisse Hier. in comment. ad hæc verba scripsit. Qui permittunt verba hæc intelligi de *gloria,* monent notandam verborum proprietatem; inter quæ cum ponatur, *emite*, pretium desideratur : quamvis autem addantur *sine argento et absque ulla commutatione,* tamen per priora excluduntur tantum bona fortunæ, non autem libertatis; per posteriora vero res Deo emolumentum proprium tribuens, non vero obsequium, aut res in gloriam extrinsecam cedens.

Ad prob. 2am. *D.* Retributio fit ex misericordia pura et mere liberali *N.* ex misericordia justitiæ mixta *C.* Psalmistæ verba in hunc sensum Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 9. exponit: *Numquid non corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est, Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et operari pro bona voluntate; ideo dixit Psalmus : coronat te in miseratione et misericordia; quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona redditur.* Nempe vita æterna est misericordia ob gratiam prævenientem, merces ob liberam hominis obedientiam.

Ad prob. 3am. *D.* Vita æterna est gratia respective ad opera seu justitiam *N.* respective ad hominem, cui ipsa justitia est gratia *C.* Sensum hunc ab Aug. assertum ostendunt verba in ep. 105. (al. 194. n. 19.) *Ipsa vita æterna.... meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis*

facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur; non ob aliud, nisi quia gratis datur; nec ideo, quia non meritis datur, sed data sunt et ipsa merita quibus datur.

Inst. 1. Inter Patres Hilar. in Psal. 51. n. 23. ait : *Non ipsa justitia opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum et motuum vitia non reputet.* Aug. conc. 2. in Ps. 70. n. 1. : *Pretium quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est.* Et serm. 15. de verb. Apost. (al. serm. 169. n. 3.) : *Quid est, Pro nihil salvos facies eos? Nihil invenis unde salves, et tamen salvas. Gratis das, gratis salvas.* Greg. L. 9. Mor. c. 11. (al. 18. n. 28.) : *Si ad opus virtutis excrevero, ad vitam non meritis, sed ex venia convalesco;* ergo.

R. Hilarium exponendum, quo modo Aug. et Greg. num. præc. interpretabamur; solum enim docet bonis operibus in vita justorum addi etiam *peccata venialia,* quæ remissione ac misericordia indigent, cum nihil coinquinatum intrare possit in regnum cœlorum. Aug. in utroque loco loquitur de homine, qualis est *sine gratia,* et quatenus solis suis viribus operatur; et ubicumque merita damnat, agit de iis, quæ in nobis sunt tantum ex nobis. Cæterum nunquam negavit, hominem mereri per gratiam posse, atque his operibus reddi coronam et mercedem, ut ex superioribus liquet. Demum Greg. de meritis eodem modo, quem mox indicavimus, acceptis loquitur, et adhortaturus ad humilitatem docet, nos ad vitam convalescere non ex meritis propria virtute acquisitis, sed ex venia, per quam justitiam et bona opera habere incipimus.

Inst. 2. Si hominibus concedantur merita, injuria irrogatur Christo, quia ejus meritis detrahitur; quatenus per hoc vel illa declarantur *insufficientia,* utpote quibus adjungi debeant merita nostra : vel dividitur inter Deum et hominem gloria, si non solis illius, sed et nostris salutem assequimur : vel non tota salus nostra Christo tribuitur; ergo merita hominis sunt neganda.

R. *N. M. et prob.*; quarum falsitas patet ex utilitate orationum et necessitate tolerationum nostrarum, sine injuria Christo irrogata. Præterea merita hominum non requiruntur propter *insufficientiam* meritorum Christi, sed propter eorum potius efficaciam, utpote quæ apud Deum nobis impetrarunt, ut accepta per Christum merendi virtute etiam per propria merita salutem consequeremur, quam ipse nobis promeruit : neque per hoc dividitur gloria inter Christum et homines; quia merita nostra sunt *dona Christi,* et meritorum nostrorum ratio dignificans omnis a Christi gratia habetur : neque minus integre Christo nostra salus tota tribuitur, quam si nobis nihil merentibus illa daretur; quia, quod salvemur, et quod etiam nobiliori modo per merita scilicet gratiæ salvemur, hoc totum debemus Christo, et ob hoc eidem multo magis nos fatemur obstrictos.

Inst. 3. Si vera homini tribuantur merita; ergo homo in iis potest confidere : sed Scriptura damnat hujusmodi confidentiam; ut patet ex ep. ad Rom. 4. v. 2. *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum;* et ad Galat. 3. v. 10. *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt;* ergo.

R. 1°. *T. M. N. min.* Per opera enim hic rejecta vel intelliguntur opera propriis naturæ viribus et sine gratiæ auxilio facta, ut patet in textu priore;

vel opera legis veteris quasi ad justitiam requisita, ut in posteriore liquet: sub neutrum vero censum venire opera illa, quæ nos dicimus *meritoria*, constat ex conditionibus ad eadem supra requisitis.

R. 2°. *N. M.* Juxta Bellarm. L. 3. de justif. c. 7. aliud est virtutem nasci ex meritis, aliud fiduciam esse ponendam in meritis. Propositionem primam veram esse ostendit ex Tob. 4. v. 12., Job. 11. v. 18., ad Rom. 5. v. 3., etc. ac tandem ex ratione spei, quæ non ex sola Dei promittentis gratia, sed ex hominis cooperatione nascitur. Secundam, quod scilicet aliqua fiducia in bonis operibus ex gratia profectis poni possit, probat ab exemplo Davidis, Ezechiæ, Estheris, etc. Duas tamen maxime *conditiones* simul exigit: alteram, ut quis compertum habeat merita se habere vere talia; alteram, ut superbia caveatur, nec sibi, sed Deo merita tribuantur.

Unde tandem addit propositionem tertiam, quæ ita habet: Propter incertitudinem propriæ justitiæ et periculum inanis gloriæ, fiduciam totam in sola Dei misericordia reponere tutissimum est; quod ipsum unice, si quid valent, adversariorum objectiones evincunt, quin tamen probent aut homini non totis viribus esse studendum bonis operibus, aut non esse in iis confidendum, quasi veram justitiam non contineant.

447. *Dico III.* Datur meritum *de condigno,* et hujus meriti rationem quoad aliqua saltem præmia participant opera bona justorum. Non est quidem sub his terminis definitum, sed *theologice* tamen *certum.*

Prob. Meritum *de condigno* est opus bonum, vel quod dignum est præmio, vel cui debetur præmium tanquam merces aut stipendium, vel cui retribuitur præmium secundum quamdam justitiæ æquitatem: atqui tale opus datur; ergo.

Prob. min., quæ *quoad* 1um. patet ex probatione secunda Scripturæ num. præc. allata: *quoad* 2um. constat tum ex variis titulis correlativo meriti in Scriptura datis, et num. præc. etiam recensitis; tum ex S. Aug., qui passim docet vitam æternam recte appellari posse *stipendium justitiæ, quia debetur, quia digne retribuitur, quia merito redditur*; vocari tamen ab Apostolo gratiam, quia illi *est gratia, cui gratia est et ipsa justitia.* Demum *quoad* 3um. *prob.* Nam

1°. Ad justitiam spectat, ut Deus certis operibus det præmium, ut liquet ex 2. ad Thess. 1. v. 6. *Si tamen* (juxta græcum εἴπερ, et teste D. Thoma juxta alias versiones *si quidem*) *justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant: et vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus*; et ex verbis ad Hebr. 6. sup. cit. *Non enim injustus ut obliviscatur operis vestri*: unde Hier. in cap. 49. Isaiæ (opp. t. 4. p. 563. edit. Vallars.) ait: *Potentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut justi voluntas præmium consequatur*; et Aug. L. de nat. et gr. c. 2. *Non injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.*

2°. Deus dat operibus præmium in judicio, et ut judex; 1um. patet ex Matth. 25. v. 34. ubi descripta judicii forma refertur hæc futura judicis sententia: *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, etc.* 2um. ex 2. ad Tim. 1. v. 12. *Potens*

est depositum meum servare in illum diem; et ibid. c. 4. v. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.*

3°. Deus servat justitiæ formam et proportionem opus inter ac præmium; ut indicatur Matth. 7. v. 2. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Ibid. 10. v. 41. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet*; et 1. ad Cor. 3. v. 8. *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

Conf. Quamvis Trid. veritatem hanc expresse non definiat, nec verbis *digni* vel *condigni* utatur, non obscure stat pro hac sententia; tum quia in can. 32. nuper recitato dicit justificatum bonis operibus *vere* mereri gratiæ augmentum, etc.; quæ particula, cum non sit absque causa inserta, significat hoc meritum plus esse, quam congruitatis cujusdam: tum quia in cap. 16. ad confirmationem existentiæ meriti adducit testimonia Scripturæ retributionem justitiæ exprimentia: tum quia Pallav. L. 8. hist. Conc. Trid. c. 4. de Theologis Tridentinis ita scribit: *Operibus post acceptam justitiam peractis, adeoque divina gratia informatis, redditisque ob merita Christi potentioribus, cujus vivum membrum effectus est is, qui ea peragit, omnes concedebant rationem meriti condigni ad conservandam augendamque eamdem gratiam æternamque felicitatem consequendam.*

Præterea vero cum non nostræ duntaxat ætatis *sectatores* meriti nomen permittant et rationem, si quidem ex sola promissione, non vero ex justitiæ debito dicatur operi dari præmium, sed et tempore Trid. Concilii id concesserint, ut ex disputatione Buceri an. 1546. Ratisbonæ habita liquet; sequeretur nec Concilium contra *Novatores* egisse, nec oppugnatores Hæreticorum errores, sed umbram tantum insectari in hac de merito bonorum operum controversia, nisi mens fuerit, aut sit necessitas, asserere *meritum condignum.*

448. *Obj.* Scriptura aperte excludit condignitatem nostrorum operum; ad Rom. 8. v. 18. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*; et hujus rationem videtur explicare 2. ad Cor. 4. v. 17. *Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur*; ergo.

R. *ad Arg. D.* Scriptura excludit condignitatem a nostris operibus, si considerentur materialiter, secundum entitatem suam, durationem et reliqua eorum prædicata quasi physica *C.* Si spectentur formaliter secundum valorem moralem, quem a gratia et statu filiationis habent *N.* Responsio hæc colligitur ex contextu. Præmiserat enim Apostolus: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*; postea inferius ait: *Si autem filii et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen* (scilicet ut consortes illius et fratres per gratiam) *compatimur, ut et conglorificemur*; et mox subjungit: *Existimo enim, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam*; nempe nisi spiritu Dei moti tanquam filii Dei illas toleremus: quia passiones illæ, præsertim externæ, *in se* spectatæ non habent eam condignitatem; cum illæ, ut in textu ad Cor. explicatur, sint leves et momentaneæ, pondus autem gloriæ sit magnum et æternum.

Inst. 1. Deus ex communi axiomate præmiat *supra*, et punit *infra* condi-

gnum : item ab homine nequit fieri debitor mercedis ex justitia; cum illi nec gratiæ condignæ pro beneficiis ab ulla creatura præstari queant; ergo.

R. *D. A. quoad* 1um. Præmiat supra condignum quoad gloriæ intensionem, et forte etiam extensionem *C.* quoad gloriæ substantiam *N.* vel *subd.* si plane nulla intervenisset Dei ordinatio *C.* cum hæc eaque multiplex intercedat *N.*

Quoad 2um. *D. A.* Deus nequit ab homine fieri debitor ex justitia absolute loquendo et nulla facta hypothesi *C.* constituta hypothesi divinæ promissionis *N.* Possunt enim justi consummato vitæ cursu proferre verba AUGUSTINI serm. 16. de verb. Apost. *Redde, quod promisisti; quia fecimus, quod jussisti.* Vid. dicta superius. Quod negatur de gratiis condignis, pertinet ad eas vel secundum se spectatas, vel acceptatione divina carentes, servata proportione ad ea, quæ proxime de bonis operibus dicebamus.

Inst. 2. Omne opus bonum est Deo aliunde *multis titulis* debitum, et præterea neque a gratiæ datore tanquam extrinseco, neque ab ipsa gratia sive actuali, utpote peccatoribus communi, sive habituali, utpote quoad speciem non distincta a priore, condignitatem et proportionem ad gloriam habere potest; ergo.

R. *Quoad* 1um. *D.* Omne opus bonum est aliunde Deo debitum in actu secundo, ita ut ab illo ex alio titulo etiam actu exigatur, et hinc nullum sit supererogationis opus *N.* est debitum in actu primo *C.* sed *N. supp.*, quod ejusmodi debitum obstet merito, ut num. 438. fuit ostensum.

Quoad 2um. *N.* 1am. *et* 3am. *p. A.* In justis enim Spiritus sanctus inhabitat, nec exterius duntaxat assistit; unde justos *intrinsece* proportionatos et gloriæ dignos reddere, ac virtutem, qua opera tali gloria faciant digna, impertire potest : gratiam autem sanctificantem operibus præstare condignitatem ostendit proportio illius ad gloriam, quæ se habet sicut *pignus* ad debitum, sicut *semen* ad fructum, sicut *fons* ad aquam ; unde AUG. enarr. in Psal. 125. n. 11. et 14. ipsa opera vocavit *semina vitæ æternæ.*

449. *Dico IV.* Datur meritum *de congruo* ; et hujus tantum meriti rationem participant opera bona non justificatorum.

Prob. 1a. *p.* Dantur plura opera bona ante jutificationem, quæ sint apud Deum theologice meritoria : sed non sunt meritoria de condigno, ut ex secunda parte supponitur; ergo. *Major* exempli gratia declaratur in *fide* et *pœnitentia* tanquam prima et ultima dispositione ad justificationem.

Quoad 1um. enim AUG. ait ep. 105. (al. 194. n. 9) ad Sixtum : *Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori : et descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam, qui se humiliat, exaltabitur ;* et L. de præd. Sanct. c. 2. n. 4. *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri?* PROSPER L. contr. Collat. c. 3. n. 1. *Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia;* quibus similia habent FULG. L. de Incarn. et gr. (al. ep. 17. c. 18.), et PETR. Diacon. c. 8. in libro ejusdem tituli (al. ep. 16. inter Fulgentianas).

Quoad 2um. vero TERTULL. L. 4. contr. Marcion. c. 18. ait : *Peccatricis pœnitentia, secundum Creatorem meruit veniam præponere solitum sacrificio;* CYPR. L. de Lapsis n. 36. de vero pœnitente dicit : *Lætam faciet Ecclesiam, nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam;* AMBR. L. 10.

in Luc. c. 22. n. 90. inquit : *Flevit amarissime Petrus, flevit ut lacrymis suum posset lavare delictum : et si tu veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam; eodem tempore, eodem momento respicit te Christus*; HIERON. L. 2. contr. Pelag. n. 11. *Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris.* AUG. in Psal. 50. n. 11. de Ninivitis scribit : *De incerto pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt,* etc.

Conf. 1. Juxta TRID. Sess. 6. c. 6. peccatores disponuntur ad justitiam per actus *fidei, timoris, spei, amoris, pœnitentiæ* et *propositi* suscipiendi necessarium sacramentum et servandi divina mandata; et juxta c. 7. hanc dispositionem justificatio consequitur : sed ejusmodi dispositio omnia habet ad *meritum theologicum* requisita, nec tamen est de condigno, ob defectum personæ Deo nedum gratæ, et informationis per gratiam sanctificantem; ergo.

Conf. 2. Si gratia fidei aut alia exigeret, aut exspectaret conatum bonæ voluntatis, ut *Pelagiani* primum, ac dein *Semipelagiani* affirmarunt, gratia daretur secundum nostra merita; quemadmodum sæpius a S. AUG. contra illos gratiæ hostes disputatum fuit, et a Conciliis in hac causa habitis definitum; ergo, cum Deus plures actus virtutum supernaturales exigat, et exspectet, ut hominem justificet; hi actus omnino dicendi sunt meritorii saltem de congruo.

Prob. 2ª. *pars* ex dictis, de conditionibus ex parte *operis* et *operantis* ad meritum de condigno requisitis; ex quo etiam capite, nisi sermo sit de operibus naturalibus, fit, quod CONCILIA et PATRES operibus ante justificationem factis meritum aliquando non tribuant, aliquando etiam negent; utpote qui pro specie nobiliore, seu merito de condigno usurpant frequentiore etiam in aliis phrasi genus, seu meritum simpliciter tale.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM MERITI THEOLOGICI?

450. *Nota. Objectum* meriti theologici, seu præmium supernaturale, quod per actus bonos meremur, secundum triplicem classem distingui potest; aliud enim pertinet ad dona gratiæ *actualis*, aliud ad dona gratiæ *habitualis*; aliud ad dona *gloriæ*. In 1ª. classe spectari solet tum gratia prima, tum secunda, eaque maxime congrua seu efficax : in 2ª. consideratur tum gratia ipsa sanctificans seu primo conferenda, seu post lapsum reparanda, tum gratiæ sanctificantis augmentum, tum conservatio et perseverantia finalis in eadem : in 3ª. demum attenditur ad gloriam, sive essentialem sive accidentalem tam secundum se ipsam et quasi substantiam, quam secundum augmentum.

451. *Dico I.* Nemo ullatenus gratiam actualem primam, aut *condigne* gratiam secundam efficacem mereri potest: posteriorem tamen tam peccator, quam justus potest *congrue* mereri.

Prob. 1ª. *p.* Meritum, quod præcedit primam gratiam, ex supposito est sine gratia, ac proin *mere naturale* : sed tali non debetur præmium super-

naturale; aut si deberetur, initium salutis foret ex nobis, quod est dogma *Semipelagianum*; ergo.

Conf. Meritum in eo differt a *causa finali*, quod causa meritoria præmiantem moveat ut aliquid jam existens et absolute prævisum, non autem ut aliquid tantum possibile, aut ut conditionate prævisum; finalis autem causa moveat ut aliquid nondum existens, ad quod obtinendum aliquid fit; unde *finis* in sola intentione prævisus causare potest; *meritum* autem semper debet existere prius natura, quam sit præmium; ergo præmium non potest existere natura prius quam meritum; ergo nemo potest mereri primam per opera posteriora, quæ pendeant ab illa gratia.

Prob. 2ª. *p.* Quilibet actus justi habet suum proportionatum ac condignum præmium in *augmento gratiæ* et *gloriæ*, ad quam dicit intrinsecam et connaturalem habitudinem; gratia autem efficax est novum donum ab his omnino distinctum, et valde extrinsecum respectu meriti præcedentis; sicut eidem extrinsecum est, quod post illum duret vitæ tempus, vel occasio merendi aut non peccandi fit futura; ergo nec *justus* potest condigne mereri gratiam efficacem; præsertim, cum contraria sententia non possit ostendere sive in Scriptura, sive in traditione vestigium institutionis divinæ, aut positivæ ordinationis; præterea etiam testetur contrarium experientia, qua novimus etiam *justos* post plura sanctitatis merita lapsos fuisse in peccata, et hinc gratia efficaci caruisse.

Conf. Non potest dici, quod quilibet actus justi meritorius mereatur *de condigno* gratiam efficacem; cum alias justus per unum actum ex vi sui meriti in hac vita confirmaretur in gratia, nec peccare posset: sed hoc *primo* alienum est a sensu Scripturæ, Patrum et Ecclesiæ circa incertitudinem nostræ salutis manifestato; *deinde* erroneum est ex eo capite, quod sequeretur lapsos post justificationem peccatores nunquam antea habuisse meritum de condigno et gratiæ augmentum; *denique* proximum est errori Joviniani docentis, non fuisse vere justificatum eum, qui peccat.

Neque illud meritum tribui potest *actui* cuidam insigni et *heroico*, quia hoc plane gratis ac voluntarie asseritur; cum nec fundamentum habeatur in ipsa rei natura, sive spectetur homo justus ejusque mutabilitas, sive ipse actus, utpote aliud meritum proportionatum habens: nec in divina institutione, utpote nullibi revelata: nec in experientia, utpote contraria.

Prob. 3ª. *p.* In opere bono sive *justi*, sive *peccatoris* habentur omnes conditiones ad meritum theologicum etiam respective ad gratiam efficacem requisitæ; ut per se patet de requisitis ex parte operis et operantis; de requisito autem ex parte *præmiantis* inde colligitur, quod Deus ejusmodi meritum tanquam proportionatum saltem ratione suæ substantiæ, licet non ratione medii, cum gratia efficaci, solcat acceptare ut tale ex indulgentia quadam et bonitate, qua facienti ex viribus gratiæ, quod est in se, non denegat gratiam ulteriorem sæpe conjunctam cum effectu: sed hoc meritum non est de condigno; ergo saltem est *de congruo*.

Conf. Actus boni peccatoris sunt *congrue* meritorii gratiæ habitualis, et actus similes justi sunt similiter meritorii perseverantiæ; ut ex dicendis supponimus: sed tum gratia habitualis, tum perseverantia includit gratiam efficacem; ergo.

452. *Dico II.* Peccator *gratiam sanctificantem* nonnisi congrue, justus gratiæ augmentum condigne mereri potest.

Prob. 1ª. *p.* SCRIPTURA, CONCILIA et PATRES frequenter negant operibus ante justificationem factis meritum, et justitiæ donum docent esse *gratuitum* : sed non negant meritum congruum, nec docent justitiæ donum ita gratuitum, ut excludat dispositiones debitas; ergo negant meritum condignum, et docent ita donum gratuitum, ut excludat justitiæ debitum.

Prob. Ad Rom. 3. postquam Paulus v. 22. dixisset : *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes,* etc., v. 24. subdit : *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu;* ex quo contextu colligitur etiam præsupposita in homine fide gratiam justificationis immediate ac in se spectatam dari gratis : unde et TRID. Sess. 6. c. 8. dicit : *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Simili ratione Patres alii alios Scripturæ textus interpretantur. AUG. enim in verba Psalm. 110. *Confessio et magnificentia opus ejus,* ait : *Justitiam homo non operatur, nisi justificatus;* L. de fid. et op. c. 14. *Sequuntur opera legis justificatum, non antecedunt justificandum,* etc.

Conf. Si quod opus esset meritorium de condigno gratiæ sanctificantis, id foret *contritio* vel *prima dilectio* Dei super omnia, quæ licet ex dictis superioribus non sit forma sanctificans animam, tamen est ultima ad eam dispositio : sed nec hæc potest dici meritum condignum gratiæ sanctificantis : non enim dici potest hujusmodi meritum, si consideretur ut actus *ordine naturæ* præcedens gratiam habitualem; quia hic actus ut illa gratia prior nec ab ea est formatus, nec est ab homine grato, nec per se et formaliter reddit hominem gratum; ergo nequit esse condigne meritorius; cum ad ejusmodi meritum requiratur persona grata, aut opus saltem gratia habituali formatum. Neque si consideretur ille actus ut *eodem temporis instanti* per infusam gratiam habitualem formatus; quia actus nequit esse meritorius de condigno illius formæ, per quam in esse talis meriti constituitur; cum principium meriti non cadat sub meritum.

Prob. 2ª. *p.* Ex dictis num. 449. quia, si quod meritum congruum peccatoribus est tribuendum, id maxime in ordine ad gratiam sanctificantem concedi debet.

Prob. 3ª. *p.* Ex dictis num. 430. potest dari in homine justo augmentum justitiæ seu gratiæ sanctificantis : augmentum autem hoc fieri per opera bona constat tum ex dictis ibidem, tum ex ep. Jac. 2. v. 21. seqq. *Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est : et suppleta est Scriptura dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est;* tum ex TRID., quod Sess. 6. Can. 32. dicit, *justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, vere mereri augmentum gratiæ;* juxta Concilii autem phrasin *verum meritum* pro condigno usurpatur : tum quia additur, justificatum vere mereri *vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque gloriæ augmentum;* ex qua additione colligitur,

idem dari meritum respectu augmenti gratiæ; quod respectu æternæ vitæ et gloriæ augmenti.

Conf. In merito justorum adsunt conditiones omnes ad meritum condignum *augmenti gratiæ* requisitæ, nam ex parte *operum* supponitur libertas, bonitas, supernaturalitas et informatio per gratiam habitualem, ac proinde præsto est maxima æqualitas et proportio; ex parte *personæ* merentis dignitas justificati, tanquam amici Deo et grati, facile datur; ex parte personæ, cui meretur, requisita conditio similiter non deest, cum supponamus justum sibi mereri; denique ex parte Dei *præmiantis* etiam intercedit promissio juxta verbum Christi Joann. 14. v. 15. et seq. *Si diligitis me, mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis;* circa quæ verba Aug. Tr. 74. in Joann. cum dubium proposuisset quomodo Christus promittat Spiritum sanctum diligenti et mandata servanti, cum sine Spiritu sancto dilectio et mandatorum observatio esse nequeat; sic respondet n. 2. *Restat, ut intelligamus, Spiritum sanctum habere qui diligit; et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat;* ergo.

453. *Dico III.* Justus nec *perseverantiam,* nec *reparationem* post lapsum mereri potest de condigno : potest tamen de congruo mereri perseverantiam, et cum aliqua probabilitate etiam reparationem post lapsum.

Prob. 1ª. *p.* 1°. *Negative;* tum quia Scriptura et Patres nihil uspiam docent, ex quo colligi possit Deum uni aut pluribus meritoriis operibus alligasse *perseverantiæ donum,* ita ut justus tali meritorum cumulo instructus certo sit perseveraturus : tum quia Concilium Trid. Sess. 6. can. 32. recensens ea, quæ vere et de condigno meremur, nullatenus meminit perseverantiæ.

2°. *Positive;* tum quia Scriptura et Patres, ut ex num. 430. et seq. liquet, ostendunt esse *incertam* perseverantiam, adeoque non adesse ejus promissionem; quæ tamen ad meritum de condigno est necessaria : tum quia Trid. Sess. 6. c. 12. prohibet, ne quis *certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum;* et can. 16., ne quis *dicat se certo perseverantiæ donum habiturum;* ubi quamvis mentionem faciat *absolutæ et infallibilis certitudinis,* quæ etiam permisso merito condigno perseverantiæ non necessario sequeretur : tamen, quia non aliam etiam hypotheticam admittit, quam quæ suspenditur ex *speciali revelatione;* ex contraria autem opinione admittenda foret etiam ista *hypothesis,* si justus aliquando habuisset unum vel alterum actum de condigno meritorium; sequitur et hanc certitudinem a mente Concilii esse alienam : tum quia quilibet *infallibiliter* consequitur id omne, quod de condigno meretur; cum autem constet justissimos post excellentia merita quandoque perseverantiam non esse consecutos, sequitur, pro ea meritum condignum non dari.

Conf. Perseverantia *proprie* dicta, ubi per longum tempus ab aliqua justificatione prima usque ad mortem per longum tempus sine mortali peccato vivitur, importat complexionem auxiliorum efficacium, quibus justus non modo perseverare possit, sed etiam revera actu usque in finem perseverat : sed nequit de condigno mereri illam collectionem nequidem per partes; quia 1. non potest sic mereri *primum* illius collectionis auxilium efficax,

cum hoc sit principium merendi, principium autem meriti non cadat sub meritum.

2. Nec condigne mereri potest *ultimum* ejus collectionis auxilium efficax; tum quia est gratia actualis efficax, quæ ex dictis sub meritum condignum non cadit : tum quia non solum datur ad quodcumque peccatum, sed ad finale vitandum, ultra quod non dabitur alia peccandi occasio, sed mors justi infallibiliter sequetur : hæc vero circumstantia facit, ut istud auxilium sit *specialissimum* etiam in ordine gratiæ beneficium, partim ex universali providentia Dei ordinantis cursum omnium causarum, partim ex speciali prædefinitione divina singulis hominibus terminos dierum suorum taxantis dependens, ac proinde alterius quasi ordinis aut saltem valde extrinsecum respective ad actum amoris Dei, vel alium bonum.

3. Nec condigne potest mereri auxilia efficacia *inter media* hujus collectionis; quia sive hic modus merendi explicetur per hoc, quod unus actus mereatur totam seriem auxiliorum, exceptis duntaxat primo et ultimo auxilio collectionis perseverantiam constituentibus; sive per hoc, quod unus actus mereatur auxilium efficax unum, alter actus cum hoc auxilio factus mereatur alterum auxilium, et sic deinceps; neuter modus evadit illa absurda, quæ contra meritum condignum gratiæ efficacis protulimus.

Prob. 2ª. *p.* Meritum hoc nequit fundari in actibus justi, dum justus est; tum quia priora merita per subsequens peccatum mortificantur; unde juxta Ezech. 18. v. 24. *Omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*; et 33. v. 12. *Justitia justi non liberabit eum, in quacumque die peccaverit:* tum quia justus nequit mereri de condigno, ut, si peccaverit, vivat aliquo tempore post lapsum, aut resuscitetur mortuus; quorum tamen alterutrum ad reparationem gratiæ et requiritur, et utrumque minus est, quam reparatio gratiæ : tum quia hoc ipso, quod justus peccat, fit indignus vita æterna et absolute dignus pœna æterna, adeoque ex rigore justitiæ potest statim hac pœna puniri, et nullo modo disponi iterum ad vitam æternam. Nec meritum condignum fundari potest in actibus, quos justus *post lapsum* operatur; tum quia hujusmodi actus jam non sunt ab homine grato, adeoque nec meritorii sunt de condigno : tum quia non sufficit hominem hunc fuisse gratum Deo; cum dignitas, quæ jam non est, nequeat dignificare actus.

Conf. Scriptura, Patres et Concilia universim docent, peccatorum remissionem fieri gratis et ex Dei misericordia : nec datur meritum condignum ad vitanda aliqua vel omnia peccata per auxilium efficax vel donum perseverantiæ; ergo multo minus poterit quis condigne mereri, ut sibi postea detur auxilium efficax ad contritionem.

Prob. 3ª. *p.* Quamvis justus *perseverantiæ donum,* si sumatur ita pro collectione omnium auxiliorum efficacium post aliquam justificationem concessorum, ut ad eam quoque primum auxilium efficax intrinsece referatur, nequeat obtineri etiam per meritum duntaxat *de congruo;* quia et primum auxilium, utpote principium etiam meriti congrui, non cadit sub meritum de congruo : tamen, si perseverantiæ donum sumatur aliter, quatenus nempe *extrinsece* tantum inchoatur a primo auxilio efficaci post justificationem dato ad perseverantiam aliquo modo procurandam, nempe per petitionem ejusdem, propositum, desiderium aut aliquid simile; meritum illius de congruo asseri potest.

Nam 1°. id insinuatum videtur 2. Petr. 1. v. 10. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

2°. Aperte assertum est sæpius ab Aug. in ipso L. de don. persev., ubi is c. 6. n. 10. ait : *Hoc ergo donum Dei suppliciter emereri potest ; sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest* : Item c. 16. n. 39. *Cum constat alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei ; alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam ; profecto, qui ex seipso hanc se habere putat, non orat, ut habeat* : Tandem c. 22. n. 62. *Vos etiam ipsam obediendi perseverantiam a Patre luminum, a quo descendit omne datum optimum et omne donum perfectum, sperare debetis, et quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos, quia etiam hoc, ut faciatis, ipse largitur.*

3°. Id colligitur tum ex oratione dominica, tum ex precibus Ecclesiæ, quas utique *cum spe* conjunctas esse oportet. Idem enim S. Doctor L. eod. c. 2. n. 4. de prima petitione expositionem S. Cypriani adducit et subjungit : *In sanctificatione igitur perseverantiam, h. e. ut in sanctificatione perseveremus, nos ab eo petere iste Doctor intelligit, cum sanctificati dicimus : Sanctificetur nomen tuum.* Dein ex suo de secunda petitione addit n. 5. : *Quid, cum dicimus, Veniat regnum tuum, num aliud poscimus, nisi ut veniat et nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis ? Ergo et hic, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent ? neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.* De sexta vero petitione c. 17. n. 46. ibid. sic loquitur : *Non ideo dicenda est in fide perseverantia non esse donum Dei : hanc enim quotidie poscit, qui dicit : Ne nos inferas in tentationem ; et si exauditur, hanc accipit, ac per hoc, quotidie ut perseveret petens, profecto perseverantiæ suæ spem non in seipso, sed in Deo ponit.*

Eadem postulat Ecclesia, dum in publicis precibus dicit : *Fac nos tuis semper inhærere mandatis* ; aut in missæ sacrificio precatur : *A te nunquam separari permittas* ; aut cum Psalmista canit : *Ne des in commotionem pedes meos* ; ergo.

Conf. Licet perseverantia non sit terminus, ad quem gratia aut meritum per se tendat ; tamen id non obstat congruitati meriti, ut patet in merito, quo justus alteri quidpiam meretur ; et quia universim minus requiritur ad meritum *congruum*, quam condignum : præterea in justorum bonis operibus adsunt conditiones omnes ad meritum theologicum necessariæ : demum videtur omnino congruum, ut bene operans, Deumque frequenti oratione sollicitans, dum voluntarium obicem non ponit, obtineat gratiam salutis ; partim, quia id postulat suavissima Dei gubernatio et amor in suos ; partim quia utilitas hominum requirit, ut proposito cœlesti præmio acuantur ad bene et instanter tum orandum, tum operandum.

Prob. 4ª. *p.* Probabilitas meriti congrui justorum respectu *reparationis* post lapsum extrinseca fundatur in auctoritate Bonaventuræ, Scoti, Gabrielis, Vegæ, Bellarm. Suarez et aliorum : intrinseca autem tum in non repugnantia hujus meriti, tum in quadam decentia justitiæ divinæ latius sumptæ ; ut Deus non obstante peccato superveniente recordetur præcedentium meritorum, illorumque intuitu excitet peccatorem ad resurgendum a

peccato : præsertim ubi merita insignia præcesserunt, et peccatum subsequens ex vehementi aliqua tentatione, aut fragilitate humana committitur.

Nec desunt hujus providentiæ exempla in Scriptura; Jehu enim Propheta ad Josaphat Regem Juda 2. Paralip. 19. v. 2. ait : *Impio præbes auxilium, et his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris : sed bona opera inventa sunt in te;* in quæ verba Theodoretus : *Hinc discimus, quod minuunt peccatorum pœnas, quæ prius fuerant recte facta*; Lyranus : *Merebaris iram de rigore justitiæ; sed propter alia opera tua bona pepercit tibi ex dulcore suæ misericordiæ.* Similia quædam videntur in c. 2. et 3. Apoc., ubi prius commemorantur laudes et bona opera Episcoporum, et postmodum objurgatione defectuum facta vocantur ad pœnitentiam.

Conf. Justus, experientia teste et Patribus sponsoribus, facilius resurgit a lapsu : dum orat reparationem post lapsum, si forte peccaverit, facit petitionem rei honestæ, justæ ac conformis voluntati divinæ, adeoque non petit inutiliter : alteri etiam peccatori potest de congruo mereri gratiam, et peccator sibi ipsi; ergo.

454. *Dico IV.* Justus potest de condigno mereri *gloriam* tum essentialem, tum accidentalem : idem probabilius dicendum est de *gloria prima*, et certo de gloria secunda, seu gloriæ augmento.

Prob. 1ª. *p.* Imprimis vita æterna est præmium correspondens operibus bonis justorum; ut patet tum juxta Philonem ex verbis Exod. 15. v. 17. *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine* : tum ex aliis seu Scripturæ testimoniis apertis; Sap. 5. v. 16. *Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum* : Matth. 19. v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut etc., centuplum accipiet et vitam æternam possidebit*; etc. c. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.*

Deinde etiam est præmium debitum ex justitia; tum quia in Scripturis dicitur *merces, bravium* et *corona justitiæ* : tum quia in iisdem merentes dicuntur *digni* hoc præmio : tum quia Patres et Concilia, maxime Trid. id satis aperte declarant. Non tamen defendimus meritum de condigno ad omnem *rigorem*, cujus nempe valor ac dignitas in nulla præmiantis gratia fundetur; sed tantum meritum de condigno simpliciter, quod dicit declaratam operis æqualitatem, licet ejus valor et dignitas nitatur in remunerantis bonitate.

Prob. 2ª. *p.* Gloria *accidentalis* vel ex natura sua, vel ex ordinatione divina est conjuncta et annexa gloriæ essentiali, aut saltem ejus augmento : sed justus de condigno meretur tum gloriam essentialem, tum augmentum gloriæ, ut proxime dicetur; ergo.

Conf. Actibus justorum bonis nulla conditionum ad meritum condignum requisitarum deest; ut patet tum ex paritate cum gloria essentiali et augmento ejus instituta, tum ex promissione divina, quæ de variis accidentalis gloriæ partibus habetur Dan. 12. v. 13., Matth. 13. v. 43., et c. 19. v. 28., ac 1. ad Cor. 15. v. 42. et seqq. etc.

Prob. 3.ª *p.* Quotiescumque Scriptura promittit gloriam tanquam merce-

dem operibus bonis ac meritis, ita loquitur, ut in sensu proprio, naturali et usitato non debeat intelligi de parte duntaxat gloriæ et augmento, sed recte possit accipi de *gloria tota* ejusque substantia, ac illa etiam parte, quæ gratiæ primæ respondet; ut patet tum ex testimoniis proxime recitatis vel laudatis, tum ex Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et ad Coloss. 3. v. 24. *Scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* In similem sensum præter alios Patres loquitur Aug. ep. 105. (al. 194. n. 20.) scribens : *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors : ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Et L. de mor. Eccles. c. 25. n. 47. *Vita æterna totum est præmium, cujus promissione gaudemus.*

Utrumque roboratur ex Trid., in quo duo veniunt observanda : 1um. est, quod Sess. 6. c. 16. absolute tradat justis *proponendam esse vitam æternam et tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, et tanquam mercedem ex Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis reddendam,* quin aliqua hic inter primam aut secundam gloriam distinctio fiat, aut exceptio addatur : 2um. est, quod, dum ibid. can. 32. recenset præmia meritorum, non dicat sub meritum cadere *gratiam*, sed duntaxat *augmentum gratiæ;* et e contra dicat non tantum *augmentum gloriæ*, sed etiam *vitam æternam*, h. e. *gloriam* cadere sub meritum; quæ loquendi mutatio cum plus enuntiet de præmio gloriæ, quam gratiæ, ostendit ipsi substantiæ seu primæ gloriæ rationem mercedis etiam attribui, quam Concilium c. 8. negaverat gratiæ sanctificanti.

Conf. Si quid obstaret condigno merito primæ gloriæ, foret *indignitas personæ operantis*, quæ caret sanctitate tunc, quando operatur : sed hoc non obstat; quia eo instanti naturæ, quo peccator per bonum opus meretur gloriam, jam prius natura sanctitatem habet, quæ tum personam dignificat, tum actum informat; cum instans reale ac temporis in duo instantia naturæ dividi queat, in quorum *primo* habeatur actus bonus et persona necdum sanctificata; in *secundo* idem actus bonus et simul persona per gratiam habitualem sanctificata, et consequenter etiam actus moraliter consanctificatus ac formatus : ergo, quamvis per actum illum nonnisi congrue mereatur gratiam sanctificantem, *gloriam* tamen illi respondentem meretur condigne; cum priusquam mereatur gloriam, jam intelligatur dignificatus esse per gratiam.

Accedit, quod ex contraria opinione sequatur, nullum hominem vel angelum consequi *totam gloriam* ut coronam justitiæ, seu ex meritis, sed omnibus dari gloriæ quasi substantiam gratis, et solum tantum accessionem aliquam quibusdam, scilicet extra Sacramentum justificatis, dari ex meritis; quod sane absurdum videtur ob repugnantiam cum Scriptura, Patribus et Trid. proxime laudatis.

Prob. 4a. *p.* Datur inæqualitas et augmentum gloriæ; ex hactenus autem probatis possibile est meritum condignum etiam ipsius gloriæ; ergo et multo magis, vel saltem non minus augmentum gloriæ cadit sub meritum condignum; præsertim cum Trid. l. c. can. 32. expressam ejus mentionem faciat.

Conf. Qui meretur gratiæ augmentum, meretur illud ut perpetuo duraturum, quantum scilicet est ex parte Dei, seu sub conditione, si per homi-

nem non steterit : sed augmentum gratiæ in via obtentum, hoc ipso quod ad terminum viæ ultimum pervenit, nec aliquid ex parte hominis obstet, transit in gloriæ augmentum ; quia omni gradui gratiæ correspondet gradus gloriæ ; et omnis gradus gloriæ fundatur in aliquo gradu gratiæ.

455. *Obj. contra* 2am. *p.* Scriptura etiam operibus supernaturalibus ante justificationem tribuit meritum condignum ; nam Jac. 2. v. 21. et 25. de Abrahamo et Rahab quæritur : *Nonne ex operibus justificati sunt?* et 1. Joann. 1. v. 9. dicitur : *Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est et justus; ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Nec obstat textus Pauli nos *gratis justificari* docentis ; quia intelligi potest de justificatione *adæquate* et secundum radicem nempe primam vocationem et gratiam sumpta, non autem debet sumi de justificatione inadæquate, seu formaliter accepta, et secundum solum terminum seu gratiæ infusionem.

R. Textum Jacobi litteraliter loqui non de justificatione secunda, seu augmento gratiæ ; unde et Trid. Sess. 6. c. 10. ex eadem epistola et capite ad probandum acceptæ justificationis incrementum usurpat versum intermedium : *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum.* Testimonium Joannis vel agit de peccatis venialibus, ut ex versu immediate præcedente manifeste apparet, et Aug. in 1. Joann. Tract. 1. n. 6. exponit ; et tunc verum quidem est, quod justus de condigno mereatur horum veniam, ut plures volunt ; sed est impertinens ad rem præsentem : vel agit de peccatis *universim*, sed cum partitione accommoda ; quatenus nempe Deus remittendo pœnitentibus peccata mortalia est fidelis, remittendo autem justis venialia est justus.

Expositio allata ad verba Pauli et particulam *gratis*, locum non habet ex dictis in probatione ; quia de credentibus etiam dicitur justificari gratis, adeoque merita de condigno saltem excluduntur, cum merita congrua alibi stabiliverimus.

Inst. 1. Idem videtur docere S. Aug. L. exposit. inchoatæ in ep. ad Rom. n. 9. ; ubi dicit, peccata quidem remitti ex misericordia, sed tamen intervenire justitiam : *Hoc plane justum est apud Deum quia vere justum est, ut ii, quos peccatorum suorum pœnitet..... misericorditer separentur ab eis qui defensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nulla pœnitentia corrigi volunt;* quod ipsum bis æquivalenter repetitur.

R. Cum Aug. alibi sæpius nonnisi meritum congruum admittat ante justificationem, non potest hic loqui de justitia propria, qualem agnoscit in retributione meritorum de condigno ; sed accipiendus est de quadam æquitate et conveniente providentiæ modo ; quem insinuat Anselmus Prosolog. c. 10. dicens : *Cum punis malos, justum est; quia illorum meritis convenit : cum vero parcis malis, justum est; non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuæ condecens est.* Item : *Ita justus es, non quia nobis reddas debitum ; sed quia facis quod decet te summe bonum,* etc.

Inst. 2. Meritum et præmium *gloriæ primæ* possunt esse simul tempore, dummodo meritum ordine naturæ præcedat ; ergo idem dicendum est de merito et præmio *primæ gratiæ* habitualis ; præsertim quia ex alia parte nulla conditio ad meritum condignum deficit ; cum ex supernaturalitate

actus habeatur sufficiens æqualitatis proportio in contritione perfecta, vel dilectione Dei respective ad gratiam habitualem; et etiam adsit promissio Dei, qua vere pœnitentibus remissio peccatorum et gratia asseritur.

R. *Disparitas* patet ex datis pro utraque parte rationibus, quibus ostendimus *primam gratiam* tanquam principium meriti condigni non posse cadere sub meritum condignum, posse autem *primam gloriam* respondentem primæ gratiæ sub illud meritum cadere : unde permissa etiam divina promissione justitiæ seu conventionali, et non tantum simplici de gratia pœnitentibus danda, tamen non probatur meritum de condigno, cum ad id negandum sufficiat defectus vel unius conditionis, qui in præsenti casu habetur ob personam necdum gratam.

456. *Obj. contra* 3am. *p.* Justus potest de condigno mereri augmentum gratiæ habitualis; ergo et auxilium *actuale efficax*, hujusque opera per subsequens opus auxilium efficax ad aliud opus, et sic deinceps usque ad vitæ finem; præsertim quia Christus Matth. 7. Joann. 16. et alibi sæpius promisit, se orantibus daturum quidquid petierint.

R. *N. Cons. Disparitas* patet ex datis pro utraque parte rationibus, quas recole. *Ad rationem* additam *D.* Promisit hæc Deus promissione conventionali ac justitiæ *N.* simplici duntaxat et liberalitatis *C.* vel *Subd.* ita ut inde exurgat connexio infallibilis cum effectu *N.* fallibilis duntaxat *C.* Juxta plerosque enim non datur meritum congruum strictum *perseverantiæ finalis*, sed minus strictum et libertati divinæ etiamnum subjectum; tum quia donum hoc potius per preces, quam sola opera bona obtinetur : tum quia quasi per partes acquiritur; quatenus per instantes preces bonaque opera ad id directa nunc de congruo meremur auxilium ad non cedendum tentationi, et post illud iterum orando et bona agendo meremur auxilium ad servandum idem, vel aliud præceptum, ac sic deinceps; non vero quasi per unum vel plura opera bona mereamur ita perseverantiam, ut propter hæc certo detur donum perseverandi toto residuo vitæ tempore, absque nova cura et oratione.

Inst. 1. Justus similiter potest mereri vitam æternam; ergo et perseverantiam in gratia; tum quia, qui potest mereri finem, potest etiam mereri medium ad finem : tum quia, qui meretur id, quod est excellentius, potest et mereri id, quod est minus.

R. *N. Ass.* Cujus falsitas patet tum in *gratia prima*, quæ etiam medium est ad vitam æternam tanquam finem; tum eo, quod, licet vita æterna cadat sub meritum de condigno, tamen id nequeat etiam dici de conservatione juris ad vitam æternam : unde nec, quæ necessaria sunt ad talis juris conservationem, inter quæ perseverantia numeratur, sub meritum de condigno cadere debent.

Ad prob. 2am. *D. Ass.* Si cætera sint paria *C.* secus *N.* Disparem vero rationem esse constat ex thesium probationibus.

Inst. 2. Ad Hebr. 6. v. 10. dicitur : *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis;* quæ verba, cum scripta sint ad homines justos, sed postea lapsos, ostendunt merita justorum de condigno mereri reparationem post lapsum.

R. 1°. *N. Supp.* Ad fideles enim, quamvis remissiores et imperfectos, sed adhuc in gratia et bonis operibus perseverantes hæc scripta esse a Paulo, satis docet verbum præsens, *et ministratis*, huic textui adjunctum; quod ipsum indicat Chrys. hom. 10. in ep. ad Hebr. n. 2., Theophyl. in versum præcedentem, et recentiores Interpretes.

R. 2°. Si textus secundum verba relata intelligatur de justis, sed jam lapsis, debet sumi cum imbibita hac *conditione* : Si resipiscatis et pœnitentiam egeritis; quæ interpretatio est S. Anselmi in hunc locum, et affertur a Gratiano in nota ad c. 29. §. *Operis*, Dist. 2. de Pœnitentia. Cujus *ratio* est; quia, quamvis bona justi opera, quæ per peccatum superveniens mortificantur tantum et impediuntur, non penitus extinguuntur, non mereantur hujus impedimenti ablationem : tamen impedimento illo per misericordiam Dei gratis sublato statim priora merita reviviscunt, vim suam recuperant et justitiam exercent.

Inst. 3. Opus bonum hominis justi etiam post lapsum manet condigne meritorium vitæ æternæ; ergo etiam potest manere condigne meritorium reparationis; quia plus esse videtur, meritum vitæ æternæ durare cum peccato, quam meritum reparationis post lapsum.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia justus meretur vitam æternam sibi justo reddendam, in quo nihil est absurdi aut peregrini; unde meritum hoc respectu consecutionis vitæ æternæ includit conditionem, si justus in gratia decesserit, quemadmodum id Trid. Can. 32. sæpe laudato exprimit; hæc autem minor est, quam illa, si perseveret, juxta expositam superius perseverantiæ propriæ naturam : verum si quis mereretur reparationem post lapsum, mereretur aliquod præmium sibi indigno reddendum; cum reddi deberet sibi in peccato mortali existenti, quod sane justitiæ merito condigno repugnat.

457. *Obj. contra 4am. p.* Trid. in Can. 32. memorato imprimis non dicit justificatum mereri *gloriam primam*, sed absolute vitam æternam seu gloriam, quæ abstrahit a prima et secunda: deinde addidit de augmento gloriæ; ne quis putaret, omnes mereri eamdem vel æqualem gloriam, ut *Hæretici* sentiunt : demum, sicut ibidem recensendo vitam æternam et ejus consecutionem, hæc non proposuit ut duo præmia diversa, sic nec referendo vitam æternam et gloriæ augmentum.

R. *Quoad 1um. D.* Tridentinum non dicit formaliter, justificatum mereri gloriam primam *C.* non dicit æquivalenter *N.* Dicendo enim *vitam æternam*, gloriam totam includit; addendo *augmentum gloriæ*, declarat per vitam æternam intellexisse ipsam substantiam gloriæ ab ejus initio, quod idem est, ac gloria prima.

Quoad 2um. N. Ass. Concilium hic non agit contra Hæreticos negantes merita, quorum ideo essentialia præmia distincte explicat. Quin, si contra priorem errorem hic agere intendisset, satis habuisset dicere, justos mereri *augmentum gloriæ*; sicut satis exposuit, dari in justis varios gratiæ gradus, dum solum docuit, justos de condigno mereri augmentum gratiæ.

Quoad 3um. Disparitas est; quia vitam æternam et consecutionem ejus non esse duo distincta præmia tam patet, quam patet mereri *mercedem* et *solutionem* mercedis non esse duas mercedes; cum res ipsa non cadat sub

meritum, nisi quatenus retribuenda est operanti, et ex opposito meritum eo tendat, ut præmium obtineatur. Quod tamen Concilium illa duo distincte posuerit; *ratio* erat, ut explicaret, quomodo meritum vitæ æternæ certissimum et infallibile sit, licet præmium non statim detur, nec omnes, qui illud merentur, consequantur; id quod fecit declarando, mereri justos vitam æternam, sed non statim, neque omnibus aliquando reddendam infallibiliter infallibilitate absoluta, sed sub conditione; si in gratia decesserint. E contrario autem nec idem sunt vita æterna, et gloriæ augmentum: nec si idem sunt, dari *ratio* potest, cur velut duo distincta posita fuerint.

Inst. Homo non meretur de condigno *primam gratiam;* ergo nec primam gloriam; quia non meretur gloriam, nisi quatenus meretur gratiam, cum gratia ferat jus ad gloriam; ergo si gratia non est ex merito condigno; nec gloria erit.

R. *N. paritatem* ob datas in utraque thesi rationes.

Ad prob. N. A. Licet enim nemo acceptetur ad gloriam, nisi per gratiam, et ideo nemo mereatur gloriam sine gratia; non est tamen necessarium, ut simul mereatur gratiam, nisi solum tunc, quando gratia non supponitur.

458. *Observa.* Meritum in alterius favorem soli Christo proprium est tanquam capiti universorum, et de cujus plenitudine nos omnes accepisse Joann. c. 1. v. 16. testatur. Ut tamen justis meritum tribui possit *de congruo* ad obtinendam aliis etiam gratiam habitualem primam, saltem mediate et per gratiam actualem conferendam, facit imprimis ille fidei articulus, quem in Apostolorum Symbolo per *Communionem sanctorum* profitemur; deinde lex amicitiæ Deum inter et hominem justum, secundum quam congruum videtur, ut Deus precibus justi tanquam sui amici pro alio rogatus conferat ipsi gratiam aliquam ac beneficium supernaturale, quod auxilium præveniens ac excitans erit: quibus accedit exemplum tum Ecclesiæ pro persecutoribus Paganis, Hæreticis, ac Judæis orantis; tum Sanctorum Abrahami, Jobi, Stephani et aliorum pro impiis peccatoribus deprecantium.

Hujusmodi tamen meritum non esse stricte congruum et infallibile testatus est ipse Deus, dum 1. Reg. 16. v. 1. Samueli dixit: *Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum, ne regnet in Israel?* Item Ezech. 14. v. 16. *Tres viri isti*, nempe Noe, Daniel et Job, *nec filios, nec filias liberabunt; sed ipsi soli liberabuntur;* et Jerem. 15. v. 1. *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Hisce prælectionibus de gratia finem ponimus, et Lectoribus nostris æque ac nobis a Deo gratiam precamur finalem.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI QUARTI

PARS PRIOR.

TRACTATUS DE PECCATIS, GRATIA, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

DISPUTATIO I.

DE PECCATIS GENERATIM.

CAPUT I. — DE NATURA ET AFFECTIONIBUS PECCATI.

Pag.

ARTIC. I. — *Quid et quotuplex sit peccatum?* 3

I. — Peccatum est actus moralis regulæ morum difformis 3

II. — Peccatum ratione entitatis dividitur in peccatum *commissionis* et *omissionis;* ratione subjecti in *personale* et *originale;* ratione effectus et pœnæ in *mortale* et *veniale;* ratione regulæ morum in *theologicum* et *philosophicum*. 4

ARTIC. II. — *An omne peccatum sit formalis offensa Dei?* 5

Omne peccatum rectæ rationi graviter difforme est etiam formalis offensa Dei. 5

QUÆRES I. *Quidnam circa peccatum pure philosophicum sit constitutum?* 12

I. — Pars una de peccato theologico et mortali, quod nempe hoc sit *libera divinæ legis transgressio*, non subjacet censuræ, nec digna est censura, nisi forte philosophica diminutionis et insufficientiæ. 12

II. — Pars prima de peccato philosophico, quod nempe hoc sit *actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi*, scilicet *soli*, etiam non subjacet censuræ, quatenus nomenclaturam illius peccati explicat. 12

III. — Pars secunda de peccato philosophico, quæ in postremo commate habetur, ut jacet, censuram sustinet et meretur 12

QUÆRES II. *In quo sit formalis malitia peccati?* 13

I. — Formalis malitia peccati *commissionis* adæquate consistit in positivo; scilicet in libera tendentia actus in objectum prohibitum. 13

II. — Omissio etiam sola actionis præceptæ est peccatum, et formaliter stat in quasi positivo 13

ARTIC. III. — *An omnia peccata sint æqualia?* 14

Non omnia peccata sunt æqualia. 14

Pag.

QUÆRES: *Sitne peccatum in aliqua ratione infinitum?* 15

Peccatum nec quoad malitiam, seu intuitu legis, nec quoad offensam, seu intuitu personæ offensæ, est simpliciter infinitum 15

CAPUT II. — DE CAUSIS ET EFFECTIBUS PECCATI.

ARTIC. I. — *An Deus sit causa et auctor peccati?* 17

Deus non est causa vel auctor ullius peccati 17

ARTIC. II. — *An reatus culpæ et reatus pœnæ distinguantur?* 26

Reatus pœnæ et reatus culpæ inter se realiter distinguuntur. 26

QUÆRES: *Quid et quotuplex sit pœna?* 29

I. — Pœna est malum voluntati, vel saltem naturæ contrarium, ad puniendam culpam illatum 29

II. — Pœna alia est simpliciter pœna, alia satisfactoria, alia medicinalis: Alia vitæ præsentis, alia futuræ vitæ: Hæc vel est pœna damni, vel pœna sensus 29

DISPUTATIO II.

DE PECCATO PERSONALI.

CAPUT I. — DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

ARTIC. I. — *An inter mortale et veniale peccatum sit discrimen?* 31

I. — Dantur quædam peccata proprie venialia; nec omnia peccata sunt mortalia 32

II. — Peccata venialia non sunt talia propter extrinsecam conditionem aut peccantis hominis, aut Dei non imputantis. 33

III. — Peccata venialia sunt talia ex natura sua 34

ARTIC. II. — *Per quæ prædicata intrinseca differant inter se peccatum mortale et veniale?* 43

I. — Peccata non differunt per hoc, quod mortale sit contra legem, veniale contra consilium, vel præter legem. 43

II. — Propria et essentialis differentia peccatorum est in eo, quod mortale sit libera transgressio legis vel præcepti graviter obligantis; veniale sit libera transgressio præcepti leviter tantum obligantis 44

QUÆRES: *An peccatum veniale sit offensa Dei?* 47

Peccatum veniale est proprie offensa Dei, sed levis. 47

CAPUT II. — DE PÆNA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

ARTIC. I. — *An peccato mortali statuta et debita sit pœna æterna?* . . . 49

I. — Pœna inferni reproborum, et sic peccati mortalis, erit æterna 50

II. — Peccatum mortale ex natura sua meretur pœnam æternam 50

QUÆRES: *Quid sentiendum de liberatione Trajani Imperatoris a gehenna precibus S. Gregorii Magni?* 56

I. — Reji ienda est tanquam commentitia hæc Trajani liberatio 56

Pag.

II. — Quo sensu, veritate hujus historiæ gratis supposita, sustineri possit hæc liberatio, D. Thomas explicat. 57

Artic. II. — *Qua pœna puniatur peccatum veniale?* 58

Nullum veniale, in damnato etiam, per accidens punitur pœna æterna . 58

Quæres I. *Quomodo remittatur reatus culpæ decedentibus cum solo peccato veniali?* 60

I. — Culpa a Deo remittitur vel sub ipsum animæ egressum 61
II. — Vel in ipso purgatorio et egressu ex eodem 61

Quæres II. *In quonam consistat ratio peccati habitualis?* 61

I. — Peccatum habituale nihil est aliud, quam ipsum actuale physice præteritum, sed moraliter perseverans in reatu culpæ, seu per ordinem ad debitum sustinendi odium vel displicentiam divinam 61
II. — Perseverantia moralis peccati habitualis explicatur proxime et formaliter per negationem satisfactionis vel condonationis 62

DISPUTATIO III.

DE PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I. — DE EXISTENTIA PECCATI ORIGINALIS.

Artic. I. — *Quinam circa originalis peccati existentiam fuerint errores?* . 63

I. — Triplex classis est eorum, qui circa peccati originalis existentiam erraverunt 63
II. — Erroris hujus auctores et sectatores nonnihil variarunt 64

Artic. II. — *An existat peccatum originale?* 65

Existentia peccati originalis est *dogma fidei*. 65

§. I. — *Quibus argumentis ex Scriptura probetur et vindicetur existentia peccati originalis?* 65

Argumentum I. sumitur ex V. T.; et quidem 1°. ex Jobi c. 14. v. 4. 2°. ex Psal. 50. v. 7. 65
II. Sumitur ex N. T.; et quidem 1°. ex epist. ad Rom. c. 5. v. 12. 2°. ex 2. ad Corinth. 5. v. 14. 66

§. II. — *Quibus argumentis probetur ex Traditione, et vindicetur existentia peccati originalis?* 70

Argumentum I. sumitur ex SS. Patribus, qui ante Pelagium scripserunt; ejusdem enim tempore, aut post illum unanimis et aperta fuit Doctorum sententia pro peccati originalis extantia 70
II. Sumitur ex Pontificum doctrina ac decretis 71
III. Sumitur a Conciliis, quorum viginti quatuor contra Pelagianam hæresin an. 404. vel 405. exortam intra 19. annos, nempe ab an. circiter 412. usque ad an. 431. celebrata fuerunt 71

§. III. — *Quibus argumentis probetur ex Ratione, et vindicetur existentia peccati originalis?* 76

Argumentum I. sumitur ex generali redemptione Christi 76
II. Ex necessitate baptismi. 76
III. Ex variis humanæ nativitatis adjunctis 76

Pag.

QUÆRES : *Quid de Zosimi Pontificis œconomia in causa Pelagii et Celestii sit sentiendum ?* 80

I. — ZOSIMUS Pelagii et Celestii errores nunquam approbavit 81
II. — ZOSIMUS nimia indulgentia non peccavit 82

CAPUT II. — DE ESSENTIA PECCATI ORIGINALIS.

ARTIC. I. — *An concupiscentia constituat peccatum originale?* 83

I. — Concupiscentia non est formaliter peccatum originale. 84
II. — Concupiscentia non est materiale originalis peccati in sensu Jansenii. . 85
III. — Concupiscentia theologice quidem, non autem philosophice potest in sensu S. Augustini vocari materiale peccati originalis. 85

QUÆRES : *Quid reatus nomine intelligat S. Augustinus, cum originale peccatum asserit reatum concupiscentiæ?* 92

Intelligit ipsum peccatum habituale, quo homo maculatus manet, et reus non tantum pœnæ, sed peccati est. 92

ARTIC. II. — *Quomodo in Adamo peccaverint ejus posteri?*. 93

I. — Posteri non peccarunt in Adamo per hoc, quod habuerint consensum interpretativum. 94
II. — Posteri non peccarunt in Adamo per hoc præcise, quod is erat eorum caput naturale. 94
III. — Posteri peccarunt in Adamo per hoc, quod is per pactum virtuale a Deo erat institutus caput morale eorum ad hoc, ut, quod ipse in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comedendo fructu faceret, censerentur posteri etiam moraliter et imputabiliter facere. . 94

ARTIC. III. — *In quonam formaliter consistat peccatum originale?*. . . . 100

Peccatum originale est ipsum Adæ peccatum physice præteritum, prout a posteris in illo moraliter commissum, et moraliter perseverans in reatu seu debito sustinendi odium inimicitiæ divinæ 100

CAPUT III. — DE PROPAGATIONE PECCATI ORIGINALIS.

ARTIC. I. *Quomodo traducatur peccatum originale ad Adæ posteros?*. . . . 102
I. — Libido, quacum parentes generant, non est causa per se et necessaria peccati originalis in parvulis 103
II. — Peccatum originale non ex ipsa natura rei propagatur in posteros. . . 104
III. — Causa peccati originalis est voluntas Adami, et sic hoc peccatum moraliter transfunditur, supposita generatione ex Adamo facta per viam generationis ordinariam. 104

ARTIC. II. — *An peccatum originale propagetur ad omnes homines?*. . . . 108

Etiam filii fidelium contrahunt peccatum originale, quod ipsis, sicut et cæteris imputatur, nisi ab eo per baptismum mundentur. 108

ARTIC. III. — *An beatissima Virgo contraxerit peccatum originale?* . . . 111

B. V. Maria non contraxit peccatum originale; sed in primo creationis et infusionis animæ suæ in corpus instanti fuit per gratiam justificantem sanctificata, et a peccato originali præservata. 112

QUÆRES : *An B. Virgo habuerit debitum contrahendi peccatum originale?*. 121

Pag.
I. — Non est *positive* improbabile, B. Virginem carnisse *debito proximo*. . 122
II. — *Positive* probabile est, B. Virginem carnisse *debito proximo*, h. e. peccato originali in Adam commisso. 123
III. — Omnino admittendum est, B. Virginem habuisse debitum remotum . 124

CAPUT IV. — DE POENIS PECCATI ORIGINALIS.

ARTIC. I. — *An et quænam sint pœnæ peccati originalis in hac vita?* . . . 125
I. — Mala hominem post originale peccatum infestantia alia sunt interna, eaque vel in anima, vel in potentiis animæ, vel in corpore : alia externa, quæ scilicet vel extra hominem sunt, vel ab extraneo adveniunt. 125
II. — Mala ejusmodi sunt effectus et pœnæ peccati originalis 126

ARTIC. II. — *An parvuli sine baptismo decedentes puniantur privatione beatitudinis?*. 127
I. — Parvuli sine baptismo decedentes puniuntur privatione beatitudinis supernaturalis. 127
II. — Parvuli iidem etiam puniuntur privatione beatitudinis naturalis. . . . 127
ARTIC. III. — *An parvuli sine baptismo decedentes puniantur pœna sensus et ignis infernalis?*. 130
Probabilius videtur, infantes sine baptismo decedentes non puniri pœna sensus. 132
QUÆRES : *An parvuli sine baptismo decedentes patiantur internum animi dolorem ob privationem beatitudinis?*. 138
Parvuli hujusmodi tristantur de privatione beatitudinis. 138

DISPUTATIO IV.

DE GRATIA UNIVERSIM.

CAPUT I. — DE GRATIA ET DIVERSIS NATURÆ STATIBUS.

ARTIC. I. — *Quid et quotuplex sit gratia divina?*. 141
I. — Gratia divina est *donum supernaturale absolute indebitum, gratis concessum a Deo creaturæ rationali, pertinens aliquo modo ad vitam æternam*. 141
II. — Gratia *ratione finis* dividitur in *gratis datam*, et *gratum facientem*. . 142
III. — Gratia, nempe *gratum faciens*, *ratione modi existendi* dividitur primo in *increatam* et *creatam* : secundo in *externam* et *internam* : tertio in gratiam *intellectus* et gratiam *voluntatis* : quarto in *actualem* et *habitualem*. 143
IV. — Gratia, videlicet *actualis*, *ratione diversi respectus ad liberum consensum* dividitur primo in gratiam excitantem et adjuvantem : secundo in sufficientem et efficacem. 144

ARTIC. II. — *Quid et quotuplex sit naturæ humanæ status?*. 144
Status *naturæ* est certa conditio totius generis humani, seu modus se habendi in ordine ad finem ultimum secundum divinæ providentiæ legem. 144

Pag.

ARTIC. III. — *An Adamus in statu justitiæ originalis fuerit conditus?* . . 145

I. — Adamus habuit justitiam originalem. 146
II. — Probabilius etiam Adam creatus est in justitia originali. 147

QUÆRES : *An justitia originalis homini sit naturalis?* 148

I. — Justitia originalis, seu gratia sanctificans nullatenus potest dici naturalis, aut homini debita. 148
II. — Nec obedientia appetitus sensitivi ad rationem est naturalis homini et debita. 150
III. — Nec immortalitas corporis, nec immunitas a vitæ miseriis fuit homini debita et naturalis. 150

ARTIC. IV. — *An possibilis sit status naturæ puræ?* 152
Status *naturæ puræ* est possibilis, et nulla ex parte repugnat. . . . 153

ARTIC. V. — *An natura lapsa debilior sit ad operandum bonum morale naturalis ordinis, quam esset natura pura?* 165

I. — Homo in statu naturæ lapsæ vi *solius peccati originalis* non factus est *intrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in statu naturæ puræ. 165
II. — Homo in statu naturæ lapsæ vi *peccati originalis* factus est *extrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam foret in statu puræ naturæ. 166

CAPUT. II. — DE VARIIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

ARTIC. I. — *Quinam fuerint auctores, debellatores, et errores hæresis Pelagianæ circa gratiam?* 169

I. — Auctor fuit Pelagius, natione Britannus seu Anglus, professione Monachus, etc. 169
II. — Debellatores Pelagianæ hæreseos dicuntur vel Patres in Conciliis congregati, vel Patres singuli dogmatica scripta opponentes, vel summi Pontifices constitutionum decreta edentes 170
III. — Errores Pelagianorum universim ad tria capita referuntur, etc. . . . 173
IV. — Errores Pelagianorum *speciatim et circa gratiam* colligi possunt ex systemate Pelagii, quod tres partes complectitur, etc. 174

QUÆRES I. *An et qualem gratiam illustrationis interiorem tandem admiserit Pelagius?* 175

I. — Pelagius admisit interiorem gratiam, qua intellectus intime a Deo illustratur. 175
II. — Pelagius illustrationis gratiam, quam admisit, simul duplici errore fœdavit ; primo volens nos eam promereri per naturæ vires : secundo putans eam non esse simpliciter necessariam, sed tantum ad operandum facilius. 175

QUÆRES II. *An Pelagiani admiserint tandem gratiam inspirationis, seu auxilium internum voluntatis?* 176

I. — Nec Pelagius, nec Celestius admiserunt gratiam interiorem voluntatis. 176
II. — Nec Pelagiani reliqui etiam post damnationem hæreseos a Zosimo latam admiserunt interiorem voluntatis gratiam. 177

QUÆRES : *An Pelagiani admiserint gratiam habitualem?* 178

Pag.

I. — Si verba Pelagianorum spectentur, *certum* videtur, ab illis agnitam et admissam esse gratiam habitualem. 178

II. — Si artes et subdolæ Pelagianorum explicationes attendantur, *incertum* videtur, an gratiam habitualem admiserint. 179

ARTIC. II. — *Quinam primi fuerint Semipelagiani, eorumque debellatores et errores?* 180

I. — Inter Semipelagianorum principes numerantur *Joannes Cassianus*, *Faustus*, *Vincentius*, *Gennadius*, *etc.* 180

II. — Præter S. AUG. varii tum Patres, tum Pontifices, tum Concilia contra Semipelagianismum decertarunt, et hæresin tandem contriverunt. . 181

III. — *Semipelagiani* de peccato originali et necessitate gratiæ Christi ad illius remissionem ac justitiam et salutem recte senserunt : capitalis autem illorum error fuit, *initium* aliquod fidei, justitiæ ac salutis esse a nobis. 181

IV. — Fundamentum hujus erroris erat idem, quod principale Pelagianorum. 182

V. — Ex hoc errore et fundamento plures errores alii Semipelagianorum pullulabant 183

QUÆRES : *An Semipelagiani omnes gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad initium fidei constanter negaverint?* 185

I. — Omnes Semipelagiani constanter negarunt ad initium fidei necessitatem gratiæ interioris, h. e. *illustrationis* simul et *inspirationis*. . . . 185

II. — Theophilo *Raynaudo*, *Petavio*, aliisque non videtur negandum, a Semipelagianis ad fidei initium admissam esse *gratiam illustrationis*. . 189

ARTIC. III. — *Quinam fuerint auctores, debellatores, et errores recentium sectarum circa gratiam?* 189

I. — Sectarum, quæ a seculis aliquot prope innumeræ emerserunt, auctores vel præformatores præcipui sunt Martinus Lutherus et Joannes Calvinus. 189

II. — Debellatorum utriusque hæresis nomine intelligi possunt 1. Doctores singuli, qui hæreticis dogmatibus, vel scriptis libris se strenue opposuerunt. 2. Universitates promeritam erroribus censuram affigentes. 3. Synodi Diœcesanæ, aut nationales sententiam enuntiantes. 4. Pontifices definientes, et TRID. CONCIL. Generale tum cogentes, tum moderantes, tum confirmantes 191

III. — Utriusque Hæresiarchæ errores circa *liberum arbitrium* et *gratiam* varii sunt, etc. 192

ARTIC. IV. — *Quæ sit Baianismi historia, quod systema, quæ in illum lata sententia?* 193

I. — Exordium Baianismi in an. 1551. incidit, quo Professor publicus novas et erroneas doctrinas tum voce, tum scriptis proferre cœpit. . . . 193

II. — Systema errorum Baii a quibusdam ad tria generatim capita, nempe quæ spectant statum naturæ vel *innocentis*, vel *lapsæ*, vel *reparatæ*, revocatur : ab aliis paulo distinctius ad octo capita speciatim refertur. 194

III. — Fundamentum errorum omnium a *Tournely* statuitur in illo axiomate, ad quod prop. 38. spectat : *Non sunt, nisi duo amores*. 197

IV. — De sententia in Baianismum per geminam Bullam Pontificiam lata, sive de ipsarum Bullarum argumento et forma varia observanda veniunt. 197

QUÆRES I. *An Baianæ propositiones omnes notentur propter doctrinam; an aliquæ propter solam contrariæ sententiæ censuram?* . . 198

Probabilius videtur, omnes propositiones notatas esse propter doctrinam. 198

Pag.

QUÆRES II. *Quid de famoso commate in Bulla Piana sit tenendum?* . 199

I. — Ipso facto famosum *comma* in Bulla Piana additum fuit post voces : *sustineri possent;* adeoque nulla Baii propositio in proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri potest. 200

II. — Jure etiam famosum *comma* post memoratas voces in Bulla Piana additum fuit. 201

ARTIC. V. — *Quænam sit Jansenismi historia, quod systema, quæ in illum lata sententia?* 201

I. — Historica Jansenismi synopsis ex sex præcipue epochis commode perspici et teneri potest 202

II. — Systema Jansenii ostendunt quinque ejus propositiones sæpius damnatæ, et earumdem principia ac fundamentum 206

III. — Sententiæ contra Jansenii librum et dogmata ac Jansenistarum effugia a SS. Pontificibus latæ fuerunt variis Bullis ac Brevibus, etc . . . 208

QUÆRES I. *Quinam sint sensus veri ac legitimi, alieni et extranei Janseniarum propositionum : quique illis aut ambigue, aut certo oppositi et orthodoxi?* 210

QUÆRES II. *An Pontifices ab initio et constanter damnaverint quinque propositiones in sensu a Jansenio intento?* 213

I. — INNOCENTIUS X. propositiones damnavit in sensu a Jansenio intento . . 214

II. — ALEXANDER VII. non approbavit quinque articulos doctrinales, atque hinc a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento non discessit. 216

III. — INNOCENTIUS XII. in suis Brevibus nihil remisit a damnatione propositionum in sensu a Jansenio intento. 216

QUÆRES III. *An quæstio facti, quo sensu damnatæ sint propp., sit ejusmodi, in qua decidenda Ecclesia non sit infallibilis?* 217

Ecclesia in decidendis quæstionibus facti dogmatici, atque hinc in definiendo hæretico propositionum Jansenii sensu, non potest falli . . . 218

QUÆRES IV. *Quid sentiendum de pace Clementis IX?* 219

Data quatuor Episcopis a Clemente IX. pax non probat, *silentium obsequiosum* sufficere pro facto Jansenii; adeoque is Pontifex nunquam aliquid Jansenianis in damnando sensu propositionum concessit . . . 219

ARTIC. VI. — *Quænam sit Quesnellismi historia, quod systema, quæ in illum lata sententia?* 226

I. — Historica Quesnellismi synopsis (quam ab an. 1693., ubi liber Quesnelli perfectus tandem ac penitus absolutus fuit, repetendam censemus) ex epochis septem potissimum intelligi potest 228

II. — Systema errorum Quesnelli in Bulla UNIGENITUS damnatorum universim reducitur ad tria capita. *Primum* est de Gratia : *secundum* de virtutibus Theologicis ac timore gehennæ : *tertium* de Ecclesia et Ecclesiæ disciplina 232

III. — Fundamentum Quesnellismi conquiescit in tribus principiis, quæ correspondent tribus capitibus, in quæ, sicut articulos damnatos, sic etiam omnem Quesnelli doctrinam divisimus. 234

IV. — Sententia contra Quesnellismum lata ex condemnatione Reflexionum moralium in N. T. Pontificia, et aliis circa eamdem tum Conciliorum, tum Pontificum sub diversa ratione confirmationibus perspicitur . . 235

Pag.

ARTIC. VII. — *An Constitutio* UNIGENITUS *sit sententia et definitio dogmatica: an lex tantum et regula disciplinæ vel œconomiæ?* 238

I. — Bulla *Unigenitus* non est mera disciplinæ vel œconomiæ lex, sed proprie dicta *dogmatica definitio* 238

II. — Bullæ *Unigenitus* non deest character *definitionis dogmaticæ* ex eo, quod contra Quesnelli propositiones latæ fuerit censuræ, ut aiunt, *in globo*. 239

DISPUTATIO V.

DE GRATIA ACTUALI.

CAPUT I. — DE NATURA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTIC. I. — *An recte a quibusdam assignetur notio universalis gratiæ actualis?* 263

I. — Gratia actualis nullo legitimo sensu potest dici Dei omnipotens voluntas. 264

II. — Nec est ipse actus creaturæ deliberatus. 264

III. — Nec consistit in qualitate aliqua mortua. 264

ARTIC. II. — *Quænam sit natura gratiæ excitantis?* 268

I. — Gratia *excitans* theologice sumpta formaliter stat in duplici actione vitali creaturæ rationalis, nempe *sancta cogitatione* circa objectum, aut veritatem pertinentem ad salutem, quæ dicitur illustratio; et *pia affectione* ad actus salutares, quæ dicitur inspiratio 268

II. — Sancta cogitatio et pia affectio ejusmodi sunt actus *indeliberati*, h. e. vitaliter quidem et physice, non autem libere a nobis producti, et entitative *supernaturales* 270

QUÆRES: *In quibusnam actibus intellectus et voluntatis consistat gratia excitans?* 272

I. — Illustratio intellectus habetur maxime per *judicium*; imo haberi potest per *apprehensionem suasivam*. 272

II. — Justificatio plerumque est *affectio simplex* et indeliberata; potest tamen actus etiam deliberatus et efficax voluntatis esse gratia excitans ad alios actus salutares 273

III. — Non omnis inspiratio vel gratia voluntatis semper est formaliter *amor*, multo minus *charitas* proprie dicta. 273

ARTIC. III. — *Quænam sit natura gratiæ adjuvantis?* 274

I. — Gratia adjuvans entitative non distinguitur a gratia excitante adæquate et principiative sumpta 274

II. — Gratia adjuvans et cooperans *qua talis* non potest esse gratia præveniens nostram operationem. 275

III. — In homine *justo*, gratia præveniente ad actus supernaturales excitato, gratia adjuvans physice est habitus virtutis supernaturalis per se infusæ, influens in effectum seu actum salutarem. 275

IV. — In homine *habitibus supernaturalibus carente* principium gratiæ adjuvantis est Deus ipse, vel Spiritus sanctus specialiter assistens, et defectum alterius principii intrinseci in genere causæ efficientis per se immediate supplens 276

Pag

ARTIC. IV. — *Quodnam sit discrimen inter gratiam naturæ integræ et naturæ lapsæ?* 277

I. — Differentia utriusque gratiæ præcipue nititur doctrina S. Augustini, quam proposuit libro de *Correptione et Gratia*. 277
II. — Ex Hæreticorum erroribus et Theologorum opinionibus variæ sententiarum classes circa discrimen gratiæ pro utraque natura emergunt. . . 279

ARTIC. V. — *Quid sit adjutorium quo et sine quo non, ad mentem S. Augustini?* 280

I. — S. Augustinus per adjutorium *quo* et *sine quo*, non intellexit gratias duntaxat actuales. 281
II. — Utriusque discrimen non statuit in eo, quod *adjutorium sine quo* tantum fuerit auxilium sufficiens pro statu naturæ integræ : *adjutorium quo* sit auxilium efficax solum pro natura lapsa. 281
III. — Quantum ad *auxilia actionis* per adjutorium *sine quo* pro statu naturæ integræ intellexit adjutorium intellectus cum gratia habituali : per adjutorium *quo* pro statu naturæ lapsæ, adjutorium seu illustrationem intellectus simul et gratiam inspirationis voluntatem afficientem . . 281
IV. — Systema S. Augustini circa perseverantiam complectitur sub nomine adjutorii *quo* et *sine quo non* tam donum, quam adjutorium perseverantiæ. 284

CAPUT II. — DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS.

ARTIC. I. — *An homo solis naturæ viribus possit mereri aut impetrare gratiam, vel ad eamdem se disponere?* 289

I. — Homo solis naturæ viribus nequit de condigno aut congruo *mereri* gratiam. 289
II. — Vel eam *impetrare*, aut ad eam se *disponere* per orationem naturalem. 289
III. — Vel solis naturæ viribus se ad eam *disponere positive*. 290
IV. — *Negative* potest; idque vel *removendo prohibens*, vel *ponendo facilitans*. 290

QUÆRES : *Quomodo axioma illud :* facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam; *sit intelligendum?* 295

Probabilius videtur hoc axioma intelligendum esse tantum de faciente *per vires gratiæ*, quod est in se. 295

ARTIC. II. — *An et qualis gratia necessaria sit ad actus supernaturales?* . 296

I. — Ad omnes *actus salutares*, etiam ad *initium fidei* et *pium credulitatis affectum* requiritur auxilium gratiæ interioris et supernaturalis. . . 296
II. — Ad quemlibet actum salutarem etiam *in justo* requiritur gratia actualis, qua excitetur ad agendum. 297
III. — In statu naturæ lapsæ probabilius ad actus salutares non solum *illustratio*, sed etiam *affectio* supernaturalis est necessaria 298

ARTIC. III. — *An gratia sit necessaria ad cognoscendum verum?* 301

I. — Homo etiam lapsus potest absque gratia cognoscere quasdam veritates *naturales* tum speculativas, tum practicas 301
II. — Idem tamen sine auxilio speciali nequit eas cognoscere omnes *collective*, imo probabilius nec *distributive*. 302

Pag.

III. — Ad cognitionem *veritatum supernaturalium* salutarem requiritur gratia revelationis, et internæ etiam illustrationis 302

ARTIC. IV. — *An gratia sit necessaria ad actus moraliter tantum bonos?*. . 303

I. — Gratia *sanctificans* non est necessaria ad omne opus moraliter bonum. . 303
II. — Nec gratia fidei est necessaria ad quodvis opus ex omni parte moraliter bonum. 304

ARTIC. V. — *An gratia sit necessaria ad servandam legem naturalem?*. . . 310

I. — Tota lex naturalis sine gratia potest potentia physica diu ab homine lapso servari secundum substantiam. 311
II. — Nequit tamen potentia morali ita servari longo tempore, quin nunquam intra idem tempus peccet legis præceptum non observando. . . . 312

QUÆRES I. *An gratia necessaria sit ad amandum Deum super omnia?* 317

I. — Sine gratia homo nequit moraliter amare Deum efficaciter et super omnia amore effectivo. 317
II. — Potest tamen moraliter sine supernaturali gratia amare Deum efficaciter et super omnia amore affectivo 318

QUÆRES II. *An gratia sit necessaria ad vincendas tentationes?*. . . 321

I. — Homo lapsus sine gratia nequit moraliter vincere tentationes graves. . 321
II. — Potest tamen moraliter sine gratia vincere tentationes leves. 324

QUÆRES III. *An gratia sit necessaria ad omnia omnino peccata vitanda?* 325

I. — Sine speciali privilegio homo moraliter nequit per longum tempus vitare omnia peccata venialia. 326
II. — Ab universali hac assertione præter Christum excipitur B. V. Maria. . 328

CAPUT III. — DE EXISTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTIC. I. *Quæ sit natura gratiæ sufficientis?*. 329

I. — Nomine gratiæ vere sufficientis Ecclesia intelligit eam, quæ voluntati expeditam, proportionatam ac relativam etiam ad præsentes subjecti circumstantias potentiam confert ad opus bonum. 331
II. — Gratia sufficiens non dat tantum posse, sed etiam sufficit, ut homo cum ea ponat opus salutare: imo si præter eam requireretur aliud auxilium ex se efficax, vel prædeterminans ad hoc, ut homo ponat opus salutare, illa non foret gratia sufficiens. 332
III. — Gratia sufficiens physice consistit in aggregato ex gratiis excitantibus et principiis gratiæ adjuvantis. 332

QUÆRES I. *Undenam gratia sufficiens habeat, quod sit pure sufficiens, seu inefficax, aut carens effectu?*. 337

I. — Gratia sufficiens non est de se inefficax. 337
II. — Inefficacia gratiæ sufficientis nullo modo refundi potest in Deum. . . 337
III. — Inefficacia gratiæ sufficientis primo et unice tribuenda est voluntati humanæ 337

QUÆRES II. *An gratia sufficiens debeat aliquando efficere aliquos actus, saltem faciliores, sine gratia efficaci?*. 338

Pag.

I. — Si gratia sufficiens spectetur *præcisive*, potest nonnunquam efficere actum; si *positive*, semper efficit actum; si *negative*, nunquam efficit actum. 338

II. — Opinio illa catholicorum, præterquam quod supponat falsum de gratia per se efficaci ad difficiliora, non satis distinguit gratiæ conceptum. . 339

ARTIC. II. — *An in statu præsenti detur gratia pure sufficiens?* 340

In statu naturæ lapsæ datur auxilium *vere et pure*, tamen sufficiens, seu quod perfectam quidem, completam et relativam potentiam bene agendi tribuat, careat tamen effectu. 341

QUÆRES : *An gratia pure sufficiens sit Dei beneficium?*. 347

I. — Gratia pure sufficiens est beneficium Dei saltem materialiter tale. . . 347

II. — Etiam formaliter tale. 351

ARTIC. III. — *An omnibus justis detur gratia sufficiens?*. 355

Justis omnibus urgente præcepto, quod sine gratia impleri nequit, confertur a Deo gratia *proxime* vel *remote* sufficiens, qua vere possint implere præceptum 356

ARTIC. IV. *An peccatoribus detur gratia sufficiens ad agendam pœnitentiam?* 360

Peccatoribus etiam excæcatis et obduratis non deest pro tempore et loco gratia saltem remote sufficiens, qua possint agere pœnitentiam, et mentis cæcitatem, duritiamque cordis deponere. 361

ARTIC. V. — *An infidelibus detur gratia sufficiens ad fidem et justificationem?*. 373

Infidelibus omnibus pro tempore ac loco datur a Deo gratia saltem *remote* sufficiens ad fidem ac postmodum justificationem obtinendam . 373

CAPUT IV. — DE EFFICACIA GRATIÆ ACTUALIS.

ARTIC. I. — *An efficacia gratiæ stet in entitate auxilii divini absolute sumpti?* 384

I. — Efficacia gratiæ non stat in entitate auxilii, motione sua voluntatem creatam necessitantis 384

II. — Neque in entitate auxilii virtute sibi intrinseca voluntatem sic moventis, ut *simpliciter* et *absolute* implicet non sequi consensum. 388

III. — Neque in entitate auxilii virtute sibi intrinseca voluntatem sic moventis, ut moraliter implicet non sequi consensum 395

ARTIC. II. — *An efficacia gratiæ stet in entitate auxilii divini comparative sumpti?* 397

I. — Efficacia gratiæ nec stat in delectatione relative superiore, seu victrice *ad sensum Jansenii* 397

II. — Nec in delectatione relative victrici ad sensum quorumdam catholicorum supra expositum 399

ARTIC. III. — *An efficacia gratiæ stet in congruitate auxilii qualicumque?* 407

I. — Ad efficaciam gratiæ necessaria est congruitas stans in habitudine auxilii ad eventum; non tamen sufficit 408

Pag.

II. — Ad eamdem efficaciam necessaria est congruitas stans in attemperatione auxilii cum homine ejusque affectionibus; non quidem, ut ea attemperatio præcise enuntiat proportionem auxilii ad personam et ejus circumstantias sive intrinsecas, sive extrinsecas, sed prout ea simul connotat eventum; quamvis nec sic accepta sufficiat 408

III. — Ad efficaciam gratiæ universim explicandam prorsus insufficiens est congruitas stans in *multitudine* et *consonantia plurium auxiliorum?* 409

ARTIC. IV. — *In quonam stet efficacia gratiæ, totaque ejus œconomia?* . . 409

I. — Efficacia gratiæ quoad infallibilitatem connexionis *objectivam* habetur a futuritione conditionata consensus: quoad infallibilitatem *cognoscitivam* a scientia media de consensu sub hypothesi talis auxilii conditionate futuro: quoad infallibilitatem *affectivam* a decreto Dei dependenter a scientia media prædefinientis consensum, seu conferentis gratiam ex benevola intentione consensus. 410

II. — Gratia *in actu primo* efficax præsentis status est gratia adæquate præveniens, entitative quidem indifferens, sed congrua; quatenus ut substans futuritioni conditionatæ, scientiæ mediæ et prædefinitioni consensus sub ipsa a Deo datur 411

ARTIC. V. — *Quænam sit historia controversiæ de gratiæ auxiliis superioribus seculis inter catholicos agitatæ?* 424

§. I. — *De occasione Congregationum* 424
§. II. — *De ipsis Congregationibus* 426
§. III. — *De Congregationum exitu* 428

QUÆRES I. An finitis disputationibus sancitum fuerit *Apostolicum judicium,* atque lata in Molinæ doctrinam censura? 428
QUÆRES II. In quam partem Consultores, Cardinales, et summi Pontifices inclinarint? Dominicanis, an Jesuitis faverint? 429
QUÆRES III. Quid judicandum de iis Actis, quæ sub nomine congregationum de auxiliis circumferuntur? 429

DISPUTATIO VI.

DE GRATIA HABITUALI, JUSTIFICATIONE ET MERITO.

CAPUT I. — DE GRATIA HABITUALI.

ARTIC. I. — *Quænam sit entitas gratiæ habitualis?* 431

I. — Gratia habitualis non est favor Dei mere extrinsecus, aut justitia tantum imputata; sed donum homini intrinsecum. 431

II. — Gratia habitualis non est ipse Spiritus sanctus; sed donum aliquod creatum a Spiritu sancto distinctum. 436

III. — Gratia habitualis est donum physice permanens. 438

ARTIC. II. — *Quænam sit essentia gratiæ habitualis?* 440

Gratia habitualis realiter distinguitur ab habitu charitatis. 440

ARTIC. III. — *Quinam sint effectus formales gratiæ habitualis?* 445

I. — Per gratiam habitualem efficimur *consortes naturæ divinæ*. 445
II. — Per eamdem efficimur *amici et grati Deo* 446

Pag.
III. — *Filiique Dei adoptivi.* 446
IV. — Et *justi.* 446
V. — Per eamdem efficimur *sancti,* seu mundamur et immunes sumus ab omni peccato mortali. 447

CAPUT II. — DE JUSTIFICATIONE.

ARTIC I. — *An et quænam dispositio requiratur ad justificationem?* . . . 448

I. — Ad justificationem non sufficit sola fides 448
II. — Sed requiruntur etiam *actus quidam aliarum virtutum.* 453
III. — Fides et reliqui actus supernaturales requisiti, sunt *veræ dispositiones, præparationes et impetrationes* justificationis 456
IV. — Fides ad justificationem requisita nec est *specialis promissionum fides,* nec per modum *meri organi* et instrumenti concurrit, quo apprehendatur justificatio 460

ARTIC. II. — *Quænam sit natura justificationis?* 461

I. — In justificatione impii a Deo vere remittuntur peccata. 461
II. — Justificatio non consistit in sola peccatorum remissione, sed insuper interiorem hominis renovationem formaliter includit. 462
III. — Ipsa justificationis gratia est aliquid homini intrinsecum et inhærens. . 464

ARTIC. III. — *Quænam proprietates conveniant justificationi?.* 469

I. — Justitia tum in diversis hominibus justis de facto est inæqualis, tum in uno eodemque homine potest crescere et fieri inæqualis 469
II. — Vere justificatus potest justitiam peccando amittere etiam in perpetuum, et ita, ut illa nunquam reparetur. 470
III. — Nemo, seclusa speciali revelatione, debet aut potest habere certitudinem fidei de propria justificatione. 475

CAPUT III. — DE MERITO.

ARTIC. I. — *Quænam conditiones ad meritum theologicum requirantur?.* . 478

I. — Ad meritum theologicum requiritur, ut sit actus creaturæ rationalis 1. liber a necessitate, 2. moraliter bonus, 3. supernaturalis, seu ex auxilio gratiæ procedens, 4. in aliqua temporis differentia absolute existens : ut merens sit viator : ut adsit ordinatio divina meriti ad mercedem saltem consequens. 479
II. — Ad meritum *de condigno* requiritur, ut opus aliquo modo sit æquale præmio : ut merens sit justus : ut præcesserit promissio divina : ut quis ipse sibi mereatur. Ad meritum *de congruo* sufficit, ut adsint conditiones ad meritum universim requisitæ, et vel una desit ex requisitis ad meritum *de condigno.* 481
III. — Ad neutrum meritum requiritur, ut aut sit omnino æquale, aut prorsus indebitum, aut penitus nostrum, et nulla ratione præmiatoris . . . 482

ARTIC. II. — *An in homine possibile sit, ac detur meritum theologicum?.* . 485

I. — Plura dantur hominum opera, quæ simpliciter sunt bona et nullatenus peccata 485
II. — Datur opus bonum, quod ab homine ex gratia seu per gratiam operante factum, est meritum theologicum 487

Pag.

III. — Datur meritum *de condigno*, et hujus meriti rationem quoad aliqua saltem præmia participant opera bona justorum. 490

IV. — Datur meritum de congruo, et hujus tantum meriti rationem participant opera bona non justificatorum. 492

ARTIC. III. — *Quodnam sit objectum meriti theologici?*. 493

I. — Nemo ullatenus gratiam actualem primam, aut *condigne* gratiam secundam efficacem mereri potest : posteriorem tamen tam peccator, quam justus potest *congrue* mereri. 493

II. — Peccator *gratiam sanctificantem* nonnisi congrue, justus gratiæ augmentum condigne mereri potest. 495

III. — Justus nec *perseverantiam*, nec *reparationem* post lapsum mereri potest de condigno : potest tamen de congruo mereri perseverantiam, et cum aliqua probabilitate etiam reparationem post lapsum 496

IV. — Justus potest de condigno mereri gloriam tum *essentialem*, tum accidentalem : idem probabilius dicendum est de *gloria prima*, et certo de gloria secunda, seu gloriæ augmento. 499

THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS.

EXCUDEBANT JULIEN, LANIER ET SOCII CENOMANI.

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS,

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA.

EDITIO ALTERA

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS

TOMUS QUARTUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.
DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

LUTETIÆ PARISIORUM,

SUMPTIBUS JULIEN, LANIER ET SOCIORUM.

4. VIA DICTA DE BUSSY.

1852.

TRACTATUS

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

AUCTORE R. P. HENRICO KILBER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO.

APPENDIX

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

EX OPERE DE JUSTITIA ET JURE

R. P. LEONARDI LESSII S. J.

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ
DE
VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Non pauca de virtutibus D. Thomas jam disseruerat sub medium 1ae. 2ae.; ubi cum de Actibus humanis ac Passionibus tractasset, doctrinam de Habitibus Virtutibusque subjunxit. Quoniam vero veri nominis virtutes et gratiam divinam comitantur, et cum ea radicem conficiunt, unde merita præstantissima et supernaturale præmium inferentia propullulant; vix Angelicus Doctor 1am. illam 2ae. partem postrema de gratiæ dono ac merito pertractatione absolverat, mox 2am. 2ae. unice et amplissime in commentationem doctrinæ de virtutibus intendit, inter quas Theologicis, ut eæ dignitate præcellunt, sic primum etiam locum tribuit. Eamdem rationem sequimur, et vestigia premimus eadem, dum post Tractatum de Gratia et Merito materiam de Virtutibus Theologicis more recepto commentariis illustrandam suscipimus. In hac autem commentatione ut quædam inter partes proportio locum habeat, neque discendi facilitas a diversitate materiarum nimium distracta impediatur, consultum existimavimus, ea, quæ ad interiam quasi Fidei œconomiam pertinent, secernere ab illis, quæ exterius illam vel dirigunt vel firmant, vel quacumque utilitate afficiunt. Quare Institutiones nostræ Theologicæ de hoc argumento Tractatus duos complectentur, quorum prior de Virtutibus Theologicis in genere ac specie Scholasticas cum Dogmaticis quæstiones celebriores proponet: posterior autem regulas Fidei ac Theologiæ principia tradet firmabitque.

Primi porro Tractatus, quem hic aggredimur, divisio paucis absolvituri : 1°. quidem præmittentur nonnulla, ex quibus Virtutum Theologicarum natura universim cognoscatur : 2°. de objecto Fidei tum materiali tum formali agetur : 3°. de ipso Fidei actu et habitu tractabitur : 4°. de Spe disseretur, ita ut etiam de Timore quædam addere liceat : 5°. denique de Charitate magis necessaria et proficua explicabuntur.

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE ENTE, ACTU, ET HABITU SUPERNATURALI.

Quamvis, quæ in Tractatu de Gratia hinc inde hac de materia sparsimus, sufficere forsan pluribus poterant; tamen et usurpata aliis consuetudo et necessitas videntur postulare, ut pauca quædam de Ente, Actu et Habitu supernaturali per distinctas quæstiones ante proferamus, quam de virtutibus Theologicis, hoc est, nobilissimis habituum supernaturalium speciebus pronuntiemus.

ARTICULUS I.

QUID SIT ENS SUPERNATURALE?

1. *Nota I. Supernaturale* vi nominis excellentiam supra naturam denotat: Natura autem hic neque rem quamcumque etiam creatam, sed substantiam omnem limitatam, creatam nempe et creabilem significat. Tripliciter a nonnullis *supernaturale* dividitur: 1°. In supernaturale *simpliciter* tale, quod non unam aut alteram sed universam naturam naturatam, seu substantias limitatas omnes excedit: et in supernaturale *secundum quid*, quod unam duntaxat vel alteram naturam supergreditur; et hinc nomen supernaturalitatis proprie non meretur: 2°. Supernaturale simpliciter tale dividitur in *absolute* ac *essentialiter* supernaturale, quod convenit soli Deo, cujus excellentia et dignitas omnem naturam excedens illi essentialis est ac imparticipato convenit; unde Auctor L. de Div. Nom. c. 1. et 2. alibique sæpius Deum ac Deitatem supersubstantialem appellat: et in supernaturale *participato* atque hinc *accidentaliter* tale, cujus excellentia supra naturam creaturæ congruit: 3°. Postremum hoc aliud est supernaturale *quoad substantiam*, cujus entitas seu essentia excedit naturam; uti sunt gratia sanctificans, lumen gloriæ, unio hypostatica: aliud supernaturale *quoad modum*, cujus entitas naturam non superat: transgreditur tamen modus quo talis entitas producitur vel acquiritur; qualia sunt restitutio visus aut recuperatio sanitatis instantanea etc. Nos tamen hic nonnisi de supernaturalitate simpliciter tali et quoad substantiam agemus.

2. *Nota II.* Qui diversas Auctorum de supernaturalitate entis opiniones aliqua saltem ratione conciliare contendunt, eamdem dupliciter, *philosophice* scilicet et *theologice*, spectandam proponunt, aliis ad excellentiam, aliis ad naturam attendentibus. Quatenus enim excellentia comparatur ad naturam et ens supra naturam excellit, dicitur supernaturale *philosophice;* cum hic conceptus sit secundarius et Philosophis duntaxat cognitus : quatenus vero excellentia illa absolute spectatur, et ens in ordine quodam supremo divinæque naturæ propiori constituitur, dicitur *theologice* supernaturale; quia hic conceptus primarius est et a Theologis observatus. Si vero supernaturalitas ex naturæ tantum consideratione deducatur, naturam oportet distinguere. Alia enim consideratur, prout præcise complectitur omnes causas creatas, juxta et per generalem ac ordinarium Dei ut auctoris naturæ concursum, operativas ad felicitatem præcise naturalem hominis; quem sicut Philosophia naturalis tractat in Ethica, sic ens *philosophice* supernaturale dicitur, quod naturæ sic descriptæ vires transcendit : aliter natura concipitur pro aggregato substantiarum creatarum et creabilium, quarum entitas non est per se connexa cum Deo ut auctore gratiæ ac gloriæ; quidquid ergo per se et ab intrinseco ad auctorem gloriæ pertinet, extra ac supra illam naturam est, ac supernaturale *theologice* tale vocatur, eo quod Theologi præcipue spectant Deum ut gratiæ gloriæque auctorem, et quidquid ad Dei visionem intuitivam conducit. Utriusque considerationis rationem, quantum utile erit, habebimus.

3. *Dico I.* Ens supernaturale *philosophice* spectatum est, quod excedit omnes vires substantiæ limitatæ cujuscumque, atque hinc simpliciter indebitum est naturæ.

Explic. Vires substantiarum vel sunt activæ vel cognoscitivæ vel exigitivæ; de receptivis seu passivis enim hic non loquimur, cum ex Philosophia supponamus dari non posse potentiam obedientialem passivam. Has omnes excedere debet ens, quod supernaturale dicitur : 1°. quidem *activas,* quatenus nulla substantia limitata, viribus propriis et cum solo concursu Dei generali, potest producere ens supernaturale : 2°. *cognoscitivas,* quatenus intellectus limitatus viribus propriis ens supernaturale non potest quidditative, certo et infallibiliter cognoscere; quandoquidem cognoscibilitas rei quidditativa est proportionata illius entitati, atque hinc sicut entitas sic etiam cognoscibilitas naturam superat : 3°. *exigitivas* tum physice tum moraliter; quatenus nulla substantia limitata potest exigere quid supernaturale tanquam essentiale vel proprium aut perfectivum naturale sibi debitum : neque ullum naturale meritum aut dispositio proportionem aut exigentiam habet ad præmium supernaturale. Inde vero constat, ens quod est supernaturale, naturæ nec deberi ut effectum, nec ut objectum cognoscibile, nec ut partem essentialem aut integralem, nec ut connexum quid aut præmium.

Prob. Quia dari debet conceptus conveniens omni et soli supernaturali ad naturam comparato : non autem reperitur convenientior, et convenit tamen relata descriptio imprimis *omni*; ut ex enumeratione entium supernaturalium colligere datur : demum etiam *soli,* cum animæ rationali et angelo, qui præcipue opponi possent, non congruat. Animæ enim rationalis productio

dependet a corpore organizato, tanquam a dispositione positiva et comparte per se naturaliter disposita et requisita ad operationes animæ naturales : angeli vero productio quamvis forte nec ab alio ente naturali aut aggregato entium, nec ab ipsa angeli substantia exigatur ; conservatio tamen ab angelo primum existente jure quodam exigitur, atque adeo intra exigentiam naturæ continetur. Accedit, quod angelus sit substantia seu natura ; et hinc partim ex ipso conceptu supernaturalitatis excluditur ab ente supernaturali : partim quia substantia limitata implicat, ut infra dicetur.

Conf. Ex Scriptura, Concilius et Patribus ; quorum auctoritate sicut potissimum niti debemus, ubi sermo est de supernaturalibus ; sic cum illi loquuntur de donis, quæ supernaturalia esse liquet, absolute enuntiant ea viribus naturæ esse indebita. V. Tr. de Gratia.

4. *Dico II.* Supernaturale *theologice* spectatum est ens naturæ simpliciter indebitum, quod ex intrinseca sua perfectione pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto.

Explic. Deus *quidditative* sumptus est Deus acceptus prout in se est adeoque ut auctor naturæ et gloriæ : unio cum illo possibilis vel est *physica* ac *substantialis* et dicitur unio hypostatica ; vel *intentionalis* et *accidentaria* et vocatur beatitudo seu vita æterna per visionem scilicet intuitivam, amorem et gaudium beatificum. Potest autem aliquid ad hanc unionem pertinere vel formaliter ac *identice,* uti sunt ipsa unio hypostatica et fruitio beatifica : vel tanquam principium immediatum, uti est lumen gloriæ : vel tanquam principia mediata, uti sunt Sacramenta, habitus infusi, gratia, actus salutares : vel tanquam effectus, uti sunt dotes gloriosæ etc. Cum ergo Deus naturam omnem limitatam excedat, et ut auctor gloriæ et ut in se spectatus, consequens etiam est ut quod ex perfectione sua intrinseca ad eum pertinet ac refertur, superet naturam, ex ejus statu sit elevatum, atque divinæ naturæ propius fiat, seu ut *Auctores sacri* loquuntur, communicet.

Prob. Theologice supernaturalia sunt, quæ in sacris Litteris per antonomasiam dicuntur *dona Dei* ad Rom. 5. v. 15. aut *promissa maxima et pretiosa donata, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ* 2. Pet. 1. v. 4. Item quæ in Conciliis statuuntur talia, sine quibus *bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitari ut expedit, aut eligi nequit,* ut loquitur Can. 7. Conc. Arausicanum II. (Labb. t. 4. p. 1668) ; vel sine quibus *nemo vitam æternam promereri potest,* nec quis *credere, sperare, diligere aut pœnitere potest, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur,* ut definit Trid. Sess. 6. Can. 2 et 3. Atqui hæc omnia conveniunt tantum illis, quæ, præterquam quod excedant naturæ vires et naturæ sint simpliciter indebita, ex perfectione intrinseca referuntur ad unionem cum Deo quidditative sumpto ; ergo.

Conf. Damnatæ sunt a pluribus Pontificibus propositiones *Baii* 21. 23. 24. ergo cum ab iisdem Pontificibus contradictoriæ propositiones absolutæ sint definitæ ; una definitum aut saltem tanquam verum suppositum fuit, supernaturale scilicet *theologice* acceptum esse ens naturæ elevatum, quod, quia exaltat in consortium naturæ divinæ et in filium Dei adoptat, ex perfectione sua refertur ad unionem cum Deo *quidditative* accepto.

5. *Obj. cont.* 1um. Si supernaturale constituatur in eo, quod est *naturæ indebitum,* plura naturalia debent admitti tanquam supernaturalia; nam 1°. odium Dei non est debitum naturæ : neque 2°. bona indoles, acutum ingenium, divitiæ etc. debentur alicui substantiæ creatæ : imo 3°. nihil est in hoc universo, quod sit naturæ debitum; cum omnia sint dona Dei et liberaliter ac gratiose a Deo producta.

R. *D. seq.* Si supernaturale statuatur in eo quod est *naturæ indebitum* propter excessum supra vires naturæ, plura etc. *N.* Si in indebito alio quocumque statuatur *C.* unde descendendo ad singulas sequelas,

Ad 1am. R. *D.* Odium Dei non est debitum naturæ debito morali *C.* debito physico *subd.* debito necessariæ exigentiæ *C.* positivæ capacitatis et præcontinentiæ *N.* nempe odium Dei non superat vires activas naturæ.

Ad 2am. R. *D.* Bona indoles etc. nulli in individuo et determinate debentur *C.* nulli indeterminate ac velut vage *N.* Quilibet de se est membrum ordinabile ad rempublicam humanam, ac proin a Deo naturæ auctore ejusque providentia exigit magistratus instructos ejusmodi dotibus ad vitam civilem dirigendam. Præterea cuivis determinate debetur existentia causarum naturalium, ex quibus necessario emergunt inæquales corporum dispositiones in aliis et aliis individuis, ac consequenter diversæ indoles, ingenia, vires etc.; quare si ea homini obveniat præcise ex sic constituta a Deo serie et concursu causarum naturalium, non est beneficium distinctum a beneficio creationis et conservationis.

Ad 3am. R. *D.* Nihil est in universo, quod sit naturæ debitum sine facta suppositione existentiæ hujus universi *C.* data hac hypothesi *N.* Nam quæ in hoc casu debentur substantiis creatis, naturalia sunt.

Inst. 1. Deus ut auctor naturæ potest homini conferre auxilia per se naturalia, sed gratuito, et quin sint naturæ debita. Item auxilia gratiæ *quoad modum* supernaturalia, quæ juxta probabilem dantur ad gravem tentationem superandam vel opus heroicum exercendum, sunt entitative naturalia et naturæ tamen indebita; ergo.

R. *D.* Potest Deus ea conferre gratuito, et quin sint naturæ tam existenti quam possibili debita *N.* quin sint debita quidem huic vel illi existenti, debita tamen esse possint alteri existenti aut possibili *C.* Nisi enim auxilium sit supernaturale *quoad substantiam,* semper habetur de facto aut saltem possibilis est creatura tam imperfecta vel perfecta, cui illud connaturaliter debeatur. Eadem responsio est de auxilio *quoad modum* supernaturali, quod licet secundum modum seu gradum intensionis nulli creaturæ debeatur, existenti tamen alteri aut possibili deberi potest quoad perfectionem essentialem et entitativam, secundum quam plane non excedit vires cognoscitivas naturæ.

Inst. 2. Habitus aut species rememorativæ, ex actibus supernaturalibus relictæ, secundum communiorem sunt naturales; et tamen tum exigunt prædictos supernaturales actus; quia omnis effectus suam causam exigit : tum non exiguntur ab ulla substantia creata; ergo nec supernaturale est, quod excedit exigentiam naturæ : nec naturale ex opposito est, quod exigitur a natura.

R. *Ad* 1um. *N. prob. D.* Omnis effectus exigit suam causam exigentia negativa seu non repugnantiæ *C.* positiva seu necessariæ connexionis *subd.* si

effectus est in eodem ordine cum causa *C.* si est ordinis inferioris *N.* Habitus naturales acquisiti *per se* solum exigunt actus naturales pro sua causa, licet *per accidens* possint etiam produci per actus entitative supernaturales; ubi præterea observandum est, dependentiam effectus a causa qua talem esse dependentiam puræ indigentiæ, adeoque non exigere ut effectus cum sua causa sit ejusdem ordinis in perfectione.

Ad 2um. R. *N.* Ex supposito enim quod homo elicuerit illos actus, debetur ipsi naturæ humanæ jus et facultas reminiscendi eorum; unde species rememorativæ, in quibus probabiliter habitus acquisiti consistunt, exiguntur a substantia actus supernaturales eliciente.

Inst. 3. Omne accidens dicit ordinem naturalem ad aliquod subjectum; ergo si supernaturale excedit omnes etiam vires exigitivas substantiæ creabilis, non dabitur accidens simpliciter supernaturale.

R. *N. cons.* Probas enim quod omne accidens exigat inhærere alicui substantiæ tanquam subjecto capaci: non autem, de quo tamen quæritur, quod nullum sit accidens quod non exigatur à substantia limitata; quia supernaturale est quod est supra substantiæ omnis, non autem accidentis, exigentiam. Itaque potius adverte quod, quia omne accidens ex natura sua ordinatur ad perfectionem aliquam substantiæ tanquam subjecto capaci tribuendam, illud sit connaturale quod est natum tribuere perfectionem, quæ debita est substantiæ et ab hac exigitur: supernaturale autem sit quod tribuit perfectionem, quæ substantiæ non debetur, nec ab ea exigitur aut exigi potest.

6. *Obj. cont.* 2um. Possunt dari entia quoad substantiam naturalia, quæ tamen pertineant ad Deum *quidditative* acceptum: et e contrario dari entia quoad substantiam supernaturalia, quæ non pertineant ad Deum *quidditative* sumptum; ergo descriptio entis theologice supernaturalis non est legitima.

Prob. 1^{a}. *pars Ant.* 1°. Si videns Deum ex parte voluntatis non haberet comprincipium supernaturale, posset haberi amor Dei *quidditative* accepti, qui tamen intrinsece et quoad substantiam foret naturalis. 2°. Habitus ex actibus supernaturalibus relicti permittuntur naturales et tamen active habilitant potentiam ad actus supernaturales; atque hinc per modum principii mediati pertinent ad Deum *quidditative* acceptum.

Prob. 2^{a}. *pars.* 1°. Accidentia sine subjecto existentia, frigus a calore productum, resuscitatio mortuorum sunt, aut, si fierent, forent accidentia supernaturalia, quin tamen pertineant aut pertinere ex natura sua debeant ad Deum. 2°. Potest Deus efficere accidentia supernaturalia quoad substantiam, quæ essent tantum destinata creaturæ irrationali, uti fuit virtus præservativa a morte, in arbore vitæ residens.

R. *N. utramque part. Ant. Ad* 1^{ae}. *part. prob.* 1^{am}. R. Vel ille amor non est naturalis; quia in tali casu voluntas per lumen gloriæ et visionem intuitivam esset indirecte aut *identice* elevata, adeo ut cum his, defectum principii proprii supplentibus, voluntas produceret amorem supernaturalem quoad substantiam: vel hoc transmisso *D.* posset haberi amor cum Deo *quidditative* sumpto per accidens et ratione supernaturalis cogni-

tionis tantum connexus *C.* per se et ratione suæ perfectionis aut voluntatis nude sumptæ connexus *N.*

Ad prob. 2am. R. *D.* Habitus illi naturales absolute ac per se habilitant potentiam ad actus supernaturales *N.* ex supposito elevationis indirectæ, ab actibus infusis aut gratia actuali provenientis, et sic per accidens *C.* Habitus autem naturalis potest obedientialiter concurrere cum auxilio supernaturali ad actus supernaturales æque ac ipsa potentia vitalis : et gratia vel habitus supernaturalis utrumque complere potest ac elevare; quin unum præ altero dicatur principium mediatum per se pertinens ad Deum *quidditative* acceptum.

Ad 2ae. *part. prob.* 1am. R. *D.* Hæc assignata essent supernaturalia *quoad modum*, seu præternaturalia, contranaturalia, aut miraculosa *C.* essent proprie et quoad substantiam supernaturalia, seu quorum entitas excedat omnes vires naturæ *N.* De *resuscitatione* vid. Tract. de Grat. n. 169. resp. ad 8am. *inst.*

Ad prob. 2am. *N. Ass.* Nam eo ipso quod hujusmodi accidentia soli naturæ irrationali forent propria, nulloque modo pertinerent ad unionem cum Deo, amitterent fundamentum supernaturalitatis etiam *philosophice* acceptæ quoad substantiam. Ex eo enim quod ens dicat per se relationem ad Deum *quidditative* acceptum, intelligitur habere participationem aliquam naturæ divinæ, et esse in ordine superiore, elevato atque transcendente naturam; inde vero consequens est, ut et naturæ vires excedat, et illi sit indebitum. Sicut enim radix metaphysica et ratio primaria, cur creaturæ rationali non sit debita unio cum Deo, assignatur ista : quia creatura ab intrinseco est serva Dei; ita radicalis et primaria ratio, cur v. g. dona gratiæ sint indebita creaturæ intellectivæ, bene assignatur hæc : quia per se et ex intrinseca perfectione sunt connexa cum unione ad Deum, scilicet *quidditative* acceptum. Quod virtutem præservativam a morte in ligno vitæ attinet, eum supernaturalem *quoad substantiam* fuisse negamus ex dictis; aut referimus ad rationem supernaturalitatis eo modo, quo dona gloriosa illuc referenda diximus.

Inst. Quælibet substantia intellectualis creata connectitur cum gratia sanctificante; quia est subjectum gratiæ. Hinc etiam S. Aug. L. de prædest. Sanct. c. 5. n. 10. loquens de gratia et actu fidei ait : *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum : habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ, est fidelium.* Quis vero dicet omnem substantiam rationalem esse supernaturalem? *Conf.* Sacramenta quoad entitatem sunt actiones et verba naturalia : character autem sacramentalis nihil pertinet ad unionem cum Deo; et tamen utrumque habetur supernaturale; ergo.

R. *N. Ass.* Ratio adjecta probat quidem gratiam habere connexionem cum creatura rationali tanquam accidens cum subjecto, et angelum vel hominem esse capacem gratiæ accipiendæ; non autem probat creaturam esse connexam cum gratia, aut illam habere exigentiam sive physicam in propria natura fundatam, sive moralem ex merito aliquo naturali ortam. Jam vero capacitas illa prior dicit solam potentiam passivam, ab extrinseco receptivam alicujus perfectionis etiam indebitæ, quod omnino concedimus, et S. Aug. etiam primo commate significatum voluit : exigentia autem posterior denotat aliquod jus activum in exigente talem perfectionem tanquam

sibi debitam, et hoc negamus, negavitque S. Doctor contra *Pelagianos* in commate sequente.

Ad Conf. Quoad 1um. R. *D.* Sacramentum quoad suum materiale ac physicum est quid supernaturale *N.* quoad suum esse formale ac morale *C.* Si spectetur *materialiter* et *physice*, nihil habet nisi actiones naturales et verborum formulam secundum institutionem humanam : si vero spectetur *moraliter* et secundum *formam*, quam habet ex institutione Christi, signum et causa est gratiæ, ac proin quid proprie ac theologice supernaturale.

Quoad 2um. R. *N. Ass.* Quamvis enim character sacramentalis non sit medium ad salutem obtinendam *per se* conducens, nec constituat hominem in ordine supernaturali aut ad supernaturaliter operandum juvet ; pertinet tamen ad unionem cum Deo, eo quod sit velut proprietas et effectus secundarius proprius trium Sacramentorum, cum quorum uno connectitur tanquam cum sua causa illum *absolute* exigente et *per se* ad salutem conducente, si ex parte suscipientis non ponatur obex : unde eumdem esse supernaturalem liquet.

QUÆRES : *An possibilis sit substantia supernaturalis?*

7. *Nota.* Sensus hujus quæstionis quoque, secundum Auctores nobis contrarios, est : *num possibilis sit creatura rationalis, cui gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio intuitiva essentiæ divinæ, aliaque hujusmodi dona, quæ gratiam sanctificantem connaturaliter præsupponunt et consequuntur, sint connaturaliter seu ex ipsis naturæ principiis debita,* sicut igni v. g. debetur calor, et homini visus, aliæque potentiæ et proprietates, sine quibus non homo, sed monstrum hominis foret? Negativam tenent Antiquiores pariter ac Recentiores contra Molinam, Valentiam et paucos alios, quos refert ac sequitur Ripalda.

8. *Dico.* Repugnat substantia *intrinsece* supernaturalis, seu creatura rationalis, cui ex intrinsecis naturæ principiis *connaturaliter* debita sit gratia sanctificans, lumen gloriæ et visio beatifica.

Prob. Ex auctoritate PATRUM, qui tanta universalitate de superioritate gratiæ respectu creaturæ rationalis loquuntur, ut omnes prorsus creaturas rationales etiam absolute possibiles complecti videantur ; et, cum non adsit ulla ratio efficax aliter eos interpretandi, eo sensu accipiendi sunt quem verba præseferunt. Juvat aliquorum duntaxat testimonia referre, et inde arguere.

S. CYRILLUS ALEX. in Joann. L. 1. (opp. t. 4. p. 91. C.) sic loquitur : *Igitur ad dignitatem supernaturalem ascendimus per Christum, verumtamen non sicut ille, nullo plane discrimine nos quoque futuri sumus filii Dei, sed ad ejus similitudinem, per gratiam.* Censet itaque, nullam creaturam puram esse posse Dei filiam, nisi per gratiam. Sed creatura, cui gratia sanctificans foret connaturalis, non esset filia Dei per gratiam, sed connaturaliter. Addit ibidem : *Est enim verus ille Filius existens a Patre, sed nos ejus benignitate adoptivi; gratiæ loco id accipientes, Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes.* Atqui substantia, cui connaturaliter debita esset adoptio, non posset dici misericordia Dei adoptata per gratiam, sed per naturam. Denique concludit : *Creata quippe et serva natura ad supernaturalia vocatur solo nutu et voluntate Patris.* Atqui de creatura quacumque possibili verum manet, quod sit serva

Dei; ergo nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur; ergo non ex ipsius naturæ conditione atque exigentia illi debita habet supernaturalitatem. Simile argumentum formatur ex S. Aug. L. 12. de Civ. c. 1. n. 2. scribente: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura..... ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est.* Nam quæcumque etiam creatura rationalis possibilis ex nihilo creari debet; ergo ex se, hoc est, ex sua natura vel connaturali exigentia nequit esse beata.

S. Dionysius seu Auctor L. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. part. 1. §. 2. hæc enuntiat: *Cum enim divinus hic status sit quædam nativitas divina, nunquam sane intellexerit, nedum fecerit, quidquam rerum divinitus traditarum, cui ne ipse quidem status hic divinitus afflatus sit.* Ex quo constat, dona supernaturalia dici oportere ordinis divini. Sed supposita possibilitate creaturæ *intrinsece* supernaturalis, dona supernaturalia non recte dici queunt ordinis divini; quia hujus ordinis participatio illis nequit congruere, nisi conceptus hujus ordinis, specifice, individualiter et ultimo conveniens Deo, ipsi soli conveniat *connaturaliter*. Nam nequeunt dici ordinis divini ex eo, quod habere proportionem ad fruendum Deo, esse filium Dei, videre Deum, sint prædicata soli creaturæ convenientia, ut per se patet: neque ex eo quod hæc conveniant creaturæ simul et Deo; nam vivere, cognoscere et amare Deum aliaque hujusmodi etiam conveniunt utrique, quin tamen ea quis inde dixerit ordinis divini: neque ex eo quod hæc soli Deo conveniant; cum enim angeli videant Deum sicuti est, et Deus hominibus dederit potestatem, *filios Dei fieri,* falsum id esse liquet. Superest ergo, ut ideo solum dicantur ordinis divini; quia secundum illos conceptus abstractos soli Deo *connaturaliter* debentur, non autem creaturæ ulli possibili.

Conf. Ex variis *absurdis,* quæ ex opposita sententia sequerentur. Sequitur enim 1°. possibilem etiam fore creaturam, cui *connaturaliter* debita sit unio hypostatica cum divina Persona: 2°. possibilem esse creaturam ex natura sua impeccabilem: 3°. possibilem esse creaturam natura seu naturaliter filiam Dei adoptivam etc.

9. *Nec dicas* 1°. Standum est pro divina omnipotentia, quamdiu non ostenditur clare et positive contradictio; qualis hic ostendi nequit. 2°. Complexum ex intellectu creato et lumine gloriæ non est tantæ perfectionis, ut nequeat dari creatura æque perfecta vel etiam perfectior. 3°. Dantur accidentia supernaturalia; ergo et possibilis est substantia supernaturalis.

R. *ad* 1um. *Nego* non intercedere contradictionem, quæ ex ipsa essentia substantiæ creatæ, ratione supernaturalitatis, et absurdis satis ostensa fuit.

R. *ad* 2um. Si creatura æque perfecta aut perfectior eo præcise titulo intelligatur, quod habeat perfectius lumen gloriæ, conceditur ejus possibilitas: quia certum est, secundum mensuram luminis gloriæ beatum unum perfectiorem esse altero, et visionem Dei esse inæqualem: Si autem intelligatur perfectior eo titulo, quod illi potestas videndi Deum sit connaturalis, negatur a nobis ejus possibilitas *ex sup. dictis.* Præterea, quamvis in genere judicemus aliquid possibile ex illo generali principio, quod Deus possit quid facere ultra, quam homo cogitando ascendere queat; tamen nullius entis supernaturalis possibilitatem in particulari certo cognoscere aliter possumus, quam ex fide aut ejus principiis; quæ sicut stant pro

complexo ex intellectu creato et lumine gloriæ, sic pro alio perfectiore secundum oppositum certe sensum non habentur.

Idem R. *ad* 3um. A posteriori enim constat possibilitas *accidentium* supernaturalium, quia eorum existentia habetur ex revelatione divina. *Substantiæ* possibilitas nec a posteriori potest ostendi, nec a priori sustineri ob rationes datas.

ARTICULUS II.

AN ET UNDE ACTUS SALUTARES SINT ENTITATIVE SUPERNATURALES?

10. *Nota.* Habitus infusos tum præsentis viæ tum patriæ, actus item visionis ac fruitionis beatificæ, supernaturales esse in *substantia,* communis est sententia. Controversia est de actibus salutaribus, qui habentur in via, fidei scilicet, spei, charitatis, pœnitentiæ, et similibus factis, *prout oportet,* ad salutem vel gratiam justificationis consequendam ; *Scotistis* nempe et quibusdam aliis eos tantum supernaturales *quoad modum* asserentibus, *Thomistis* vero et plerisque aliis supernaturalitatem *quoad substantiam* illis vindicantibus.

11. *Dico I.* Actus salutares sunt entitative et quoad substantiam supernaturales.

Prob. Non tantum *finis*, ad quem hi actus ut media ordinantur, sed etiam *principia,* quibus ad illos efficiendos potentes reddimur; sunt *quoad substantiam* supernaturalia ; ergo etiam ipsi actus sunt tales. *Antecedens* quoad *finem* est certum; ordinantur enim proxime ad gratiam justificantem, qua divinæ efficimur consortes naturæ : remote ad æternam beatitudinem visione intuitiva consequendam; quem utrumque finem entitative supernaturalem esse nec ab Auctoribus hic oppositis negatur, nec dubitari potest ex dictis alibi contra *Baium.* Quoad *principia* autem constat ex eo, quia ad actus salutares efficiendos dantur habitus virtutum per se infusi, et in eorum defectu aliud auxilium gratiæ effectivum : habitus autem infusos entitative supernaturales esse supponitur, et gratiam similiter supernaturalem esse, probatum est in Tr. de Gr. Ergo. *Consequens* liquet ex eo quod media servent proportionem cum fine, ad quem ut media ordinantur; sicut principia cum effectibus, propter quos dantur.

Conf. Concilia et Patres, ut videre est in Tr.de Gr., contra *Pelagium* constanter docent, gratiam divinam requiri, non solum ut facilius, sed ut simpliciter et absolute possimus actus salutares efficere. Vel ergo censent gratiam necessariam ad efficiendam ipsam actus substantiam, vel non : Si *primum ;* sequitur manifeste nostra conclusio; cum ideo requiratur gratiæ virtus, quia per solas naturæ vires actus fieri nequit : et consequenter non est naturalis quoad substantiam : Si *secundum ;* evidenter nimium tribuitur naturæ contra doctrinam Conciliorum et Patrum, quæ commodam interpretationem ægre sustinet. Qua enim specie tanta habituum et donorum necessitas explicari poterit de *modo* duntaxat supernaturalitatis? cum nec *modi* hujus quidditas, utilitas ac necessitas bene exponi queat.

12. *Dico II.* Actus salutares supernaturalitatem suam participant a principio effectivo supernaturali.

Prob. Quæcumque prædicata actus salutaris habet, participat a sua causa complete sumpta; ergo sicut prædicatum vitalitatis v. g. participat a principio elicitivo vitali, sic et a principio supernaturali effectivo sortitur prædicatum supernaturalitatis. *Conf.* Quia non aliam ob causam asseritur supernaturalitas entitativa principii, ejusque absoluta necessitas, nisi ob entitatem effectus eamque supernaturalitatem.

13. *Obj. cont.* 1um. Concilia et Patres aliter loquuntur de actibus patriæ, visione scilicet et fruitione Dei, quam de actibus viæ, fide nimirum, charitate etc.; de *primis* enim absolute enuntiant, quod creaturæ rationales non possint videre Deum, aut eo frui sine lumine gloriæ : de *secundis* autem id dicunt cum limitatione; sic enim Conc. Arausican. II. Can. 7. dicit, quod sine gratia non possimus cogitare, *ut expedit* : et Can. 6. loquens de credentibus, volentibus, desiderantibus etc. adjungit hæc a nobis fieri non posse, *sicut oportet,* nisi per infusionem Spiritus sancti : Conc. Trident. etiam, ubi Can. 3. negat sine gratia quemquam credere, sperare, diligere ac pœnitere posse, addit : *sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur;* ergo actus primi sunt supernaturales *quoad substantiam,* secundi autem tantum *quoad modum.*

R. 1°. *N. A.* Concilia et Patres etiam loquuntur absolute de actibus viæ, ut patet ex Conc. Milevit. Can. 4. (Labb. t. 2. p. 1539. A.) et Coelestinus seu Auctor sententiarum, quæ epistolæ Coelestini ad Episcopos Galliæ conjunguntur, c. 7. (Labb. ibid. p. 1616.) qui sine limitatione adjecta enuntiant, quod ipsum *scire et diligere sint donum Dei.* Similiter Conc. Araus. II. Can. 7. relatis mox subjungit absolute dicens, non posse nos sine gratia *eligere opus bonum aut consentire prædicationi Evangelicæ* etc. Nec minus Can. 25. nulla limitationis mentione facta ait : *Prorsus donum Dei est diligere.*

R. 2°. *N. Cons.* Licet enim hi actus aliis modis multum differant, non discrepant tamen in ratione *supernaturalitatis.* Ratio autem, cur his, non illis sæpe adjecta sit limitatio, atque hinc disparitas est, quia non datur alia beatitudo, nisi supernaturalis, quam speramus : neque potest esse alia visio intuitiva. E contrario præter fidem divinam et dilectionem salutarem potest esse, et de facto est fides vel credulitas et dilectio Dei *naturalis;* unde apposita a Conciliis limitatio non indicat modum eliciendi, sed designat speciem actus; quam satis manifestat ipsa vox visionis et beatitudinis pro præsenti providentia.

Inst. 1. Licet entitas actus salutaris dicatur naturalis, tamen potest exigere principium effectivum supernaturale ratione modi producendi, secundum quem excedit naturæ vires; uti requiritur aliquid supernaturale in sanatione instantanea.

R. *N. Ass. et supp. prob.* Nam imprimis si ratione *modi* tantum exigeretur principium supernaturale, sufficeret etiam illud esse supernaturale *quoad modum;* cum tamen Adversarii id fateantur et requirant esse quoad entitatem supernaturale. Deinde falsum est sanationem instantaneam esse proprie, aut theologice supernaturalem; unde vel paritas nihil evincit, vel probat actus salutares nihil etiam pertinere ad unionem cum Deo *quidditative* accepto.

Inst. 2. Modus ille potest explicari vel per hoc, quod actus ille quidem possit haberi viribus naturæ, sed *valde difficulter*; vel per hoc, quod actus ille accipiat rationem dispositionis aut meriti : vel quod nanciscatur omnimodam firmitatem et infallibilitatem : vel denique per hoc, quod actus in particulari v. g. *fidei* sit obscurus; cum intellectus creatus naturaliter non habeat assensum firmum et infallibilem, nisi motivis evidenter propositis; unde gratia indiget, ut similem assensum etiam habeat in obscuris.

R. *N. Ass.* Cum nullus explicandi modus satisfaciat. Non *primus,* utpote qui est Pelagianus, et a Conciliis Patribusque sæpe damnatus. Non *secundus*, quia hic cum Adversariorum principiis conciliari nequit; quandoquidem proportio ex ratione dispositionis vel meriti profecta debeat esse actui *intrinseca,* et sic ad entitatem actus pertinere; cum sola condignitas adveniat a dignitate aut statu operantis. Non *tertius*, quia ista firmitas et infallibilitas actui est intrinseca aut consequens ad intrinsecam ejus perfectionem, vel non : Si prius; ergo entitas actus non potest poni sine gratia, et hinc supernaturale *quoad substantiam* habemus : Si posterius; ergo in actu non erit nisi respectus ad habitum per se infusum, sive denominatio, quod producatur ab habitu, qui non potest producere assensum falsum. Verum ita habitus infusus vel gratia erunt superflua, aut saltem *absolute* non necessaria; quia et sine illis vel ex motivis evidenter propositis, vel alio modo, potest haberi actus firmus et infallibilis. Non *quartus*, quia actus intrinsece attingit motivum, et intrinsece certus aut firmus esse debet. Si ergo intellectus sine gratia motivum obscurum attingere nequit, actus *quoad substantiam* debet esse supernaturalis; cum ipsa entitas nequeat sine gratia haberi : Si autem certitudo actui non sit intrinseca, neque esse certum sit quid aliud quam actum esse necessario verum ab extrinseco; nequit imprimis dici quid ista denominatio conferat ad hoc, ut habeatur proportio ad finem supernaturalem : neque deinde explicatur adhuc modus specialis productionis, quem habet actus voluntatis supernaturalis.

14. *Obj. cont.* 2um. Prius est actum esse supernaturalem, quam produci a principio supernaturali; ergo a principio supernaturali nequit accipere suam supernaturalitatem. *Conf.* 1. Ipsum principium, a quo supernaturalitas transfunditur in actum, habet supernaturalitatem : non potest autem dici unde. *Conf.* 2. Quamvis anima rationalis et angelus exigant produci a solo Deo, tamen non dicuntur supernaturales; ergo nec actus dici debent supernaturales a principio supernaturali, quod exigunt ad sui productionem.

R. 1°. Retorqueo argumentum in paritate vitalitatis; quia etiam logice vel ratione prius est actum esse vitalem, quam exigere immanenter produci, quin tamen ideo negari possit eam actui tribui a principio vitali.

R. 2°. *D. A.* Prius est actum esse supernaturalem formaliter et absolute spectando *C.* respective et causaliter seu passive accipiendo *N.* Supernaturalitas actus *formaliter* et *absolute* spectati stat in perfectione intrinseca ordinis superioris et essentialis ordinationis ad unionem cum Deo : *respective* autem et *causaliter* spectati stat in exigentia, qua requirit ad sui productionem principium supernaturale; quamvis vero illa supernaturalitas formalis præcedat signo rationis conceptum causalem, sicut possibilitas intrinseca

extrinsecam præcedit juxta probabilem in Philosophia; tamen quoniam conceptus prior fundat posteriorem, nihil obstat dici supernaturalitatem extrinsece ac causaliter haberi a principio effectivo. Unde et conseq. simpliciter negari poterat.

Ad Conf. 1am. R. *N.* 2am. *p.* Nam formaliter habet per se ipsum et propriam perfectionem: effective et causaliter habet iterum a suo principio. Principium autem *primum* supernaturalitatis est omnipotentia Dei volentis manifestare suam gloriam et communicare se ipsum, sicuti est, atque hinc ordinatam ad hæc creaturam et vires naturæ transcendentem producentis.

Ad Conf. 2am. R. *N. Cons.* Non omne id quod nequit produci nisi a Deo, est supernaturale, ut ex dictis patet, sed ut supernaturalitas *actuum* petatur a Deo tanquam causa, debet is sumi ut determinans omnipotentiam ad supplendum influxum alicujus habitus vel qualitatis supernaturalis: pro supernaturalitate *habituum* autem debet sumi ut determinans omnipotentiam ad producendam perfectionem operativam ordinis superioris ac divini, seu ad producendum principium intrinsece ordinatum ad unionem cum Deo *quidditative* sumpto.

QUÆRES: *An actus etiam universaliter et necessario desumant suam supernaturalitatem ab objecto?*

15. *Nota.* Sensus hujus quæstionis resolvitur ab aliis etiam in hunc modum: *an actus supernaturalis habeat necessario objectum aliud et specie distinctum, quam habet actus naturalis*; adeoque actus supernaturalis ob illud objectum extrinsece, et ob tendentiam in hoc objectum seu exigentiam hujus objecti intrinsece distinguatur ab actu naturali? Ad hanc difficultatem, circa quam maxime Auctores variant, enodandam supponimus ex Philosophia notionem objecti materialis et formalis pro aliqua potentia, repetimus tamen objectum formale statui duplex: 1um. est objectum *formale quod* seu propter quod, et est illa ratio objective motiva, propter quam potentia intentionalis objective determinatur et movetur, ut tendat in objectum materiale vel affirmandum aut negandum, vel prosequendum aut aversandum: 2um. est *formale sub quo,* seu id, quo supposito seu mediante, potentia determinatur ab objecto formali quod, ut feratur in materiale. Porro hoc prædicatum seu medium est vel objecto *intrinsecum,* uti v. g. est cognoscibilitas, amabilitas, visibilitas etc. vel est objecto *extrinsecum,* uti v. g. respectu objecti voluntatis est cognitio, qua mediante repræsentatur et proponitur objectum ut amabile; quæque se instar applicationis habet, et est mera conditio.

16. *Dico I.* Objectum *materiale* potest esse idem respectu actus tam supernaturalis quam naturalis; ideoque per illud non distinguitur ille ab hoc, nec ab objecto materiali actus desumit supernaturalitatem. Assertio est *communis,* quia certum est quod per actum supernaturalem fidei credamus Deum existere, esseque summe sapientem hujus universi Conditorem; et simul idem actu naturali ex creaturis cognoscamus: *item* quod eumdem amare possimus amore tum naturali tum supernaturali.

17. *Dico II.* Objectum *formale sub quo* extrinsecum, seu cognitio proponens objectum tum materiale tum formale quod, aliud est respectu actus supernaturalis, quam respectu naturalis. Et hæc assertio *communis* est cum iis, qui nobis in sequenti responsione adversantur : Communior quoque est inter Auctores alios: quia ad omnem actum salutarem requiritur gratia præveniens supernaturalis : ac consequenter *illustratio intellectus,* et objecti propositio supernaturalis, uti probavimus in Tr. de Gr. num. 291. et seqq.

18. *Dico III.* Idem potest esse objectum *formale quod* actus supernaturalis et naturalis ; adeoque non distinguitur actus supernaturalis a naturali per respectum ad objectum formale quod : nec actus desumit universaliter et necessario suam supernaturalitatem ab objecto formali quod. Ita post *Scot. Gabr., Ægid., Granadus, Lugo, Ovied., Ripald., Viva* et plures contra alios multos.

Prob. Quoad actus intellectus. Hæretici credunt plura objecta fidei propter idem objectum formale, nempe auctoritatem et revelationem divinam, propter quod credunt Catholici; ut patet tum ex firmitate judicii et adhæsionis ad eas veritates tanta, quanta est in Catholicis, quæque sicut in his, sic nec in aliis potest referri ad aliud motivum : tum ex animi comparatione in Hæreticis, qui ad solum verbum Dei recurrere solent, et motiva Ecclesiæ excludere : tum quia quamvis ex privati spiritus explicatione, revelatio possit apud illos esse tantum existimata, tamen ad hoc ut revelatio se habeat ut motivum seu objectum *formale quod*, non requiritur vera et realis ejus existentia, sed sufficit illam intentionaliter et repræsentative existere. Sed fides Hæreticorum est actus mere naturalis; quia judicium credibilitatis, a quo eorum voluntas movetur et dirigitur, non est, *ut oportet,* prudens, ac consequenter Deus non præbet concursum ad actum supernaturalem : Catholicorum autem est actus supernaturalis , ut supponitur.

Conf. 1. Rudis inter Catholicos a Parocho instructus potest prudenter judicare aliquid esse revelatum, quod re ipsa revelatum non est ; ac proin prudenter judicare id sibi esse credendum ex motivo Dei revelantis, quo credit alias veritates vere revelatas. In hoc casu rudis ille poneret actum fidei, sed solum naturalem ; quia supernaturalis fides exigit veritatem objecti materialis et formalis, ut infra dicetur ; ergo objectum *formale* fidei potest attingi actu mere naturali etc.

Conf. 2. Qui post frequentatos actus supernaturales fidei v. g. circa mysterium Incarnationis acquisivit habitum naturalem ad similes actus eliciendos, postea vero ob negatum alium fidei articulum ad hæresin deficit, amittitque habitum fidei infusum, a remanente etiamnum habitu illo acquisito naturali sentiret se multum facilitari ad credendum idem mysterium propter auctoritatem Dei revelantis; nec tamen eliceret nisi actus naturales; ergo.

Prob. Quoad actus voluntatis. Ex eodem motivo bonitatis divinæ potest diligi Deus tam amore naturali quam supernaturali ; quia si cognoscatur ut auctor sive naturæ sive gloriæ cognitione naturali, amor, qui hanc naturalem cognitionem sequitur, erit naturalis : si vero cognoscatur ut talis per cognitionem supernaturalem, amor exinde consequens erit supernaturalis, gratia scilicet *voluntatis* illustrationem sanctam comitante, et Deo auxilium adjuvans offerente, ut alibi dictum ; ergo.

Conf. 1. Nihil impedit, quominus actus supernaturalis possit versari circa objectum formale naturale; tum quia potentia superioris ordinis potest attingere objecta inferioris ordinis: tum quia per actum scientiæ infusæ potest cognosci aliqua veritas mediata per principia naturalia. Neque etiam repugnat ut objectum supernaturale attingatur ab actu naturali; ut patet tum ex dictis de actu intellectus : tum quia licet objectum supernaturale excedat vires intentionales naturæ intellectualis, tamen supposita semel illius revelatione, nihil intercedit quominus illud, narratione expositum, quis possit naturaliter audire, naturaliter saltem abstractive cognoscere, naturaliter amare.

Conf. 2. Deus æque amore dignus est ut auctor naturalium, quam ut auctor supernaturalium; ergo sub utroque respectu debet posse amari amore supernaturali. *Item* plures Sancti excitabantur ad amorem Dei ex consideratione creaturarum, inde ejus bonitatem absolutam inferentes; gratis vero dicitur semper adjunctam fuisse considerationem Dei ut auctoris gloriæ : et incredibile est eos tunc solum elicuisse actus amoris naturales. *Denique* experimur quidem quod, cogitando de bonitate supernaturali, excitemur ex hoc ipso motivo ad Deum ut bonum supernaturale summum amandum : nec tamen sine revelatione scire possumus quod Deum supernaturaliter amemus; cum juxta Eccles. 9. nesciat homo, utrum odio, an amore dignus sit : quod ipsum tamen certo et practice, quia experimentaliter, scire possemus, si supernaturalitas actus desumeretur ex *objecto formali* supernaturali.

19. *Nec dicas* 1°. Actus specificantur *ab objecto* ; ergo ubi sunt diversi specie actus, quales sunt naturalis et supernaturalis; sunt diversa objecta, nempe formalia. *Conf.* 1. S. Th. 1. 2. q. 63. 4. in 0. distinguit virtutes infusas ab acquisitis, ex eo quod illæ respiciant objectum prout conforme regulæ supernaturali, hæ vero prout conforme regulæ naturali seu dictamini rectæ rationis. *Conf.* 2. Actus virtutis Theologicæ sunt perfectiores aliis virtutum moralium, quia habent perfectius objectum; ergo quia actus supernaturales perfectiores sunt naturalibus, id habent a perfectiore objecto.

R. *D. A.* Specificantur *ab objecto* tantum et universaliter *N.* ab objecto vel a principio extrinsece, et ab intrinseca perfectione aut a modo tendendi intrinsece *C. Axioma* tenet, quatenus ex diversis specie objectis arguimus diversas species actuum; non vero vicissim, quasi ubi est idem specie objectum, similiter forent actus ejusdem speciei. Nam simplex complacentia, desiderium et amor efficax circa eamdem bonitatem differunt specie ex solo modo tendendi : Cognitio angelica et humana, item visio spiritualis et materialis ejusdem objecti differunt ex parte solius principii.

Ad Conf. 1am. R. 1°. Idem 2. 2. q. 5. a. 2. docet dæmones credere mysteria fidei nostræ secundum illud Jac. 2. *Dæmones credunt et contremiscunt*; fides autem eorum certe non nititur testimonio humano, sed divino : nec tamen, ob defectum piæ affectionis liberæ et principii gratiæ, est supernaturalis.

R. 2°. *D.* Distinguit illos actus per illa objecta, tanquam formalia *quæ N.* tanquam formalia *sub quibus C.* Virtutes enim infusæ, quæ respiciunt objectum prout conforme regulæ supernaturali, non habent illustrationem illam, sub qua innotescit regula, tanquam rationem motivam; sed solum ut conditionem se tenentem ex parte potentiæ, ut possit objectum prosequi

actu supernaturali. Similiter intelligendus est, dum 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. distinguit amorem naturalem a supernaturali, quod hic feratur in Deum ut auctorem supernaturalium, ille ut auctorem naturalium. Non enim hic assignat *diversa motiva*, sed eminentiam et perfectionem charitatis supernaturalis, quæ, prout convenit statui elevationis, fertur in Deum secundum quod est objectum beatitudinis, et homo habet quamdam spiritualem societatem cum Deo.

Ad Conf. 2am. *T. A. N. Cons.* Quia ex dictis patet, et perfectionem haberi posse a principio, et objectum formale non esse universim rationem distinctionis ac perfectionis.

20. *Nec dicas* 2°. De ratione objecti supernaturalis est, quod excedat vim cognoscitivam naturæ; ergo non potest attingi actu mere naturali; præsertim quia alias actus naturalis illud tanquam suum objectum exigeret; et hoc proin ex alio etiam capite supernaturale non foret.

R. 1°. Argumentum nimium probat; cum sequeretur nec objectum *materiale* supernaturale attingi posse per actum naturalem, contra dicta num. 17. et 18.

R. 2°. *D. A.* De ratione objecti supernaturalis est, quod excedat vim cognoscitivam naturæ quoad cognitionem quidditativam *C.* quoad cognitionem abstractivam *subd.* antecedenter ad revelationem *C.* consequenter ad eam *N.*

Similiter R. *ad prob.* Quia et hæc exigentia non est, nisi ex facta hypothesi revelationis: et non est exigentia objecti ad realiter, sed tantum intentionaliter existendum.

21. *Nec dicas* 3°. Concilia et Patres exigunt gratiam Dei ad actus fidei, spei etc. Si autem hi actus possent haberi *naturaliter*, vel eorum doctrina falsa esset, qua dicebant actuum horum substantiam non posse haberi naturæ viribus: vel foret ridicula, utpote quæ secundum nos nihil definiret, nisi gratiam esse necessariam ad fidei vel spei actum cum gratia.

R. *D.* Exigunt gratiam ad actus fidei, spei etc. salutares, et ut oportet ad salutem *C.* ad eos simpliciter *N.* Concilia et Patres, qui nonnunquam locuti sunt simpliciter, sæpe etiam limitationem illam adjecerunt; quod, uti et ejus ratio notata est num. 13.

Ad seq. 1am. R. *D.* Si hi actus secundum suam perfectionem intrinsecam, qua referuntur ad unionem cum Deo quidditative sumpto, possent haberi naturaliter, falsa esset doctrina *C.* cum tantum haberi possint quoad illum respectum vel tendentiam, qua connotant objectum materiale et formale quod *N.* Per postremum autem constituuntur tantum actus in ratione fidei vel spei, fidei humanæ vel divinæ; per prius in ratione supernaturalitatis.

Ad seq. 2am. R. *N.* Sane ridiculum non est dicere, inter media et finem debere esse proportionem: quia vero finis supernaturalis est, media etiam debere naturæ vires transcendere: porro cum actus salutares dicebant esse media ad hunc finem, recte definiebant ad eos requiri gratiam, non sufficere vires naturæ, sed necessarium esse principium supernaturale.

22. *Nec dicas* 4°. Si quis diceret, intellectum creatum per solas naturæ

vires posse divinam essentiam intuitive videre eadem claritate tum extensiva tum intensiva, qua eam sub lumine gloriæ nunc vident beati; et hanc visionem nihilominus negaret esse beatificam ex eo præcise quod per solius naturæ vires habeatur; is merito rideretur ab omnibus, tanquam vel ignarus terminorum, vel minus connexe discurrens; ergo a *pari* cum dicamus, vel ex nostris principiis sentire debeamus, posse hominem naturaliter elicere actum fidei, specifice tam perfectum, quam est actus fidei supernaturalis; incohærenter negamus eum esse salutarem, eo quod per solius naturæ vires eliciatur.

R. 1°. Argumentum laborat falso supposito duplici; *primo,* quia supponit primarium conceptum nostrum supernaturalitatis esse philosophicum et non theologicum: *secundo,* quia supponit actum naturalem fidei esse æque certum ac supernaturalem; cum quidem in naturali actu habeatur connexio objecti materialis cum formali, non autem connexio actus cum objecto; atque hinc possit existere actus naturalis, quin existat ejus objectum formale, quod implicat respectu fidei supernaturalis.

R. 2°. *N. Cons. Disparitas* est, quia in *primo* casu haberetur formaliter unio cum Deo *quidditative* accepto; unde qui, impossibili supposito admisso, negaret illam visionem beatificam supernaturalem, recte ex utroque capite rideretur: sed qui in *secundo* casu haberet quidem perfectionem actus, in respectu ad hoc vel illud objectum consistentem, necdum tamen haberet perfectionem intrinsecam ad unionem cum Deo *quidditative* sumpto terminatam; cum nulla inter utramque connexio necessaria ostendi possit, ut satis probatum est.

23. *Nec dicas* 5°. Paulus 1. Thess. 2. v. 13. *Gratias agimus,* inquit, *quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Ex quo sic arguitur: accipere verbum Dei, ut est verbum Dei et non hominum, est credere revelata a Deo propter ejus dicentis auctoritatem; sed ita accipere verbum Dei, juxta Apostolum, est opus gratiæ divinæ proprium; ergo sic credere soli gratiæ et non naturæ proprium est aut convenit. Et sane si daretur naturalis acceptio verbi Dei, ut est verbum Dei, divisio inter acceptionem verbi Dei ut verbi Dei, et ut verbi hominum non esset adæquata, sed ambigua et æquivoca.

R. *D. m.* Juxta Apostolum accipere verbum Dei, ut est verbum Dei, operatione supernaturali Dei, est opus gratiæ divinæ proprium *C.* sine tali operatione *N. m. et Cons.* Distinctionem hanc ipse Apostolus suggerit; cum non simpliciter scribat: *accipere verbum auditus Dei, sicut est vere verbum Dei,* sed addat: *qui operatur* (supple ex Corn. a Lapide *fidem*) *in vobis, qui credidistis,* vel potius ex græco τοῖς πιστεύουσιν, *qui creditis.* Unde quamvis permittatur divisio esse inadæquata, non tamen est ambigua vel æquivoca propter adjectam sufficientem explicationem.

24. *Nec dicas* 6°. Ut actus sit meritorius debet procedere ex *motivo* supernaturali, ut patet in attritione, quæ non est utilis ad salutem, nisi sic procedat; ergo. *Conf.* Homo debet esse liber ad eliciendum actum supernaturalem, et propter actionem supernaturalem est laudabilis: neutrum

autem fieri posset, si supernaturalitas sumeretur a *principio*, et non a *motivo*; cum homo nequeat discernere inter principia sui actus, neque eligere, ut principium supernaturale influat vel non.

R. *D. A.* Debet procedere ex motivo supernaturali, secundum se, ex natura et intrinsece tali *N.* supernaturali, extrinsece et denominative tali, ab illustratione scilicet aut actu fidei, cui substat, et a quo prævie attingi debet *C.*

Ad Conf. R. *N. m.* Ad hoc ut homo sit liber ad actum supernaturalem, non requiritur ut sciat se habere principia supernaturalia, sicut nec ad libertatem pro actu meritorio exigitur conscientia hominis de statu gratiæ; sed satis est quod, principio supernaturali instructus, ex propria electione ponat actum, *qui*, non *qua*, procedit ex illo principio. Similiter homo non est laudabilis ex eo quod eligat actum supernaturalem præ naturali; cum hoc nomisi *affective* tantum facere possit, eo quod inter utrumque non discernat: sed quod ponat actum qui est supernaturalis, cum facit quantum potest, et potentiam, quam habet, applicat ad actum supernaturalem. Neque huic obest quod qui actum supernaturalem elicit, sit præmio æterno dignus, quo non est dignus eliciens actum naturalem; unde inferatur laudabiliorem esse aliquem ex eo quod eliciat actum supernaturalem. Nam præmium non commensuratur præcise libertati, sed etiam et vel maxime dignitati ac excellentiæ tum operis tum personæ operantis, quibuscum proportionem dicere debet: unde tametsi non sit liberum homini gratia sanctificante pollere, nec laudabilius etiam agat cum, quam sine gratia sanctificante; majus tamen præmium meretur operans gratia sanctificante instructus. E contrario laudabilitas commensuratur dignitati operis, in quantum præcise est libera.

ARTICULUS III.

QUID ET QUOTUPLEX SIT HABITUS SUPERNATURALIS?

25. *Nota.* Cum de habitu supernaturali sermonem instituamus, manifestum est nos loqui de virtute. D. Thomas ex S. Augustino 1. 2. q. 55. a. 4. *Virtus est*, inquit, *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur.* Sic sumpta dividitur in acquisitam et infusam. *Acquisita* est, quæ per frequentatos actus generatur; ejusmodi sunt omnes habitus naturalium scientiarum et artium: *Infusa* est, quæ a Deo infunditur absque prævio actuum exercitio; et de hac loquitur S. Thomas in data definitione, dum addit: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Dicitur autem virtus alia per se infusa, alia infusa per accidens. *Infusa per se* est, quæ nullis naturæ viribus nec ulla actuum repetitione acquiri potest: *Infusa per accidens* est, quæ quidem actuum frequentatione acquiri potest, sine ea tamen hic et nunc a Deo infunditur; cujusmodi erant artes et scientiæ Adami, quas alii homines per frequentatos actus addiscunt, ipse vero sine his a Deo obtinuit. Porro virtutes aliæ dant facile posse, aliæ simpliciter posse. Dare *facile posse* est ita concurrere, ut quidem sine virtute possit actus elici, sed non faciliter, quam facilitatem operandi virtus seu habitus tamen affert: dare *simpliciter posse* est ita concurrere, ut sine virtute (nisi omnipotentia extrinsece applicata defectum suppleat) actus non possit elici; et quanquam ejusmodi virtus habeatur, non tamen propterea actus eliciatur facile.

26. *Dico I.* Habitus seu Virtus supernaturalis est virtus per se infusa, dans simpliciter posse, et elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales.

Explic. et Prob. Dicitur 1°. *Virtus;* per quod tanquam genus convenit virtutibus acquisitis et per accidens infusis. 2°. *Infusa;* per quod differt ab acquisitis. 3°. *Per se infusa;* per quod discrepat ab infusis per accidens. 4°. *Dans simpliciter posse;* per quod differt iterum ab acquisitis, prout dant facilitatem. 5°. *Elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos* etc.; per quod secernitur ab omnipotentia extrinsece applicata. 6°. Denique per τὸ *infusa per se* indicatur ejus perfectio intrinseca absoluta excedens naturam : per τὸ *dans simpliciter posse et elevans potentiam ad actus supernaturales eliciendos* exponitur ratio principii et perfectio ejus respectiva ad actus, superans naturam atque ad unionem cum Deo pertinens; unde distinctio ejus a virtute naturali manifestatur.

27. *Dico II.* Virtus supernaturalis communiter dividitur in theologicam et moralem; accuratius tamen in theologicam et non theologicam.

Explic. Theologica est virtus supernaturalis directe et immediate respiciens Deum : *non theologica* est virtus supernaturalis hoc respectu carens. Subdividitur postrema in virtutem intellectualem et moralem. Virtus supernaturalis *intellectualis* est, quæ pertinet ad intellectum et rerum supernaturalium cognitionem pertinentium; ut sunt sapientia, scientia etc., quibus etiam accensetur *prudentia,* quæ licet morum sit directiva, proprie tamen moralis non est; cum non respiciat honestatem moris qua bonam, sed qua veram : *moralis* est, quæ pertinet ad voluntatem se laudabiliter exercentem in fuga mali, et amplexu boni qua talis; uti sunt justitia, temperantia etc. An porro dona Spiritus sancti, de quibus mentio facta in Tr. de Gr. num. 150., debeant accenseri virtutibus non theologicis, et distinctam ab intellectualibus ac moralibus speciem constituant, disputant *Scotistæ* et *Thomistæ,* illis negantibus, his cum S. Th. 1. 2. q. 68. a. 1. affirmantibus; nobis hanc litem componere æque non vacat, ac inquirere utrum præterea dentur alii habitus infusi, quorum nomine a *Scotistis* intelliguntur octo beatitudines ac fructus Spiritus sancti, qui tamen a S. Th. ibid. q. 69. distinguuntur a virtutibus tanquam actus.

QUÆRES : *An facilitas relicta post frequentatos actus supernaturales virtutum supernaturalium, sit supernaturalis vel naturalis?*

28. *Nota.* Tria hic ex Philosophia supponimus. 1°. Facilitatem, quæ post frequentatos plures actus sentitur circa similes et objectum idem habentes eliciendos, esse habitum, qui inclinare ad hos actus dicitur et facilitare, quatenus suo influxu minuit conatum potentiæ et sublevat. 2°. Habitum hunc probabilius stare in speciebus rememorativis; per quas auctas scilicet et intensiores quia repræsentatur objectum vividius, ejusque bonitas et dulcedo experimentaliter jam percepta proponitur, difficultas tum ex parte intellectus tum ex parte voluntatis minuitur; eo quod intellectui minus laborandum sit in præsentia vivaciorum specierum, et voluntas nostra ultro

propendeat in ea, quæ delectabilia semel iterumque experti sumus. 3°. Variam esse Auctorum opinionem tum circa naturam tum circa causam specierum rememorativarum.

29. *Dico I.* Habitus ejusmodi nec est habitus prior supernaturalis factus *intensior* : nec habitus novus supernaturalis et *per accidens* infusus.

Prob. 1ª. *pars.* Virtus per se infusa etiam intensa non dat facile, sed tantum simpliciter posse; ergo habitus supernaturalis prior *intensior* factus non est habitus ille facilitans. *Ant.* patet tum ex communi omnium sententia; tum quia virtus per se infusa etiam intensa ex suo conceptu præcise est potentia superaddita facultati naturali, de se insufficienti ad actum producendum; unde facilitatem, quæ connaturaliter supponit posse, non habet aut præstat.

Conf. Ex recepta a plerisque omnibus opinione, intensa una virtute supernaturali intenduntur et reliquæ; ergo et acquisita facilitate ad actus unius virtutis, daretur etiam facilitas ad actus aliarum supernaturalium; quod experientia docet esse falsum.

Prob. 2ª. *pars.* Talis habitus est supernaturalis vel quoad *substantiam* vel quoad *modum* : Si *primum*; est ejusdem speciei cum habitu per se infuso; ac proinde habitus per se infusus est superfluus : non enim amplius est necessarius ad actum quoad substantiam, neque quoad modum, scilicet facilitatem. Si *secundum*; ergo habitus hic est in se naturalis, et sic speciale nihil affertur; imo nec assignari potest, ex quo sit supernaturalis quoad modum.

Conf. Habitus ejusmodi v. g. charitatis acquisitus vel manet in homine post peccatum, vel non : Si *primum*; ergo post peccatum homo æque erit habitualiter dispositus ad actum supernaturalem et beatitudinem, ac si remanerent habitus per se infusi, ut constat ex ratione priore. Si *secundum*; ergo post peccatum non sentitur amplius ea facilitas, quæ antea fuerat; quod experientiæ repugnat.

Si ais 1°. Actus naturales generare habitum naturalem; ergo et supernaturales supernaturalem; præsertim cum actus supernaturales sint *præstantiores* naturalibus. 2°. Actus supernaturales continere in sua virtute speciem supernaturalem, utpote imaginem sui vicariam; ergo et habitum tanquam a speciebus rememorativis indistinctum. 3°. Nihil habere repugnantiæ, quod idem principium virtutem addat potentiæ in se insufficienti, et simul facilitatem ad actum tribuat : sicut non implicat ut lumen gloriæ tribuat potentiæ insufficienti virtutem, et simul necessitatem imponat.

Ad 1. R. *Disparitas* liquet ex rationibus datis, et præterea in eo versatur, quod in naturalibus potentia sit complete potens, adeoque habitus accedens tantum adsit ut facilitet; qui si abesset, potentia adhuc simpliciter actum producere valeret : e contra vel habitus acquisitus adest cum habitu per se infuso vel sine illo : Si *primum*; ergo cum non tribuat tantum facilitatem, sed etiam posse simpliciter, habitus per se infusus erit superfluus : Si *secundum*; ergo daret facilitatem, ut asseritur, et non daret; quia dans facilitatem præsupponit potentiam completam et simpliciter posse, quod hic non fieret.

Ad prob. R. Non semper, quod in entitate perfectius est, habere potentiam

producendi sibi simile, liquet ex angelo, cum tamen ignis imperfectior ignem producat.

Ad 2. R. Transmissa hac species rememorativas causandi explicatione, *D.* continent in sua virtute speciem positive supernaturalem, et utpote imaginem adæquatam sui *N.* continent speciem connotative supernaturalem, et imaginem tantum inadæquatam *C.* Species relicta vix unquam est adæquata et repræsentans omnia prædicata : imo sæpe tam remissa, ut nonnisi prædicatum genericum repræsentet. Itaque *species*, de quibus nos loquimur, sunt repræsentativæ duntaxat prædicatorum actui naturali communium, minime autem ipsius supernaturalis cum nunquam etiam recordando cognoscamus actus fuisse supernaturales : unde has *species* positive supernaturales negare oportet; præsertim cum damnati etiam retineant *species* ejusmodi rememorativas, quibus tamen nihil supernaturale videtur concedendum præter characterem sacramentalem, cujus indelebilitatem SS. Patres asserunt.

Ad 3. R. *Disparitatem* esse similiter patet ex datis hactenus rationibus. Præterea *necessitas* in visione beatifica oritur ab evidenti ac immediata repræsentatione objecti in se verissimi et optimi : *facilitas* vero illa nec ortum habet ab intensione habitus supernaturalis prioris; quia cum intenso etiam habitu ejusmodi stat sæpe difficultas operandi : nec a supernaturalitate habitus acquisiti; cum facilitas maneat etiam in peccatore, cui tamen supernaturalis habitus negatur ab omnibus.

30. *Dico II.* Habitus ejusmodi est naturalis; quin tamen cum quibusdam debeat dici generatus ab actibus naturalibus, qui semper cum actibus supernaturalibus simul eliciantur.

Prob. 1ª. *pars.* Habitus acquisitus ex probabiliori non distinguitur a speciebus rememorativis : sed hæ species etiam ab actibus supernaturalibus natæ sunt solum naturales, tanquam naturaliter debitæ naturæ rationali ; ergo.

Conf. Habitus naturalis acquisitus potest inclinare potentiam ad actus *objective,* licet non *entitative*, similes actibus supernaturalibus, ut patet ex dictis n. 19. : potest etiam facilitare potentiam, ita ut minore labore et conatu hæc influat in actum; cum difficultas tota, quam experitur potentia, oriatur ex ejus indifferentia et carentia assuetudinis versandi circa tale objectum; ergo habitus naturalis sufficit.

Prob. 2ª. *pars.* Quia actum naturalem una semper elici, dum fit actus supernaturalis, gratis omnino asseritur, sine ulla necessitate aut utilitate, ac contra omnem experientiam, solumque ad declinandam difficultatem.

Conf. Totus potentiæ conatus elevatur ad actum supernaturalem; ergo non elicitur actus naturalis; præsertim cum nequeat dici eum elici *ex imperio voluntatis* : quia differentia actus supernaturalis a naturali ante operationem non cognoscitur, quod tamen fieri deberet : neque etiam electio ejus nobis est libera. Dicere autem actum naturalem elici simul cum supernaturali *ex sympathia voluntatis* vel actus, est quidlibet pro libitu fingere, et rem obscuram obscuriore nomenclatura velle illustrare.

Si ais 1°. Species rememorativas esse ab actibus supernaturalibus tanquam principio effectivo, et consequenter supernaturales; cum supernaturalitas

habeatur ab effectivo principio. 2°. Phantasiam etiam producere phantasma simile cognitioni spirituali, dum hæc ab intellectu producitur.

Ad 1. R. *T. Ass. N. seq. Ad prob. D.* Supernaturalitas actus habetur a principio effectivo per se requisito, et ut supernaturale est *C.* per se non requisito, neque, ut supernaturale est, agente, quale sunt actus supernaturales respectu habitus hujus *N.*

Ad 2. R. *Disparitas* est, quia in statu conjunctionis animæ cum corpore, intellectus in operando dependet a phantasia, aut prævie aut simul operante phantasma : habitus supernaturalis non ita dependet a voluntate ; quia hæc non prævie aut simultanee operatur actum naturalem ; sed in actum supernaturalem, utpote vitalem, suum influxum habere debet.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS SUPERNATURALIBUS THEOLOGICIS.

ARTICULUS I.

QUID SIT VIRTUS THEOLOGICA ?

31. *Nota.* Ut objectum formale *propter quod* dicatur etiam *quod*, requiritur non tantum, ut propter illud attingatur materiale objectum, sed ipsum etiam propter se attingatur, hoc est, in virtutibus Theologicis affirmetur vel ametur : ut autem sit formale *quo*, sufficit quod propter illud attingatur materiale, quamvis ipsum non attingatur. Sic in actu fidei, quo credo resurrectionem mortuorum propter divinam revelationem, hæc revelatio est objectum formale *quod;* quia propter illam non tantum affirmatur objectum materiale, scilicet resurrectio ; sed ipsa etiam revelatio divina propter se hoc actu creditur. E contrario dum solvo alteri pecuniam, quia illi debeo, equidem jus alterius et mea obligatio est objectum formale propter quod illam solutionem præsto ; non est tamen objectum formale *quod,* sed duntaxat *quo ;* quia hoc jus et obligationem non attingo seu amo, cum sæpe quis vellet non dari illud jus aut obligationem.

32. *Dico.* Virtus Theologica est habitus virtutis per se infusus, immediate attingens Deum, tanquam objectum formale quod, saltem inadæquatum.

Explic. Dicitur 1°. Habitus virtutis ; quia loquimur hic de qualitate permanente et recepta in anima ; non autem de actu virtutis, vel assistentia Dei extrinseca, aut auxilio transeunte. 2°. *Per se infusus ;* quia sermo est de virtute theologica supernaturali, quæ elevat potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales, nec per actus repetitos acquiri potest : unde et per modum potentiæ se extendit ad plures actus et objecta materialia sub uno motivo ; quod habitui acquisito etiam supernaturali, si daretur, non ita congrueret. 3°. *Attingens,* h. e. per actum fidei affirmans, per actum spei aut

charitatis sperans aut amans. 4°. *Immediate,* scilicet non mediate tantum vel connotative aut indirecte, prout virtus non theologica facit. 5°. *Deum,* seu prædicatum aliquod Dei, maxime, non tamen unice, ut auctoris supernaturalium. 6°. *Tanquam objectum formale;* quamvis enim Deus sit objectum materiale primarium et nobilissimum, sunt tamen præter Deum alia, quæ actu theologico credere, sperare ac diligere possumus. 7°. *Formale quod;* cujus exemplum dedimus in actu fidei. Idem porro tenet etiam in spe et charitate theologica. Nam in spe semper speramus etiam Deum ipsum tanquam beatitudinem nostram, ut docet S. Th. 2. 2. q. 17. a. 5. in 0. et ad 1. In charitate autem, quidquid amamus, v. g. proximum, propter Deum amamus, h. e. quia Deo bonum est; amare autem aliquid tanquam alteri bonum est velle bonum alteri, et formalissime amare alterum. 8°. *Saltem inadæquatum;* tum quia per hoc sufficienter discrepat a virtute non theologica, cujus objectum *adæquatum* est aliquid creatum : tum quia nil obstat, quominus actus theologicus etiam attingat partiale objectum formale creatum; modo alteri objecto formali divino partiali adhæreat *super omnia.*

Prob. Ut virtus dicatur theologica, satis non est quod habeat Deum pro objecto *materiali;* hoc enim nec actum specificat nec habitum : nec etiam sufficit quod habeat Deum pro objecto formali *quo,* aut formali *quod* indirecto vel mediato; quia alterutrum etiam competit virtutibus non theologicis; ergo debet habere Deum pro objecto formali *quod* immediato.

Conf. Juxta S. Th. 1. 2. q. 68. a. 8. in 0. *Virtutes theologicæ sunt, quibus mens humana Deo conjungitur; virtutes autem intellectuales sunt, quibus ratio ipsa perficitur; virtutes autem morales sunt, quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi.* Sed theologicæ non conjungunt mentem cum Deo, nisi habeant Deum pro objecto formali *quod;* nam fides immediate non conjungit intellectum Deo, nisi Deus sit objectum, quod ratione sui affirmatur ab intellectu : nec spes et charitas conjungit voluntatem, nisi Deus sit objectum, quod ratione sui amatur a voluntate, vel quia amanti vel quia amato bonum.

33. *Obj. I.* Objectum formale *quod* nihil aliud addit objecto formali *quo,* quam objectum materiale: sed ab objecto materiali non specificantur actus nec habitus; ergo ad virtutes theologicas non plus facit objectum formale *quod,* quam formale *quo. Conf.* 1. Ad assensum conclusioni præstandum, motivum non debet attingi intrinsece; ergo nec ad assensum fidei præstandum objectum formale debet intrinsece attingi, seu affirmari. 2. In actu fidei, quo credo resurrectionem, Deus est solum objectum formale *quo;* quia hoc actu non credo Deum, sed tantum Deo revelanti, seu propter divinam revelationem. Similiter se res habet in actu spei, quo desidero resurrectionem vel vitam æternam, et in actu charitatis, quo amo Dei gloriam æternam aut alia bona, quæ extra Deum sunt; ubi prædicata divina tantum sunt objectum formale *propter quod* aliquid vel a Deo speratur, vel Deo optatur.

R. *D. M.* Nihil aliud addit, quam objectum materiale a formali indistinctum et in hoc inclusum *C.* realiter distinctum *N.* Prius autem materiale specificare actum nemo negat; et patet ex colore, qui, quia materiale simul et formale objectum est, dicitur specificare visionem.

Ad Conf. 1am. R. *Disparitas* est, quia in illa sententia motivum præmissa-

rum se tantum habet extrinsece, et ut motivum actus imperantis respectu actus imperati, sicut si quis ex metu pœnæ imperat sibi contritionem. E contrario fides theologica non potest pro motivo extrinseco habere prædicatum divinum; quia subjectum debet conjungere Deo : non autem conjungit, quando potentia intentionalis vel negat, vel aversatur, vel ab affirmatione prædicati divini et ejus amore præscindit.

Ad Conf. 2am. R. 1°. Sicut concedimus dari actus credulitatis, spei et amoris non respicientes Deum tanquam objectum formale *quod*, sed negamus esse actus theologicos; sic contendimus ab Adversariis concedi ejusmodi actus cum immediato et directo respectu ad Deum, et hos tantum asserimus esse actus virtutis theologicæ. Ad suppositum hoc firmandum,

R. 2°. *N. Ass.* In actu fidei enim, quo credo resurrectionem, quia Deus revelavit, juxta regulas *hermeneuticas* de expositione propositionis causalis, affirmo et resurrectionem et revelationem divinam et resurrectionem propter revelationem. Quin non affirmo tantum revelationem, sed et eam credo; quia Deus revelans simul se dicit revelare. Similiter in spe theologica quæcumque bona a Deo distincta desideramus, semper concupiscimus cum ordine ad Deum ut nobis bonum, ita ut eumdem tanquam finem principaliter desideremus, dum media ad eumdem speramus. Nec minus, dum amo Deo bona illi extrinseca, quia ipsi bona, hoc ipso amo illa bona propter Deum amatum ut summe bonum : sicut enim alicui velle malum, quia ipsi malum est, odium ejus dicit; sic velle alteri bonum, ut ipsi bonum est, amorem formalem significat.

Inst. Potest quis revelationem divinam antecedenter cognovisse, postea autem non cogitando amplius de illa aut in illam non reflectendo assentiri objecto revelato : atqui talis eliceret actum fidei, nec tamen attingeret revelationem divinam; ergo. *Conf.* Actus *reflexus*, quo diligitur actus amoris directi, propter specificam bonitatem quam habet, in quantum est actus amoris divini vel amor prædicati divini propter se, est actus virtutis theologicæ; quia sicut fieri non potest ut medium quis amet propter specificam bonitatem medii *qua talis*, seu utilitatem ad finem, quin eodem actu *virtualiter* saltem et *implicite* amet illud propter intrinsecam bonitatem finis, et hæc etiam ipsa ametur : sic etiam fieri nequit ut quis amorem Dei directum amet propter specificam bonitatem amoris Dei qua talis, quin illum pariter eodem actu *virtualiter* amet propter increatam Dei bonitatem, et hæc ipsa simul ametur. Jam vero amor ille *reflexus* pro objecto formali immediato habet bonitatem creatam actus amoris divini, et non ipsum Deum ejusque bonitatem increatam; ergo.

R. *N.* vel *D. min.* Talis eliceret actum fidei formalis *N.* fidei tantum objectivæ, aut nonnunquam virtualis *C.* Postremum evenit, quando actus fidei formalis præcessit et virtute adhuc in aliquo perseverat; quo casu non quidem adest signata et clara cogitatio revelationis divinæ tanquam objecti formalis : non tamen abest omnis cogitatio etiam exercita, remissa, et obscura, quemadmodum ab exercitatis fieri solent syllogismi aut resolvi problemata, cum aliquali recordatione regularum Logicæ aut demonstrationis Mathematicæ.

Ad Conf. N. M. Cum ex objicientium confessione certum sit, ejusmodi actum reflexum non attingere immediate et reflexe bonitatem divinam.

Præterea *ad Prob.* R. *Disparitas* est, quia finis non est tantum id propter quod amatur medium, sed etiam ipse amatur; cum, nisi amaretur, medium non amaretur ac eligeretur. E diverso autem, ut *reflexe* ametur amor Dei directus, sufficit Deum esse amabilem; quia ex hoc jam habetur bonitas specifica amoris directi; non autem requiritur ut ipso actu ametur etiam ab eliciente actum *reflexum*.

34. *Obj. II.* Varii habitus Deum habent pro objecto formali, quin tamen sint virtutes theologicæ; ergo data definitio et nota distinctiva non est germana. *Prob. Ant.* 1°. Habitus *Theologiæ* objectum est auctoritas Dei revelantis. 2°. Juxta quosdam motivum *pœnitentiæ* est deletio peccati : sed hæc est aliquid divinum, nempe actus ipse Dei remittentis jus ad odium et vindictam peccati; ergo. 3°. Qui Deum reveretur propter infinitam ejus majestatem, elicit actum reverentiæ : sed reverentia est virtus moralis, quamvis ejus motivum hic sit aliquod prædicatum divinum; ergo. *Conf.* Reverentia divina immediate et proxime specificatur ab excellentia divina, sicut irreverentia; quæ ideo dici potest esse duplex saltem numerice contra patrem et matrem, quia horum excellentia numero duplex est; ergo immediate etiam eam attingit.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *N. ass.* Theologia enim, ut alibi dicitur, est scientia de Deo et rebus divinis, ex veritatibus a Deo revelatis deducta; unde illius objectum formale est objectiva connexio veritatis revelatæ cum alia veritate, quæ per discursum ex illa colligitur; non autem Dei revelantis auctoritas.

Ad 2am. *D. M.* Est deletio peccati causaliter spectata *N.* formaliter sumpta *subd.* formaliter passive seu accepta præcise pro non esse peccati *C.* formaliter active seu accepta pro actu divino, per cessionem sui juris tollente reatum culpæ et pœnæ *N.*

Ad 3am. *D. m.* Reverentia est virtus moralis, si moveatur ex eo, quia decet et honestum est creaturam Deo non esse nimium familiarem *C.* si movetur ex eo, quod vereamur ne Deum illo liberiore accessu a nobis alienemus, aut ne Deum vindicem offendamus *N.* In posteriori enim casu erit vel timor filialis, qui ad charitatem spectat, vel servilis.

Ad Conf. D. A. Specificatur in ratione reverentiæ præcise *N.* in ratione talis reverentiæ *C.* Sic vero reverentia non sumitur secundum essentiam, sed secundum qualitatem, non formaliter, sed materialiter.

Inst. 1. Religio, quæ tamen est virtus moralis, non minus attingit aliquam perfectionem divinam, ac virtutes theologicæ; quia circa Dei cultum propter infinitam ejus excellentiam versatur. *Conf.* 1. Licet religio dicatur habere pro objecto formali honestatem cultus divini, attingit tamen prædicatum quoddam divinum; cum enim cultus divinus proprie sit is, qui est dignitati divinæ conformis, honestas in cultu divino relucens involvit dignitatem divinam. *Conf.* 2. Non repugnat ut Deum directe et immediate colam propter ejus dignitatem; ergo religio potest habere Deum immediate pro objecto formali.

R. *N. Ass. Ad prob. D.* Versatur circa cultum propter excellentiam tanquam objectum formale quo *C.* tanquam formale quod *N.* Religio amat honestatem in cultu Dei relucentem; excellentiam autem Dei non amat, neque

etiam odit, sed tamen supponit. Itaque excellentia se habet in actu religionis, sicut jus creditoris respectu solutionis præstandæ, h. e. ut objectum formale quo; honestas vero ut objectum formale quod.

Ad Conf. 1am. *N. ass. Ad prob. D.* Honestas involvit in recto dignitatem divinam *N.* in obliquo, indirecte et tanquam terminum *C.* Jam vero quod in obliquo connotatur et tanquam terminus, minime aut saltem non semper attingitur tanquam motivum formale quod; ut patet in pœnitentia aliisque, quæ attingunt peccatum ut terminum, quin illud ametur.

Ad Conf 2am. *N. supp. Cons.* Ejusmodi enim actus non esset religionis, sed charitatis; quia velle Deo cultum immediate ob ejus dignitatem, est Deo velle bonum externum, quia Deus bonus et excellens est; quod est amare Deum propter suam perfectionem.

Inst. 2. Omnis etiam virtus moralis hominem conjungit cum Deo; quia qui honeste operatur, semper attingit Deum sub ratione regulæ morum, seu ut legislatorem approbantem vel imperantem aliquid: sicut qui peccat, eumdem attingit ut legislatorem prohibentem, ac offendit. *Conf.* 1. Dum Deus etiam indirecte tantum et ut terminus attingitur, semper proponitur ut amabilis virtuti; ergo etiam amatur, et sic est objectum formale *quod.* *Conf.* 2. Non potest aliquid relative ad Deum cognosci, quin cognoscatur simul Deus; ergo et nequit aliquid, v. g. honestas, relative ad Deum amari, quin hoc ipso ametur Deus.

R. *D.* Omnis virtus conjungit cum Deo, et Deum attingit per affirmationem vel amorem *N.* quomodocumque *subd.* attingit implicite tantum et sub prædicato omnibus actibus communi *C.* explicite et sub prædicato speciali *N.* Ex dictis intellectus non aliter conjungitur, aut attingit Deum nisi per affirmationem, nec voluntas nisi per amorem; neutrum autem evenit respectu regulæ morum. Præterea in motivum speciale et distinctivum virtutum theologicarum ab aliis inquirimus; unde attributum Dei singulare attingi, merito cum omnibus desideramus.

Ad Conf. 1am. *N. A.* Deus enim duntaxat proponitur ut amabilis spei et charitati, reliquis ut colendus, timendus, audiendus etc. pro diversitate perfectionum et virtutum.

Ad Conf. 2am. *Disparitas* est, quia intellectus est potentia *necessaria* respectu cujuslibet sufficienter propositi: voluntas est *libera,* quæ amat unum, quin amet connexum cum illo, ut ex allatis per decursum exemplis patet. Imo, sicut intellectus non omnia repræsentata affirmat, sic nec voluntas amat.

QUÆRES: *An de ratione virtutis theologicæ sit, Deo adhærere super omnia?*

35. *Nota.* Adhæsio actus ad objectum alia est intensiva, alia appretiativa. *Intensiva* est, si quis, vi actus, majore conatu, applicatione et sensu delectationis adhæreat uni præ altero: *appretiativa* est, si actus sit talis ut, vi illius, quis paratus sit potius recedere ab assensu vel amore alterius objecti, quam hujus cui adhæret. Per τὸ *omnia* vel intelligi possunt objecta quæcumque; etiam ea quæ impertinenter se habent respectu objecti, de cujus præferentia agitur; vel ea quæ illi congruunt; vel ea quæ illi repugnant.

Quæstio autem hic tantum est de adhæsione *appretiativa*, et super omnia ea quæ repugnant Deo, ut objecto formali actuum theologicorum.

36. *Dico*. Est de ratione virtutis theologicæ, ut adhæreat *appretiative* Deo super omnia repugnantia illi prædicato divino, quod est objectum formale *quod* actus theologici.

Prob, Sicut de ratione cujuslibet virtutis est adhærere suo objecto tantum, quantum ipsum meretur; sic multo magis de ratione virtutis theologicæ, utpote per quam homo perfecte unitur Deo, erit adhærere Deo, quantum meretur, decet ac oportet. Sed ex terminis videtur notum quod Deus, qui est sæpius objectum materiale, semper autem objectum formale quod, mereatur præferri omnibus repugnantibus: vel quod non adhæreat Deo, quantum oportet ac decet, si quis ei non adhæreat præ aliis omnibus, nempe in fide auctoritati divinæ, præ omni auctoritate alia vel naturali ratione repugnante; in spe omnipotentiæ, misericordiæ et fidelitati divinæ in promissis, præ quacumque specie in contrarium; in charitate divinæ bonitati, præ bonitate omni finita incompossibili cum Dei dilectione.

Si ais 1°. Sæpe eliciuntur actus theologici sine actuali advertentia ad motiva contraria; ergo super ea non *appretiant* suum motivum. 2°. Actus virtutis theologicæ stare potest cum peccato veniali opposito; ergo non præfert Deum omnibus contrariis. 3°. Habens fidem ac spem potest esse peccator habitualis, et etiam in sensu composito illarum virtutum peccare mortaliter: sed mortaliter peccans non adhæret Deo *super omnia*; ergo.

Ad 1um. R. *D. Cons.* Non appretiant formaliter et explicite *C.* virtualiter et implicite *N.* Nempe appretiatio stat in adhæsione ad Deum, vi cujus quis reddatur promptus ad rejicienda cætera omnia pro retinendo Deo secundum illud prædicatum, quod est objectum formale. Ad hoc vero explicitam fieri comparationem Dei cum creaturis non est necesse.

Ad 2um. R. *D. Cons.* Non præfert omnibus graviter et simpliciter contrariis *N.* leviter et secundum quid tantum contrariis *T.* De hoc enim V. Tr. de Peccat. ac præterea ex D. Thoma notandum, peccatum veniale non esse contra sed præter finem ultimum.

Ad 3um. R. *D. M.* Habens fidem ac spem potest peccare mortaliter, etiam in sensu composito, peccato illis virtutibus directe opposito, uti sunt infidelitas, desperatio ac præsumptio *N.* non directe illis opposito *C.* Similiter *D. m.* Non adhæret Deo super omnia ejus prædicatis, motivum fidei et spei constituentibus, directe opposita *N.* non adhæret super omnia non opposita *C.* Mortalia alia, v. g. homicidium aut adulterium, licet a credente ac sperante committantur, aut iis antea commissis quis necdum veniam illorum sit consecutus, ideoque peccator habitualis maneat, potest tamen nihil tam verum credere, quam quod Deus revelavit; nihil tam firmiter sperare, quam quod ille promisit. Soli enim charitati contrariantur omnia peccata mortalia; unde et hæc *simpliciter* dicitur ferri in Deum super omnia, quia hæc adhæret Deo super omnia in sensu *absoluto*; fides et spes autem tantum in sensu *accommodo*, nempe super omnia sibi suoque motivo directe et graviter opposita. Neque tamen charitas in sensu *absoluto*, fides aut spes in sensu *accommodo* impeccabilem hominem reddit; cum omnis virtus theologica possit amitti per peccatum directe oppositum, utpote quæ homini libertatem relinquit

ponendi peccatum oppositum in sensu diviso, quem ipse homo facere potest : fides autem et spes etiam relinquit libertatem peccata alia ponendi in sensu composito ; quia non per quodvis peccatum, sed per directe tantum oppositum amittitur.

ARTICULUS II.

QUÆ ET QUOT SINT VIRTUTES THEOLOGICÆ ?

37. *Nota.* Quæstio est de numero virtutum theologicarum, quæ sunt propriæ *viatoribus* et communes *omnibus*. Lumen enim gloriæ, quæ succedit fidei, gaudium ac quies in Deo, quæ spei substituitur, virtutes esse theologicas, præter charitatem quæ nunquam excidit, Beatis in cœlo proprias nemo ambigit. An etiam viatoribus quibusdam, præsertim eximie sanctis, præter ordinariam hujus providentiæ legem, dentur aliquæ virtutes theologicæ a communibus distinctæ, incertum est, nec disputamus. Universalis Theologorum sententia ternarium numerum statuit. Olim tamen MAGISTER SENTENTIARUM, quia charitatem dixerat esse indistinctam a Spiritu sancto, nonnisi duas virtutes theologicas agnovit : Alii, cum unam duntaxat virtutem theologicam sufficere omnibus actibus contenderent, nonnisi unam etiam asserere videri poterant ; cum alii e contrario in numero virtutum theologicarum augendo excessisse reperiantur.

38. *Dico.* Fides, Spes, et Charitas sunt virtutes theologicæ, inter se *realiter* distinctæ, nonnisi tres.

Videtur erui ex 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.* Nam 1°. loquitur Apostolus de illis ut permanentibus ; ergo non de actibus sed virtutibus fidei, spei etc. 2°. A vers. 8. ostendit charitatis præcellentiam, ex eo quod etiam permaneat in cœlo, cum fides ibi mutanda sit in visionem, et spes in fruitionem ; sicut ergo charitas in cœlo, visio item et fruitio sunt virtutes theologicæ *Beatorum,* sic charitas in terra, fides et spes sunt virtutes theologicæ *viatorum.* 3°. Voces hæ : *tria hæc*, uti et *majoritas* charitatis satis innuunt distinctionem virtutum inter se. 4°. Denique, cum Apostolus signate numerum ternarium enuntiet, neque etiam ratio adsit dicendi Apostolum cum diminutione fuisse locutum ; nec pauciores nec plures virtutes theologicæ, quam illæ tres, asserendæ videntur.

Prob. 1ª. *pars.* Fides, spes, et charitas habent omnia prædicata, quæ ad virtutem theologicam requiruntur, ut ex notione illorum habituum et virtutis theologicæ manifestum est ; ergo.

Prob. 2ª. *pars.* Charitas cap. cit. manet in patria sine fide : fides et spes in peccatoribus manent sine charitate : fides tanquam *sperandarum substantia rerum* est fundamentum spei ; ergo ubique inter has virtutes realis intercedit distinctio, fundata in separabilitate ac prioritate, tanquam evidentibus signis.

Prob. 3ª. *pars.* Ut in Deum tanquam finem supernaturalem tendamus, *tria* requiruntur : *Primum* est, ut quis ipsum supernaturaliter cognoscat, quod fit per fidem ; unde et ad Hebr. 11. 6. *Oportet accedentem ad Deum credere. Secundum* est, ut eumdem finem efficaciter intendat, quod fit per

spem, juxta illud ad Rom. 8. 23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes... spe enim salvi facti sumus. Tertium* est, ut cum ipso per affectum conjungatur, quod fit per charitatem, teste 1. Joan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ergo pauciores non sunt, quam *tres*. Sed nec sunt plures; nam non potest ulla actio theologica afferri, quæ ad unam ex tribus assignatis nequeat referri; actus siquidem intellectus circa Deum sub ratione veri, refertur ad *fidem* : actus voluntatis circa Deum sub ratione nobis boni, reducitur ad *spem* : idem actus circa Deum sub ratione in se boni, ad *charitatem* pertinet.

39. *Obj. cont.* 1am. *part.* 1°. Fides, qua creditur homini, et spes, qua promissa humana exspectantur, non referuntur inter virtutes *morales*, licet rectæ rationi conforme sit, et viris fide dignis credere, et a fidelibus ac potentibus promissa sperare; ergo nec fides, qua Deo creditur, nec spes, qua Dei promissa exspectantur, dicendæ sunt virtutes *theologicæ*. 2°. Ex 1. Joan. 4. Charitas Deus est, et ex Deo; ergo charitas non est virtus, sed Spiritus sanctus, qui et Deus et ex Deo est.

Ad 1um. R. *Disparitas est,* quia fides et spes *humana* ob imperfectionem sui motivi communius non sunt virtutes; auctoritas enim humana, qua fides illa unice nititur, multum fallibilis est et obnoxia errori, qui malum est intellectus : actus vero spei humanæ præterea indifferens est ad bonitatem vel malitiam moralem, cum promissa ab homine bona, in quantum ab eo proveniunt, plerumque rectius spernantur, quam desiderentur; unde honestas, quæ fidei ac spei humanæ interdum inesse potest, non adest illis ex se, sed solum ex ordinatione extrinseca ad finem alterius honestatis. Aliter res se habet in fide et spe *theologica,* quarum illa infinitæ Dei sapientiæ ac veracitati, hæc bonitati ejus ac beneficentiæ innititur; unde periculum abest ne intellectus assensiones non sint certissimæ, aut voluntatis desideria non optima ac honestissima.

Ad 2um. R. *D. Cons.* Ergo charitas qua Deus diligit, essentialiter est Deus et notionaliter Spiritus sanctus, non autem virtus *C.* Charitas qua nos Deum diligimus, sumpta pro habitu non est virtus *N.* De hac intelligitur juxta Trid. Sess. 6. c. 7. illud ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum,* nempe diffusa a Spiritu sancto, sicut lux diffusa a lampade lucem diffundente.

Inst. Juxta S. Aug. charitas dicitur Deus, nosque dicimur diligere Deum charitate, quæ Deus est. Item Deus dicitur charitas, non eo sensu quo dicitur spes aut patientia nostra, sed quo sensu dicitur spiritus. Sed Deus identice est spiritus; ergo simili modo est charitas : consequenter hæc non est virtus.

R. Has et similes locutiones occasionem dedisse errori Magistri Sententiarum, qui hanc phrasin metonymicam pro sensu proprio accepit. Augustinus enim more *Platonicorum,* quorum sectam ante conversionem susceperat, dicebat nos esse bonos bonitate Dei, amare amore Dei etc., intelligendo duntaxat, bonitatem, amorem, et ejusmodi prædicata, quibus sumus formaliter boni, amantes etc., esse participationem quamdam bonitatis et amoris divini, seu rem ab illis participatam. Hinc

Ad 1um. *D.* Charitas nostra, et qua Deum amamus, est formaliter Deus *N.* Originaliter, causaliter et participative est ipse Deus *C.*

Ad 2um. *Disparitas* est, quia Deus proprie et formaliter non est spes vel patientia per identitatem, cum nec sperare possit nec pati; hinc nequit in sensu AUGUSTINI vocari spes nostra aut patientia nostra : neque etiam spes aut patientia, quæ est in nobis, potest dici Deus, scilicet per participationem spei aut patientiæ, quæ in Deo et Deus sit. E contra Deus dici potest charitas nostra; quia sicut Deus essentialiter est spiritus, sic essentialiter etiam ac notionaliter est charitas. Unde *D. M. ut sup.* Cæterum charitatis divinæ tam actum quam habitum esse distinctum a Deo, docet S. AUG. pluribus in locis, quorum duo hic interim sufficiant. Sic enim L. 3. de doct. Christ. c. 10. n. 16. *Charitatem,* inquit, *voco animi motum ad fruendum Deo propter ipsum; et se atque proximo propter Deum.* Et L. 1. de mor. Eccles. c. 11. n. 19. *Virtus illa* (charitas) *quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, facit ut conjungamur Deo; si in nobis est, ipsa conjungit.*

40. *Obj. cont* 2^{am}. *part.* Fides, spes, et charitas habent unum, simplex et invisibile objectum, nempe Deum; ergo et una virtus sunt. *Conf.* 1. Omnes perfectiones divinæ conveniunt sub una ratione Divinitatis; ergo virtutes theologicæ habent unicam tantum rationem formalem, ac consequenter indistinctæ sunt. *Conf.* 2. Sufficit unica virtus theologica, quæ perficiat intellectum; ergo et unica, quæ voluntatem, præsertim cum et unica potentia, nempe voluntas, possit attingere Deum et ut in se et ut nobis bonum.

R. *D. A.* Habent objectum realiter unum, simplex et indivisibile *C.* realiter et virtualiter etiam ac formaliter unum et simplex *N.* Formaliter autem diversa est ratio quam attingit fides, ab ea quam attingit spes aut charitas : idem est dicendum de postremis.

Ad Conf. 1^{am}. *D. Cons.* Ergo habent unicam tantum rationem formalem genericam et specificam *N.* Ratio quidem motivi divini facit commune omnibus nomen et esse *theologici*, non autem esse hujus actus vel habitus; unde cum aliud motivum sit auctoritas, aliud bonitas vel absoluta vel relativa, etiam alius consequitur actus et habitus seu virtus.

Ad Conf. 2^{am}. *N. Cons.* ex modo dictis; quia motivum assentiendi habetur unicum; motivum autem appetendi vel amandi duplex, bonitas nempe Dei respectiva et absoluta. *Ad prob. Disparitas* est, quia potentia, utpote ad bona etiam naturalia se porrigens, latius omnino patet quam habitus : ac propterea separari a se ipsa nequit, ut tamen de habitu charitatis ac spei certum est. Cæterum de modo agendi connaturali atque ex SCRIPTURIS et TRADITIONE cognito hic loquimur; unde nostrum non est dispicere, num unus habitus absolute et simpliciter sufficere possit pro actibus theologicis omnibus eliciendis.

41. *Obj. cont.* 3^{am}. *part.* Perfectiones divinæ formaliter distinctæ plures sunt quam *tres*; ergo et plures, imo tot erunt virtutes theologicæ, quot sunt perfectiones divinæ. *Conf.* 1. Virtutes morales, licet pro objecto formali tantum habeant perfectionem creatam moralem, sunt tamen *tribus* plures; ergo, cum major sit perfectionum divinarum formaliter distinctarum numerus, plures quoque sunt theologicæ. *Conf.* 2. Ad actum fidei requisita pia affectio et judicium credibilitatis procedunt ab habitibus theologicis; ergo hoc ipso emergunt plures virtutes theologicæ; præsertim

cum duplex videatur statuenda virtus pro intellectu, sicut duplex adest voluntati.

R. *D. A.* Plures sunt perfectiones divinæ, quæ etiam totidem speciales rationes movendi intellectum et voluntatem habeant *N.* quæ non habeant nisi tres jam sæpius assignatas *C.*

Ad Conf. 1am R. Eadem *disparitas* est, quia virtutum *moralium* motiva non conveniunt in eadem speciali ratione movendi; cum alia specialis honestas reluceat v. g. in conformatione voluntatis subditi cum voluntate superioris, quam in conservatione v. g. vel reparatione juris alieni, ex quibus obedientiam a justitia distinguimus. Accedit, quod virtutes per se infusæ, quales sunt theologicæ, habeant se per modum *potentiæ;* unde et ad hujus exemplum majorem latitudinem capere possunt; cum acquisitæ aut per accidens infusæ, quales sunt morales, id muneris non obtineant.

Ad Conf. 2am. R. *N. A.* Pia enim affectio immediate et directe non respicit Deum, sed honestatem credendi Deo revelanti : judicium autem credibilitatis naturale esse potest, nec perfectionem increatam attingit. *Ad prob. Disparitas* est, quod circa verum intellectus non possit per virtutem versari nisi assentiendo ; assensus autem circa supernaturalia nequeat haberi nisi per fidem vel formalem vel objectivam, quarum postrema ex dictis theologica non est. Voluntas vero circa bonum duplici ratione, bonitati scilicet absolutæ et respectivæ congruente occupatur, ad quarum unam reliquæ actiones quæcumque tanquam partes subjectivæ referri possunt.

Quæres : *Quæ sit fidei proprie huc pertinentis notio?*

42. *Nota.* Minus varia, minusque disputationi subjecta est spei ac charitatis acceptio, quam usurpatio fidei. Apud Scriptores profanos fides latius sumitur pro quacumque opinione aut persuasione, et hinc dicitur *oratio apta ad faciendam fidem;* a Scriptoribus etiam sacris multipliciter usurpatur. Nam 1°. sumitur pro dictamine conscientiæ, seu practico de rebus agendis judicio, uti ad Rom. 14. 23. *Quod non est ex fide, peccatum est.* 2°. Pro fidelitate, quæ est virtus ad voluntatem pertinens, cui præbet constantiam in servandis promissis et implendis pactis, juxta illud Levit. 6. 2. *Qui negaverit proximo suo depositum, quod fidei ejus est creditum* etc. Et Eccl. 27. 17. *Qui denudat arcana amici sui, fidem perdit.* 3°. Pro fiducia; uti accipitur in Jac. 1. 6. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Hæc porro fides ex ipsa Hæreticorum doctrina non ad intellectum sed ad voluntatem pertinet, ac *fides promissionum* appellatur; estque vel confidentia firma de promissis jam obtentis, vel firma spes de eis obtinendis : unde fiducia supra erroneam credulitatem nixa conjungitur cum spe, Job. 8. 14. *Spes hypocritæ peribit, et sicut tela aranearum fiducia ejus.* 4°. Pro veracitate, quæ etiam est virtus moralis voluntatem inclinans, ut, quando aliis loquendum est, verba vel signa externa conformet interno judicio. Hoc sensu de Judæis Jerem. 7. 28. *Periit,* inquit, *fides de ore eorum.* Et a contrario Christus Apoc. 19. 11. *Vocabatur fidelis et verax.* 5°. Pro objecto credendo; ut Apoc. 2. 13. *Non negasti fidem meam.* Et in Symbolo Athanasii dicitur : *Hæc est fides Catholica* etc. 6°. Denique pro assensu intellectuali propter auctoritatem aut veracitatem loquentis sive attestantis, uti sumitur ad Hebr. 11. 3. *Fide intelli-*

gimus aptata esse secula verbo Dei. Atque hoc sensu profanis Scriptoribus etiam maxime usitatum est vocabulum, dum dicunt *alteri* vel *alterius dictis fidem haberi.* Non equidem disputamus quænam ex his usurpatio magis propria et primaria sit; sed quænam conveniat illi, quæ ad justificationem et salutem in Scripturis asseritur necessaria, et de qua sola hoc Tractatu agitur. Heterodoxi per fidem hanc intelligendam putant *fiduciam*; Catholici contra assensum intellectualem, et ab illa voluntatem perficiente virtute distinctum.

43. *Dico.* Fides ad justificationem et salutem requisita debet esse assensus intellectualis, libere elicitus, et veritati revelatæ præstitus propter auctoritatem Dei revelantis.

Prob. Postquam Apostolus in fine c. 10. ad Hebr. dixisset, justum ex fide vivere: et pro eadem Hebræos multa pertulisse, sic fidem definit aut describit c. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Græce: ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Ubi ὑπόστασις si sumatur pro *substantia,* significat fundamentum et basin rerum sperandarum; sicut substantia idem dicitur, ac quod substat accidentibus, eaque sustentat: si vero sumatur pro *subsistentia* et *existentia,* denotat fidem facere, ut illa, quæ nondum existunt et sperantur, ob certitudinem fidei quasi subsistentiam accipiant in intellectu et mente fidelium; quemadmodum insinuat Apostolus ibid. v. 27. *Hac fide Moyses invisibilem tanquam videns sustinuit.* Ἔλεγχος autem idem est ac demonstratio et convictio, ut ex *Aristotelis* inscriptione de sophisticis Elenchis, et S. Aug. L. 13. de Trin. c. 1. aliisque patet; quod ideo dicitur de fide divina, quia quæ fide divina credimus, multo magis certiusque nobis sunt persuasa, quam quæ sensu, ratione ac demonstratione nobis persuadentur. Jam vero ex terminis liquet, fundamentum sperandarum rerum, vel etiam sperantium, ut legit S. Augustinus, esse distinctum a spe et fiducia; subsistentiam rerum in intellectu, demonstrationem, convictionem et persuasionem ad potentiam cognoscitivam ejusque assensum spectare. Ergo *fides,* de qua hic est sermo, quæque ad salutem conducit, ad intellectum pertinet; maxime cum Apost. mox v. 3. subjiciat: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei.*

Conf. 1. Plures sunt textus fidei salutaris mentionem facientes, qui adeo manifeste eam ad intellectus actum referunt, ut nonnisi ineptissime de fiducia intelligantur. Sufficiant aliquot ex epist. ad Rom. ubi c. 4. v. 20. et 21. *Abraham confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est facere.* Item c. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Et infra: *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* etc.

Conf. 2. Fides manifeste in Scriptura sæpius distinguitur a fiducia seu spe roborata, 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc:* ad Eph. 3. 12. *In quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem* etc., spes aut fiducia asseritur fundari in fide, non autem esse ipsa fides.

Ex his colligitur, *fidem habitualem* esse virtutem theologicam, quæ elevat et disponit intellectum ad firmissimum, licet non evidentem, assensum veritatibus a Deo revelatis præbendum, propter auctoritatem Dei loquentis.

ARTICULUS III.

AN DENTUR ET EXISTANT VIRTUTES THEOLOGICÆ?

44. *Nota.* Alia est quæstio : an dentur virtutes theologicæ? alia hæc : an virtutes theologicæ parvulis infundantur in Baptismo? Postrema hæc quæstio varias epochas habuit ; nam 1°. ut ex cap. *Majores* de Baptismo patet, inter Theologos seculi decimi tertii (tam enim Innocentius III. quam IV., quorum alterutri a diversis illud capitulum tribuitur, hoc seculo, ille sub initium, hic sub medium Petri Cathedram obtinebant) utrinque probabile erat, virtutes in Baptismo infundi aut non infundi. 2°. In Concil. Viennensi sub Clemente V. an. 1311. celebrato, acceptata fuit ab eodem Pontifice sententia affirmans, *tanquam probabilior et dictis Sanctorum ac Doctorum Modernorum Theologiæ magis consona et concors* ; ut refertur in Clem. un. de sum. Trin. et fide Cath. §. 3. 3°. Demum eadem affirmativa in Conc. Tridentino an. 1563. finito, absolute asserta fuit, ut in probatione theseos ostendetur. E contrario Theologorum unanimis fuit semper sententia dari virtutes theologicas; nam quamvis de *infusione* virtutum in Baptismo parvulis asserenda olim dubitatum fuerit, tamen Theologorum invenitur nemo, qui eas adultis negaverit; imo cum contra sentientium rationes ad parvulos duntaxat spectaverint, et Innocentius ac Clemens quæstionem ad eos solos restrinxerint, hoc ipso colligere datur, nullam inter Theologos discrepantiam fuisse de extantia virtutum in adultis. Nec refert, Magistrum Sententiarum fuisse opinatum, charitatem non esse virtutem infusam sed Spiritum sanctum. Imprimis enim is fidei ac spei habitus concessit esse infusos, ideoque minus cohærenter de charitate est locutus : deinde vero constat hanc fuisse solius Magistri opinionem, quam reliqui omnes minimum ut improbabilem et absurdam impugnabant.

45. *Dico.* Dari virtutes theologicas certius est, quam ut sine temeritate negari possit.

Prob. I. Ex Scriptura, quæ universim de virtutibus infusis sic loquitur 2. Pet. 1. 3. et 4. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt...., per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ* ; speciatim vero de theologicis 1. ad Cor. 13. 13. et singulariter de charitate ad Rom. 5. 5. Hæc enim licet non incongrue explicari possint de *actibus,* negari tamen nequit, ea æque, imo principalius esse intelligenda de *virtutibus.* Nam 1°. propriissime illis convenit, quod sint participatio divinæ virtutis ad vitam et pietatem donata; cum sint principia intrinseca et permanentia eorum actuum, quibus christiane vivitur et pietas maxime exercetur. 2°. Convenit, quod sint promissa seu dona maxima et pretiosa, per quæ divinæ efficimur consortes naturæ. Licet enim gratia sanctificans, quam Tridentinum unicam nostræ justificationis causam formalem appellat, sit hujus divini consortii forma quasi essentialis, ideoque velut natura in ordine supernaturali; ad idem tamen consortium pertinent quoque *virtutes,* tanquam partes illam integrantes, atque ad hoc ordinatæ, ut qui per gratiam divinæ factus

est consors naturæ, fiat per virtutes intrinsece potens ad operationes divinas constanter eliciendas; quod ipsum videtur indicare Trid. dum justificationem definit esse sanctificationem et renovationem interioris hominis per susceptionem gratiæ et *donorum*, hoc est, virtutum. 3°. Quod sint dona stabilia et permanentia, qualia significare videtur Apostolus, dum ait: *nunc autem manent.* Quid enim obstat, quominus τὸ *manere* intelligatur proprie de mansione physica, qua res semel existens secundum suam entitatem perseverat longo tempore, aut petit, quantum est de se, perseverare; id quod *habitibus,* non actibus convenit. 4°. Cum hæ virtutes causam non habeant, nisi solum Deum; ut ex hactenus dictis colligitur et supponitur: magis virtutibus convenit illud de charitate pronuntiatum: *Diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, quam actibus; hi enim non fiunt in nobis a solo Deo, sed simul a nobis physice et moraliter efficiuntur.

Prob. II. Ex Concilio Trident., quod, postquam Sess. 6. c. 6. dixisset, adultos ad justificationis gratiam in Baptismo recipiendam se *disponere* per actus fidei, spei, dilectionis et alios, mox in capitis septimi initio declarat, hanc dispositionem consequi justificationem, quæ non sit sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Hujus porro *causas* finalem, efficientem, meritoriam et instrumentalem ubi explicasset, pro formali statuit donum creatum, quo per Spiritum sanctum in cordibus diffuso, in nobis recepto, et nobis inhærente justi fiamus, renovemur spiritu mentis nostræ, et non modo reputemur, sed vere justi nominemur et simus, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam cujuscumque dispositionem et cooperationem. Tum ita subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, et charitatem.*

Ex his patet 1°. fidem, spem, et charitatem, quas asserit Concilium in justificatione infundi, non esse actus, sed dona ab actibus distincta; quia de actibus dixerat eos esse dispositionem ad justificationem et donorum susceptionem; actus autem nec sunt dispositio ad se ipsos, uti per se claret; nec ad alios similes actus ab adultis in ipsa justificatione eliciendos; quia nullos actus intervenire necessario Concilium exigit præter eos, qui justificationem præcedunt ut dispositio. Patet 2°. eosdem non esse dona transeuntia, sed permanentia aut permanenter inhærentia; tum quia Can. 28. dicitur: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem amitti; aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva...; anathema sit:* tum quia, si essent transeuntia, forent vel actus, vel auxilia ad actus: *primum* dici non posse, modo ostendimus: nec *secundum* locum habere ex hoc ipso sequitur; cum auxilia transeuntia requirantur unice ad actus, et quidem tunc duntaxat quando illi sunt exercendi soleant infundi. Patet *tertio,* illas proinde esse virtutes seu habitus operativos actuum supernaturalium fidei, spei, et charitatis: siquidem alias dari ratio non posset, cur dona vel permanentia vel necessaria sint.

Prob. III. Ex auctoritate Patrum, ad quam provocavit Clemens V. supra cit., dum, sacro approbante Concilio, duxit sententiam, tanquam dictis *Sanctorum* magis consonam, esse eligendam, quæ dicit tam parvulis, quam adultis con-

ferri in baptismo informantem gratiam et virtutes. *Alii* porro eorum, quamvis generaliter de virtutibus infusis aut specialiter de moralibus loquantur, quin disertam theologicarum mentionem faciant, censendi sane non sunt has utpote nobilissimas vel ignorasse vel negasse : *alii* aperte theologicarum meminerunt, e quorum numero unus hic sufficiat S. Greg. in Ezechiel. L. 1. hom. 5. n. 11. cujus verba c. 11. Dist. 2. de Pœnit. recitantur : *In sanctorum cordibus juxta quasdam virtutes* (Spiritus sanctus) *semper permanet : juxta quasdam vero recessurus venit, et venturus recedit. In fide etenim, spe atque charitate, et in bonis aliis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri.... perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit.*

Prob. IV. Ex auctoritate Theologorum, quorum unanimis in materia dogmatica consensus, qualem adesse proxime notavimus, vim habet argumenti moraliter certi.

Prob. V. Ex ratione : partim quod homo gratia sanctificante instructus sit, in ordine gratiæ et ad Deum, tanquam finem suum ultimum supernaturalem, secundum naturam perfectus et dispositus, per eamdem gratiam factus naturæ divinæ consors, filius Dei adoptivus et æternæ gloriæ hæres : partim quod, donec adhuc est in statu viæ, per actus fidei, spei et charitatis supernaturales ad eumdem finem tendere debeat : hinc vero maxime credibile sit homini ejusmodi dari principia horum actuum non extrinseca duntaxat et mere transeuntia, sed etiam intrinseca et permanentia. Sicut enim homini connaturaliter debentur talia principia suarum operationum, quibus tendit in finem suum naturalem; sic etiam, cum gratia sanctificans in ordine supernaturali habeat se *per modum naturæ,* ratione illius homini connaturaliter debentur eadem principia operationum, queis ad finem suum supernaturalem feratur. His vero concessis, patet 1°. ex supra dictis, quod ejusmodi principia neque insint homini a natura, neque ab eo naturaliter acquiri possint; unde consequitur ea infundi debere a Deo : 2°. quod ea saltem omnia non sint realiter cum gratia sanctificante identificata.

46. *Obj.* Virtus definiri consuevit dispositio perfecti ad optimum; ita ut per τὸ *optimum* intelligatur finis virtutis : per τὸ *perfecti* denotetur subjectum, quod secundum naturam dispositum est ad virtutis finem. Sed non datur dispositio perfecti sic expositi ad optimum seu finem virtutis theologicæ et supernaturalis; ergo.

R. *D. M.* Ita ut per τὸ *perfecti* intelligatur subjectum, quod secundum naturam vel essentialiter vel mere participative acceptam est dispositum ad finem virtutis *C.* ut intelligatur subjectum, quod secundum naturam essentialiter sumptam est dispositum *N.* S. Th. 1. 2. q. 62. a. 1. ad 1. sic ait : *Dicendum quod aliqua natura potest attribui alicui rei dupliciter. Uno modo essentialiter,* uti v. g. homo ex suis intrinsecis est animal rationale; *et sic hujusmodi virtutes theologicæ excedunt hominis naturam. Alio modo participative; sicut lignum ignitum participat naturam ignis, et sic quodammodo fit homo particeps naturæ divinæ : et sic istæ virtutes conveniunt homini secundum naturam participatam.* Itaque homo est ad finem virtutum theologicarum dispositus secundum *naturam participatam;* quia supponitur

habere gratiam sanctificantem, cui, tanquam naturæ, in suo ordine tum finis supernaturalis, tum media ad eumdem finem connaturaliter debentur: non autem secundum naturam essentialem præcise, quia in hac nonnisi dispositio mere negativa, seu capacitas quædam passiva, et pura non repugnantia habetur ut illi gratia conferatur, et hac mediante infundantur virtutes; per quod differt homo a creaturis non rationalibus.

Inst. 1. Virtutes theologicæ in *parvulis* sunt otiosæ; in *adultis* vero nec necessariæ sunt ad actus theologicos; cum Deus naturaliter innotescat hominibus ut finis ultimus ac summum bonum, adeoque affirmari, desiderari et amari possit: nec ad actus supernaturales; quia hi a peccatore habitibus carente, tanquam dispositiones ad justificationem, *connaturaliter* eliciuntur.

R. *Quoad* 1um. *D.* In parvulis sunt otiosæ per se et ex natura virtutum *N.* per accidens et ex defectu conditionis parvulorum *C.* Sicut plures aliæ facultates etiam a natura *parvulis* insunt, quamvis illis per accidens in ea ætate uti nequeant: sic etiam ubi parvulis gratia sanctificans necessaria ad salutem infunditur, tunc tanquam naturam in ordine supernaturali consequuntur virtutes supernaturales ut proprietates aut perfectiones connaturales; quod vero his habitibus *parvuli* uti per ætatem nequeant, per accidens similiter est spectata natura virtutum.

Quoad 2um. *D.* Non sunt necessariæ ad actus theologicos naturales *C.* supernaturales et antonomastice tales *N.* Deus lumine naturæ nobis duntaxat innotescit ut naturæ auctor, per fidem autem ut auctor gratiæ ac gloriæ; similiter homo ex natura sua præcise ordinatur ad Deum ut finem naturalem; ut autem feratur in Deum ut finem supernaturalem, requiruntur virtutes supernaturales.

Quoad 3um. Non sunt necessariæ simpliciter et absolute ad actus supernaturales *C.* connaturaliter *N.* vel *subd.* connaturaliter imperfecte et secundum quid *C.* perfecte et omnimodo connaturaliter *N.* Potest quidem peccator habitibus carens dici connaturaliter operari, præcise spectando *actus supernaturales,* quatenus ad illos habendos sufficit potentiam esse elevatam per principium actibus proportionatum: omnimode tamen aut perfecte connaturaliter non agit, spectando simul ipsum *subjectum.* Ad hoc enim requiritur imprimis, ut subjecto insit forma, cui, velut naturæ, in suo ordine debeantur tam actus ipsi quam proxima horum principia: deinde ut ea principia sint talia, qualia connaturalis formæ hujus exigentia postulat. Cum ergo peccator ante justificationem hac forma, nempe gratia sanctificante, careat; eadem vero in justo existens connaturaliter petat principia intrinseca et permanentia supernaturalium actuum: sequitur a peccatore non posse connaturaliter proprie elici actum supernaturalem; imo ne a justo quidem connaturaliter elici, nisi in quantum operatur dependenter ab habitu infuso.

Inst. 2. Pelagiani gratiæ habitualis et supernaturalium habituum necessitatem negarunt probabiliter; nec unquam tamen eam ob rem leguntur reprehensi a Concilius vel Patribus; ergo neque agnita ab his fuit eorum existentia.

R. *N. Cons.* Pelagiani adeo gratiæ habitualis et virtutum existentiam aperte non impugnarunt, ut maxime eamdem cum Catholicis loquendi formulam hic usurpaverint: Patres vero et Concilia non habebant cur ad illam vir-

tutum existentiam profitendam illos urgerent. Cum enim controversia inter ipsos versaretur solum de *necessitate gratiæ* ad opera salutis in communi tum ante tum post justificationem, atque hinc etiam ad initium fidei primamque ad fidem conversionem; PATRIBUS nec occasio nec necessitas fuit expressius asserendi aut urgendi gratiæ sanctificantis cum infusis virtutibus extantiam : siquidem hæc gratia ante conversionem ad fidem non datur, neque virtutes etiam sine illa et ante justificationem infunduntur.

Inst. 3. Trid. abstinuit in doctrina sua num. 45. recitata a vocibus virtutum, habituum aut permanentiæ ; ergo nec ex eo certi aliquid eruitur.

R. Ex dictis clare patet rem et sensum quæstionis nostræ satis fuisse a TRIDENTINO determinatum ; cui accedit quod, cum Tridentinum indefinite ac sine distinctione inter parvulos et adultos declarat unicam causam formalem nostræ justificationis, quam antecedenter dixerat esse sanctificationem per susceptionem gratiæ et donorum, esse justitiam inhærentem et in homine receptam, indeque infert fidem, spem et charitatem in justificatione infundi, quod, inquam, idem argumentum tractaverit, quod Conc. VIENNENSE, facta etiam virtutum mentione, proposuerat. Cur vero abstinuerit ab his vocibus, rationem forsan dare poterat verbale potius quam reale dissidium Theologorum circa nonnullas habituum et virtutum proprie talium conditiones, quibus assertis vel negatis consequenter asserendum vel negandum erat fidem, spem etc. esse virtutes aut habitus proprie dictos ; tametsi certum foret eas esse dona infusa ab actibus distincta et permanenter inhærentia. Itaque cum prior illa quæstio omnino metaphysica sit et ad *Philosophos* spectet, non erat cur Concilium eam determinandam sumeret.

Inst. 4. Si valerent argumenta a nobis allata, probarent sententiam nostram de virtutum infusione in justificatione esse *de fide* : consequens videtur a nobis non admitti ; ergo.

R. Transmissa *M.* a nobis dissimulari *min.* Communior inter Theologos sententia est, ante Tridentinum non fuisse communiter receptum in Ecclesia, ut certum fidei dogma, quod tres illæ virtutes in justificatione infundantur; eo quod nec *Scripturæ* nec *Patrum* auctoritas adeo clara sit, ut, sine alia Ecclesiæ declaratione vel definitione, ad certam fidem faciendam per se sufficiat : post Tridentinum vero neque inter Theologos convenit esse dogma a Concilio hoc definitum, negantibus id scilicet SOTO, CANO, MEDINA, BANNEZ, VASQUEZ etc., affirmantibus vero SUAREZ, VALENTIA, RIPALDA et Recentioribus communiter. Hanc litem ut minus necessariam aliis dirimendam relinquere, et certitudinis gradui a nobis asserto acquiescere possumus : præsertim cum ea ad praxin parum referat; siquidem utrinque oriatur fere moraliter eadem obligatio non contradicendi, adeo ut qui rem ipsam pertinaciter negaret, vel notam vel suspicionem saltem non effugere censeretur erroris.

QUÆRES I. *An Virtutes Theologicæ infundantur simul in justificatione?*

47. *Nota.* Quæritur an sicut charitas nunquam infunditur nisi in justificatione, sic neque fidei aut spei habitus extra illam infundatur, licet quis per actus fidei et spei ad illos habitus se disposuerit. In hac quæstione *prima* sententia statuit habitus illos sæpe infundi sine gratia sanctificante et cha-

ritate, nempe ante justificationem et statim post elicitos actus : ita SUAR. VASQ. VALENT. et alii. *Secunda* tenet eos, licet non infundantur sine charitate extra sacramentum, infundi tamen in baptismo suscepto cum fide quidem et spe actuali, sed simul cum obice ad gratiam ; ita SOTUS, ARRAGON. et pauci alii. *Tertia* negat unquam infundi habitus fidei et spei, sine gratia sanctificante et charitate : ita communius Auctores, cum quibus

48. *Dico.* Fides ac spes nunquam infunduntur extra justificationem et seorsim a gratia sanctificante et charitate : adeoque virtutes theologicæ infunduntur simul in prima justificatione adultorum æque ac parvulorum.

Prob. I. EX AUCTORITATE. Conc. Tridentinum, post enumeratas dispositiones, quæ ad justificationem præparant, atque inter illas etiam actus fidei et spei recitatos, c. 7. subdit : *Hanc dispositionem seu præparationem justificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum* : per hæc autem dona ibidem intelligi habitum fidei, spei et charitatis, ostensum est; ergo infusio habitus fidei v. g. non fit ex sola dispositione fidei actualis; sed ex eadem dispositione, qua fit justificatio. Idem ibid. subjungit : *Hanc fidem ante Baptismi sacramentum, ex Apostolorum traditione, catechumeni ab Ecclesia petunt, dum petunt fidem, vitam æternam præstantem :* Sed catechumeni non petunt ab Ecclesia fidem actualem, quam jam habent; ergo dum petunt Baptismum petunt fidem habitualem; ergo hæc non infunditur priusquam justificentur.

Conf. 1. EX Conc. VIENNENSI, quod supponens infundi adultis in baptismo gratiam et virtutes, idem etiam probabilius dicit evenire in parvulis.

Conf. 2. EX D. THOMA, qui 1. 2. q. 62. a. 4. in θ. docet quod, licet inter actus fidei, spei et charitatis detur ordo prioris et posterioris, id tamen non sit inter habitus; *nam habitus,* inquit, *simul infunduntur.*

Prob. II. EX RATIONE. Baptismus habet per se virtutem et efficaciam infundendi adultis habitum fidei : sed hanc virtutem non haberet per se, si fides actualis esset sufficiens dispositio ad infusionem habitus fidei ; ergo. *Maj.* est certa ex dictis, præsertim cum VIENNENSE hanc rationem præmittat : *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis* etc. *Min. prob.* Baptismus per se exigit in adulto ut prius credat, quam ad illum accedat; ideoque baptizandus jubetur prius profiteri fidem juxta præceptum Domini : *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc. Item *Qui crediderit et baptizatus fuerit*; ubi prius actualis fides exigitur, quam homo baptizetur; ergo si fides actualis sufficeret, tanquam dispositio ordinaria, ad infusionem habitus ; per se loquendo semper infunderetur habitus adultis ante baptismum, et baptismus per se non haberet virtutem infundendi adultis habitum fidei.

Si ais 1°. Postquam Trid. l. c. dixisset, virtutes theologicas homini in justificatione infundi, hæc subjicit : *Nam fides, nisi ad eam accedat spes et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Ergo supponit posse prius eam haberi, quam reliquas virtutes. 2°. S. AUG. L. 1. ad Simplic. Q. 2. n. 2. *In quibusdam,* inquit, *tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in ipso Cornelio antequam Sacramentorum participatione*

incorporaretur Ecclesiæ : in quibusdam vero tanta est, ut jam corpori Christi et sancto Dei templo deputentur. D. Thomas autem 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. ait : *Dicendum, quod ille, qui accipit a Deo fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate* etc. Ergo uterque supponit fidem accipi posse sine gratia sanctificante et charitate. 3°. Habitus fidei conservatur sine charitate ; ergo etiam sic potest infundi : præsertim cum hæreticus conversus ad fidem, licet necdum justificatus, jam dicatur et sit *simpliciter* fidelis.

Ad 1um. R. *N. Cons.* Concilium agit hac sententia duntaxat contra *Hæreticos,* qui volebant solam fidem sufficere ad justificationem ; cum tamen, ut ibidem subjungitur, *fides sine operibus mortua et otiosa sit.* Adhæc per τὸ *accedit* non significari successionem temporis, patet ex præcedentibus, ubi dicitur : *Hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem et charitatem.* Si quis tamen ordo asserendus ex hoc loco sit, est solus ordo naturæ : sicut enim intellectus prima potentia est, cui accedit voluntas ; aut doctrina magistri prima est, cui adjungitur discipuli attentio, et non e contra : sic fides in ordine supernaturali est primum, cui spes et charitas accedunt.

Ad 2um. R. *D. Cons.* Uterque supponit fidem actualem accipi posse sine charitate *C.* fidem habitualem *N.* S. Aug. per *gratiam fidei* non intelligit fidem ipsam, multo minus fidem habitualem, sed auxilium gratiæ, quod per fidem eamque actualem datur, ut ex præcedentibus patet : *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione motus ad fidem. Sed interest quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum gratia plenior et evidentior infundatur. Non enim catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis et orationibus dignum se præberet, cui angelus mitteretur : sed nullo modo ista operaretur, nisi ante credidisset : nullo modo autem credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei* etc. Similiter D. Thomas, ibi solum de fide actuali loquitur, ut manifestant hæc verba : *Per hunc modum datur aliquando homini a Deo, quod credat ;* credere siquidem actum, non habitum sonat : præterea loquitur de fide per quam homo cessat a culpa actuali infidelitatis, non habituali ; nam verbis oppositis hæc subdit : *quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis, sed sanatur secundum quid, ut scilicet cesset a tali peccato.*

Ad 3um. R. *N. Cons.* Minus enim requiritur ad conservationem habitus, quam ad ejus introductionem. Sic ad conservationem habitus fidei sufficit carentia infidelitatis culpabilis, quæ non satis est ad illius introductionem : similiter intensio habitus fidei, meritorie per charitatis habitualis actus comparata, perseverat etiam retractata per peccatum lethale charitate. Ratio horum *a priori* est, quod habitus fidei respectu gratiæ sanctificantis habeat se ad instar proprietatis respectu naturæ : accidit autem frequenter, ut proprietas nunquam primo existat sine natura, cujus est proprietas ; conservetur tamen etiam abeunte natura.

Ad prob. R. Denominationem fidelis provenire posse tum ab *actu* tum ab *habitu* fidei ; atque hinc ille diceretur actualiter, non habitualiter fidelis. Cæterum ab hujusmodi denominationibus non posse desumi efficax argumentum, sed loquendum esse ex communi modo rem accipiendi secundum

materiam substractam, patet in *peccatore*, qui per peccatum injustitiæ amittens habitus infusos temperantiæ et castitatis, nihilominus manens adhuc bene affectus erga temperantiam et castitatem, simpliciter etiamnum dicitur castus et temperans.

QUÆRES II. *An et per quid augeantur Virtutes Theologicæ?*

49. *Nota.* Augmentum virtutum theologicarum, præsertim fidei, potest considerari tripliciter : 1. circa objectum materiale; et sic appellari potest *extensivum:* 2. penes majorem perfectionem, v. g. firmitatem; et sic potest dici *perfectivum :* 3. in ordine ad intensionem, quæ juxta communem sententiam fit per additionem gradus ad gradum; et dicitur *intensivum.* De postremo præcipue quæstio est apud Theologos: et quidem quoad 1am. partem conveniunt facile omnes; non idem quoad 2am. ubi inquiritur quomodo aut per quos actus intendantur virtutes infusæ præsertim theologicæ?

50. *Dico I.* Virtutes theologicas augeri et intendi, certum est ex fide.

Prob. Trid. Sess. 6. c. 10. ita disserit: *Sic ergo justificati et amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus* (2. ad Cor. 4. 16.) *inquit, de die in diem; hoc est, mortificando membra carnis suæ, et* (ad Rom. 6. 19.) *exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus crescunt, atque magis justificantur, sicut scriptum est* (Apoc. 22. 11.) *Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum* (Eccli. 18. 22.) *Ne verearis usque ad mortem justificari. Et rursus* (Jac. 2. 24.) *Videtis: quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum.* Item ibid. Can. 24. ita definiens: *Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.*

Si ais 1°. Virtutes per se infusæ sunt potentiæ : potentiæ vero non videntur posse intendi; ergo. 2°. Virtutes illæ non remittuntur; ergo nec intenduntur.

Ad 1um. R. Axioma *minoris* valere de potentiis physicis ac naturalibus, quæ communius sunt indistinctæ a substantiis; non vero obtinere locum in supernaturalibus, quæ sicut et ipsa natura in ordine supernaturali, nempe gratia sanctificans, ad genus accidentis pertinent. Jam vero si sanctitas suscipiat incrementum, et dari etiam possit major naturæ divinæ participatio, consequens est et gratiam sanctificantem et virtutes infusas, quibus sanctitas et naturæ divinæ participatio continetur, intendi posse.

Ad 2um. R. Quamvis *remissio* virtutum per se infusarum absolute loquendo non repugnet; in hac tamen providentia ejusdem causa assignari nequit : per peccatum *mortale* enim virtutes illæ non remittuntur sed amittuntur; per *veniale* autem, sicut non remittitur gratia sanctificans, utpote cui non est oppositum, sic neque virtutes. E contrario causa non quidem physica sed moraliter meritoria tam infusionis quam intensionis et gratiæ et virtutum habetur ex TRIDENTINO in actibus salutaribus.

51. *Dico II.* Virtutes theologicæ augentur illis actibus, quibus augetur gratia sanctificans.

Prob. Ex Trident. c. 10. citato patet idem esse incrementum virtutum theologicarum, quod est incrementum justitiæ ; ergo et utrumque per eosdem actus fieri sequitur.

Conf. 1° Quando infunditur gratia sanctificans, etiam infunduntur virtutes; ergo pariter quando illa augetur, hæ etiam intenduntur; quia sicut gratia v. g. intensa ut *duo* exigit virtutes ut *duo*, sic et gratia ut *quatuor* exigit virtutes ut *quatuor*, quibus integretur ; quandoquidem quo perfectior est natura, eo perfectiores etiam sint proprietates, quæ illam consequuntur.

Conf. 2. Ex S. Thoma, qui eamdem rationem insinuat p. 3. q. 89. a. 2. in 0.; ubi cum præmisisset, gratiam lethali peccato amissam interdum secundum motum liberi arbitrii in pœnitentia intensiorem vel remissiorem recuperari in magna, interdum in minore intensione, subjungit : *Et eadem est ratio de virtutibus, quæ ex gratia consequuntur.*

Si ais 1°. Per actus fidei in peccatore augetur habitus fidei, quin augeatur gratia sanctificans. 2°. Per actum meritorium, v. g. religionis, majus augmentum fit virtutis religionis, quam aliarum. 3°. Homo justus non redditur per quemlibet actum salutarem magis fidelis ; ergo nec per solos nec per omnes actus, quibus gratia augetur, intenduntur virtutes per se infusæ.

Ad 1um. R. *N. Ass.* Actus enim supernaturales etiam fidei sicut in peccatore non præstant, ut infundatur virtus supernaturalis fidei, sic neque ejusdem præbent incrementum : facilitas ex frequentatis hujusmodi actibus in peccatore nata nec ab habitu supernaturali intenso, nec a recens infuso oritur, ut num. 29. dictum est.

Ad 2um. R. *N. Ass.* Quia virtutum actus non augent proprios habitus causalitate efficienti aut dispositione physica, sed morali ac meritoria, qua augent gratiam sanctificantem : postrema autem causalitas æqualem habet proportionem cum omnibus virtutibus ; quia hanc habent cum virtutibus mediante gratia sanctificante, quam actus meretur, et illæ necessitate æquali sequuntur.

Ad 3um. R. *N.* vel *D. A.* Non redditur magis fidelis habitualiter *N.* actualiter *C.* Sicut homo per baptismum potest constitui simpliciter fidelis, quamvis fidei actus non præcesserit : sic et potest fieri magis fidelis, quin actualem fidem eliciat.

Quæres III. *In quibusnam subjectis non maneant Virtutes Theologicæ?*

52. *Nota.* Virtutes theologicæ dupliciter possunt desinere in subjectis : 1°. ex oppositione peccati, destructionem virtutis vel expulsionem exigentis : 2°. ex cessatione objecti materialis aut formalis, vel alterius cujuscumque conditionis requisitæ defectu.

53. *Dico I.* Charitas amittitur per quodvis peccatum mortale : fides vero et spes non per quodcumque, sed per mortale directe contrarium.

Prob. 1a. *pars.* Tridentinum Sess. 6. c. 15. *Asserendum,* inquit, *est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur ; sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gra-*

tiam amitti. Sed sive charitas cum multis dicatur esse eadem cum gratia sanctificante, sive dicatur juxta plures ab ea esse distincta, juxta omnes tamen charitas amissa gratia amittitur; sicut hæc singulariter a Tridentino dicitur infundi cum gratia, dum ibid. c. 7. ait : *Id tamen in hac impii justificatione fit, dum Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret;* ergo.

Prob. 2ª. *et* 3ª. *pars,* de fide, ex eodem c. 15. recitato, ex quo clarum est aliquod peccatum dari, quo non amittatur fides; et fidem infidelitate amitti. Accedit pro parte 2ª. ejusdem Concilii eadem Sess. sancitus Canon 28. : *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.* Quod spem attinet, idem statuunt communiter Auctores ex paritate rationis; qui consensus hic, ubi res potissimum decidenda est ex auctoritate, per quam nobis innotescit voluntas Dei, optimi argumenti loco sufficere potest, quod spes etiam non destruatur, nisi vel destructa fide, cui tanquam fundamento innititur, vel admissa desperatione, quæ spei immediate est contraria. Porro *ratio congruentiæ* pro 2ª. parte est; quia fides ac spes sunt initium et radix conversionis, per quas nempe fit adversus peccata motus præparatio, de qua Trid. ibid. c. 6. : pro 3ª. autem parte est specialis oppositio infidelitatis et desperationis contra fidem ac spem, quæ proinde etiam hominem reddit illis habitibus supernaturalibus specialiter indignum.

54. *Dico II.* In Beatis remanet charitas; cessat autem fides, ac spes.

Prob 1ª. *pars.* Quia in cœlo æque ac multo magis charitas potest elicere suos actus, et 1. ad Cor. 13. 8. *Charitas nunquam excidit;* in quem locum S. Hier. ait : *id est, ipsa sola permanet in futuro;* S. Chrysost. autem hom. 34. in cap. cit. n. 3. docet, Apostolum extollere charitatem supra fidem, eo quod ipsa semper duret, imo post mortem in futuro crescat : in quo consonantes habet S. Aug. Ansel. et alios.

Prob. 2ª. *pars.* Quia ibid. v. 9. dicitur : *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus : cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est,* h. e. cum venerit visio intuitiva divinæ essentiæ in patria, cessabit cognitio imperfecta fidei, ut explicant Patres et Interpretes. Cui accedit v. 12. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum;* ubi claram cognitionem obscuræ, et sic lumen gloriæ habitui fidei successurum esse, indicatur. *Ratio* ulterior est, quia obscuritas fidei non stat cum intuitiva evidentia tum objecti materialis tum formalis; unde et 2. Petr. 1. 19. dictum est de fide : *Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat, et Lucifer oriatur.*

Prob. 3ª. *pars.* Quia dum S. Paulus l. c. addit : *Nunc autem manent fides, spes et charitas,* per particulam *autem* videtur innuere diversitatem status viæ, in qua manent tria hæc, a statu patriæ, in qua manet sola charitas juxta vers. 8. Unde S. Chrysost. : *Fides et spes,* inquit, *creditis speratisque rebus advenientibus cessant.* Atque hoc quidem communius quoad actum spei primarium conceditur a plerisque, juxta illud ad Rom. 8. 24. *Quod videt quis, quid sperat?* Quoad actus vero secundarios ac ipsum præcipue habi-

tum spei discrepant inter se Theologi, adeo ut assertio data nonnisi ut probabilis intelligi debeat.

55. *Dico III.* In animabus purgantibus manent virtutes theologicæ omnes: in damnatis autem nulla.

1ª. *Pars quoad charitatem* non habet adversarium: *quoad fidem* habet unum *Hurtadum* dubitantem; sed quia animæ purgantes necdum plene sunt in termino, ad eas quoque pertinet illud 2. ad Cor. 5. 7. de peregrinantibus dictum : *Per fidem ambulamus, et non per speciem:* ac prætcrea cum nondum habeant visionem beatificam, neque etiam de omnibus objectis, nequidem evidentiam in attestante, neque eorum status, utpote pœnosus, excludat obscuritatem; nihil prorsus obstat ne retineant fidei habitum supernaturalem, in via acceptum. *Quoad spem* similiter consentit communis cum S. Thoma; et ipsa ratio persuadet, cum possint Deum, quem necdum possident, sperare possidendum. In eo autem actu, quamvis adjungatur certitudo, nihil desideratur ad spem perfectam; cum arduitas spei non stet in incertitudine, sed in eo quod res viribus nostris solis obtineri nequeat, ut alibi dicetur.

2ª. *Pars de charitate* est extra quæstionem, et sequitur ex num. 53. *De fide prob.* Quia damnati imprimis indigni sunt ut donum hoc supernaturale retineant: deinde quia in eis impossibilis est actus fidei supernaturalis; tum quia perpetuo privantur auxilio supernaturali, ex parte intellectus, quo ad fidem excitentur : tum quia carent pia affectione ex parte voluntatis ad actum fidei requisita. Unde Auctor L. de Divin. Nomin. c. 4. *In quo,* inquit, *malos fieri dæmones dicimus, nisi in vacatione,* h. e. evacuatione seu privatione, *divinorum bonorum.* Et S. Aug. L. 9. de Civ. c. 21. scribit, dæmones non cognovisse Deum per lumen quod illuminat fideles, sed per alia divinæ virtutis effecta et signa etc. Idem constat *de spe;* quia damnati nec fidem nec ullam illustrationem supernaturalem ex dictis obtinent, ac præterea certi sunt se in æternum nihil operaturos boni, nec Deo fruituros: unde sicut desperatio sequitur, sic certo amittitur habitus spei.

DISPUTATIO II.

DE OBJECTO FIDEI.

CAPUT I.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN GENERE.

—

ARTICULUS I.

QUODNAM IN GENERE SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

Quæstio principalis hic agitatur cum Hæreticis, qui triplicem fidem distinguunt, *historicam* nempe, *miraculorum*, et *promissionum*, et postremam subdividunt in generalem et specialem; quarum priores duas nec utiles nec ad salutem et justificationem necessarias asserunt. Porro *fidei historicæ* pro objecto tribuunt tum res omnes olim gestas, tum comminationes divinas, tum pœnas peccantibus inflictas, quæ in Scriptura perhibentur : *fidei miraculorum*, omnipotentiam divinam, quæ omnia possit etiam naturam omnem creatam excedentia : *fidei promissionum generali*, promissam omnibus in Christum credentibus salutem : *speciali*, misericordiam Dei, seu remissionem peccatorum et justificationem, quam quilibet in individuo sibi per justitiam Christi imputatam confidat, seque justum et prædestinatum pro certissimo habeat. Ita *Calvinus* L. 3. Inst. c. 2.

56. *Dico I.* Objectum materiale fidei theologicæ est omnis ac sola veritas a Deo revelata; sive ea sit divina seu de Deo, ejus perfectionibus, aut decretis liberis, sive creata.

Prob. 1ª. *p.* Objectum materiale fidei theologicæ est omne ac solum id quod propter solius Dei auctoritatem creditur; cum hanc solam ex dictis num. 43. fidem theologicam vocemus, quæ Deo dicenti exhibetur : sed omnem et solam veritatem a Deo revelatam propter ipsius revelantis auctoritatem credimus, ut ex terminis liquet; ergo. Dixi : *veritas;* tum quia Deus falsum aut mendacium dicere ac revelare nequit : tum quia mendacium quidem subjectum fidei esse potest, minime vero propositio falsa aut mendax ut talis credi fide divina.

Pars 2ª. ex jam dicendis clarius patebit.

57. *Dico II.* Objectum materiale fidei ad justificationem et salutem requi-

sitæ, est quodcumque a Deo revelatum etiam ad fidem historicam et miraculorum pertinens.

Prob. 1ª. *p.* Omne id est objectum fidei requisitæ, quod negari salva fide non potest : sed quodcumque a Deo revelatum est salva fide negari non potest; ergo.

Conf. Marc. 16. 16. sine exceptione dicitur : *Qui crediderit, salvus erit;* et Apostolus nihil inter fidem ac fidem distinguens ad Hebr. c. 11. v. 6. *Sine fide,* inquit, *impossibile est placere Deo;* ac ad Ephes. 4. 5. *Unus Deus, una fides, unum baptisma;* ergo objectum materiale fidei ad salutem requisitæ sunt omnia a Deo revelata.

Prob. 2ª. *p.* Ad fidem *historicam* pertinent tum mysteria quasi speculativa, quale est de Deo existente et remuneratore; tum practica seu actu impleta, uti Incarnatio, passio Christi et similia: sed horum fides etiam necessaria est ad salutem, ut patebit ex dicendis seq. cap.; ergo.

Prob. 3ª. *p.* Illa fides est utilis ad salutem ab adulto obtinendam, de qua Marc. l. c. dicitur : *Qui crediderit salvus erit : qui non crediderit condemnabitur* : sed hæc ipsa est ea fides, de qua Dominus continuo subdit : *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur* etc., et quam Hæretici vocant fidem miraculorum; ergo.

Conf. Fides theologica et ad salutem requisita ex ep. ad Hebr. c. 11. v. 1. est *sperandarum substantia rerum* : ergo eadem fides, quæ debet omnibus esse communis, etiam se extendit ad omnipotentiam divinam mirabilia operaturam, si expedit; unde ibidem subjungit Apostolus : *Sancti per fidem vicerunt regna, extinxerunt impetum ignis etc.*

58. *Dico III.* Objectum materiale fidei theologicæ ad salutem requisitæ, non est specialis erga particularem hominem misericordia divina, condonans illi peccata.

Prob. Nemo in individuo potest certitudine fidei theologicæ credere se esse justum et salvandum, nisi in individuo habeat revelationem divinam, sibi in individuo et absolute applicari et convenire revelationem de promissionibus generalibus conditionatis factam. Sed fidelium etiam nemo habet ejusmodi revelationem absolutam ac in individuo, saltem *ordinarie,* et singulari privilegio excepto, quod Hæretici probare non possunt; ut uberius ostenditur tum de justificatione, in Tr. de Gr. tum de spiritu privato hic ; ergo fides illa specialis nequidem est theologica ; ergo nec objectum materiale fidei theologicæ ad salutem necessariæ potest esse illa misericordia divina.

59. *Obj. contra* 1um. 1°. Potest Deus habere et alicui revelare hoc decretum : nolo ad ullum fidei actum cum quacumque rationali creatura concurrere : sed hoc casu daretur aliquid a Deo revelatum, et tamen non esset credibile ; ergo non omne revelatum est objectum materiale fidei. 2°. Solus Deus est *subjectum* fidei, tum quia in omni actu fidei divinæ creditur Deus: tum quia non potest aliquid credi, nisi habeat ordinem ad Deum. 3°. Non omnia revelata sunt æque vera; quia divina sunt veriora creatis; ergo nec omnia sunt æque credibilia; ac proinde saltem non omnia spectant ad objectum directum fidei, nec sunt *immediate* credenda.

R. *Ad* 1um. *Tr. A. D. Cons.* Ergo, facta suppositione ejusmodi aut alia exo-

tica, non omne revelatum est objectum materiale fidei *C.* ea omissa et secundum ordinariam præsentemque providentiam *N.*

Ad 2um. *N. Ass. Ad prob.* 1^{am}. *D.* In omni actu creditur Deus ut objectum formale *C.* ut objectum materiale distinctum a formali *N. Ad prob.* 2^{am}. *D.* Nisi habeat ordinem intrinsecum et antecedenter actualem ad Deum *N.* extrinsecum et aptitudinalem *T.* De facto quidem plurima revelata per se ordinantur ad finem supernaturalem; aut illis proxime subordinantur ad finem supernaturalem, vel saltem a Deo ordinari possunt ad faciliorem Dei cognitionem: nihil tamen impedit ex parte actus fidei, cur etiam non ordinabile, si a Deo revelatum sit, actu theologico credatur. Præterea in his Deus tantum est objectum materiale indirectum, remotum, et respective ad fidei actum se impertinenter habens.

Ad 3um. *D. A.* Non sunt æque vera in se seu necessaria in essendo, aut prout per principia intrinseca possunt attingi *C.* non sunt æque vera in ratione credibilitatis, et prout cognoscuntur per testimonium divinum. *N.* Adhæc objectum directum fidei dicitur, quod a revelante directe enuntiatur, et a credente per se creditur; cui non obstat quod a loquente vel credente cognitio objecti ad aliud ordinetur. Porro sicut omne revelatum immediate substat auctoritati divinæ; ita et immediate creditur: ordo enim rerum inter se non variat ordinem seu conjunctionem immediatam revelationis cum revelato: unde et revelatum creditur *præscindendo* ab ordine rerum, et ab ignorante hunc ordinem.

60. *Obj. cont.* 2um. Firma fiducia aliquid supra vires obtinendi est fides miraculorum: sed hæc fiducia non oritur ab eo habitu, a quo procedit fides dogmatica, seu fides theologica tum mysteriorum, tum promissionum, tum minarum, tum gestorum; ergo nec fides miraculorum est idem aut habet idem objectum materiale. *Conf.* 1. Fides theologica est communis et requiritur in omnibus: sed *fides miraculorum* nec est communis, nec requiritur in omnibus; ergo. *Conf.* 2. Fides theologica debet esse in nostra potestate, et incredulitas ei opposita facit hominem infidelem, habitumque fidei expellit: neutrum autem convenit *fidei miraculorum;* tum quia patrare miracula non est in cujuslibet potestate: tum quia si quis non crederet in his vel illis circumstantiis non fore patrandum miraculum, non peccaret contra fidem; cum nemo dixerit, Petrum, ubi super aquas ambulans timuit mergi, commisisse infidelitatem; ergo.

R. *D. M.* Firma fiducia aliquid obtinendi supra naturæ vires est fides miraculorum in sensu tropico, sumendo effectum pro causa *C.* in sensu proprio et formali *N.* Fides quatenus est assensus intellectualis ob auctoritatem Dei promissa sua revelantis, dicitur *fides miraculorum;* quia prærequiritur ad petendum cum fiducia miraculum, habetque pro objecto materiali omnipotentiam et fidelitatem Dei in promissis, pro formali revelationem divinam, qua Deus dixit se facturum quidquid in Christi nomine petierimus, sicut petere oportet. Ad hunc fidei actum sequitur fiducia obtinendi miraculum, quæ in homine justo immediate oritur ex habitu spei theologicæ, pro objecto materiali habens miraculum impetrandum, pro formali fidelitatem Dei in explendis suis illis promissis, si hic et nunc ita sit conveniens, et aliæ etiam conditiones ex parte nostra fuerint impletæ.

Ad Conf. 1am. *D. min.* Fides miraculorum quoad substantiam et suum effectum primarium non est communis, nec requiritur in omnibus *N.* quoad accidentalia et effectum secundarium *C.* Fiducia in præsentibus circumstantiis ad petendum et impetrandum miraculum applicata, fidem generalem accidentaliter ratione firmitatis majorem ac intensam consequitur, ex speciali instinctu Dei vel circumstantiarum prudenti consideratione concitatur; quæ cum abesse possint et sæpe soleant, patet nec fiduciam illam fidei substantiæ esse debitam, nec ejusdem effectum esse primarium, nec omnibus necessarium aut convenientem.

Ad Conf. 2am. *N. min. Ad prob.* 1am. R. Aliud est *fides*, aliud *donum* miraculorum. *Prima* est in nostra potestate ex nuper dictis. *Secundum* est singularis gratia gratis data a Deo uni vel alteri, cum potentia proxima impetrandi ipsum effectum miraculosum ; quod utique in nostra potestate non est. *Ad prob.* 2am. R. *D.* Si quis non crederet, in his vel illis circumstantiis patrandum fore miraculum, ille non peccaret contra fidem, si illa incredulitas præcise sit defectus fiduciæ, aut firmitatis accidentaliter intensæ *C.* si sit defectus ipsius fidei quoad substantiam vel proprium objectum *N.* Tum *Petrus* super aquam ambulans, tum *Apostoli* in navicula jactati et a *Christo* ob modicam fidem reprehensi retinuerant ipsam fidei substantiam de potentia ac fidelitate Christi, ob levem solum firmitatis ac fiduciæ diminutionem, teste S. Hier. in c. 17. v. 21. Matth., correpti.

61. *Obj. cont.* 3um. Fides ex Apostolo est *hypostasis sperantium*, ut legit S. Augustinus; sed et hypostasis per se significat exspectationem, quemadmodum ex Ps. 38. v. 8. et ex ep. ad Hebr. 3. v. 14. apparet, et per τὸ *sperantium* determinatur ad significationem exspectationis ; ergo fides est exspectatio ac proin fiducia; ergo et ejus objectum materiale singularis illa Dei misericordia.

R. 1°. *N. min.* Nam cum imprimis ibidem addatur : *argumentum non apparentium*, ex hujus significatione etiam hypostasis ad significandam substantiam determinatur, ut liquet ex n. cit. Deinde Ps. 38. v. 8. sic habet : *Et substantia* (hypostasis) *mea apud te est*; ubi licet vox hebræa dicatur significare expectationem vel spem, 70. Interp. recte reddiderunt sensum; cum ibidem non significetur actus spei, sed res sperata, nempe Deus, quique hoc sensu potuit appellari substantia nostra ; quam usurpationem et rationem nemo *fidei* tribuerit. Porro dum ad Hebr. 3. v. 14. dicitur : *Si tamen initium substantiæ* (hypostasis) *ejus usque ad finem teneamus* ; inde tamen hypostasin hic pro spe usurpatam non evincent Hæretici, licet addant in eod. cap. præmissa fuisse hæc in v. 6. *Si fiduciam et gloriam spei ejus usque ad finem firmam retineamus.* Quæ enim significatio hypostasis sit fidei applicata, docuit nos inter Græcos eloquentissimus S. Chrys. qui hom. 21. n. 2. in ep. ad Heb. *Quia ea*, inquit, *quæ sunt in spe, sine substantia* (ἀνυποστάτα) *esse putantur, fides eis tribuit substantiam* (ὑπόστασιν) *aut potius ipsa est essentia eorum, ut puta, resurrectio necdum facta est, et necdum est in substantia, sed fides* (1) *facit eam subsistere in anima nostra : id est quod dicit sub-*

(1) Ita legendum plane videtur cum Euthymio, Theophylacto aliisque, non, ut habent editiones Chrysostomi, *spes*.

stantia (ὑπόστασις) *rerum sperandarum.* Unde etiam v. 6. potuit signate poni spes, vers. 14. autem fides ut fundamentum spei, aut aliud quodvis spectans ad eumdem finem. Postremo nec illud adjunctum *sperantium* determinat vocem hypostasis ad significationem exspectationis; cum sensus diversus hac lectione non evadat, quia substantia rerum, quæ sperantur, præsupponitur ut homo speret : præterquam quod *Novatores* communiter ferme nobiscum legant : hypostasis rerum speratarum.

R. 2°. *Transm. Syllogismo; N. ult. illat.* Nam cum exspectatio sit futurorum, fiducia autem, quam Novatores fingunt, sit de re præsenti, nihil concluditur pro eorum errore.

Inst. 1. Ad fidem spectat credere *Deo,* credere *Deum,* credere *in Deum :* sed credere in Deum dicit actum voluntatis, neque alium quam fiduciam ; ergo.

R. 1°. *N.* 1am. *p. min.* Non enim significantur diversi actus, sed ejusdem actus fidei diversæ habitudines, connotationes aut relationes. Et quidem juxta S. Th. 2. 2. q. 2. a. 2. in θ. credere *Deo,* dicitur actus fidei, prout tendit in Deum ut objectum formale : credere *Deum,* prout affirmat Deum ut objectum materiale expressum : credere *in Deum* videtur connotare habitudinem ad Deum tanquam ad finem ultimum, ad quem voluntas tendens movet ad actum fidei ; quin tamen requiratur actualis motio voluntatis; cum satis esse possit habitualis. Cum vero S. Epiphan. et Cyrill. Hieros. etiam in Symbolo dicant : *Credo in S. Ecclesiam* ; alii cum Suarez putant asseri posse, quod credere in Deum, solum connotet relationem ad Deum tanquam objectum formale.

R. 2°. *Transm.* 1a. *p. N.* 2am. Tum quia ex modo dictis sufficit actus tendens in Deum ut finem ultimum, quam expositionem etiam S. Aug. Tr. 29. in Joan. permittit, ut peccator dicatur credere in Deum vel Christum : tum quia actus fiduciæ non sufficit, si adoptetur alia explanatio S. Augustini l. c. n. 6., juxta quam credere in Deum vel Christum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari ; quam sententiam dum D. Th. 2. 2. q. 1. a. 9. ad 3. sectatur, simul dicit peccatores symboli initium duntaxat in persona Ecclesiæ proferre.

Inst. 2. Justificatio in adultis non potest obtineri sine actu voluntatis; ergo fides justificans, præter assensum revelatis datum, constituitur per actus voluntatis, quales a *Calvini* sectatoribus enumerantur 1. assensus *fiducialis* et practicus, quo homo Evangelium non tantum judicat verum, sed et bonum amore dignum : 2. actus *refugii,* in voluntate ad propositam per Evangelium præcipue hominis miseriam Deique gratiam ortus, quo homo miseram suam conditionem agnoscens confugit ad Christum : 3. actus *receptionis,* quo homo gratiam Christi apprehendit, Christo adhæret, eique se unit. Super hos demum actus ubi homo se reflectit, agnoscit se habere fidem justificantem esseque justificatum; unde tandem consolatio et confidentia, tanquam effectus fidei profluit.

R. *N. Cons.* Quia potius inferendum erat simpliciter ; ergo præter fidem requiruntur ad justificationem actus voluntatis, quod est verissimum. *N.* etiam *supp. Cons.*; quia dum dicitur a Novatoribus fides justificans, intelligitur fidem *per se solam* justificare; cum tamen non dicatur justificans, nisi

quatenus est prima dispositio ad justificationem. Quod actus recensitos attinet, negamus postremos haberi posse aut vocari *actus fidei*, sed de ultimo statim plura.

Inst. 3. Ut homo justificetur, debet apprehendere justitiam Christi : sed hanc debet apprehendere per fidem : non autem apprehendere potest per solam *fidem historicam ;* ergo per fidem specialem seu fiduciam. *Conf.* Actus receptionis est, quo homo amplectitur Christum et in ejus meritis unice confidit : sed hic actus non est *spes*, quia hæc non excludit timorem ; ergo debet esse *fiducia,* utpote certa et infallibilis.

R. 1°. *D. M.* Debet apprehendere justitiam Christi, h. e. debet se disponere ad justitiam a Deo accipiendam, eamque impetrare aut mereri de congruo *C.* h. e. debet sua actione quasi trahere ad se atque sibi unire justitiam Christi *N. Primus* sensus est Catholicus, in quo actiones nostræ bonæ, justificationem præcedentes, statuuntur tanquam præparationes et dispositiones ad gratiæ et sanctificationis donum, ab ipsa Christi justitia distinctum, quod Deus nobis et quidem per sacramenta, tanquam per manum suam invisibiliter extentam dat, eoque nos formaliter justos constituit. *Secundus* est erroneus, tum quia supponit, quod homo justificetur formaliter per justitiam Christi homini imputatam ; tum quia actio hominis proprie non justificat; cum neque sit causa efficiens neque formalis justificationis.

R. 2°. *N. min.* Non enim sola fides est, quæ dispositio aut apprehensio activa in quocumque sensu dici queat; sed requiruntur etiam alii actus, spei nempe, charitatis, pœnitentiæ, etc. Quam parum vero inde quis illos actus cum fide confundere poterit, tam parum id licet respectu *fiduciæ specialis,* quam sine particulari revelatione nequidem prudenter esse possibilem, certum est.

Ad Conf. Omisso interim falso *M.* supposito,

R. *N. min. Ad prob. N. supp.* quod spes ac fiducia nostra debeat excludere omnem timorem, cum apertum sit Apostoli monitum ad Philipp. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini. N.* etiam *suppos. Cons.* Fiducia de se nec certa est nec infallibilis, sed firma duntaxat, et certa solum dicitur, quatenus fundatur in actu intellectus certo ac infallibili : undenam autem hæc *fides specialis* ac fundamentum talis fiduciæ habetur, qualem Novatores asserunt? Quamvis enim Deus nobis promiserit peccatorum remissionem vitamque æternam, ac id revelaverit; non revelavit tamen quod ego sim veniam et vitam consecuturus *absolute,* neque *absolute* promisit; sed si credidero et fecero quæ Deus ad ea consequenda exigit, quorum tamen neutrum Deus revelavit.

ARTICULUS II.

AN VERITAS FORMALITER IMPLICITE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI?

62. *Nota I.* Illud dicitur *formaliter revelatum,* quod ipsa locutione significatur, seu quod a loquente dicitur vi significationis terminorum, juxta sensum a loquente intentum et intentionem manifestam; quæ postrema adjicimus, quia etiam Deus loquens adhibet metaphoras usitatas, in quibus proinde sensus est attendendus. *Formaliter explicite* revelatum dicitur, quod ipsi locutionis termini clare et signanter exprimunt : *formaliter im-*

plicite revelatum, quod formaliter continetur, seu formaliter idem est cum explicite revelato; sic continetur definitio in definito, partes physice essentiales in toto, propositio particularis in universali, conclusio in præmissis. Dicuntur autem hæc *implicite* revelata; quia licet formaliter continentur in explicite revelato, tamen proposita revelatione non statim apparent, sed per aliam propositionem debet explicari sensus revelationis, et revelatio ad illis assentiendum applicari. Sic dum *explicite* revelatum est Christum esse hominem, omnibus hominibus statutum esse mori, omnes Apostolos die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum, Matthæumque esse Apostolum; *implicite* revelatum est Christum esse animal rationale et compositum ex corpore et anima, Petro statutum esse mori, Matthæum die Pentecostes accepisse Spiritum sanctum. Porro propositio exponens et revelationem explicitam applicans, ipsa etiam potest esse revelata, ut patet in exemplo de receptione Spiritus sancti ab Apostolis : vel esse *metaphysice* aut *physice* certa, ut liquet in exemplo de statuto moriendi ad omnes homines pertinente : vel solum *moraliter* certa, ut in hoc syllogismo exhibetur : Omne legitimum Concilium habet assistentiam Spiritus sancti : *Tridentinum* fuit Concilium legitimum; ergo habuit Spiritus sancti assistentiam : vel denique tantum probabiliter nota, cujus exemplum exstat in sequenti discursu : Omnis contritus, legitime confessus et absolutus, est in statu gratiæ : sed Petrus est contritus, legitime confessus et absolutus; ergo est in statu gratiæ.

63. *Nota II.* Objectum fidei materiale etiam proximum aliud est tale quoad se, aliud quoad nos. *Primum* est, quod est revera revelatum, quamvis notitia de tali revelatione non sit sufficiens ad illius objectum fide credendum : *secundum* est, de cujus revelatione sufficientem notitiam nos habemus ad fidem. Hinc patet cur, revelata columba, licet etiam *quoad se* sit revelata ejus definitio seu essentia metaphysica et partes physicæ essentiales, tamen ea non sint revelata *quoad nos*. Item cur plures propositiones obscuræ ante definitionem Ecclesiæ fuerint duntaxat objectum materiale fidei *quoad se*, postmodum accedente decisione Pontificum vel Conciliorum evaserint etiam fidei objectum *quoad nos*. Similiter aliud est esse credibile, seu quod potest fide divina credi, aliud esse credendum, seu quod debet fide divina credi. Ad *primum* enim sufficit quod aliquid sit revelatum, habeaturque de ejus revelatione sufficiens notitia; cum hoc casu adsit objectum materiale et formale et sufficiens applicatio utriusque, atque hinc omnia ad fidem requisita : ad *secundum* requiritur etiam notitia intentionis divinæ nos obligantis ad objectum aliquod credendum.

64. *Dico I.* Veritas formaliter contenta in aliqua propositione explicite revelata, est quoad se objectum materiale fidei et credibile.

Prob. Aliquid esse credibile *quoad se* ac esse objectum materiale fidei nihil aliud est, quam esse talem veritatem, quæ a Deo simpliciter et absolute revelatur aut dicitur; ut patet ex tendentia fidei, quæ non attingit modum dictionis clarum et explicitum, sed simpliciter sic fertur : Credo, quia Deus dixit. Sed dum aliquid a Deo explicite revelatur, etiam simpliciter et absolute dicitur ac revelatur id, quod in illo formaliter continetur;

quia alias, cum quod formaliter continetur in alio sit formaliter idem cum alio, formaliter idem diceretur et non diceretur, quod implicat; ergo.

Conf. 1. Revelatio seu locutio accipienda est in sensu obvio, morali, et juxta intentionem tum usitatam tum debitam loquentis : sed revelatio in tali sensu sumpta formaliter significat quidquid formaliter in tali objecto continetur, ut patet tum ex communi loquendi modo, quo significamus definitionem per definitum, partes per totum, particulares per propositionem universalem : tum quia formalis continentia talis est, ut vi termini continentis intellectus terminorum peritus statim hæc ac sine aliquo intercedente motivo objectivo alio percipiat; ergo.

Conf. 2. S. Greg. Naz. Or. 31. de Spiritu sancto n. 24, sic scribit : *Si te bis quinque aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim colligerem, aut ex eo quod animal ratione præditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? nequaquam profecto ; cum tua dicerem.* Ex quibus constat, vere et proprie dici objectum aliquod in alio formaliter contentum, si dicatur illud, quod quid formaliter continet.

65. *Dico II.* Ut ejusmodi veritas sit objectum materiale fidei et credibile quoad nos, requiritur, ut certitudine excludente prudentem formidinem certum sit, eam veritatem in explicite revelato formaliter contineri ; nec sufficit, hoc tantum esse probabile.

Prob. 1ª. *p.* Ut aliquid *quoad nos* sit fide theologica credibile, sufficit, quod sit revera revelatum, et existentia revelationis sit nobis ejusmodi certitudine certa : sed utrumque habetur, si certum sit certitudine excludente etiam formidinem prudentem, veritatem formaliter contineri in explicite revelato ; quia veritatem formaliter contineri in revelato est veritatem formaliter esse revelatam ac consequenter revelationem existere ; ergo.

Conf. Qui certus est duo et tria esse quinque, potest vi illius revelationis, quæ perhibet Christum quinque panibus saturasse quinque hominum millia, credere Christum duobus et tribus panibus totidem millia hominum saturasse, ut *Arriaga,* licet adversarius, concedit ; ergo idem dicendum est de omni veritate formaliter contenta in revelato.

Prob. 2ª. *p.* Ex damnatis ab Innoc. XI. inter quas 21. nostræ assertioni contradictorie opposita hæc est : *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Altera est 20. *Potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.* Ex hac sic arguitur : Per assensum fidei supernaturalis intellectus objecto credito ita firmiter adhærere debet, ut fidelis non possit illum assensum prudenter repudiare, imo potius vitam quam fidem velit deserere : sed si posset fide divina credi veritas *probabiliter* tantum in alio contenta, 1ᵘᵐ. facile fieret, si nempe probabiliores in oppositum occurrerent rationes : 2ᵘᵐ. autem irrationabiliter præstaretur, si pro incerto bono certum relinqueretur ; ergo.

Conf. Ex opposita sententia sequeretur, posse illum, qui *probabilissime* elicuit amorem Dei super omnia aut rite sit confessus et absolutus, credere fide divina, se esse in gratia; quia universalis propositio est revelata, quod amans Deum super omnia aut rite confessus et absolutus gratiæ statum obti-

neat. Sed hæc sequela nequit admitti contraria Conc. Tridentino Sess. 6. c. 9. *Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ergo.

66. *Obj. I. cont.* 1um. Christum esse hominem est una veritas revelabilis, et Christum esse animal rationale est alia veritas seorsim revelabilis ; ergo prior veritas revelari potest, quin alia reveletur ; ergo uno revelato non revelatur aliud in eo formaliter contentum. *Conf.* 1. Si revelato de Christo esse hominem, revelaretur esse animal rationale, etiam revelaretur essentiam hominis esse animal rationale : hoc est falsum ; ergo. *Conf.* 2. Deus revelans Noe dimisisse columbam ex arca, non revelavit essentiam columbæ; et similiter loqui licet de unione hypostatica, aliisque ; ergo.

R. *D.* 2am. *p. Ant.* Ex supposito, quod animal rationale sit definitio hominis, est alia explicite veritas *C.* alia formaliter implicite *subd.* seorsim explicite revelabilis *C.* illa explicite revelata, hæc est seorsim implicite non revelata aut revelabilis *N.*

Ad Conf. 1am. R. *N. M.* Ratio est, quia ut reveletur animal rationale esse essentiam hominis, opus est ut id de prædicato hujus propositionis : Christus est homo, etiam explicite reveletur, sic nempe : homo essentialiter est animal rationale. Quia vero de Christo non revelatur nudum hominis nomen sed essentia, quæ supponitur esse animal rationale, per revelationem, qua Christus dicitur esse homo, implicite revelatur esse animal rationale, eo nempe modo, quo homo implicite est animal rationale.

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Non revelavit essentiam columbæ, h. e. non revelavit, quomodo et per quæ prædicata columba sit definienda vel constituatur *C.* Non revelavit essentiam columbæ, h. e. ne quidem formaliter implicite revelavit de prædicatis essentialibus et constitutivis columbæ, quidquid revelavit de columba *N.*

Inst. Deum aliquid revelare est Deum proferre verba seu aliquod signum manifestativum objecti cum intentione, ut audiens intelligat : sed dum Deus profert verba cum intentione, ut audiens intelligat objectum formaliter explicite manifestatum, non hoc ipso habet etiam intentionem, ut intelligat id, quod in objecto manifestato formaliter implicite continetur : imo potest habere intentionem contrariam ; ergo. *Conf.* 1. Potest definitum esse proxime credibile quoad nos, quin definitio sit quoad nos proxime credibilis ; ergo *primum* etiam potest quoad se esse credibile, quin *secundum* etiam quoad se sit credibile. *Conf.* 2. Solum probabile est, formaliter implicite contentum in explicite revelato esse revelatum : sed de quo probabile duntaxat est esse revelatum, id nequit credi fide divina, ut claret ex num. 65. ; ergo.

R. *D.* 1am. *p. min.* Non hoc ipso habet intentionem, ut audiens intelligat implicite id, quod in objecto manifestato formaliter implicite continetur *N.* non habet hoc ipso intentionem, ut audiens id intelligat explicite, *subd.* non habet intentionem absolutam *C.* conditionatam *N.* Cum cognitio explicita definiti sit implicita cognitio definitionis aut formaliter contenti, Deus non potest velle ut audiens primum intelligat explicite, et non intelligat implicite secundum ; quia alioquin cognitionem aut fidem vellet ac

non vellet : unde 2ª. *p. min.* simpliciter negatur. Potest quidem loquens non habere intentionem absolutam, ut audiens explicite intelligat, quod loquens nonnisi implicite manifestat, et implicite tantum manifestato continetur; imo potest hoc loquens absolute nolle, et sic 2ª. *pars min.* intellecta admittitur; idem tamen nequit habere intentionem conditionatam, qua velit, ut si audienti affulgeat cognitio explicita sensus impliciti revelationis, audiens non intelligat id, quod formaliter implicite revelavit, revera esse formaliter implicite revelatum. Quo sensu non potest habere intentionem oppositam conditionatam.

Ad Conf. 1ªm. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia ut quid sit credibile quoad nos, requiritur ut id per cognitionem certam nobis proponatur revelatum; potest autem hæc cognitio certa haberi de definito, et de definitione non haberi, eo quod nequidem cognitionem prædicatorum essentialium veram et propriam teneamus : e contra ut quid sit credibile quoad se, sufficit quod sit absolute et simpliciter objectum immediatum revelationis : sed definitum nequit esse objectum immediatum revelationis, quin etiam sit definitio; quia alias de re formaliter eadem, qualis est definitum et definitio, verificarentur hæc contradictoria : esse et non esse objectum immediatum revelationis.

Ad Conf. 2ªm. R. *D. M.* Est probabile quoad Auctores sententiæ contrariæ *T.* quoad nos *N.* Licet hic nobis præscindere ab improbabilitate absoluta contrariæ sententiæ; tum quia illa Innocentii damnatio non agit de quæstionibus reflexis circa certitudinis qualitatem inter Theologos controversis, uti in aliis pluribus patet : tum quia, si reipsa falleremur in eo quod certum existimamus et actu fidei credere conamur, non habere nos assensum fidei supernaturalem ac verum, sed naturalem duntaxat et pure existimatum, ultro damus.

67. *Obj. II.* Propositio universalis æque non continet formaliter particulares, ac universale non continet individua; vel si contineat, tantum *confuse* significat propositiones particulares; ergo vi propositionis universalis revelatæ vel plane non, vel confuse duntaxat et indeterminate credibiles sunt particulares.

R. *N.* 1ªm. *p. Ant. Disparitas* est, quia *universale* utpote a singularitatibus abstractum non potest continere singularia : propositio autem utpote pro singularibus supponens debet eas continere. 2ªm. *p. D.* Propositio universalis quoad se et ex institutione vocis significat confuse particulares *N.* quoad nos et ex defectu cognitionis de omnibus individuis *C.* Unde et 2ªm. *p. Cons. D.* Ergo confuse tantum et indeterminate credibiles sunt quoad se, aut si nobis constent *N.* quoad nos, quamdiu nempe nobis certo et distincte non innotescunt particulares propositiones earumque in universali continentia *C.*

Inst. 1. Ut quis assentiatur propositioni particulari sub universali contentæ, indiget discursu : sed in hoc discursu minor, exponens particularem contentam esse in universali, non semper est revelata, consequenter nec illa nec conclusio illi innixa est credibilis : aut si etiam est revelata, uti in his præmissis : Omnis Apostolus accepit Spiritum sanctum, Matthæus est Apostolus; tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum; non assentior, nisi ob identitatem extremorum cum termino medio; ergo.

R. *Transm. Maj.* Quia si Deus revelaret aliquid de omnibus in schola mihi præsentibus, possem id de Petro mihi præsente affirmare sine discursu, sed prævia duntaxat cognitione de Petri præsentia.

Ad 1am. *p. min. N. seq.* de conclusione. Quia hæc minor exponens non habet se ut motivum fidei, sed tantum ut *conditio,* quæ explicat et applicat nobis revelationem; unde etiam ad credibile quoad nos duntaxat pertinet; quoad se autem conclusio est credibilis per hoc, quod sit revelata in universali, in qua formaliter continetur.

Ad 2am. *p. min. D.* Tamen huic conclusioni : Ergo Matthæus accepit Spiritum sanctum, non assentior nisi propter identitatem extremorum cum medio, si illi assentiar præcise ex motione præmissarum *C.* si assentior ex motione revelationis divinæ *N.* Possum nempe dupliciter assentiri etiam conclusioni ex præmissis revelatis ; *primo* propter præmissas, quæ revelatæ sunt, continentque formaliter conclusionem, et hic assensus est theologicus : *secundo* non propter præmissas sed tantum propter revelationem præmissarum, quæ implicita est revelatio conclusionis, utpote in illis formaliter contentæ; et hic est assensus fidei.

Inst. 2. Si veritas certo formaliter contenta in universali propositione revelata esset credibilis, quæcumque veritas naturaliter certa : v. g. nos nunc existere, esset fide divina credibilis. Consequens est absurdum ; ergo. *Maj. prob.* Hæc universalis est revelata : Quidquid Deus cognoscit ita esse, id ita est. Certum autem est Deum cognoscere nos nunc existere; ergo.

R. 1°. Juxta aliquos, quia ejusmodi veritates jam præsupponuntur antecedenter notæ, quam divina scientia de illis proponatur, Deus non videtur illas revelare per propositionem universalem de sua omniscientia et ex ea orta certitudine de rerum existentia : quamvis enim Deus suam existentiam, auctoritatem etiam præsuppositive jam notam revelavit ; tamen id discriminis adhuc intercedit, quod postrema revelarit non ex uno fine manifestandæ hujus veritatis, sed fidei et ad fidem necessariæ certitudinis gratia; cum e contra pro revelandis in illa universali omnibus veritatibus naturalibus non haberi videatur alius finis, quam manifestatio ; qui tamen superfluus est nec necessarius, præsupposita jam earum veritatum certa notitia. Unde *N. M.* et *ad prob. N. supp.* quod Deus revelando illam universalem intenderit etiam revelare particulares propositiones seu veritates sub ea formaliter contentas.

R. 2°. *D. seq. M.* Omnes veritates naturales sumptæ independenter aut seorsim ab universali propositione revelatæ essent credibiles fide divina *N.* sumptæ ab illa dependenter et per assensum illi revelationi innixum essent credibiles fide divina *N.* sumptæ ab illa dependenter et per assensum illi revelationi innixum essent credibiles *subd.* saltem quoad se *C.* semper etiam quoad nos *N.* Ad hoc enim per modum præviæ dispositionis requiritur, ut nobis etiam veritas certo proponatur ut revelata.

Inst. 3. Licet de fide sit, omnem hominem ab *Adamo* generatione naturali descendentem esse conceptum in peccato originali; tamen de fide non est v. g. *Ciceronem* esse in peccato originali conceptum; ergo propositione universali revelata particularis non est de fide. *Ant. prob.* Si hoc esset de fide, foret etiam de fide, *Ciceronem* extitisse: hoc non admittitur; ergo. *Maj. prob.* Revelato toto, revelatur etiam illius pars essentialis : sed pars essen-

tialis hujus propositionis : *Cicero* est conceptus in peccato originali, est illius existentia ; ergo.

Ante Responsionem suppono revelationes universales de subjecto complexo, h. e., ut affecto aliqua circumstantia, maxime quæ ad prædicatum conducit, esse *conditionatas*; quales sunt: homo vere contritus justificatur; omnis hostia consecrata continet Corpus Christi; omnis homo ex *Adamo* descendens etc. : has vero propositiones tantum *formaliter conditionate* continere singularia, v. g. si hic homo est vere contritus, justificatur ; si hæc hostia est vere consecrata etc. Ratio est, quia locutio conditionata est, quæ aliquid enuntiat dependenter a circumstantia quam non enuntiat : sic autem habere illas revelationes universales, liquet 1°. quia hæ propositiones etiam extenduntur ad individua, quæ absolute et reipsa non afficiuntur tali circumstantia; cum vi primæ revelationis vera sit hæc conditionalis: si *Judas* vere fuisset contritus, fuisset justificatus : 2°. quia Deus non habet intentionem manifestandi, talem circumstantiam absolute convenire huic et illi individuo; cum frequenter sit impertinens ad fidem Catholicam aut necessariam vel utilem: 3°. quia alias negans illam circumstantiam de particulari individuo satis notam, peccaret contra fidem. Quamvis vero purificata conditione propositio conditionata soleat fieri absoluta, et hinc etiam particularis, quæ purificatam conditionem involvit, contineatur sub universali conditionata, atque sic ob hanc revelatam illa etiam fide credibilis fiat; tamen id imprimis saltem *quoad nos* non fit, nisi post certam cognitionem de purificatione conditionis. Deinde particularis est de fide duntaxat ex suppositione : denique illa quoad omnes suas partes scilicet subjectum seu conditionem non est de fide, sed tantum quoad prædicatum seu conditionatum; eo quod quamvis locutio et revelatio ejusmodi compleatur ac integretur, sicut votum aut promissio, per conditionem positam; tamen hæc positio seu purificatio conditionis dicta et revelata non fuit : quod autem revelatum non est, credi nequit. Jam

R. *N. A.* Quia, supposita *Ciceronis* existentia et descensu ex *Adamo* ejusque certa cognitione, nobis absolute credibilis est ejus conceptio in peccato originali. *Ad prob. N. M.* Quia hæc existentia non est revelata, sed solum naturaliter cognita. *Ad ejus prob. D. M.* Revelato sine ulla conditione toto, coque quidditative et quoad omnes partes, etiam revelatur ejus pars essentialis, *C.* revelato sub conditione toto denominative tantum et quoad aliquam ejus partem *subd.* Revelatur etiam pars essentialis, quæ se habet per modum conditionati *C.* quæ se habet per modum conditionis *N.* Propositio particularis in has duas resolvitur : *Cicero* extitit descenditque ex *Adamo*; et fuit conceptus in peccato originali. Cum igitur propositio universalis, quod omnes ex *Adamo* descendentes peccaverint, sit conditionata, vi illius non fuit revelata prima propositio exponens, sed tantum secunda ex supposito existentiæ et descensus.

Inst. 4. Juxta probabilem, per omnem actum fidei etiam creditur ipsa revelationis existentia et non tantum supponi prævie potest, illam existere; ergo etiam in hoc actu fidei: *Cicero* fuit conceptus in peccato originali ; *Ciceronis* existentia et descensus ex *Adamo* non tantum prævie supponi, sed de fide credi debet: quod tamen, cum non sit revelata ejus existentia, fieri nequit.

R. *N. Cons. Disparitas est,* quia ex sententiæ illius principiis revelatio se ipsam exercite revelat, et hinc non est tantum conditio, sed objectum formale quod actus fidei, unde per eum et affirmatur et creditur: e contra existentia *Ciceronis* per revelationem propositionis non revelatur nec dicitur, sed solum attingitur per modum conditionis; unde fide divina credens, *Ciceronem* conceptum fuisse in peccato originali, non credit, sed quantum attinet ad objectum materiale hujus fidei, supponit ex parte subjecti *Ciceronem* extitisse et fuisse conceptum : ac si diceret : *Cicero,* conceptus et descendens naturali generatione ex *Adamo,* contraxit peccatum originale.

Inst. 5. In propositione particulari de tertio adjacente in materia contingente et prædicatione actualis denominationis, qualis est illa de *Cicerone,* affirmatur subjecti existentia ; ergo si creditur ejusmodi propositio, debet credi subjecti existentia; sicut dum de fide est canem *Tobiæ* præcucurisse, de fide etiam est eum extitisse.

R. *D. Cons.* Ergo si creditur absolute et sine facta suppositione, seu excludendo etiam conditionem illam implicitam universali propositioni intrinsecam, debet etiam etc. *C.* siquidem absolute creditur, non tamen cum illa exclusione aut sine suppositione declarata *N.*

Ad prob. Disparitas est, quia illa de cane *Tobiæ* est revelata immediate in seipsa et in particulari, absolutissime etiam et ex integro tam quoad subjectum quam prædicatum : alia de *Cicerone* est revelata mediate ac in alia quoad modum significandi, eaque universali ac conditionata, adeoque non absolutissime, ex integro et etiam quoad subjectum ; unde patet illam revelatam esse tam quoad secundum quam quoad tertium adjacens : hæc vero duntaxat est revelata quoad tertium adjacens et quidem ex supposito secundi adjacentis.

68. *Obj. contra* 2um. Potest dari fides theologica infirma ac imperfecta, ut patet in Petro, cui dixit Christus Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* in patre Energumeni, qui Marc. 9. exclamavit : *Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.* In quem locum S. Chrysost. *Si credit,* inquit, *quomodo dicit : adjuva incredibilitatem meam? dicamus igitur quod multiplex est fides, introductoria scilicet, et perfecta.* Sed talis dici potest fides, quæ conjungitur cum probabili solum cognitione revelationis divinæ ; ergo.

R. *D. M.* Potest dari infirma et imperfecta fides theologica naturalis *C.* supernaturalis *subd.* infirma et imperfecta ex defectu motivi formalis et modi tendendi in illud propter formidinem prudentem *N.* ex defectu sufficientis affectionis voluntatis aut fiduciæ fidem subsequentis, aut propter formidinem indeliberatam *C.* Atque hoc ipsum constat ex testimoniis allatis: nam *Petri* fides primum supernaturalis erat, sed infirma ob deficientem postea fiduciam; dein vero solum naturalis erat quando dubitabat, de quo audiendus est S. Aug. Serm. 14. de Verbis Dom. (al. in append. 72. n. 5.). *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit; sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. Non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Cf. dicta n. 60. In quonam *incredulitas* alterius fuerit, ostendunt verba ipsius priora, dum ait : *Dixi Discipulis tuis, ut ejicerent spiritum mutum, et non potuerunt..... sed si quid potes, adjuva nos.* Itaque *fides* ejus perfecta et bona fuit in eo quod Deo et in eum credenti omnia possibilia sint; quam Chri-

stus antecedenter ab illo postulabat : *incredulitas* autem adjuvanda versabatur in eo quod cum Apostolos invocato nomine Jesu nihil profecisse advertisset, de ipsius etiam potestate ac divinitate dubitaret, atque hinc ejus fides non quoad objectum formale et firmitudinem, sed quoad objectum materiale deficeret ; atque hinc etiam requisita ad miraculum confidentia careret. In hunc sensum exponenda est fides, quæ a S. Chrys. vocatur *introductoria,* cui scilicet opponitur *perfecta* tam secundum objectum formale ac materiale, quam secundum effectum fiduciæ et voluntatis affectionem efficacem.

Inst 1. Etsi amor Dei supernaturalis debeat esse super omnia, tamen non excludit amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et stare potest cum peccato veniali ; ergo etsi etiam fides debeat esse super omnia, tamen non excludit omnem formidinem de opposito, et sic stare potest cum notitia probabili de revelationis existentia. *Conf.* Assensus fidei cum probabili tantum notitia non foret supernaturalis, quia esset falsus : sed talis assensus quandoque posset esse verus ; ergo tum saltem posset esse supernaturalis.

R. *D. A.* Amor supernaturalis Dei super omnia non excludit a suo actu amorem delectabilis Deo leviter oppositi, et in eodem potest stare peccatum veniale *N.* non excludit a subjecto amorem delectabilis, et sic peccatum veniale simul in eodem subjecto stare potest *C.* Si actus amoris esset simul actus *leviter peccaminosus* non posset esse supernaturalis, utpote quem honestum ex omni parte oportet esse : quamvis vero ex dict. n. 36. peccatum veniale non impediat, ne possit elici amor Dei super omnia ; tamen id de fide supernaturali non tenet : utpote quæ habet modum tendendi in utrumque suum objectum firmissimum, qui talis esse nequiret, stante de revelationis existentia per alium etiam actum formidine.

Ad Conf. R. *N. Caus. Maj.* Ideo enim a priori non est supernaturalis, quia non provenit ab habitu vel lumine fidei supernaturali, et consequenter non habet modum tendendi proprium actui fidei supernaturalis. Hoc vero non tantum contingit, dum actus reipsa est falsus, sed et etiam dum cum formidine elicitur, aut in certitudine de revelationis existentia non fundatur.

Inst. 2. Ad hoc ut voluntas possit prudenter imperare actus *aliarum virtutum*, sufficit, quod probabiliter detur earum objectum ; ergo etiam ad hoc, ut prudenter eliciatur actus fidei supernaturalis, sufficit probabiliter dari ejus objectum.

R. *N. Cons. Disparitas est,* quia actus *aliarum virtutum* sunt piæ affectiones voluntatis, ad quas quamvis requiratur, ut judicium proximum, quo judicamus aliquid in his vel illis circumstantiis esse honestum aut licitum, semper debeat esse certum, tamen judicium speculativum, quo res aliqua judicatur in se honesta aut ita esse, quoque remote dirigitur voluntas et operatio, potest esse probabile tantum ; tum quia sæpius ad certitudinem speculativam pertingere non possumus, et si ad operationem virtutis necessaria semper foret, multi actus virtutum deberent omitti, v. g. eleemosyna pauperibus præbenda ; honor parentibus pendendus ; adoratio hostiæ præstanda etc. : tum quia voluntatis operatio recta, bona, et honesta est, quatenus est conformis dictamini rectæ rationis, quod in judicio practico et proximo certo residet, quodque hac ratione potest facere, ut sit honestum et licitum, quod reipsa

non est. E contra *actus fidei* est actus intellectus, cujus objectum est verum, et firmissimus : jam vero judicium probabile de revelationis existentia nequit facere, ut aliquid non revelatum reipsa sit revelatum, ac consequenter credibile; neque etiam prudenter imperare intellectui, ut firmissime assentiatur dari objectum fidei ac revelationem.

Inst. 3. Quamvis habeatur tantum probabilitas de existentia revelationis, voluntas tamen præstare potest, ut intellectus eliciat actum firmissimum : nam damnata est ab Innoc. XI. prop. 19. *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; ergo.

N. A. Ad prob. R. Sensum *propositionis damnatæ* esse hunc; quod voluntas non possit efficere vi sui imperii, ut assensus fidei supernaturalis nixus motivo intrinseco fidei, h. e. divina auctoritate revelante, habeat majorem firmitatem intellectualem et adhæsionis, seu majorem certitudinem, quam mereantur rationes extrinsecæ, seu signa credibilitatis et Ecclesiæ auctoritas, quæ tantum pariunt certitudinem cum falsitate absolute adhuc possibilem : unde fieret assensum fidei supernaturalem non esse infallibiliter verum; contra ac Conc. Trid. Sess. 6. c. 9. enuntiat. Ex quo liquet damnationem minime ad nostram quæstionem pertinere.

Inst. 4. Si credi nequit, de quo tantum probabiliter constat esse revelatum; ergo infidelis, cui mysteria fidei nostræ præ suis erroribus tantum probabilius videntur revelata, non tenetur credere : sed ab eodem Pontifice damnata est hæc prop. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*; ergo.

R. *D. min.* Non excusatur ab infidelitate per hoc, quod non statim et cum probabili tantum notitia revelationis credat *N.* quod alia non faciat, ad quæ ex notitia revelationis accepta tenetur *C.* Infidelis in hoc casu nec tenetur, nec potest credere, ut ex n. 59. patet; quia tamen homini ejusmodi lux aliqua affulget de vera fide, quæ est medium omnino necessarium ad salutem, tenetur diligenter inquirere et media ad eam obtinendam adhibere, quibus adhibitis Deus illi non deerit, perducetque ad notitiam sufficienter certam de revelatione. Quare hæc omittens peccat *in materia fidei*, non quia non credit, sed quia veritatem non inquirit, ut deberet; cum in materia virtutis non solum committatur peccatum tunc, quando quis, sufficiente habita præcepti notitia, illud violat, sed et dum vincibiliter seu culpabiliter id ignorat; et e contra qui hanc diligentiam præstat, excusatur ab infidelitate, eo quod impleat præceptum fidei jubentis eo in casu melius inquiri veritatem; non autem quia sequitur opinionem *minus probabilem*, quam habet de sua secta, quod unum in hac propositione damnatum fuit; eo quod nunquam liceat sequi opinionem minus probabilem, ubi datur lex, consuetudo, vel conventio de sequenda probabiliori, aut ubi periculum gravis damni imminet, quod evitare non pendet ab opinionis probabilitate.

Inst. 5. Potest credi Christi præsentia in hac numero hostia; tum quia scandalosum esset dicere, non esse *de fide* in hac numero hostia populi adorationi exposita non esse Christum : tum quia ex *Ceremoniali Romano* aliisque Diœcesanis Sacerdos viaticum administrans dicere jubetur : Credis, frater, hoc esse Corpus D. N. J. C., et infirmus respondere : *Credo.* Ergo, cum probabiliter tantum constet hanc hostiam rite consecratam esse,

sufficit probabilis notitia de formali continentia particularis in universali revelata.

R. *N. A. vel D.* Potest credi actu fidei implicite conditionato, si nempe hostia vere sit consecrata *C.* actu fidei absoluto *subd.* relate ad hostiam ut sic vere consecratam *C.* relate ad hanc numero hostiam *N.*

Ad prob. 1am. R. Quamvis id coram imperito vulgo occasio posset esse scandali, tamen reipsa et coram Theologis scandalosum non est; cum hæc propositio nihil aliud sonet, ac non esse revelatum a Deo, hanc hostiam esse vere consecratam. Unde nec esset absolute martyr, qui pro hujus propositionis veritate moreretur.

Ad prob. 2am. R. Et præceptum illud et actum fidei esse absolutum relate ad existentiam Christi sub hostia vere consecrata, implicite conditionatum autem relate ad hanc numero hostiam.

Inst. 6. Hostia, quæ ita probabiliter est consecrata, ut non detur motivum positivum prudens de opposito, est absolute adoranda; ergo etiam absolute credi potest Christi ibidem præsentia; tum quia adoratio æque exhibetur in obsequium divinum, ac actus fidei: tum quia ut hostia possit absolute adorari, debet prius absolute credi, sub illa dari objectum adoratione dignum.

R. *C. A.* Quamvis enim adoratio hæc a quibusdam dicatur præsuppositive conditionata, quatenus nempe præsupponit cognitionem, qua prudenter judicat esse hostiam vere consecratam et adesse Christum; non est tamen formaliter aut terminative conditionata, quasi diceret: adoro te Christe, si forte es sub his speciebus. *N. Cons. Disparitas* est, quia adoratio est actus *virtutis moralis* atque ad voluntatem pertinens, ac consequenter remote fundari potest in judicio solum probabili, ut proxime dictum fuit; de quo tamen ulterius adverte, judicio huic in præsenti casu nec positivum nec negativum dubium adjungi; quia nec rationes in contrarium æquales illis quæ adsunt pro vera consecratione, nec etiam nullas rationes pro utraque parte habemus; potest nihilominus *levis* quædam *formido* ex eo oriri, quod possibile sit hostiam non esse vere consecratam, vel ex defectu legitimæ ordinationis vel intentionis in Sacerdote; quæ tamen si prudenter impedire possent adorationem, omnes hostiæ ea carerent. His adde, quod, supposito etiam defectu consecrationis reipsa factæ, non committatur *idololatria* saltem *formalis;* quia non adoramus hic objectum, quodcumque ibi fuerit, sed ea refertur in Christum: unde licet intellectus invincibiliter erret judicando ibidem existentiam Christi, non errat tamen voluntas, quæ in solum Christum tendit, quem, quia judicatur ibi contineri, honestum decernit adorari.

Ad prob. 1am. R. *D.* Æque, h. e. uterque actus exhibetur in obsequium divinum *C.* Æque, h. e. eodem modo *N.* Diversissimum autem modum tendendi in actu fidei supernaturalis hactenus satis indicavimus, eumdem uberius infra declaraturi.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* Nequidem enim certum judicium speculativum in hoc et aliis virtutum moralium actibus requiri, similiter dictum est supra.

ARTICULUS III.

AN VERITAS VIRTUALITER SOLUM AC MEDIATE REVELATA SIT OBJECTUM MATERIALE FIDEI.

69. *Nota I.* Pro ratione continentiæ unius prædicati vel propositionis in alio, dicitur aliquid *formaliter* vel *virtualiter* revelatum : si aliquid sit formaliter idem cum altero, uno revelato etiam aliud dicitur formaliter revelari ; virtualiter vero dicitur revelari aliquid in alio ; si quid tantum realiter idem est cum altero formaliter revelato, cujusmodi sunt proprietates etiam metaphysicæ respectu essentiæ. Sicut vero formalis revelatio solet dici immediata, sic etiam virtualis dicitur mediata ; quæ quidem duplex est, scilicet vel *mediata* ex parte *subjecti,* ubi Deus non immediate per seipsum sed per Prophetas et Apostolos aliquid revelavit ; quam tamen hic non usurpamus : vel *mediata* ex parte *objecti,* ubi aliquid nec in se ipso formaliter etiam continetur in alio explicite revelato ; sed tantum continetur virtualiter in alio tanquam in causa et radice, aut cum eo sic connectitur, ut per legitimam consequentiam ex eo necessario deducatur.

70. *Nota II.* Licet cognitio divina non possit esse præcisiva, adeoque Deus cognoscendo alicujus rei essentiam etiam debeat cognoscere illius proprietates ; revelatio tamen divina saltem externa potest esse *præcisiva,* adeoque Deus ad extra potest revelare essentiam, quin revelet ejus proprietatem metaphysicam aut physicam. Ratio utriusque est, quia Deus in cognoscendo est *necessarius;* unde quidquid est cognoscibile ratione suæ omniscientiæ cognoscere debet : in revelando autem est *liber,* atque ad revelationem utitur signis creatis aut vocibus secundum liberam institutionem manifestativis; quæ cum exprimant unam formalitatem, quin aliam etiam realiter identificatam manifestent, etiam Deus potest unam sine altera revelare. Præterea etiam, cum revelatio non sit manifestatio quæcumque, sed talis, quæ interposita loquentis auctoritate tendit ad notitiam alicujus rei dandam audienti ; sequitur, voces et signa ex se posse audientem deducere in cognitionem cujusdam objecti, quin tamen illud proprie ac testando a loquente revelatum sit, ac consequenter credibile.

71. *Dico.* Veritas virtualiter duntaxat et mediate in altero explicite revelato contenta, non est objectum materiale fidei.

Prob. Quod non creditur aut credi potest tantum vi loquentis Dei ac revelationis, non est objectum materiale fidei ; quia formalis tendentia actus fidei est hæc : Credo hoc, quia Deus dixit seu revelavit : sed veritas *virtualiter* duntaxat et *mediate* in altero explicite revelato contenta sic non creditur nec credi potest ; nam actus fidei, quo crederem v. g. risibilitatem Christi, eo quod humanitas Christi revelata fuit, *imprimis* non potest habere hanc tendentiam : Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit eum esse hominem ; ut patet ex ipsis terminis, eo quod sic non importetur motivum fidei afficiens objectum materiale seu risibilitatem : *Deinde* neque istam ;

Credo Christum esse risibilem, quia Deus dixit esse hominem, et omnis homo est risibilis; nam talis actus partialiter nititur illi rationi philosophicæ, quod omnis homo sit risibilis : *Denique* nec hanc : Credo Christum esse risibilem, quia Deus hoc dixit; nam supponitur Deum tantum dixisse, Christum esse hominem : dicere autem, Christum esse hominem, secundum se non importat intentionem ingerendi aliquem formalem conceptum de risibili, neque intentionem manifestandi formalem conceptum seu mentem de risibili, quæ tamen intentio saltem implicita requiritur ad propriam locutionem ; ergo.

Conf. 1. Revelatio Dei *ad extra* potest esse præcisiva, et etiam de facto est; quia prout ad nos pertingit, est signum vel vox, quæ formaliter et immediate tantum nobis inferunt conceptum essentialem rei per ea significatæ; ergo ex hoc quod Deus revelet formaliter essentiam, revelationi divinæ non substant proprietates et alia prædicata, formaliter et ratione ratiocinata distincta.

Conf. 2. Ideo formaliter revelata præcise essentia, etiam proprietates essent de fide, quæ in illa *virtualiter* continentur; quia Deus illam explicite revelando, has etiam implicite revelare intenderet : sed hoc nec constat *ex se* et vi ipsius revelationis probatur : nec *ex facto;* cum potius inde sciamus Deum proprietates etiam explicite revelasse, quales sunt passibilitas et mortalitas respectu Christi, dum eas credi voluit : nec *ex fine;* cum Deus specialem habere possit et habeat sæpe finem ad revelandam essentiam, v. g. humanitatem Christi, quam ad revelandam proprietatem, v. g. passibilitatem vel risibilitatem ejusdem; ergo.

72. *Obj. I.* Revelato aliquo prædicato, revelantur omnia cum ipso realiter identificata, quia quidquid verificatur de uno, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis; ergo.

R. *N. A. Ad prob. D.* Quidquid verificatur de uno formaliter accepto, verificatur etiam de aliis realiter cum illo identificatis *N.* quidquid verificatur de uno realiter accepto *subd.* verificatur etiam quomodocumque, nempe vel vi naturalis connexionis vel vi revelationis, de aliis realiter identificatis *C.* verificatur præcise vi revelationis *N.* Minime autem ex his inferri posse contradictionem, vel ipsi Adversarii probant, dum fatentur essentiam revelari formaliter et immediate, proprietates autem virtualiter duntaxat et mediate. Quod porro nec formaliter reveletur proprietas, revelata formaliter essentia, et revelatio essentiæ sit præcisiva, ex superioribus satis liquet.

Inst. 1. Deus revelando aliquam rem, eam revelat juxta suam naturam, quam reipsa habet; tum quia revelatio Dei est manifestatio scientiæ, quam habet Deus de illa re : tum quia Deus revelando v. g. *Christum esse hominem,* non voluit dicere, eum esse hominem metaphysicum seu metaphysice sine proprietatibus sumptum : tum quia revelat juxta communem et humanum modum loquendi, secundum quem quando dicitur v. g. homo, non solum dicitur ejus essentia, sed etiam ipsius connaturalis status, ut moles corporis cum sua extensione, quantitate et organizationibus : tum quia revelato de Christo esse hominem, est de fide, Christum habuisse omnia ad statum connaturalem pertinentia, nisi specialis ratio vel fides ipsa nos cogat aliquid excipere; ergo.

R. *D. A.* Revelat secundum naturam, quam reipsa habet, et in quantum eam revelatio externa exprimit *C.* simpliciter secundum naturam, quam reipsa habet *N.* Equidem nihil revelat de aliquo, quod reipsa non habeat; non tamen omnia, quæ habet, revelat.

Ad prob. 1am. R. *D.* Revelatio est manifestatio vel adæquata vel inadæquata scientiæ, quam Deus de aliqua re habet *C.* semper adæquata *N.*

Ad prob. 2am. R. *D.* Non voluit dicere Christum esse hominem metaphysicum etc. h. e. noluit dicere Christum habere tantum essentiam metaphysicam hominis, non autem proprietates *C.* noluit vi hujus revelationis solum manifestare ac credendam proponere essentiam hominis metaphysicam de Christo *N.*

Ad prob. 3am. R. *D.* Secundum communem loquendi modum, dum dicitur homo, per se loquendo dicitur etiam ejus status connaturalis etc. *N.* per accidens et si ex circumstantiis loquentis intentio colligitur, dicitur etiam status connaturalis etc. *C.* Hoc postremo modo v. g. si interroganti, an sacrificium missæ sit cultus Deo gratus, quis responderet, ipse Christus id instituit, per hoc implicite omnino diceret id Deo placere, quamvis hæc complacentia solum sit terminus, quocum connectitur Christi institutio: hinc Paulus 1. ad Cor. 15. ex resurrectione Christi *ut causæ exemplaris et meritoriæ* probat esse de fide nostram omnium resurrectionem, ut ibid. explicat lect. 2. S. Thomas.

Ad prob. 4am. *D.* Ex vi illius revelationis secundum se spectatæ de fide est Christum habuisse omnia etc. *N.* simul cum aliis circumstantiis sumptæ, aut vi aliarum revelationum, ubi Christus ad Hebr. 4. dicitur homo *nobis per omnia similis absque peccato C.* Nempe quamvis ad propriam locutionem de aliqua veritate requiratur, 1°. signum externum aptum ad illam formaliter manifestandam seu ingenerandam formalem ejus notitiam saltem implicitam, et 2°. loquentis intentio hoc faciendi; tamen cum utrumque locutioni possit convenire non tantum per se loquendo, sed etiam per accidens ratione circumstantiarum extrinsecus occurrentium, fit ut illa verba: Christus est homo, ut affecta aliis circumstantiis ac contextu, significent Christum habuisse corpus organicum perfectum, cum omnibus quæ ad connaturalem hominis statum pertinent.

Inst. 2. Deus agendo ad extra nequit producere essentiam metaphysicam, non producta ejus proprietate metaphysica; ergo nec revelare: præsertim quia sicut ad extra operando operatur secundum rerum exigentiam, nisi velit patrare miraculum, sic etiam debeat dici revelare.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia *productio* terminatur ad rem, prout hæc est a parte rei et in esse physico: *revelatio* autem terminatur ad rem prout substat intentioni loquentis ad cognitionem audientis directæ atque hinc in esse intentionali; unde quidem implicat produci rem sine altera sibi realiter identificata, quia idem alias esset et non esset productum: non vero repugnat unam formalitatem distinctam ab altera sine hac revelari.

Ad rationem N. supp. Cons. Quia nec revelatio, utpote quæ potest esse præcisiva, nec proprietas, tanquam formaliter distincta, exigunt ut revelata essentia reveletur proprietas.

Inst. 3. Revelata universali hac: *omnis homo est mortalis*, credi potest

hæc particularis : hic studiosus est mortalis, licet non includatur formaliter in illa ; cum hujus subjectum non includatur formaliter in subjecto illius, eo quod homo formaliter non sit studiosus. *Conf.* Ex eo quod revelatum sit Christi Corpus esse in Eucharistia, de fide est juxta Trid. etiam ibi adesse sanguinem, animam et divinitatem vi naturalis connexionis et concomitantiæ ; ergo etiam ex eo quod Christum esse hominem sit revelatum, de fide erit eum esse risibilem.

R. *D.* Particularis credi potest quoad prædicatum *C.* credi potest quoad subjectum *N.* Similiter illud additum *D.* particularis non includitur formaliter quoad prædicatum *N.* quoad subjectum *C.* Patet ex dictis pr. artic. subjectum propositionis particularis in universali contentæ non credi sed supponi, quia in universali non revelatur absolute subjectum sed duntaxat prædicatum ; cum vero hoc, nempe mortalitas formaliter sit idem in propositione particulari et universali, supposito ut certo, quod hic studiosus sit homo, possum fide credere quod sit mortalis.

Ad Conf. D. A. De fide etiam est adesse sanguinem, animam et divinitatem præcise ac vi solitariæ connexionis et concomitantiæ naturalis *N.* vi connexionis ac concomitantiæ ut substantis alteri revelationi *C.* Christi corpus in Eucharistia habere sanguinem et animam saltem formaliter implicite revelatum est in illo ad Rom. 6. 9. *Scientes, quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Quod habeat divinitatem similiter revelatum est in eo Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est.* Quæ bina cum illo Matth. 26. 26. *Hoc est corpus meum*, constituunt quasi præmissas revelatas, in quibus illa conclusio de præsentia sanguinis, animæ ac divinitatis formaliter continetur. Vi autem verborum illorum, *hoc est corpus meum,* sicut juxta Trid. nequidem formaliter ponitur sanguis et anima, sic etiam non creditur.

Inst. 4. Revelata re metaphysice connexa cum termino aliquo, revelatur etiam terminus ; quia ex hoc Genesis 1. dicto : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* ubi revelatur actio, potest credi existentia cœli et terræ creata a Deo, tanquam effectus : sed terminus metaphysicæ connexionis non continetur *formaliter* in re connexa ; ergo credi potest aliquid etiam formaliter non contentum in revelato. *Conf.* Revelato uno correlativo etiam revelatur alterum, quia correlativa sunt simul natura et cognitione ; ergo etiam revelata essentia, revelantur proprietates, quia essentia radicans et proprietates radicatæ sunt duo correlativa.

R. *N. M.* Si enim non revelantur realiter identificata, multo minus termini metaphysicæ connexionis revelantur. *Ad prob. N. Cons.* Nam dicere, Deus creavit cœlum et terram, est formaliter dicere, quod Deus dederit esse et existere cœlo et terræ, cum propositio activa et passiva formaliter idem enuntient. Revelationes autem non sunt accipiendæ in sensu grammaticali, sed morali et humano, secundum intentionem loquentis, prout ex contextu et aliis circumstantiis colligi potest. Si autem ita attendatur illud testimonium Scripturæ, absque dubio formaliter hic revelata significatur existentia cœli et terræ a Deo creata.

Ad Conf. R. ex modo dictis *D. A. et Cons.* Revelato correlativo qua tali et essentia qua radicante, revelatur saltem implicite aliud correlativum et pro-

prietas radicata *C.* revelato illo, quod est correlativum aut essentia radicans *N.*

73. *Obj. II.* Ad hoc ut aliquid sit de fide, sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei: sed si constet de identitate hominis cum risibili, possum asssentiri risibili propter testimonium Dei revelantis hominem; ergo. *Conf.* 1. Quando revelatur proprietas aut actio unius, vi hujus revelationis potest etiam credi illius essentia et existentia; ergo a contrario dum revelatur essentia, credi potest proprietas. *Conf.* 2. Ad fidem sufficit revelatio mediata ex parte *subjecti*; item connexio revelationis cum objecto revelato; ergo etiam mediata ex parte *objecti*, item connexio proprietatis cum essentia ut revelata.

R. *D. M.* Sufficit ut illi possim assentiri propter testimonium Dei ut illud dicentis *C.* ut dicentis aliud, cui illud est identificatum aut connexum *N.* Sic enim non creditur propter testimonium, sed assentimur illi propter identificationem vel connexionem, unde quidem scientia theologica seu actus ad habitum Theologiæ pertinens, non autem actus fidei theologicæ sequitur.

Ad Conf. 1am. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia regulariter loquendo, si ex parte prædicati revelatur proprietas vel actio, simul ex parte subjecti revelatur ejus essentia et existentia; cum hæ sint quasi prædicata superiora, quæ in inferioribus formaliter continentur: e contra, revelata essentia, proprietas nec ex parte prædicati nec ex parte subjecti revelatur; quia hæc in essentia æque parum, ac inferiora in superiori, formaliter continetur.

Ad Conf. 2am. R. *Disparitas* est, quia revelatio ex parte *subjecti* mediata extendit se ratione sui et formaliter ad objectum: quæ autem se tenet ex parte objecti, non ratione sui objectum mediatum afficit, sed solum ratione identitatis realis aut naturalis connexionis connotat. *Item* quia prior connexio est ipsa revelatio divina infallibilis adeoque fidei objectum formale; posterior est vel identitas vel necessaria connexio, quæ objectum formale *sciêntiæ*, non item *fidei* esse possunt.

Inst. 1. Ad habitum charitatis non solum pertinet, amare Deum propter se ipsum, sed etiam proximum propter Deum; ergo et ad habitum fidei, non solum credere essentiam propter revelationem divinam, sed proprietatem quoque propter essentiam revelatam. *Conf.* 1. Quamvis creaturæ contineantur in Deo solum virtualiter; tamen earum cognitio in beatis pertinet ad lumen gloriæ; ergo et quamvis proprietas virtualiter duntaxat in essentia contineatur, tamen assensus de proprietate potest, facta essentiæ revelatione, spectare ad habitum fidei. *Conf.* 2. Actus, quo detestor peccatum propter malitiam ejus ut offensæ Dei, est actus theologicus pertinens ad charitatis habitum, licet eo immediate non attingam Dei bonitatem tanquam objectum formale quod; ergo et actus, quo credo risibilitatem ut realiter identificatam essentiæ revelatæ, est actus proprie theologicus et pertinens ad habitum fidei, licet eam non credam immediate propter revelationem divinam.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia sicut proximus a bonitate divina essentialiter pendet et ad eam refertur, sic etiam supponitur amari propter illam;

unde in amore proximi est motivum formale charitatis, ob quod amor ille merito refertur ad charitatis habitum : e contrario revelatio divina non connectitur cum proprietate, a qua dicens essentiam præscindit ; adeoque nequit esse motivum ad eam credendam.

Ad Conf. 1am. R. *D. A.* Cognitio creaturarum in quocumque medio a beatis habita pertinet ad lucem gloriæ *N.* formaliter in Verbo seu in divina essentia a beatis habita *C.* Quia vero ad hanc habendam requiritur, ut actus, quo cognoscitur essentia divina, idem sit, quo cognoscuntur creaturæ, et præterea Dei essentia sit ratio formalis ac motiva, cur creaturæ cognoscantur; patet hanc formalem in verbo cognitionem creaturarum omnino pertinere ad lumen gloriæ; cum ex opposita ratione assensus proprietati præstitus ad fidem pertinere nequeat.

Ad Conf. 2am. R. Ejusmodi actum detestationis (si supponatur tam objectum materiale scilicet peccatum, quam formale scilicet malitiam aversari, neque habere pro objecto formali *ut quod,* saltem partiali, bonitatem divinam, quam prosequatur) non esse theologicum neque pertinere ad habitum charitatis, utpote cujus objectum formale, a quo tamen tam actus aversativus quam prosecutivus virtutis specificari debet, *ut quod* non attingit. Si vero ejusmodi detestatio sit quidem aversativus objecti materialis, sed tamen vel partialiter vel totaliter prosecutivus, ratione objecti formalis, erit quidem theologicus et spectans ad charitatem ; sed quia hinc etiam proprium motivum charitatis habet, aperte discrimen inter *Ant.* et *Cons.* elucescit.

Inst. 2. Multa sunt de fide quæ *virtualiter* tantum sunt revelata. *Prob.* Quæ Ecclesia definit, sunt de fide : sed Ecclesia multa definivit, quæ tantum sunt virtualiter revelata, v. g. Christum habere duas voluntates, quod tantum *virtualiter* revelatum erat in revelatione duplicis in Christo naturæ ; ergo. *Conf.* Negans Christum esse risibilem censeretur hæreticus, quia revelatum est Christum esse hominem ; imo esset formaliter hæreticus, quia qui negat proprietatem, negat etiam essentiam, et hinc, negata risibilitate, negaret humanitatem revelatam ; ergo aliquæ veritates sunt de fide ex vi revelationis, in qua virtualiter tantum continentur.

R. *N. Ass. Ad prob. D. M.* Quæ Ecclesia definit ut credenda, sunt de fide *C.* quæ definit tantum ut theologice certa *N.* Similiter *D. m.* Ecclesia multa definit ut credenda, quæ tantum sunt virtualiter revelata *N.* ut theologice certa *C.* De fide credendum nihil Ecclesia proponit, nisi quod implicite saltem est revelatum in verbo Dei scripto vel tradito : potest tamen id quod virtualiter in revelato continetur, proponere tanquam theologice certum, ita ut oppositum illi sentire sit temerarium et schismaticum, non vero hæreticum ; duas enim in Christo esse voluntates revelatum est *immediate* in Scriptura. Ex hac constat Deum habere propriam voluntatem, et Christum esse Deum, ac consequenter habere voluntatem divinam : præter hanc autem alteram adhuc fuisse in Christo voluntatem nempe humanam, similiter habetur in Sacris Litteris, ubi Christus Luc. 22. dixit : *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Cæterum hic non suscepimus definire in particulari, sitne de fide hæc vel illa veritas singularis.

Ad Conf. R. *D.* 1am. *p. Ant.* Censeretur hæreticus, quia præsumeretur

negare humanitatem explicite revelatam *C.* quia et si præcise negaret aut connexionem inter humanitatem et risibilitatem aut revelationem risibilitatis *N.* Circa hunc *syllogismum :* Omnis homo est risibilis : Christus est homo; ergo Christus est risibilis; triplex casus est possibilis : 1°. ut quis non penetret connexionem essentiæ ac proprietatis : quo casu ille negaret majorem, nec dici posset hæreticus, ut per se liquet : 2°. ut quis, penetrata connexione illa et præmissis concessis, neget consequentiam; quo casu quia præsumitur negare conclusionem non ex eo quod neget evidentem illationem, neque etiam præmissam naturaliter evidentem; sed quod neget præmissam revelatam, quæ est obscura, etiam præsumitur et arguitur esse hæreticus; quamvis si reipsa non negaret revelatam præmissam, revera non foret hæreticus : 3°. ut quis penetret illam connexionem et concedat etiam totum, sed neget consequens esse de fide; et sic non foret nec præsumi posset hæreticus, sed responderet secundum nostræ sententiæ principia.

Ad 2am. *p. N. Ass. et ejus prob. D.* Qui negat proprietatem, negat etiam essentiam ut emanantem talem proprietatem *C.* negat eam absolute sumptam, secundum se, et prout est revelata *N.* Potest enim quis, ex proxime dictis, negare connexionem proprietatis cum essentia, adeoque negando proprietatem non negare essentiam.

74. *Observa.* Ex priore præsentique articulo, corollarii more, inferri decidique solet, num *fide divina* credi possit, quod hoc numero Concilium repræsentet Christi Ecclesiam : præsens Romanus Pontifex sit verus Papa et Christi Vicarius : hic Sanctus solemniter a Papa canonizatus fruatur æterna beatitudine. Sed quia singulares sunt cum Hæreticis æque ac Catholicis controversiæ de *Majore* revelata et *Minore* naturaliter certa, quæ tanquam præmissæ afferuntur pro illis veritatibus in conclusione affirmandis; hinc ad illas controversias in altera parte plenius respondere licebit.

CAPUT II.

DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN SPECIE.

Nomine objecti materialis fidei *in specie* designamus hic articulos fidei Catholicæ, qui id ultra objectum fidei materiale addunt, quod sint fidei propositiones de re ejusmodi, quæ per se ad fidem spectet, et specialem credendi difficultatem contineat. In hujus autem argumenti pertractatione primo quidem de Symbolis, utpote articulos fidei nostræ continentibus, tum de articulis ipsis, demum de quibusdam eorum affectionibus disseretur.

ARTICULUS I.

AN OBJECTUM MATERIALE FIDEI CONVENIENTER TRADATUR IN SYMBOLIS FIDEI?

75. *Nota.* Symbolum, *vi nominis,* collationem significat, *ex usu* sumitur pro indicio ac tessera; prout fidei applicatum dicitur summa vel comprehensio fidei seu credendorum simplex, brevis et plena : ut nempe simplicitas ruditati, brevitas memoriæ, plenitudo consulat doctrinæ. *Finis* symboli hujuscemodi conficiendi generatim fuit triplex: 1°. ut docentes haberent unam eamdemque fidei regulam, quam omnibus proponerent : 2°. ut discentes tenerent fidei formulam, quam memoriæ facile mandarent et frequenter profiterentur : 3°. ut fideles secum invicem consentirent, ab infidelibus discernerentur et a falsis Doctoribus tuerentur. Symbolorum præcipuorum tria communius referuntur : *Primum* dicitur Apostolicum, habetque pro auctoribus Apostolos, incipit : *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Secundum* dicitur a S. Thoma symbolum Patrum, ab aliis Nicæno-Constantinopolitanum, quia a Patribus in Concilio Nicæno I. inchoatum, in Constantinopolitano I. auctum fuit, incipit : *Credo in unum Deum. Tertium* dicitur Athanasianum, atque tribuitur S. Athanasio episcopo Alexandrino, et incipit : *Quicumque vult salvus esse.*

76. *Dico.* Objectum materiale fidei in memoratis tribus Symbolis convenienter traditur.

Prob. Convenientia hæc patet 1°. ex *argumento* symbolorum; tum quia in iis continetur, quidquid explicite credi debet : tum quia in iis ponitur, quod per se pertinet ad Dei beatitudinis nostræ, Christi viæ salutis nostræ, aliorumque mediorum cognitionem, propter perfectionem et obedientiam intellectus, spem firmandam et excitandam charitatem : tum quia alii magis particulares fidei articuli in his generalibus virtualiter continentur. 2°. Ex particularibus symbolorum *finibus*, qui in *primo* erat instructio fidelium, in *secundo* refutatio hæresum tunc natarum, in *tertio* major declaratio et mysteriorum explicatio. 3°. Ex *auctoritate* symbolorum, quam non Auctores eorum duntaxat, de quibus mox dicetur, sed et Ecclesiæ propositio conciliavit; cum illa fecerit hæc symbola sua, et Apostolicum omnibus fecerit commune, illud Patrum singulis dominicis et festis solemnioribus sacerdotibus in Missæ sacrificio, ministris autem Athanasianum in Officio Divino recitandum præceperit.

77. *Observa.* Equidem fidei articuli omnes non in his symbolis, sed in professione fidei juxta præceptum Concilii Tridentini aperte continentur; verum nec illud symboli ratio permittebat, aut exigebat, nec necessitas errorum oppositorum urgebat, nec ratio disciplinæ patiebatur. Hinc quamvis articulus de Eucharistia antonomatisce vocetur mysterium fidei, tamen in nullo symbolorum vel de illo vel de alio Sacramento præter Baptismum fit mentio; quia Apostoli et Patres voluerunt duntaxat tradere compendium doctrinæ fidei de iis, quæ spectant ad fidem speculativam, et quæ indiscriminatim, ab omnibus adultis credi debent ante Baptismum; reliqua enim

explicabantur tunc, quando per Baptismum erant facti aliorum Sacramentorum participes, et eorum urgebat præceptum ; quod ipsum de Eucharistia testatur S. Aug. Tr. 11. in Joannem n. 3. Quod dissonantiam lectionum, præsertim circa symbolum Apostolicum, attinet, aut ad particulas quasdam et verba ab hoc symbolo omissa, ab alio asserta spectat, negandum non est, occasione posteriorum hæresum, nonnulla, doctrinæ substantiam nihil immutantia, fuisse adjecta, vel, quia rudibus jam abunde nota neque tum controversa, subinde esse omissa.

De Christi vero ad inferos descensu, quem David Psalm. 15. 10. Petrus Act. 11. 22. prædicavit, notandum venit ipsum dogma ab antiquissima Patrum traditione confirmari, cum de eo testentur Iren. L. 5. adv. Hær. c. 31. n. 1. et L. 4. c. 45. (al. 28. n. 2.), Clem. Alexand. Strom. L. 6. (opp. p. 637. C. edit. Morelli, Paris. 1629.), Tertull. de Anima c. 7. et 55., Orig. hom. 15. in Gen. n. 5. (opp. t. 2. p. 101. F.) et L. 2. cont. Celsum n. 43., Athan. L. 2. cont. Apollin. de salut. Adv. Christi n. 15., Hilar. Pictav. in Ps. 53. n. 14., Basil. in Ps. 48. n. 9., Greg. Nazianz. hom. 45. de Pasch. n. 24., Epiphan. hom. in Sepulch. Christi (opp. t. 2. p. 267.), Aug. L. 20. de Civit. Dei c. 15., Hieron. in c. 2. Jonæ v. 6., Leo M. Serm. 25. c. 5. et alii. Quanquam vero symbola Patrum de eo mentionem non faciant, id tamen articuli veritati minime officit; tum quia extat in symbolo apud Cyrill. Hier. Catech. 4. n. 5. et apud Epiphan. L. 2. adv. hæres. in compendio fidei, qui ambo floruerunt seculo quarto : tum quia si omissum est, testante Rufino in exposit. Symbol. n. 18., id evenit quia videtur hic articulus intelligi in verbis præcedentibus, *mortuus et sepultus est* : tum si recens adjectum fuit, id factum est ob majorem *Apollinaristarum* et *Lucianistarum* Arianorum, animam Christi negantium, confutationem ; quin tamen hunc articulum referre deberent Patres Nicæni, qui dum adversus universam Arianorum sectam Christi cum Patre consubstantialitatem et passionem profiterentur, hoc ipso et *Apollinaristarum* et *Acacianorum* errorem confodiebant.

Quæres I. *An Apostoli condiderint Symbolum, quod dicitur Apostolicum?*

78. *Nota. 1.* Triplici modo symbolum dici potest Apostolicum : 1°. quatenus Scripturis et Apostolicæ doctrinæ non repugnat : 2°. quatenus ab Apostolorum temporibus jam traditum ac pervulgatum fuit : 3°. quatenus ita est ab Apostolis traditum, ut ab iis quoque conditum sit atque digestum. Quoad duplicem priorem usurpationem, consentiunt plerique omnes symbolum recte dici Apostolicum ; unde et *Calv.* L. 2. Inst. c. 16. *Neque enim dubium est,* inquit, *quin a prima statim Ecclesiæ origine, adeoque ab ipso Apostolorum seculo, instar publicæ et omnium calculis receptæ confessionis obtinuerit.* Veritas autem ipsa patet ex testimoniis antiquissimorum Patrum, quæ recitat Nat. Alex. Dissert. 12. Sec. I. ex qua sufficiat laudasse Iren. Tertull. et Hieron. quorum primus L. 1. adv. hæres. c. 10. n. 1. (al. c. 11.), de symbolo, cujus partem repetierat, ait, *Ecclesiam per omnem terrarum orbem dispersam ab Apostolis eorumque discipulis accepisse eam fidem;* alter L. de Præscript. c. 37. *In ea,* inquit, *regula incedimus quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit;* quod autem hæc de symbolo scribat Tertullianus, patet ex L. de vel. Virgin. c. 1. ubi ait: *Regula fidei*

una omnino est... credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus J. C. etc. Postremus L. cont. Joann. Hieros. n. 28. asserit, *Symbolum fidei et spei nostræ ab Apostolis traditum.* Quoad ultimam vero acceptionem, Apostolicum negant, contra unanimem fere Catholicorum sententiam, alii non pauci, inter quos, post *Calvinum* et *Erasmum,* præcipui sunt Gerard. Vossius diss. 1. de S. Symbolis, Dupin in Nov. Biblioth. Tom. 1., Auctor Anglus in Hist. Symb. Apost.

79. *Nota II.* A quæstione hac controversa distinguendæ sunt aliæ duæ, quæ versantur circa *tempus* et *modum,* quo symbolum ab Apostolis conditum fuit; quamvis enim temporis, finis ac modi cognitio admodum explorata non habeatur, id tamen ipsam rerum narratarum substantiam minime elevat; si quidem hæc non repugnat et validis testimoniis firmatur. De *tempore* quidem sententiæ præcipuæ sunt: 1°. quorumdam, qui editum symbolum putant in eo cœtu centum et viginti virorum, de quo Act. 1. mentio habetur: 2°. Baronii, ad an. 44., qui arbitratur conditum anno secundo Claudii paulo post mortem Jacobi Majoris: 3°. Rufini Præf. in exposit. symb. et Isidori Hispal. de Eccles. offic. L. 2. c. 23. qui statuunt illud esse confectum statim post adventum Spiritus sancti, ubi Apostoli ab invicem discessuri normam prædicationis, baptizandorum Catechesin, et Ecclesiarum institutionem in unam formulam conferendam existimarunt. De *modo* autem 1ª. sententia est August. Serm. 115. de temp. (al. in Appen. serm. 241. n. 1.), Leon. M. in ep. 13. (al. 31. c. 4.) ad Pulcheriam, aliorumque, qui volunt singulos articulos symboli a singulis Apostolis esse statutos: 2ª. est Ratberti Paschasii et communior Recentiorum, qui putant Apostolos condidisse hoc symbolum in commune consulentes, ea ratione qua eduntur Canones in Synodis Episcoporum.

80. *Dico.* Ipsi Apostoli Symbolum Apostolicum condiderunt.

Prob. Ex Patrum testimoniis num. 78 laudatis, quibus accedunt S. Ambros. L. 1. ep. 7. (al. 42. n. 5.) ad Siricium, Cœlestinus I. in epist. ad Nestorium (Labb. t. 3. p. 357. A.), Rufinus et Leo M. locis cit., Cassian. L. 6. de Incarn. c. 3. et 4., S. Maxim. hom. de tradit. symb., Patres Conc. Ephesini in Relatione ad Imp. de Nestorii depositione (Labb. t. 3. p. 570. D.), aliique, qui illud symbolum vocant *Apostolorum,* vel dicunt *Apostolorum signatum sententiis,* vel *per Apostolos traditum* aut *ab Apostolis traditum acceptumve* pronuntiant; atque hæc quidem non ex proprio quasi invento, sed ex traditione prædecessorum proferunt. Unde Rufinus de symbolo præfationem his verbis orditur: *Tradunt Majores nostri*; Hieron. vero, August. aliique symboli interpretes illud tanquam vetustissimum et a primis Christianis acceptum laudant.

Conf. Juxta S. Aug. regulam, L. 4. de Bapt. cont. Donat. c. 24. datam, *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica,* h. e. ab ipsis Apostolis auctoribus, *traditum rectissime creditur.* Sed Ecclesia universa imprimis tenet hoc symbolum, ipsis Adversariis fatentibus: idem dein semper seu a primis jam seculis retentum fuit, cum Patrum productorum quidam seculo secundo et tertio floruerint, et alii testentur de antiquitate symboli; ex quo denique liquet, idem non fuisse editum in Concilio Œcumenico, quorum primum seculo

quarto habitum fuit. Præterea autem cum particulare Concilium nullum assignari possit, neque etiam ostendi quomodo a particulari editum fluxerit ad universam Ecclesiam, neque singularis aliquis auctor unquam fuerit proditus, aut cum fundamento atque auctoritate, ad universalem adeo receptionem necessaria, proferri queat; sequitur symboli originem nonnisi ab Apostolis repeti posse.

81. *Nec dicas* 1°. Si symbolum esset ab Apostolis compositum; Lucas hoc retulisset in Actis Apostolorum, vel Apostolus alius suis inseruisset epistolis. 2°. Deberet esse pars Scripturæ ac Canonicum, licet ab aliis scriptum; uti sunt Epistolæ Pauli, quarum illa ad Ephesios per *Tychicum*, ad Romanos per *Phœben*, ad Philippenses per *Epaphroditum* scripta est. 3°. Idem fuisset in omnibus Ecclesiis; cum tamen diversa sint, quæ Orientales habent, ab usurpatis in Ecclesia Occidentali, et in hac etiam Romanum ab Aquileensi et Ravennatensi.

R. *N. seq. Ad* 1um. R. S. Lucas, ut notat Hieron., *multa prætermisit historiographi licentia*, nec omnia ab Apostolis dicta aut facta perscripsit. Ratio vero cur ipse et alii in epistolis Canonicis prætermittere symbolum poterant, erat tum ejusdem divulgatio jam facta et ad omnes fideles perlata notitia, tum quod eo fine editum fuit *ut non atramento aut charta scriberetur, sed in tabulis cordis*, ac memoria retineretur, ut affirmant Hier. supr. cit. et August. Serm. 75. de diversis. (al. 212. n. 2).

Ad 2um. R. *N. seq.* quoad partem Scripturæ, ex modo dictis; ex quibus uti et ex Rufino l. c. et Chrysologo Serm. 62. constat symbolum viva solum voce, non autem scripto, fuisse ab Apostolis conditum; quomodo autem quod traditum est et non scriptum, Scripturæ pars dici potest? Ad vocem *Canonicum D.* deberet esse Canonicum hoc sensu, quo aliquid tale dicitur, quod est in Scripturæ canone *N.* quo dicitur tale, quod est Canon sive regula fidei, qua ratione etiam Traditiones non scriptæ canonicæ dicuntur *C.* Quæ de Scriptoribus *Paulianarum epistolarum* adduntur, lapsus sunt *Basnagii* et divinationes; cum memorati transtulisse quidem illas epistolas, non autem scripsisse legantur.

Ad 3um. R. *N. Seq.* Diversitas autem symbolorum, quæ ad voces duntaxat aut quædam additamenta ex dictis pertinet, mira videri non debet, cum symbolum, quod una duntaxat lingua, *Hebraica* scilicet aut *Syriaca*, compositum et sola traditione erat diu servatum, in diversarum linguarum translatione facile aliquam mutationem tulerit. Cæterum in Romana Ecclesia eadem forma, ordine ac sententia Apostolicum symbolum fuisse recitatum, quibus fuit conditum, testantur Rufinus, et Ambros. ad Siric.

82. *Nec dicas* 2°. Symboli 1. nec erat *necessitas;* quia hæc oritur ab hæresibus, quarum tamen nullæ Apostolorum tempore natæ fuerant: nec *usus;* quia Patres primorum seculorum auctoritate hujus symboli nunquam conati sunt doctrinam contra hæreticos stabilire; unde videtur illis aut ignoratum, aut persuasum fuisse illud non fuisse editum ab Apostolis: neque *æstimatio;* cum in Missa non canatur symbolum Apostolicum sed Constantinopolitanum. 2. Tertullianus in relatione symboli (L. de vel. Virgin. c. 1.) non refert articulos de Christi descensu ad inferos, de Spiritu

sancto, de Ecclesia et sequentibus : Hieronymus vero et Rufinus notant symbolum Apostolicum concludi articulo resurrectionis, et sic postremum de vita æterna abesse : unde nec *Romanum* dici potest Apostolicum, nec illi possunt intelligi de Apostolico jam vulgato. 3. Vox *Catholica,* Ecclesiæ in symbolo addita, neque in Aquileensi habetur, nec legebatur a Rufino et S. Augustino; cum ille hanc vocem non exposuerit, iste autem declarationis tantum causa, in L. de Symb. ad Catechum. c. 6. n. 14. addiderit : quin nec verosimile est hanc vocem ab Apostolis esse appositam; tum quia modo post tempora Apostolorum Ecclesia fuit *Catholica,* h. e. universalis et per totum orbem diffusa : tum quia eo tempore Christiani necdum dicebantur *Catholici,* nec Ecclesia *Catholica;* ut scribit S. Pacian. epist. 1. ad Sympronianum n. 3.

Ad 1um. R. *N. triplicem ejus partem.* In specie autem, *Ad* 1^{am}. *p.* R. Falsum est imprimis tum temporis non fuisse natas hæreses, cum grassarentur *Simoniani, Cerinthiani* et *Ebionitæ,* et fidelibus obreperent pseudoprophetæ ac falsi fratres, ut notat S. Paulus in suis epist. Deinde poterant et volebant Apostoli fidei et Ecclesiæ consulere in futurum. *Ad* 2^{am}. *p.* R. Similiter falsum esse quod Patres symbolo non fuerint usi ad refellendos Hæreticos, cum contrarium manifestum sit ex S. Irenæo et Tertulliano. Præterea cum Patres impugnarent Hæreticos ex Scriptura, quam fere unam isti ad probationem admittebant, quæque articulos symboli clare continet, opus non erat confutare hæreses ex symbolo. *Ad* 3^{am}. *p.* R. Cum symbolum Constantinopolitanum non sit diversum ab Apostolico, sed hujus tantum major explicatio contra novas hæreses, recitatione illius in Missa et hoc satis commendatur; quanquam Romana Ecclesia etiam Apostolicum ter saltem quotidie in Divinis Officiis, et in privatis precibus frequentissime recitet.

Ad 2um. R. Non Tertullianus solum, sed et Iren. aliique, totum symbolum, ut ab Apostolis traditum, non exscribunt, sed præcipua aut plurima tantum capita, prout videbantur contra Hæreticos necessaria, reddunt; atque hinc etiam iidem variis in locis verba varia usurpant. Cæterum Tertullianum ex industria etiam omisisse memorata, probabile fit ex ejus cum *Montanistis* commercio, qui peccata graviora irremissibilia contendebant, et Ecclesiam Catholicam, quam vel in tribus laicis conservari posse dicebant, injurioso *Psychiorum* nomine infamabant. Vitam æternam, quam non addunt Hier. et Rufinus, legerunt Ambros. et Chrysol. cum aliis. Præterea, ut notat S. Thomas 2. 2. q. 1. a. 8. in 0., vita æterna pars est gloriæ spectans ad animam, quam profitemur per carnis resurrectionem de corpore; quin et ipse Rufinus sic priorem de resurrectione articulum exposuit, ut in eo illum de vita æterna intelligi doceret.

Ad 3um. R. Concedunt aliqui τὸ *Catholicam* non fuisse additum symbolo Apostolico, cum hæc non sit nota nascentis et quasi infantis Ecclesiæ. Alii communius id negant, cum et Cyr. Hier. in Catech. 18., Chrysologus Serm. 57. et Auctor Tr. de Symb. (al. de Trinit. opp. S. Ambros. t. 2. part. 2^{a}.) hanc vocem legerint. Poterant vero eam usurpare Apostoli; tum quod *Catholicam* non restringatur ad unam locorum universalitatem : tum quod Apostoli, præscii futuræ dilatationis per Orbem universum, hanc notam sine falsitate potuerint Ecclesiæ tribuere. Quantumvis autem salva maneat

S. Paciani auctoritas, liquet tamen ex Eusebio L. 5. Hist. Eccl. c. 15. et 16. Christianorum Ecclesiam et a Smyrnensibus in epistola encyclica, et ab Apollinari Hieropol. jam ante nominatam fuisse Catholicam.

Quæres II. *An S. Athanasius auctor sit Symboli, quod incipit:* Quicumque vult salvus esse etc.?

83. *Nota I.* Quæstio hæc *meri facti personalis* est ac nullatenus, prout inter Criticos etiam Catholicos agitatur, cum fidei dogmate connexa. Qui enim ex illis negant symboli hujus auctorem esse S. Athanasium, contendunt nihilominus id esse certissimam fidei regulam, ab Ecclesia et approbatam et fidelibus omnibus credendam propositam; ac præterea symboli hujus doctrinam omnem, quoad sensum, contineri in S. Athanasii operibus: qua ratione se distinguunt a Græcis schismaticis, qui olim impudenter dixerant symbolum hoc ab Athanasio ebrio atque aliorum Patrum omnium sententiam deserente fuisse conscriptum; item a *Socinianis* aliisque Romanæ Ecclesiæ hostibus, qui id symbolum *Satanasii* sacrilega ignominia dixerunt. Porro Critici negantes, de alio auctore nec ipsi inter se conveniunt; aliis nempe Anastasium Sinaitam ex vocabulorum vicinitate divinantibus, aliis Eusebium Vercell. supponentibus, pluribus laudantibus Vigilium Tapsensem in Africa Episcopum; qui circa finem seculi quinti florens, cum fateatur in præfatione cujusdam dialogi se Dialogum adversus Arianos aliosque hæreticos sub nomine Athanasii scripsisse, occasionem suspicandi dedit symbolum a se confectum nomine etiam Athanasii insignivisse; quamvis de hoc nihil simile professus fuerit.

84. *Nota II.* Nec hic disceptatur, aut argumentum quoddam deduci potest ex *tempore* et *modo* seu *fine,* quo editum fuit hoc symbolum. Sicut enim ista controversia nihil obest veritati de symbolo ab Apostolis condito, neque etiam antiquitati symboli *Quicumque*, Vigilio aut alteri cuidam asserti; sic nec obstare debet sententiæ, quæ symbolum postremum S. Athanasio vindicat. Porro quidam volunt sanctum hunc præsulem id conscripsisse in puteo Trevirensi, ubi diu latuerit ad Arianorum insidias declinandas: sed conveniunt plerique falsum hoc esse, et natum ex historia Rufini, qui L. 1. c. 18. scribit Athanasium per sexennium in cisterna sicca, in Ægypto tamen non vero Treviris, latuisse. Verosimilius alii dicunt Athanasium id scripsisse, quando Romæ apud Julium Papam an. 339. ab Eusebiana factione petebatur calumniis, ac præter fas damnatus fuerat in Synodo Tyria; finem autem habuisse hunc, ut, exposita uberius sua professione, et declararet fidem et calumnias retunderet et injustitiam Conciliabuli ostenderet; ut innuunt Manuel Calecas L. 2. cont. Græcos et Baron. ad an. 340.

85. *Dico.* Omnino probabiliter teneri potest Symbolum memoratum a S. Athanasio fuisse conditum.

Ratio est, quia præter auctoritatem Ecclesiæ Romanæ, quæ illud symbolum in Officiis Divinis recitandum proponens, adhuc inscribit S. Athanasio; præter consensum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Servianæ, Bulgaricæ, Russicæ ac Moscoviticæ, quæ, teste Joanne Sarmata in ep. 1. ad Calvin., idem

tenent tanquam genuinum et *Athanasianum;* præter sensum etiam communem Auctorum post seculum duodecimum fere innumerorum cum S. Thoma in hoc conspirantium, stant pro auctore symboli S. Athanasio testes licet non antiquissimi, tamen et ab antiquitate et ab auctoritate venerandi. Inter hos, quos plures recensent Monachi S. Benedicti e Cong. S. Mauri in Diatribe ad hoc symbolum, Tom. II. oper. S. Athan. inserta, præcipui sunt:

1°. Patres Conc. Augustodunensis, anno 663. vel 670. sub S. Leodegario Ep. habiti, qui hunc Canonem ediderunt (Labb. t. 5. p. 536. D.): *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus vel Clericus symbolum, quod, inspirante sancto Spiritu, Apostoli tradiderunt, et fidem S. Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Quibus eatenus jam præluxerunt Patres Conc. Toletani IV. (Labb. t. 5. p. 1703.) quod c. 1. quædam ex hoc symbolo protulerint.

2°. Idem præceptum dedere Hatto Basileensis Episcopus seculi noni initio, et sub ejus finem Hincmarus Archiep. Rhemensis; Theodulphus vero Aurelian. Ep. seculo octavo et Ratramnus Corbeiens. Monachus et hoc symbolum Athanasio tribuunt, et ex eodem plura desumunt.

3°. Eodem, sub Athanasii nomine, usi sunt Apocrisiarii, quos Greg. IX. Constantinopolim an. 1233. ad Græcos Latinis conciliandos miserat (Labb. t. 11. part. 1ª. p. 326. C.). Denique Eugen. IV. in decreto de unione Armenorum (Labb. t. 13. p. 539. B. C.) an. 1439. commemorat *compendiosam illam fidei regulam per Beatissimum Athanasium editam.*

Conf. Quia, præterquam quod argumenta opposita pleraque sint negativa ac simili fere modo contra symbolum Apostolorum intorqueri possint, patianturque instantiam in aliis sententiis Auctorum (uti Clar. Sandini contra *Nat. Alexandrum,* in edita de symbolo hoc dissertatione, ostendit), ea non sunt ejusmodi quæ probabili responsione nequeant dissolvi.

86. *Nec dicas* 1°. Stylus sermonisque contextus ostendit symbolum esse hominis Latini, non autem Græci, qualis fuit S. Athanasius. 2°. Deest in hoc symbolo vox *consubstantialis,* quæ tamen tessera erat Catholicæ fidei, cujusque professio urgebatur constanter a Catholicis. 3°. Ipse Athanasius in ep. ad Antiochens. n. 4. et 5. testatur procul se abesse a nova fidei formula condenda, et laudat Sardicenses Patres, quod sanciverint nullam fidei professionem novam edendam; eo quod Symbolum *Nicænum* sufficeret hostesque fidei inde occasionem captarent criminandi, quasi *Nicæna* fides foret imperfecta. 4°. Hæreses post Athanasium ortæ, Nestoriana scilicet et Eutychiana, diserte adeo et expresse refutantur in hoc symbolo, ut ejus auctor non potuerit non intendere illarum refutationem, atque hinc ætate posterior esse debeat.

Ad 1um. R. Præterquam quod in symbolo occurrant idiotismi græci, quales sunt: resurgere *habent,* pro debent; *per omnia* est veneranda, pro omnino; confiteamur *quia Deus et homo est,* pro Deum et hominem esse; certe si etiam symbolum dicatur latine scriptum, eo quod exemplaria latina concordent, cum ex adverso græca varient; nihilominus ab Athanasio condi potuit, utpote qui latini æque ac græci sermonis peritus fuit, ut constat ex *Marcellino* et *Faustino* seculi quarti scriptoribus, qui in Libello Precum

affirmant ab Athanasio libros Luciferi Calaritani in græcum translatos fuisse.

Ad 2um. R. *D.* Vox illa deest quoad sonum et expresse *C.* quoad sensum et æquivalenter *N.* Profecto pluribus sententiis dogma illud explicavit, dum dixit trium Personarum divinarum æqualitatem, et unam ac eamdem Deitatem, essentiam, potestatem etc. Cum autem hoc symbolum reliquos omnes articulos copiosius declaratos dederit, idem etiam de consubstantialitate observatum fuit.

Ad 3um. R. *D.* Abfuit a condenda, et laudat præceptum de non edenda fidei formula nova aut Nicænæ contraria, aut ob illius imperfectionem adjicienda *C.* a formula nova Nicænæ omnino consona, ac eam duntaxat explicante ac apertius proponente *N.* Priori sensu longissime aberat Athanasius, et prohibuerant Sardicenses facere aut fieri aliam fidei formulam præter Nicænam : sicut autem Athanasius, etiam Criticorum hic adversantium calculo, scripsit opusculum, quo exposuit fidem Catholicam, quod incipit : *Credimus in unum Deum;* sic scribere quoque potuit expositionem symboli, seu symbolum cum majore credendorum explicatione.

Ad 4um. R. *D.* Ejus auctor non potuit non intendere refutationem illarum hæresum quoad personas *N.* quoad errores *T.* Imprimis fatentur Adversarii symboli doctrinam in operibus Athanasii reperiri ; quin tamen inde similis objectio contra ea opera formari queat : Deinde *Nestoriani* ac *Eutychiani* erroris semina olim jam, teste Euthymio, parte 2. Panopliæ, a quibusdam jacta fuerant ; unde eadem jam profligari poterant : Denique Spiritui sancto usitatum est, Ecclesiam suam munire adversus futuras hæreses, atque has etiam hodie natas Ecclesia, desumptis ab antiquitate ac traditione armis, confodere solet ; nemo tamen audebit hinc Patribus sua negare opera, ex quibus illa tela capiuntur.

87. *Nec dicas* 2o. Hoc symbolum desideratur inter opera Athanasii in antiquissimis et probatissimis Codicibus manuscriptis. *Item* neque Athanasius neque ulli Auctores coævi aut qui ante seculum VII. scripsere, hujus symboli meminerunt : nec Patres Græci usi fuerunt hoc symbolo in Conciliis Ephesino ac Chalcedonensi contra Nestorium et Eutychetem, quamvis Athanasii auctoritas tum maxime valuisset : nec Latini hoc telo pugnarunt contra Græcos orto schismate Photiano de processione Spiritus sancti : quod tamen certo faciendum præsertim a S. Cyrillo Alexandrino videtur.

Ad 1um. R. Nec assertum verum est ; cum in cit. Diatribe Patrum Benedictinorum numerentur amplius duodecim Codices Athanasii nomen jam ab annis plus mille inscriptum ferentes, et alios addiderit *Michael Lequien* in diss. Damasc. ; nec si verum foret, quid evinceret, cum symbolum a coævis vel suppariibus scriptum, ut alia plura, possit esse deperditum, vel adhucdum proferri in lucem, ut plura alia S. Athanasii opuscula anecdota a *P. Bern. Montfaucon* publici juris facta sunt.

Ad 2um. R. Argumentum hoc utpote mere negativum, ex Adversariorum etiam recepta alibi opinione, probare parum. Adde, quod nec Scriptores Ecclesiastici meminerint semper editorum omnium opusculorum, nec scripta etiam omnia supersint, quæ opuscula hæc recensent.

Præterea sunt etiam, qui probabiliter defendant S. Greg. Nazianz. hujus

symboli jam meminisse. Is enim in Or. de laudibus S. Athanasii n. 33. hæc habet : *Primus ille* (Athanasius) *et solus, aut cum admodum paucis, veritatem palam apertisque verbis promulgare non dubitavit, unam trium personarum divinitatem et essentiam scripto confessus : et quod multis illis Patribus circa Filium prius concessum fuerat, idem ipse postea in asserenda Spiritus sancti divinitate superno afflatu consecutus : atque Imperatori* (Joviano) *donum vere regium et magnificum offert.* Hæc vero verba contendunt intelligi non posse de symbolo Nicæno, sed de alio expressius damnante hæresin, postea *Macedonianam* dictam, et apertius contestante Spiritus sancti divinitatem : neque etiam intelligi posse de epistola, cui fides Nicæna fuerit inserta; tum quia Nazianzenus non loquitur de epistola sed confessione : tum quia epistola illa brevis, et inclusi symboli Nicæni bajula forte dicenda, non videtur *donum vere regium et magnificum.* Quanquam vero Theodoretus et Nicephorus testentur Joviano transmissam fuisse ab Athanasio fidem Nicænam, ejus tamen nomine venire potest Athanasianum symbolum, utpote fides Nicæna duntaxat amplius declarata, et quidem id exigente Imperatoris voluntate ob exorientem tum *Macedonii* hæresin.

Ad 3um. R. Nec hoc argumentum ex silentio desumptum valide quidpiam probare; quia alias nec epistolæ ad Epictetum Corinth. Ep. et ad Jovianum ab Athanasio scripta, nec alia ejus opera essent genuina, ex quibus, licet illæ hæreses impugnari poterant, tamen a Patribus illis non fuerunt impugnatæ. Ratio itaque silentii apud Græcos esse poterat, quod symbolum hoc illis adhuc incognitum vel saltem sub Athanasii nomine necdum cognitum esset; id quod de scripto privato mirum videri non debet, cum S. Aug. ep. 110. (al. 213. n. 13.) ipse de se fateatur, Canonem, quo Patres Nicæni prohibuerant, ne prædecessore vivente alius jam Episcopus successor initiaretur, palam et in Œcumenico Concilio latum ignorasse. Licet vero id forsan tempore Photiani schismatis non amplius tenuerit; Athanasii tamen symbolum necdum universali auctoritate ab Ecclesia donatum fuerat, cujus facti epocha, utut incerta, tardior tamen statuenda videtur.

ARTICULUS II.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDIBILES?

88. *Nota I.* Credibilitas est motivum extrinsecum, ut aliquid firmissime credatur tanquam a Deo revelatum : fundatur in motivis, quæ primario et immediate tendant ad persuadendam existentiam revelationis divinæ, secundario autem et mediate ad persuadendum illud esse verum : spectari autem credibilitas ista potest vel *absolute* ac sine comparatione, an sit major vel minor respectu oppositi; vel comparative ac *respective* ad aliud. Utraque consideratio hic a nobis adhibetur. Porro sectæ Religioni Catholicæ oppositæ reducuntur ad tres classes : 1^{a}. Est *Paganismus*, et est illorum qui nec Vetus nec Novum Testamentum admittunt, cujusmodi sunt Athei, Polythei, Mahumetani : 2^{a}. *Judaismus,* et est eorum, qui, Veteri Lege admissa, respuunt Novam, aut Messiam adhuc exspectant : 3^{a}. *Hæresis,* et est illorum, qui utrumque Testamentum quidem credunt, sed non eo modo, quo Ecclesia vera, quæ est executrix Testamenti ac fidei regula,

89. *Nota II.* Motiva credibilitatis pro Ecclesia et fide Catholica ad tria capita referri possunt. *Primum* est triplex doctrinæ, quam Ecclesia profitetur, conditio, veritas nempe, sanctitas et efficacia. *Veritas* quidem in plurimis rationi maxime consentaneis elucet per sese; in supernaturalibus autem tum ex convenientia ad Deum et ejus excellentiam, tum ex testibus aliisque modis probantibus assensum etiam præstandum iis, quæ captum excedunt: *sanctitas* perspicitur tum ex ipsis legibus et præceptis religionis, tum ex hominibus ejusdem cultoribus accuratis: *efficacia* denique intelligitur ex admirando modo, quo primum introducta, dein per totum mundum propagata, ac tandem inter tot difficultates semper servata fuit. *Secundum* est testium auctoritas, consensus ac multitudo: præter Christum enim fidei Auctorem testimonium ferunt Patriarchæ et Prophetæ, quorum figuræ ac prædictiones in Christo atque ejus Ecclesia expletæ sunt, Apostoli, Doctores, Martyres ac Confessores omnes, qui tum prædicatione et scriptis tum opere ac perpessionibus veritatem fidei confirmarunt. *Tertium* sunt miracula fere innumera, quæ in fidei confirmationem seculis omnibus patrata sunt: quo etiam pertinet potestas a Christo Ecclesiæ tradita in dæmones, fatentibus ipsis se vel invitos a corporibus expelli.

90. *Nota III.* Evidentia est quasi videntia seu visio objecti, quod intellectui proponitur, ac si illud præ oculis haberet: unde ultra certitudinem importat specialem claritatem, ex cujus defectu actus fidei licet metaphysice certus tamen non est evidens. Communiter dividitur in objectivam seu fundamentalem et formalem. *Objectiva* est apparentia objecti tam clara, ut intellectum attendentem et proposita sibi penetrantem convincat seu necessitet ad assensum independenter ab imperio voluntatis, eaque vel est *immediata,* quando clara apparentia ipsius objecti in se habetur, vel *mediata,* quando est talis apparentia in alio; quo sensu argumenta et rationes, ex quibus aliqua res clare deducitur, dicuntur evidentia fundamentalis et objectiva. *Formalis* est ipse actus intellectus, quo iste ita clare apparens objectum percipit. Utraque subdividitur in *metaphysicam, physicam* et *moralem.* In harum explicatione variant Auctores, dum alii communius illas explicant per impotentiam metaphysicam, physicam et moralem, ne illi apparentiæ subsit falsum; alii per impotentiam dissentiendi metaphysicam, physicam et moralem; alii tandem eas distinguunt ex motivo metaphysice, physice vel moraliter connexo cum veritate.

Porro de *evidentia morali* majus etiam est dissidium. Communior sententia videtur supponere quod de ratione *evidentiæ propriæ* generatim sit, intellectum ita convincere, ut ratione claritatis excludat omnem formidinem etiam imprudentem de opposito, dummodo expendantur et penetrentur termini vel motiva. Atque hoc videtur desiderare ipsius vocis etymon; unde sicut posita applicatione oculi non possum suspendere visionem objecti visibilis, sic posita applicatione intellectus ad objectum evidenter apparens, non possum suspendere assensum, et consequenter nec formidare. Accedit præter alias rationes etiam differentia, quæ est inter probabilitatem, certitudinem et evidentiam; cum enim, sola probabilitate posita, possim prudenter formidare de opposito, et hinc requiratur imperium voluntatis, ut inclinetur intellectus potius ad hoc, quam ad illud: posita autem sola certitudine, intellectus

adhuc possit formidare imprudenter: sequitur et hanc formidinem excludi debere ab evidentia, utpote cui aliquid ultra certitudinem tribuendum est.

91. *Dico I.* Articuli fidei Catholicæ sunt evidenter credibiles assensu firmissimo tanquam a Deo revelati, evidentia propria et simpliciter tali, seu excludente omnem formidinem etiam imprudentem.

Prob. I. Ex Auctoritate. Nam 1°. Scriptura Ps. 92. 5. dicit : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Ps. 97. 2. et 3. *Notum fecit Dominus salutare suum... Viderunt omnes termini terræ salutare Dei.* Sap. 6. 17. *Clara est sapientia, et quæ nunquam marcescit, ac facile videtur ab his, qui quærunt eam.* 1. Joan. 1. 2. *Vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem et apparuit nobis.*

2°. Patres, inter quos S. Chrysost. Orat. Quod Christus sit Deus, de signis credibilitatis inquit: *Nullus his contradixerit, nisi qui valde insanus et totus stupidus sit.* S. Aug. de iisdem L. 12. cont. Faust. c. 43. *Quid ad hæc,* ait, *respondetis, insani? nempe ista manifesta sunt; nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, sed etiam nebulas dubitationis expellunt.* Idem vero cæterique fere omnes dicunt, Ecclesiam Matth. 5. fuisse significatam per *civitatem supra montem positam, quæ nequit abscondi.*

3°. D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 4. ad 2. inquit : *Non enim crederet* (quis), *nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Et q. 5. a. 2. dicit quod *intellectus convincitur ad hoc quod judicet esse credendum..... licet non convincatur per evidentiam rei,* id est, veritatis credendæ.

Jam vero hæc ipsa vel expresse enuntiant evidentiam proprie talem, vel satis indicant claritatem talem, quæ excludat omnem formidinem etiam imprudentem; eo quod *nimia credibilitas* dicat aliquid plus, quam certitudinem moralem requisitam ad actum fidei, et verba *videri, notum* aut *manifestum esse, apparere,* sint ea ipsa, quibus scriptura exprimit evidentiam existentiæ Dei, quæ sane est propria ac simpliciter talis. His positis sic arguitur : vel illa evidens credibilitas a Scriptura et Patribus asserta pertinet ad omnes et singulos fidei Catholicæ articulos, vel immediate tantum afficit doctrinam, quam Ecclesia Catholica proponit credendam : si *primum;* explicite dicuntur et sunt articuli fidei Catholicæ evidenter credibiles : si *secundum;* implicite saltem dicuntur et sunt tales, quia doctrina Ecclesiæ Catholicæ formaliter includit illos articulos.

Prob. II. Ex Ratione. Prudens credibilitas articulorum fidei assensu firmissimo propter divinam revelationem deducitur ex præmissis evidentibus propria evidentia talibus ; ergo eadem evidentia est credibilis. *Ant. prob.* in hoc syllog. : Quoties est moraliter certum, Deum aliquid revelasse, prudenter id credibile est assensu firmissimo tanquam a Deo revelatum : sed ex signis credibilitatis est moraliter certum, Deum revelasse articulos fidei Catholicæ; ergo hi sunt prudenter credibiles assensu firmissimo, tanquam a Deo revelati. *Maj.* est evidens ex terminis : *Min.* etiam est evidens; quia evidens est, prædicta signa habere summam vim ad movendum quemlibet cordatum ac sapientem, adeo ut sine nota levitatis et imprudentiæ non possit formidare de veritate Religionis et dogmatis Catholici, quam vim quilibet

potest experiri in se ipso, et se expertum fatetur S. Aug. contra epistol. Fundamenti c. 4.

92. *Dico II.* Articuli fidei Catholicæ, etiam comparative ad alias sectas considerati, sunt simili ratione evidenter credibiles.

Prob. Nulla secta, Catholicæ Religioni comparata, remanet prudenter credibilis, nec tanta habet signa credibilitatis, quanta habet Religio Catholica; ut evidenter constat; ergo articuli Catholicæ Religionis non tantum absolute sed comparative sunt evidenter credibiles.

Pars 1ª. *prob.* Quia evidens est nullam sectam esse, quæ non neget aliquid Deo debitum, aut non affirmet quid Deo indignum, aut non admittat quidpiam vel turpe vel rationi sanæ repugnans; ut singulas sectas percurrenti constat: contrarium autem omnino in fide Catholica esse, non minus manifestum est; ergo.

Pars 2ª. *prob.* Evidens est, sectas alias vel nulla habere credibilitatis signa, vel si quæ afferantur, esse paucissima, dubia ac suspecta; cum contra pro Catholica Religione sint fere innumera et ita certa ac contestata, ut hinc Richard. Victorin. L. 1. de Trin. c. 2. recte scripserit: *Domine, si error est, a te decepti sumus. Nam ista* (fidei nempe nostræ dogmata) *in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri potuerunt.* Unde et S. Aug. L. cont. ep. fund. l. c. inquit: *Multa sunt, quæ in ejus* (Ecclesiæ Catholicæ) *gremio me justissime tenent: tenet consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa fide Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit sola* etc.

Conf. Motiva credibilitatis pro *fide Catholica* ex dictis sunt simpliciter evidentia; ergo evidenter repugnat, quamcumque religionem aliam contrariam esse æque vel magis credibilem; quia alias vel utrique simul assentiri possemus, quod implicat, cum sibi contradicant; vel contrariam præ nostra amplecti, quod veritati Antecedentis prius demonstratæ non minus apertæ repugnat.

93. *Obj. cont.* 1um. Si articuli fidei essent evidenter credibiles, etiam forent *evidenter possibiles*; sicut si essent evidenter impossibiles, forent evidenter incredibiles: unde prior propositio concedi debet, cum bona sit illatio a contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis. Sed primarii saltem articuli non sunt *evidenter possibiles*, ut liquet in mysteriis Trinitatis, Incarnationis; ergo.

R. 1°. *N. seq. M.* Quia *possibilitas* habetur ab intrinseca non repugnantia prædicatorum, *credibilitas* vero a signis credibilitatis extrinsecis: unde licet credibilitas supponat possibilitatem, non tamen debet supponere evidentiam ejus, cum diversa motiva sint pro hac et illa.

R. 2°. *N. parit.* Cum *impossibilitas* proveniat ab intrinseca repugnantia prædicatorum, hoc ipso, si ea evidenter innotescat, non potest fieri credibilis, quantumcumque multi testes contrarii accedant; atque hinc impossibi-

litas evidens excludit positive sui credibilitatem : contrà cùm evidens credibilitas adveniat tantum ab extrinseco, etiam res de se impossibilis sub motivis extrinsecis proponi potest ut credibilis; atque hinc licet aliquid non sit evidenter possibile, non excludit credibilitatem, præsertim cum ipsa possibilitas rei sæpe ex motivis extrinsecis colligatur.

R. 3°. *N.* Quod allatæ propositiones, utpote *modales*, sint contradictoriæ, cum non negetur modus; sed sunt contrariæ duntaxat, quæ licet non possint esse simul veræ, falsæ tamen esse queunt. Porro ut legitime concluderent, sic erant ponendæ: si articuli fidei essent evidenter impossibiles, non forent evidenter credibiles; ergo si evidenter credibiles, non forent evidenter impossibiles; quæ tamen argumentatio nihil nostræ sententiæ officit, cum articulos fidei nec dicamus evidenter possibiles, nec evidenter impossibiles permittamus.

Inst. 1. Objectum denominatur credibile ab actu fidei, sicut intelligibile ab intellectione: sed objectum ab actu fidei, utpote obscuro, nequit denominari evidenter credibile ; ergo.

R. *D. M.* Denominatur credibile ab actu fidei tantum *N.* a motivis etiam præviis ad actum fidei, et potentiam prudenter credendi constituentibus *C. M. et m. ac D. Cons.* Non est evidenter credibile vi actus fidei *C.* vi motivorum credibilitatis et actus prudentiæ ad fidem præambuli *N.* Evidentia credibilitatis potest afficere ipsum actum fidei, quod aliqui dicunt credibile evidenter; sed hæc a nobis non statuitur, cum actus fidei debeat esse obscurus: potest autem etiam appellare potentiam credendi, seu quod evidens sit, objectum prudenter credi posse actu fidei obscuro; et hoc communiter dicitur evidenter credibile, atque a nobis tantum asseritur.

Inst. 2. Nihil est evidenter credibile, nisi evidens sit, ipsum prudenter credi posse: sed non est evidens articulos fidei nostræ prudenter credi posse, tum quia non est evidens eos credi posse fide divina infallibili et infusa; cum alias evidens esset possibilitas fidei supernaturalis: tum quia non est evidens credi posse fide fallibili et naturali; cum in terminis implicet fide fallibili et naturali aliquid credi, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, qualis debet esse fides divina; ergo.

R. *N. min. Ad prob. D.* 2^{am}. *p.* Implicat credi fide fallibili, quod est credibile assensu infallibili et firmissimo, tam ex parte potentiæ adhærentis veritati, quam ex parte ipsius indefectibilitatis veritatis *C.* assensu tantum firmissimo et infallibili ex parte potentiæ firmissime scilicet adhærentis veritati *N.* Fides tum objective seu motive, quam principiative divina et sic supernaturalis requirit utramque firmitatem, *adhæsionis* scilicet ex conatu et voluntatis imperio profectæ, *indefectibilitatis* a vero, quæ est in actu supernaturali; objective autem tantum divina postrema infallibilitate carere potest et priorem habere. Unde utraque pars etiam transmitti potest, quin tamen probetur intentum; quia datur adhuc medium, nempe quod articuli sint evidenter credibiles ea fide, quam homo conari et adhibere potest. Qualis autem sit hæc fides, an infusa et supernaturalis, an acquisita et naturalis, non est evidens, sed solum moraliter certum et evidenter credibile, quod sit supernaturalis; quatenus nempe hoc est unum ex articulis seu mysteriis fidei nostræ, quæ dicimus moraliter esse certa ac evidenter credibilia.

Inst. 3. Non est evidenter credibile, cui obstant argumenta magni pon-

deris : sed articulis fidei nostræ obstant talia; quia mysterio v. g. Trinitatis repugnat illud principium per se notum : *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* et Eucharistiæ illud principium physicum : *substantia panis est, ubicumque sunt panis accidentia;* ergo.

R. *D. M.* Non est evidenter credibile, cui vere ac reipsa obstant argumenta magni ponderis *C.* Cui obstant tantum apparenter *subd.* si tam absolute ac secundum se, quam comparative ad intellectum penetrantem signa credibilitatis appareant obstare *C.* si tantum secundum se et absolute considerata obstent, aut comparative ad intellectum non penetrantem appareant *N.* Jam vero principia illa allata et alia similia, *secundum se et absolute* considerata, apud intellectum signa credibilitatis non attendentem, aut assequentem, multum apparentiæ habent contra illos articulos: si vero cum signis credibilitatis conferantur, ac etiam perpendatur Deum esse infinitum ac incomprehensibilem, argumenta hæc exigui sunt ponderis nec movere possunt ad formidinem vel imprudentem de prudenti credibilitate. Cæterum quod rei veritatem attinet, *primum* principium intelligendum est de identificatis cum tertio sine *distinctione* virtuali vel alia æquivalente: et hoc modo explicatum, est quidem per se notum, sed non repugnat Trinitati : *alterum* non est evidens, quando adsunt fundamenta, quæ probant esse per miraculum victam connexionem physicam substantiæ cum accidentibus, ut ostendunt de Eucharistia signa credibilitatis.

Inst. 4. Argumenta repugnantia evidenter debent solvi, ut articuli dicantur evidenter credibiles : sed hæc ab indoctis nequidem probabiliter, a viris doctis autem saltem non evidenter solvuntur; ergo.

R. *D. M.* Argumenta debent solvi evidenter evidentia directa, seu quæ faciat mysteria ipsa evidenter esse vera et opposita evidenter falsa *N.* debent solvi evidentia reflexa, seu quæ faciat credibilitatem esse evidentem, et solutionem oppositorum esse evidenter credibilem *C. Primum* fieri nec potest, nec debet; quia sicut mysteria fidei non sunt evidenter vera ex dicendis, sic nec argumenta contraria sunt evidenter falsa : *secundum* autem et potest et debet fieri ob evidentiam credibilitatis ; sic etiam in alia materia evidenter credibile est v. g. nunc esse legitimum principem vel superiorem, simulque evidens est obligatio illi obediendi; argumenta tamen contraria forsan ne quidem a viris doctis solvuntur evidenter evidentia directa rei. Præterea tamen a doctis solvuntur directe solutione certa quoad *an est,* nempe certa quoad hoc, quod opposita nihil evincant contra mysterium; quamvis non semper certa quoad *quomodo est,* seu quoad modum, quo nempe opposita concilientur cum mysterio : indocti autem, licet nullam solutionem directam præstare possint, possunt tamen adhibere reflexam, evidentem evidentia credibilitatis et quoad *an est ;* quia si considerent signa credibilitatis, contemnent illa argumenta ut sophistica, præsertim cum perfecte etiam non capiant eorum vim contra mysterium ; quamvis non intelligant in quo fallacia consistat. *Exemplum* habes in rustico , qui propositas sibi difficultates de motu locali non quidem solvet, sed tamen contemnet, quia evidenter scit motum localem esse.

Inst. 5. Ubi occurrunt duæ evidentiæ oppositæ altera physica, altera moralis, evidentia physica, utpote major elidit moralem : sed evidentiam

St. Albert's College Library

physicam habent principia illa articulis memoratis opposita; ergo elidunt evidentiam credibilitatis duntaxat moralem.

R. *D. M.* Physica evidentia elidet moralem, nisi moralis persuadeat, physicam connexionem per miraculum esse victam *C.* si hoc persuadeat *N.* Equidem si v. g. mihi, testimonio fide dignissimorum, moraliter evidens sit *Petrum* esse auctorem homicidii, quod tamen ego ipse a *Paulo* factum vidi, hæc physica evidentia elidit illam moralem. At si plures fide dignissimi testentur occisum fuisse revocatum ad vitam, vel sanatum ex lethali vulnere, licet mihi physice evidens sit eum ex vulnere decessisse aut decedere debuisse, hæc physica evidentia eliditur ab illa morali, quia evidentia moralis est de eo, quod per miraculum victa sit evidentia physica. Idem accidit in *casu objectionis;* quia signa credibilitatis persuadent victam per miraculum esse connexionem physicam accidentium cum substantia panis. Utriusque *ratio* est, quia in similibus casibus illæ evidentiæ non sunt oppositæ: nam moralis affirmat miraculum, quod neque affirmat neque negat physica evidentia; eo quod hoc sit extra ejus sphæram.

Inst. 6. Infideles et hæretici non solum mysteria fidei, sed et prudentem ipsorum credibilitatem imprudenter negant; ergo non sunt evidenter credibilia evidentia morali proprie tali. *Conf.* 1. In tantum aliquis articulus est evidenter credibilis, in quantum evidens est eum esse revelatum a Deo: sed hoc modo articulus nequit dici evidens, quia alias intellectus necessitaretur ad assensum articulo præbendum; ergo. *Conf.* 2. Evidentia moralis propria facit necessitatem simplicem: sed cum hac nequit componi libertas et obscuritas fidei; ergo nec cum evidentia morali.

R. *N. Cons.* Quia quæstio et conclusio nostra sunt de evidentia *objectiva* et *fundamentali,* quæ consistit in signis credibilitatis: de his dicimus quod, si attente perpendantur ab intellectu capaci, generent evidentiam propriam formalem; quæ cum non sit immediata ex terminis, sed mediata ex motivis et argumentis, eo magis considerationem requirit, imo et discursum; cum ne immediata quidem evidentia valeat quidpiam in eo, qui est distractus aut animum considerationi applicare non vult. Porro *Gentiles* et *Hæretici* docti voluntarie avertunt intellectum a consideratione signorum, victi nempe difficultate singula firmissime credendi et vivendi ad regulam fidei; alii etiam interius quidem vident credibilitatem, sed ob fines temporales exterius negant: pueri autem ac rudes hæretici sæpe invincibiliter illam evidentiam ignorant, eo quod de illis signis nihil audiant, aut de sua secta nullam rationem dubitandi advertant.

Ad Conf. 1am. R. *N. M.* Non enim evidenter verus est ipse articulus, nec ipsa revelatio divina in se, nec hoc judicium evidens est, quod Deus de facto tale mysterium revelaverit; sed evidens duntaxat est quod prudenter judicari possit, Deum hoc dixisse ac revelasse, ut in Q. seq. pluribus dicetur.

Ad Conf. 2am. *D. m.* Cum evidentia morali propria, quod aliquis articulus sit credibilis, seu prudenter judicari possit articulum esse revelatum, nequit componi libertas et obscuritas fidei *N.* Cum evidentia, quod articulus sit verus et a Deo revelatus *C.* Primum necessitat tantum ad judicium, quo statuam evidens esse me prudenter agere in assensu mysteriis dando: eo

autem judicio non obstante potest voluntas non imperare intellectui assensum, imo quandoque imperare dissensum, quamvis imprudenter; unde liquet voluntati libertatem non adimi, sed locum relinqui piæ affectioni.

94. *Obj. cont.* 2um. Duæ propositiones contradictoriæ possunt simul esse æque evidenter probabiles; ergo etiam æque evidenter credibiles tanquam dictæ a Deo. *Conf.* Saltem metaphysice non est impossibile, quod Deus tantam apparentiam credibilitatis permittat pro religione falsa, quantam dat pro vera; ergo ex hac apparentia religio nostra non est evidenter credibilis.

R. *D. Cons.* Poterunt simul esse æque evidenter credibiles, evidentia unam proponente ut prudenter præ alia credibilem, et imprudenter solum præ alia repudiabilem *N.* evidentia tali, quæ ad hoc solum valeat, ut intellectus neutri earum præ altera prudenter assentire vel dissentire possit *T.* Esto enim, hoc postremum fieri queat; certum tamen est quod, ad assensum fidei theologicæ prudenter imperandum, prior evidentia omnino necessaria sit, et de facto circa articulos nostræ fidei habeatur, cum quæ motiva eos faciunt evidenter credibiles, sic etiam persuadeant esse credendos, adeoque obligationem credendi pariant: jam vero si doctrina contraria foret æque credibilis, nulla posset esse credendi obligatio; cum motiva se mutuo eliderent, ideoque intellectus necessario hæreret suspensus.

Ad Conf. R. *N. A.* Quamvis enim hoc permittatur respectu cujusdam hominis particularis fieri posse; negatur tamen respectu apparentiæ absolutæ ac universalis, juxta illud Richardi a S. Victore num. 92. citatum.

Inst. 1. Signa credibilitatis non faciunt evidenter incredibiles omnes alias sectas; tum quia vix aliquis etiam litteratus novit, quot sint sectæ, et quæ earum notæ credibilitatis: tum quia aliqua secta forsan a fide nostra solum discedit in puncto speculativo, et prudenter credi potest sufficere ad salutem ut in præcipuis articulis conveniamus; ergo nec faciunt evidenter credibilem religionem nostram.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *N.* id requiri, sed satis est illas considerare sub generica ratione *Gentilismi, Mahumetismi, Judaismi,* quæ mediocriter doctis satis notæ sunt: quod *Hæreticorum* sectas diversas attinet, et horum celebriores adhuc vigentes nosse sufficit, aliæ vero vel non notæ vel jam extinctæ, hoc ipso indignæ sunt aliqua consideratione; quin nec celebriorum sectarum errores quis perspectos habere debet, sed satis est nosse motiva credibilitatis fidei Catholicæ, simulque scire æqualia non adesse sectæ oppositæ, id quod vel ex eo constat, quia sectarii talia non afferunt, allaturi certo, si possent.

Ad prob. 2am. *N.* 1um. *memb.* In quocumque puncto sit discrepantia, habetur error practicus; tum quia est dissensus ab Ecclesia, et Ecclesiasticæ Divinæque Auctoritatis contemptus: tum quia et speculativum dogma aliquando credendum est, cui obligationi dum non fit satis, peccatum nascitur, quod est error practicus circa illud dogma. *Memb.* 2um falsum esse proxime ostendetur, ubi de distinctione Hæreticorum in articulos fundamentales et non fundamentales.

Inst. 2. Si articuli fidei nostræ præ aliis sectarum essent evidenter credibiliores, minor esset in illis præ his credendis difficultas; quia actus faci-

lior est censendus, ubi sunt motiva validiora ad illum impellentia : sed consequens est falsum, quia sublata difficultate credendi tollitur etiam fidei meritum; ergo.

R. *N. m. ejusque prob.* Imprimis enim ad meritum non requiri absolute difficultatem seu operis arduitatem, si libertas et cætera requisita adsint, patet in Christo, qui Deum sine difficultate amabat et hoc amore perfectissime merebatur : deinde nec ipsa credibilitatis evidentia omnem credendi difficultatem removet; eo quod per illam non impediatur, quominus ratio naturalis plura argumenta opponat, ac præterea satis arduum sit solam credibilitatis evidentiam præferre naturalibus ejusmodi rationibus circa ipsam articuli veritatem, quæ evidenter falsæ non demonstrantur.

ARTICULUS III.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT ETIAM EVIDENTER VERI?

95. *Nota I.* Res evidenter vera tunc est, quando res vel in se ipsa ac immediate, vel in motivo infallibili ac mediate ita se habere clare cognoscitur, sicut actus enuntiat. Quia vero illud motivum, quo articulus fidei verus esse cognoscitur, est testimonium Dei loquentis, evidentia prior dicitur *rei attestatæ* vel revelatione divina dictæ ac confirmatæ; posterior autem vocatur evidentia *in attestante* seu de revelatione. Sed hæc iterum potest esse vel immediata vel mediata; quia ipsa revelatio *in se* potest esse evidens, qualem subinde habuisse Prophetas concedunt plures : vel potest esse evidens *in* et *ex signis credibilitatis,* qualem non negant dæmonibus signa hæc profundius penetrantibus, et forsan non negandam esse viris quibusdam sapientioribus putat Suarez hic disp. 3. sect. 8. Porro articuli fidei Catholicæ alii versantur circa doctrinam juris naturalis, alii circa doctrinam juris supernaturalis.

96. *Nota II.* Supponi hic potest, 1°. articulos plures circa doctrinam *juris naturalis* per se ipsos et evidentia immediata esse evidenter veros; alios etiam naturali ratione posse demonstrari positive tanquam veros : 2°. e contra articulos circa doctrinam *juris supernaturalis* nec immediate ac ex terminis evidenter esse veros, nec ratione positiva demonstrari posse, ut ostenditur in Tr. de Trinit. contra Raymundum Lullum, et docet S. Thomas p. 1. q. 32. a. 1. in 0. ubi frivolos quorumdam in demonstranda Trinitate conatus retundit, eosque dupliciter fidei derogare probat : 3°. articulos fidei circa *utrumque jus* per signa credibilitatis id saltem consequi, quod sint moraliter certi, atque hinc omnem circa eos prudentem formidinem excludi, in quo moralis certitudo consistit. Quæstio itaque duntaxat versatur de evidentia veritatis articulorum *mediata* per signa credibilitatis, an scilicet ex signis credibilitatis ita evidens fiat religio Catholica et veritas articulorum fidei, ut ne quidem imprudenter quis de ea veritate formidare possit, sed absque voluntatis imperio intellectus evidentia signorum convictus rapiatur ad assensum?

97. *Dico.* Articuli fidei nostræ *communiter loquendo* non sunt evidenter

veri seu evidentes in attestante, evidentia proprie tali excludente formidinem etiam imprudentem.

Prob. Rudes et *indocti* nec penetrant nec considerant signa credibilitatis: quamvis vero auctoritas Parochi et Instructorum valeat plurimum apud illos, et forsan plus quam signa credibilitatis apud doctos; hæc tamen apparentia quantacumque non est stricta evidentia; tum quia non rapit intellectum ad assensum excluditque formidinem imprudentem: tum quia hac exclusione etiam gratis data, id non facit claritas signorum credibilitatis, sed inadvertentia rudium, et quod non occurrant motiva contraria: unde fit, ut, si alius æqualis auctoritatis proponat oppositum, rudis statim hoc credat, vel formidet de veritate ipsi antea proposita. Si vero articuli fidei essent evidenter veri et revelati, evidentia stricta et propria, viris etiam *cultioribus* et *doctis*, communiter loquendo, 1°. non foret ipsis arduum credere: 2°. nullam experirentur tentationem contra fidem: 3°. difficilius illis accideret cohibere intellectum ab assensu, quam ad hunc impellere: 4°. imo ex natura evidentiæ raperentur ad assensum fidei, et non requireretur imperium voluntatis ad firmiter et immobiliter credendum, nec esset libertas credendi: sed hæc omnia repugnant tum experientiæ tum aliis principiis fidei; ergo.

Respondent I. Assensum fidei non esse quidem immediate liberum, quatenus, supposita evidentia signorum et veritatis articulorum, possit assentire vel dissentire; esse tamen *mediate liberum,* quatenus voluntas libere applicat intellectum ad consideranda hæc signa.

Sed contra est 1°. quia pari ratione libera posset dici scientia seu actus scientificus et evidentia, quæ ex visione oculorum habetur. 2°. quia ipse fidei assensus in se debet esse liber, ut liquet *primo,* ex Marc 16. ubi Christus exprobrat incredulitatem eorum, qui, dum viderant Christum et audierant signa credibilitatis de ejus resurrectione, non crediderunt: *secundo,* ex Conc. Araus. II. Can. 5. ubi credulitatis affectus, quo credimus, dicitur donum Dei et gratia, quæ necessitatem non infert: *tertio,* ex Trid., quod liberam dicit fidem post auditam prædicationem et consequenter penetrata credibilitatis signa; cum Sess. 6. cap. 6. sic loquatur: *Fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt.*

Respondent II. Fidem manere eatenus liberam, quatenus voluntas per *piam affectionem* vel imperat assensum, non propter evidentiam signorum, sed propter solum testimonium Dei, ita ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet illam evidentiam; vel quatenus, in reverentiam auctoritatis divinæ, imperat assensum firmiorem, quam mereantur signa credibilitatis; cum firmitas indefectibilitatis in actu fidei supernaturalis major sit illa firmitate, quæ provenit a naturali tantum evidentia objecti sive per se sive per credibilitatis signa.

Sed contra *utramque partem* est, quod in evidentia, utpote necessitante, rapiatur intellectus, quin imperium voluntatis in hoc negotio assensus partem ullam habere possit: et si haberet locum, deberet semper elici actus duplex fidei, alter nempe necessarius prout evidentiæ correspondet, alter liber quoad assensum vel præcise testimonio præstitum, vel cum majore firmitate indefectibilitatis elicitum; quod quia non experimur, gratis omnino fingi convincitur.

Singulariter vero contra *part.* 1^{am}. est, tum quod ejusmodi voluntatis imperium vix ullus nisi doctus, ac nonnisi in articulis ad doctrinam juris naturalis pertinentibus experiri solet : tum quod intellectus etiam liber non est ad testimonium Dei repudiandum vel amplectendum, cum supponatur esse evidens; adeoque etiam voluntas non possit eligere assensum propter hoc potius, scilicet testimonium, quam propter aliud : tum denique quod assensus fidei, communiter loquendo, est absolutus et directus, neque eam conditionem aut actum reflexum connotat, qua dicat voluntas : parata forem assentiri, etsi non haberem illam evidentiam.

Contra 2^{am}. *part.* est, tum quod intellectus per fidem non solum captivatur ad firmissime sed etiam ad simpliciter assentiendum ; quod tamen hic non fieret per fidem liberam a Conciliis et Patribus absolute assertam, sed per evidentiam necessitantem : tum quod firmitas intensiva, seu quæ se tenet ex parte voluntatis majorem conatum in se firmanda adhibentis, non spectat ad substantiam et essentiam actus fidei etiam supernaturalis; firmitas vero indefectibilitatis, quæ est in actu supernaturali, cui implicat subesse falsum, habetur unice ab infallibilitate objecti maxima atque connexione actus cum illa, non autem a voluntatis imperio et libertate ; utpote cui non datur discretio ac electio inter actum supernaturalem qui talem firmitatem infert, et naturalem, ex dictis num. 23.

98. *Obj. I.* Evidens credibilitas nostræ religionis est evidens credibilitas supra omnes alias sectas, imo illas evidenter facit prudenter incredibiles : sed hoc ipso infert evidentiam veritatis nostræ religionis; ergo. *Minor* constat; quia hæc sunt duo principia evidentia : Religio in mundo cæteris credibilior est vera ; et illa religio est vera, quæ sola est prudenter credibilis; ergo si sola nostra evidenter sit prudenter credibilis, ac credibilior præ aliis, est evidenter vera. *Ant.* tanquam fundamentum adversariorum *prob.* 1°. Evidens est Deum non posse permittere falsæ religioni tantam apparentiam veritatis, aut majorem credibilitatem, ac permisit nostræ, quæ vera est; ergo. 2°. Evidens est quod non conqueramur de Deo tanquam de seductore in materia religionis : sed evidens est nos posse conqueri de Deo tanquam seductore, si religio cæteris credibilior et sola prudenter credibilis esset falsa ; ergo. 3°. Evidens est aliquam religionem in mundo esse veram : sed evidens est alias sectas esse falsas, utpote prudenter incredibiles ; ergo. 4°. Evidens est Deum esse colendum, etiam speciali illo modo, quo ipse vult : sed evidens est modum, quo ipse vult coli, esse illum, qui nobis evidenter proponitur ut credibilior, et qui solus proponitur ut prudenter credibilis; ergo.

R. *N. m. Ad ejus Ass. D. A.* Hæc principia sunt evidentia absolute et sine facta suppositione prævia *N.* ex suppositione quadam prævie admissa *C.* Duo sunt, quæ supponere oportet, 1°. quod Deus instituerit aliquam religionem supernaturalem, quæ multa doceat præter illa, quæ sunt juris naturalis, quodque illam voluerit esse necessariam ad salutem : 2°. quod nullum detur peccatum inficiens humanum genus, in cujus pœnam permittat, ut omnes etiam prudenter operando decipiantur. Gemina hac *suppositione* facta, evidens quidem est utrumque principium ; quia si his suppositis falsa esset religio prudenter credibilior aliis, Deus sine ulla nostra culpa redderet

generi humano inevitabiliter impossibilem consecutionem ultimi finis, quod evidens absurdum est. Neutrum tamen *absolute* est evidens; quia utraque illa suppositio, antecedenter ad fidem, solum est moraliter certa, tanquam geminus articulus ex articulis nostræ religionis: non enim evidens est, Deum instituisse religionem supernaturalem ut medium necessarium ad salutem; neque evidens est Deum, non permittere communem deceptionem in pœnam alicujus peccati communis: stante autem hac inevidentia, nequit esse absolute evidens veritas religionis prudenter credibilioris; quia ex hujus falsitate nullum apparet evidens absurdum, eo quod in hoc casu Deus non absque culpa ac merito injiceret necessitatem amittendi finem ultimum. Sub simili distinctione R. *ad probationes* omnes, quæ non sunt nisi phrases diversæ de eadem re.

De 3ª. tamen præterea notandum, illius *M.* esse veram, si sumatur *indeterminate*; non tamen evidens est, determinate hanc vel aliam esse veram, multo minus autem hanc supernaturalem.

Ad 4ᵃᵐ. etiam *D. m.* Evidens est, modum, quo Deus reflexe vult coli, esse illum, qui nobis evidenter proponitur ut credibilior *C.* modum, quo directe vult coli *N.* Deus etiam *reflexe* vult coli per mendacium ab illo, qui invincibiliter judicat hic et nunc esse mentiendum ad Dei honorem: *directe* tamen et per se non vult talem cultum. Quia nempe evidens est Deum velle, nos operari juxta dictamen conscientiæ invincibiliter proponentis aliquem Dei cultum ut debitum, Deus reflexe vult coli cultu prudenter credibiliori; unde tamen non sequitur, evidens esse, quod Deus directe velit talem cultum, neque quod iste directe sit verus Dei cultus.

99. *Obj. II.* Ex Scriptura et Patribus, Ecclesia et vera religio est visibilis, potest discerni et inveniri: sed talis esse nequit, nisi sit evidenter vera; ergo. *Conf.* 1. Patres in libris, quos pro nostra religione scripserunt, contenderunt demonstrare ipsius veritatem et evidenter convincere adversarios, ut patet ex S. Aug. L. de vera Relig. c. 2., S. Chrys. Or. quod Christus sit Deus. Arnob. L. 2. cont. Gent., Origen. hom. 30. in Matth. aliisque, quos recitat *Elizalde*; ergo. *Conf.* 2. Miracula et prophetiæ evidenter ostendunt veritatem Catholicæ religionis; nam præterquam quod S. Th. 2. 2. q. 5. a. 2. et p. 3. q. 47. a. 5. hanc virtutem miraculis tribuat, ostenditur hoc, *primo* quia evidens est veram esse religionem, in cujus confirmationem facta sunt vera miracula et impletæ prophetiæ: sed evidens est hæc contigisse in confirmationem fidei nostræ; ergo. *Secundo* quia Judæi videntes signa et miracula facta a Moyse, evidenter cognoverunt veritatem suæ religionis; ergo idem dicendum est de religione nostra.

R. *D. M.* Ecclesia est visibilis, potest discerni etc. credibiliter seu per evidentiam credibilitatis *C.* scientifice et per evidentiam veritatis *N.* Idem sensus est S. Thomæ, dum q. 1. a. 4. ad 2. *Dicendum*, ait, *quod ea, quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali; et sic non possunt esse simul visa et credita: alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis; et sic sunt visa ab eo qui credit.*

Ad Conf. 1ᵃᵐ. *D. A.* Contenderunt demonstrare religionis veritatem ut evidenter credibilem et credendam *C.* veritatem ipsam ut evidentem seu

evidentiam veritatis *N.* Idem est, si cum Bellarm. L. 4. de Notis Eccles. c. 3, dicatur, contendisse quidem demonstrare veritatem evidentia consequentiæ, non autem consequentis. Illi enim, positis et admissis Scripturis, evidenter deducebant veritatem religionis nostræ contra Hæreticos et Judæos Scripturarum receptores, cujus credibilitatem duntaxat ex signis aliis ostendebant. SS. Patres veritatis evidentiam non intelligebant talem, quæ formidinem etiam imprudentem excludat et rapiat ad assensum, sed minus propriam tantum; tum quia ipsi se distinguebant a *Manichæis,* qui nihil credendum contendebant, nisi prius ratione demonstraretur tanquam verum, contra quem errorem, aliquando suum, S. Aug. agit L. de utilit. credendi; tum quia ipsi commendabant laudabilem liberamque fidem, ad quam, evidentia credibilitatis et obligationis credendi proposita, alios perducere satagebant.

Ad Conf. 2am. R. *D. Ass.* Miracula et prophetiæ evidenter cognita ostendunt evidenter veritatem *C.* non evidenter cognita, seu ut communiter cognoscuntur *N.* Auctoritatem S. Thomæ ad evidentiam credibilitatis tantum pertinere, liquet ex textibus citatis. *Ad prob.* 2am. *N. min.* Ad evidentiam *miraculorum* ac *prophetiarum,* requiritur evidens cognitio quod sit vere miraculum aut vere prædictum spiritu prophetico ac Deo inspirante, et quod simul factum fuerit aut inspiratum a Deo in confirmationem alicujus doctrinæ. Hæc autem evidentia *communiter loquendo* non habetur; cum miracula nobis solum proponantur a Scriptoribus sapientissimis quidem et sanctissimis ac Ecclesiasticis Historiis, sed quæ solum faciant evidentiam credibilitatis et moralem certitudinem de veritate miraculorum ac prophetiæ, ac consequenter etiam de veritate religionis. Quin Cardinalis de Lugo, non dissentiente Suaresio, judicat miracula etiam visa ab Apostolis et Judæis, v. g. resurrectionem *Lazari,* non attulisse illis strictam evidentiam de veritate, per illa confirmata; tum quia videntes hæc imprudenter saltem formidare poterant, an essent *vera miracula,* an dæmonum præstigiæ a Deo in pœnam alicujus peccati permissæ; tum quia æque imprudenter formidare poterant de intentione Dei in patrando miraculo, eo quod evidens non sit quod Deus nequeat concurrrere ad verum miraculum, quo minister insensibiliter abutatur in confirmationem falsæ doctrinæ; unde *Judæi,* quamvis imprudentissime, dicebant Christo: *Tu dæmonium habes, et in principe dæmoniorum ejicis dæmonia.* Similiter de prophetiis non est evidens, vaticinia V. T. esse *veras prophetias;* quia non est evidens illorum sensus, neque evidens est ea non fuisse mere casualiter impleta. Hinc *ad* 2am. *prob.* potest *N. Ant.* Sed eo etiam transmisso, nihil contra nos infertur: tum quia respectu nostri habetur apertum discrimen; tum quia solum asserimus, *communiter loquendo* non dari evidentiam.

100. *Obj. III.* Quæcumque argumenta proxime allata sunt contra evidentiam veritatis, etiam pugnant contra evidentiam credibilitatis; ergo vel neutra, vel utraque evidentia est asserenda. *Conf.* In materia religionis, quod est moraliter certum, est moraliter evidens; tum quia omnis certitudo comparata per rationes est evidentia: tum quia certitudo moralis proponit objectum ut indubitabile. Sed ex signis credibilitatis etiam juxta nos oritur moralis certitudo de veritate mysteriorum; ergo.

R. *N. A. Disparitas* est, quia ad hoc ut aliquid sit *evidenter credibile*, sufficit adesse tam clara motiva, quibus convincatur intellectus, quod possit prudenter adhiberi fides. Jam vero licet miracula v. g. absolute loquendo possint esse falsa vel imprudenter existimari esse permissa in confirmationem falsi; tamen extorquere possunt illud judicium prudens de fide habenda, quia non illud tantum fide prudenti dignum est, quod absolute aliter esse nequit, sed etiam illud quod certo apparet ita esse, quamvis absolute aliter esse queat. E contra sicut ad veritatem rei requiritur, ut absolute aliter non sit, aut de facto esse non possit, ac actus enuntiat: ita ad evidentiam veritatis requiritur, ut motiva convincant intellectum, quod res aliter non sit, aut de facto esse non possit, ac motiva ostendunt : id vero præstare nequeunt motiva ejusmodi, quia ipsa forte falsa sunt, aut absolute falsa esse possunt, aut saltem imprudenter sic existimari queunt.

Ad Conf. R. *N. M.* ut patet ex num. 90., et ex cujus supposito hic tantum loquimur. *Ad prob.* 1am. *D.* Certitudo comparata per rationes evidentes est evidentia *C.* per rationes inevidentes *N. Ad prob.* 2am. *D.* Certitudo moralis in materia religionis proponit objectum ut indubitabile quoad credibilitatem *C.* quoad veritatem *subd.* indubitabilitate prudentiæ, h. e. ut prudenter indubitabile *C.* indubitabilitate scientiæ ac evidentiæ *N.*

101. *Obj. IV.* Credibilitas mysteriorum est credibilitas cujuslibet mysterii ut veri, sicut amabilitas objecti est amabilitas objecti ut boni; ergo sicut evidens amabilitas infert evidentem bonitatem, ita evidens credibilitas infert evidentem veritatem. *Conf.* Evidens credibilitas mysteriorum fidei est evidens locutio, qua Deus nobis illa revelavit : *item* evidens credenditas est evidentia de Dei præcepto, ut credamus ; ergo est etiam evidentia veritatis, quia evidens est Deum, non posse revelare falsum, nec præcipere posse ut credatur falsum.

R. *N. Conseq. Disparitas* est, quia *credibilitas mysterii* ut veri nihil aliud est nisi apparentia veritatis extrinseca seu proveniens ab argumentis rei extrinsecis; cum autem veritas habeatur tantum ex eo quod res ita se habeat in se ipsa, etiam evidens apparentia veritatis non infert veritatis evidentiam, si quidem res in se falsa aliquando habet magnam, imo evidentem apparentiam veritatis. E contra *amabilitas objecti* est ipsa bonitas intrinseca objecti, aut saltem sic debet supponi; si enim non hæc, sed extrinseca duntaxat, et in motivis bonitatem objecti extrinsece suadentibus posita, intelligatur, potest aliquid evidenter etiam apparere amabile, quin tamen in se sit bonum, atque hinc evidentia amabilitatis non inferat evidentiam bonitatis.

Ad Conf. R. 1o. *N.* 1am. *p. Ant.* Tum quia etiam vera miracula aliaque signa credibilitatis, prout vere physice sunt, non sunt in seipsis locutio divina, secundum communem Theologorum opinionem : tum quia evidens etiam credibilitas nostra non fundatur in illis signis, prout physice vera sunt in seipsis, eo quod, ex dictis nuper, non sit evidens illa esse vera miracula aut vere ad locutionem Dei firmandam facta; sed fundatur in illis inevidenter quoad hanc veritatem cognitis, ac plerumque ut traduntur in historiis ac monumentis fide dignis, quæ tamen non faciunt evidentiam de illorum veritate. 2am. *p. D.* Evidens credenditas est evidentia de Dei præcepto

directo, ut credamus *N.* de præcepto reflexo *C.* Similiter etiam *prob.* 2ae. *Cons. D.* Evidens est Deum non posse directe præcipere, ut falsum credamus *C.* non posse præcipere reflexe *N.*

ARTICULUS IV.

AN ARTICULI FIDEI CATHOLICÆ SINT EVIDENTER CREDENDI?

102. *Nota I.* Credendum illud est, quod quis non tantum prudenter potest sed etiam tenetur credere. Sumitur vel negative vel positive; *negative* credendum est, quod quis negare non potest, vel quod cuiquam non permittitur liberum, ut credat vel non credat, assentiatur vel dissentiatur: *positive* credendum est, circa quod quis tenetur elicere assensum fidei. Porro fides elicienda potest esse vel explicita vel implicita; *explicita* est, qua quis aliquem articulum credit in particulari, eo quod in particulari sciat esse articulum revelatum; et sic credimus mysterium *Trinitatis, Incarnationis* etc.: *implicita* dicitur, qua quis aliquem articulum solum credit in communi, credendo scilicet quidquid Deus revelavit et Ecclesia credit, licet in particulari non sciat aliquod mysterium esse a Deo revelatum; et sic etiam simplex rusticus credit singula mysteria, licet aliqua in particulari ignoret. Fides *explicita* subdividitur in necessariam necessitate medii vel præcepti: *necessaria necessitate medii* est, quæ ex natura ipsius rei necessaria est ad justificationem et salutem, seu quæ de aliquo explicite credendo ita requiritur, ut qui illud etiam invincibiliter ignorat, salutem non consequatur: *necessaria necessitate præcepti* est, quæ solum ex præcepto Dei positivo requiritur ad salutem, seu quæ de aliquo explicite credendo positive quidem præcepta est, ita tamen, ut qui illud invincibiliter ignorat, non hoc ipso impediatur a consequenda salute. Jam vero convenit quidem inter *Catholicos,* paucos articulos necessario esse explicite credendos necessitate medii, imo ne quidem omnes credendos explicite necessitate præcepti, sed sufficere *fidem implicitam* circa plures veritates a Deo revelatas; atque hoc sensu concedunt alios articulos dici posse *fundamentales,* nempe illos qui sunt necessario credendi necessitate medii; alios autem dici posse *non fundamentales,* qui nempe non sunt hac ratione necessario credendi: verum et unanimiter negant ullam veritatem a Deo revelatam dari; quæ non sit credenda negative, h. e., quam quis negare libere possit, aut affirmare vel inficiari cuiquam liberum sit.

103. *Nota II.* Diversus ab hac sententia error est non tantum *Libertinorum* seu *Indifferentistarum* quasi *paganorum,* qui quemlibet docent in sua secta salvari posse, modo unum Deum agnoscat eumque juxta sectæ suæ leges seu propriam rationem colat; sed etiam *Adiaphoristarum, Syncretistarum* aut *Indifferentistarum Christianorum,* qui pro diversitate suarum classium vel articulos de Deo tantum et Christo confuse cognito, vel mysteria etiam præcipua Christi et SS. Trinitatis, vel symboli Apostolici aut etiam Athanasiani articulos vocant *fundamentales,* substantiales, essentiales, et ad salutem consequendam necessarios; reliquos vero omnes vocant accidentales, arbitrarios, adiaphoros et non *fundamentales,* seu tales, quos credere

vel non credere quis possit pro libitu et citra periculum salutis. Horum errores refutandi sunt.

104. *Dico I.* Articuli nostræ fidei evidenter credendi sunt assensu firmissimo, seu explicito seu implicito.

Prob. Quoties est moraliter certum Deum aliquid revelasse, hoc *credendum* est assensu firmissimo : sed ex signis credibilitatis moraliter certum est Deum revelasse articulos fidei nostræ; ergo credendi sunt assensu firmissimo etc. *Maj.* est evidens ex terminis, sicut evidens est, obediendum esse superiori, quando moraliter certum est illum aliquid præcipere; Deus enim dum aliquid revelat, sicut etiam homo dum loquitur, exercite exigit nostram fidem : certum item est ex terminis irrogari injuriam illi, cui non creditur, si moraliter certum sit eum fuisse locutum.

105. *Dico II.* Distinctio articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, ex sensu *Indifferentistarum* facta, nullatenus est admittenda.

Prob. I. Omnes articuli a Deo revelati sunt æqualiter veri ac certi; quia nituntur eadem auctoritate divina infallibili; ergo vel omnes vel nullum negare possumus, aut *negative credere* tenemur : quia qui negat articulum non fundamentalem, æque spernit Dei auctoritatem ac negans fundamentalem.

Conf. Quivis vere Christianus debet habere hunc actum : *Credo omnia, quæ Deus revelavit;* quia dum credit unum articulum fundamentalem, quia est revelatus, si revelatio divina vera sit causa cur hunc credat, hoc ipso implicite credere debet et alia revelata; alias locum habet illud S. Augustini L. 17. cont. Faust. c. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Evangelio creditis.* Ergo nullum articulum, a Deo in Scriptura vel alibi revelatum excludere, potest a sua fide aut negare; quia alias sibi contradiceret, affirmata scilicet universali et negata particulari propositione.

Prob. II. Distinctio articulorum in fundamentales et non fundamentales eorumque determinatio nec potest ostendi ex *Scriptura,* utpote quæ nullam hujus rei mentionem facit : nec accepta est ab *Ecclesia;* quia si hæc orthodoxa sumatur, contradicit aperte : si autem confingatur ex omnibus sectis; jam hos jam illos et quidem contradictorie oppositos designat : neque repeti debet a *spiritu privato,* quia hic insanus est omnium errorum magister et auctor dissensionum.

Conf. Quicumque statuuntur ab *Indifferentistis* articuli fundamentales, sunt ejusmodi, præter quos Ecclesia Catholica alios adhuc credendos proponit; sicut in prioribus seculis contra Arianos, Nestorianos, Eutychianos etc. proposuit. Ergo et alii non fundamentales habiti credendi sunt juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

106. *Dico III.* Ad salutem non sufficit, ut quis credat articulos fundamentales, si interim aliorum satis propositorum unum non credat, sed neget vel discredat.

Prob. I. Ad salutem non sufficit, ut quis servet plura præcepta, si vel

unum violet, juxta illud Jac. 2. 10. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus; qui enim dixit : non mœchaberis, dixit et non occides.* Ergo nec ad salutem sufficit hos vel illos articulos credere, si quis alios a Deo revelatos et satis propositos non credat; quia sicut ibi contemnitur *Legislator,* sic hic etiam, præter contemptum Ecclesiæ illatum, spernitur *fidei Auctor;* neque fides in hoc casu perfecta est ac integra, sicut nec in illo justitia seu obedientia; unde Aug. de Donatistis in Ps. 54. n. 19. sic inquit : *In multis mecum, in paucis non mecum : sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum.*

Conf. 1. Nullus hæreticus potest salvari in sua hæresi juxta illud ad Tit. c. 3. 10. *Hæreticum hominem... devita, sciens, quia subversus est, et delinquit.* Et S. Aug. de Bapt. cont. Donatist. L. 7. c. 54. *Habent,* inquit, *ac tradunt et hæretici* (baptismum)... *quod quia recedendo non amiserunt, et tradere manendo potuerunt : sed... infructuose ac inutiliter,* et c. 39. *Hoc quidem verum est, quod Baptisma salutare nonnisi in Ecclesia Catholica est. Potest enim esse et extra Catholicam; sed salutare non est ibi, quia non ibi operatur salutem.* Sed qui dissentit cuicumque veritati a Deo revelatæ est hæreticus; ergo.

Conf. 2. Si sufficeret ad fidem ac salutem credere articulos, quos vocant fundamentales; ergo Apostolus male scripsisset ad Galat. 5. 2. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit :* et Concilia Patresque, a primordiis Ecclesiæ usque ad hæc tempora, male dixissent anathema *hæreticis,* quorum plurimi articulos fundamentales, h. e. symboli Apostolici credebant; cum etiam ex S. Hilar. L. 2. n. 9. ad Constant. liqueat, *Neminem hæreticorum esse, qui se non secundum Scripturam prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.* Sed neutrum videtur prudenter admittendum; ergo.

Prob. II. Fides ad salutem sufficiens et necessaria debet esse una, ut patet ex Apost. ad Ephes. 4. 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma;* unde vera et salvifica fides etiam Dan. 2. 44. vocatur *unum regnum,* Matth. 24. 45. *una domus,* Joan. 10. 16. *unum ovile* etc. Sed apud *Indifferentistas,* etiam symbolum Apostolicum credentes, non est una fides seu unitas in fide; ergo non potest esse fides ad salutem sufficiens et necessaria. *Min. prob.* 1°. Quia horum, utpote variis sectis addictorum vel ab omnibus sectis in Ecclesia Catholica se distinguentium, variæ sunt in aliis articulis discrepantiæ ac contradictiones : 2°. quia nec in ipsa symboli explicatione ac intelligentia est unitas, atque hinc nec una fides articulorum fundamentalium; ut patet ex articulis de Christi pro omnibus morte, de descensu ejusdem ad inferos, de Ecclesia, de remissione peccatorum etc. 3°. quia apud hos negari posset ac e medio tolli tota Scriptura, supremum Ecclesiæ Caput, aliaque adminicula ad fidei unitatem facientia.

107. *Obj.* Sacra Scriptura tribuit salutem credentibus articulos fundamentales, ut patet 1°. ex Joan. 17, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* 2°. Ex Joan. 3. *Ut omnis, qui credit in ipsum* (Christum) *non pereat, sed habeat vitam æternam.* Item : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* 3°. Ex Marc. ult. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* ergo. *Conf.* Latro in cruce solum Christum credidit, et tamen Luc. 23. audire meruit : *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Item Philippus Act. 8. Eunuchum Candacis baptizavit, quin verosimile sit illum tam modico tempore aliquid præter Christum fuisse doctum; ergo.

R. *D. A.* Scriptura tribuit negative salutem credentibus articulos fundamentales, seu hoc sensu, quod sine hac fide seu implicita seu explicita non obtineatur salus *C.* positive seu hoc sensu, quod obtineatur salus cum hac fide *subd.* Suppositis et adjunctis etiam cæteris, quæ aut credenda aut facienda sunt *C.* sine illis *N.* Sicut per alia Scripturæ testimonia, ubi virtuti cuidam aut operi promittitur vita æterna, non excluditur necessitas etiam aliorum ad beatitudinem consequendam requisitorum: sic idem est tenendum de testimoniis fidei beatitudinem promittentibus; maxime cum alias contra communiorem indifferentistarum opinionem articuli fundamentales ad duos tantum restringerentur.

Ad Conf. R. *D. A.* Latro et Eunuchus solum crediderunt explicite in Christum, et quoad animi præparationem saltem implicite etiam credebant aut jam proposita aut proponenda sufficienter ad credendum *C.* Solum crediderunt in Christum, ita ut alia sufficienter proposita negarent, ut faciunt sectarii, aut non haberent per animi præparationem fidem implicitam *N.* Hinc etiam simpliciter *N. Cons.* ob manifestum inter illos et sectarios discrimen.

Inst. 1. Nec in Judaica nec in Christiana Ecclesia impediebant quædam dissensiones fidei unitatem et Ecclesiæ fundamentalem; ut patet de *Judaica,* quæ conflata fuit præsertim sub finem ex Pharisæis, Sadducæis et Essenis, quibus unum erat templum et unus exspectabatur Messias: de *Christiana* vero, vel sub ipsa primordia, patet ex dissensione Act. 15. inter Apostolos de observatione circumcisionis et legalium: *item,* inter Paulum et Barnabam de Marco recipiendo; ex dissensione inter fideles, qui Actor. 11. disceptarunt contra Petrum, quod cum non circumcisis conversaretur et manducaret: *item* ex dissensione Corinthiorum, quorum schisma recensetur 1. Cor. 1. et 3.

R. *D. Ass.* Dissensiones in quibusdam factis moralibus vel etiam in rebus fidei nondum definitis non impediebant unitatem fidei et Ecclesiæ *C.* in rebus fidei jam definitis *N.* Patet distinctio ex ipsis exemplis allatis. Nam 1°. Dissensio circa legalium observationem res erat necdum definita, neque lex, utut mortua, statim ab initio Ecclesiæ Christianæ erat mortifera. 2°. Pauli et Barnabæ ad diversa discessus agebatur de Marco in socium Evangelicæ prædicationis assumendo, et hinc penitus fidem non tangebat. 3°. Fidelium dissensio a Petro, scandalum erat ex infirmitate eorum ortum nescientium adhuc, per Evangelium sublatas fuisse leges judaicas de communione cum gentilibus vitanda. 4°. Schisma Corinthiorum de præstantia duntaxat eorum fuit, qui ipsis Evangelium annuntiaverant, dum alii dicerent: Ego sum *Pauli*; alii: Ego *Apollo*; alii: Ego *Cephæ*; aut si fuerat etiam circa res fidei, Corinthii tamen non erant pertinaces ad morem Sectariorum, sed docibiles et veritatis intelligendæ cupidi, nunquamque ad separationem prosilierant.

Porro quidquid sit de Judæorum diversis sectis, fuerintne *Pharisæi, Sadducæi,* et *Esseni* omnes hæretici, de quo eruditorum diversa est sententia; id certum est a Judaica Ecclesia ad Christianam argumentum et comparationem institui nec posse nec debere. Quamvis enim Sadducæi, spirituum ac resurrectionis negatores, in Judæorum communione tolerabantur, Paulus tamen

et ab Ecclesiæ communione rejecit et fidem perdidisse declaravit illos, qui aliquid diversum ab Ecclesia de resurrectione senserant; sic enim scribit 1. ad Timoth. 1. 19. et 20. *Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi Satanæ.* Et 2. ad Tim. 2. 17. *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.*

Inst. 2. Qui credit ea quæ sunt necessaria necessitate medii et præcepti, potest salvari: sed qui credit *symbolum Apostolorum,* hæc omnia credit; quia ut dictum supra est ex S. Aug. aliove Auctore sermonis 115. de temp. symbolum hoc est *regula fidei brevis et grandis;* ergo. Atqui non Catholici duntaxat, sed et Sectarii plerique credunt symbolum; ergo. *Conf.* 1. Quæ Christus reliquit creditu libera, non debent obtrudi tanquam dogmata fidei necessaria: sed pleraque dogmata, quæ in *symbolo* non continentur, et inter Catholicos ac Sectarios controversa sunt, Christus reliquit creditu libera; utpote quæ nec in Scriptura sunt clare expressa, nec in primis seculis credita; ergo. *Conf.* 2. Plura sunt dogmata, de quibus antea dubitare licuit, et de facto quædam sunt, de quibus in Scholis Catholicis controvertitur: quin ipsi Catholici passim distinguunt articulos in necessarios et non necessarios, seu ut S. Bonav. L. 3. sent. dist. 25. *in antecedentes,* uti Scripturam et Dei quædam attributa, *constituentes,* nempe articulos symboli, et *consequentes,* hoc est, ex illis prioribus deductos: neque tamen determinare possunt, quinam articuli sint necessarii necessitate medii, et quinam tantum necessarii necessitate præcepti; ergo.

R. *D. M.* Qui, quæ credenda sunt necessario, credit quomodocumque, potest salvari *N.* qui credit eo modo, quo credi oportet *C.* Negatur autem Sectarios etiam articulos symboli modo, *quo oportet,* credere; tum quia eos non credunt in genuino sensu ac vero; tum quia potius ex motivo humano, quam propter Dei auctoritatem credunt, cum alias deberent omnia a Deo revelata etiam credere; ex quo similiter constat ad veram fidem requiri ne alia revelata expresse negentur aut discredantur, aut ne teneantur articuli alii erronei, in quo utroque tamen fides Sectariorum delinquit.

Ad Conf. 1am. R. 1o. *N. Supp. M.* quod Christus, modo a Sectariis intento, possit aliquid revelatum relinquere nobis creditu liberum; nam Deus, quæ revelat, ad ea nos obligat vel explicite vel implicite credenda, ut prob. n. 104.

R. 2o. *T. M. N. m.* Quia quæ controversa sunt inter Nos et Sectarios fidei dogmata, et ex Scriptura, et ex Traditione, primorumque seculorum fide ostenduntur pro nostra parte, ut per decursum Theologiæ probatur.

Ad Conf. 2am. R. *quoad* 1um. et 2um. *D.* Licuit et licet de facto dubitare de quibusdam, antequam et dum necdum definita erant aut sunt, atque hinc necdum quoad nos credenda *C.* postquam fuerunt definita, et si etiam quoad nos sint credenda post declarationem Ecclesiæ *N.* Hoc ipsum admittendum est ab Adversariis communiter auctoritatem quatuor primorum Conciliorum Œcumenicorum venerantibus: ante quæ licebat sine fidei detrimento de quibusdam nondum explicite declaratis dubitare, non quasi reipsa credenda non fuerint, aut implicite non crederentur, sed quia aperte nondum omnibus tanquam explicite credenda innotuerant. *Quoad* 3um. Constat imprimis ex num. 102. non hoc sensu negari a Catholicis articulos quosdam

necessarios, ac si liberum foret eos negare aut discredere; sed quatenus eorum explicita confessio ac notitia non sit præcepta aut ad salutem obtinendam requiratur. Porro eamdem mentem fuisse S. Bonaventuræ liquet ex ipsius ibidem doctrina, qua declarat illa dogmata, quæ *antecedentia* et *consequentia* vocat, esse creditu necessaria non quidem ut articulos principales, sed ut radicatos in symbolo Apostolico. Demum quamvis nec inter *Catholicos* determinatum sit, quænam sit necessitate medii necessaria fides explicita, certum tamen inter eos ac determinatum est, tum quod aliorum articulorum fides explicita sit necessaria ex seipsa ad salutem, aliorum autem positive præcepta, tum quod fides implicita requiratur eorum quæ a Deo revelata sunt.

Inst. 3. Inter res revelatas multa sunt, quæ parvi aut nihili referunt an credantur; ergo in his licebit cuilibet salva fide et salute pro lubitu sentire. *Conf.* 1. Catholici, non obstante ignorantia vel errore circa multos fidei articulos, possunt salvari; ergo idem contingere potest Sectariis. *Conf.* 2. Sunt admodum pauci qui adhærent Ecclesiæ Romanæ; quia si totus terrarum orbis dividatur in viginti quatuor partes, vix quinque sunt Christianæ: ex quibus si demantur heterodoxi, pauci restabunt Catholici. Sed incredibile est quod tam pauci, attendendo præcise fidem, salventur; cum Deus serio velit omnes homines salvos fieri; ergo, præter Catholicos et cum sola saltem fide fundamentalium articulorum, etiam aliis salus concedi debet.

R. *N.* vel *D. A.* Multæ sunt veritates quæ parvi referunt an credantur, spectando præcise notitiam earum *C.* spectando obedientiam, quam Deo loquenti debemus, et auctoritatem Dei, quam discredendo spernimus *N.* Certe non parvi aut nihili refert, quod Deus verum aut falsum sit locutus, aut ejus auctoritati injuria et contra obligationem inobedientia exhibeatur; quæ tamen evenirent, si nobis sumeremus assentire vel dissentire revelatis.

Ad Conf. 1am. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia Catholici in hoc casu credunt saltem generatim quidquid Ecclesia credit et credendum proponit, et, ex supposito, semper parati sunt errores deponere, ubi eis Ecclesiæ doctrina proponetur; unde, vi hujus dispositionis animi, habent fidem quamdam implicitam eorum dogmatum, quæ ignorant. Nihil ejusmodi suffragatur Sectariis, si sua principia sequantur, nec statuantur duntaxat hæretici materiales, et errare ex ignorantia invincibili.

Ad Conf. 2am. *T. M.* Quia calculationem illam non admodum exactam ostendunt plures, qui *Catholicos* non in Europa duntaxat degere norunt, sed eorum per alias orbis partes maximas Ecclesias ex ordine recensent. *N. min.* Cum paucitas salvandorum potius Scripturæ plurimum sit conformis, quam ut imprudenter credibilis asseratur. *Ad prob.* R. Dei quidem salvandi omnes voluntatem esse seriam, non tamen absolutam sed conditionatam, nempe si et ipsi homines salvari velint, eaque præstent quæ requiruntur.

Quæres: *An Articuli Fidei successu temporis creverint?*

108. *Nota.* Dividuntur fidei articuli in principales et minus principales. *Principales* sive ob dignitatem sive ob necessitatem primo credendi, duo communiter referuntur *generales,* nempe de Dei existentia ac de ejus circa salutem hominum providentia, et duo *particulares,* scilicet de Dei in Per-

sonis Trinitate et de ejus circa salutem hominum per Christum procurandam providenti dispensatione. *Minus principales* circa varia Dei præcepta positiva, Sacrificia et Sacramenta aliaque salutis media ac circumstantias Redemptoris nostri et Ecclesiæ versantur. Dicuntur autem articuli, seu eorum numerus, crescere vel simpliciter vel secundum quid : *simpliciter* crescunt, si aliquid de novo revelatur antea necdum revelatum : *secundum quid,* si aliquid ante revelatum incipit quoad nos esse credibile. Hoc autem fieri potest tripliciter: 1°. dum revelatio olim jam facta, sed obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur : 2°. dum similis sed controversa, per infallibilem controversiarum Judicem certificatur : 3°. dum revelatio universalis per legitimam auctoritatem applicatur ad singularia. Porro sicut triplicem hanc potestatem Ecclesiæ convenire, sic similiter certum est Ecclesiam nihil unquam definivisse fide divina credendum, nisi quod aut explicite aut formaliter implicite fuerit revelatum.

109. *Dico I.* Articuli principales fidei nunquam creverunt.

Prob. Quia imprimis articuli duo generales jam ab ortu mundi constabant omnibus fidelibus, eo quod teste Apostolo, *sine fide impossibile sit placere Deo: Accedentem vero ad Deum oporteat credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Duo autem articuli particulares obscurius saltem jam in lege naturæ ac Moysis revelati fuerant et credebantur, præsertim de Christo, explicite a Patriarchis, Magistris et Principibus populi Hebræorum; a vulgo autem profitente fidem veræ Ecclesiæ credebantur implicite, quamvis distincte non cognoscerentur.

Conf. Ex SS. Patribus, inter quos S. Irenæus, cui consentit Nazianz. in Or. 15. de Mach. n. 1., fideles omnes ante Christum natum dicit fuisse vere *Christianos.*, S. Aug. autem ep. 157. (al. 190. n. 6.) ad Optat. sic scribit: *Eadem est fides nostra et illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum.* Et Tr. 45. n. 9. in Joan. *Tempora,* inquit, *variata sunt, non fides; quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur : alium sonum habet, Venturus est : alium sonum habet, Venit. Mutatus est sonus, venturus est, et venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, et eos qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt.*

Si ais 1°. Deus Exod. 6. ait Moysi: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis.* David Ps. 118. dicit: *Super senes intellexi.* 2°. S. Paulus ad Eph. 3. 5. *Quod aliis,* inquit, *generationibus non est agnitum* (Mysterium Christi) *filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis in Spiritu.* Et v. 9. *Illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo.* 3°. Præterquam quod nihil de Trinitatis Mysterio in V. T. aperte contineatur, Greg. M. in Ezech. L. 2. hom. 4. n. 9. notat per Testamentum novum in corde fidelis populi fidem Trinitatis crevisse; ergo simpliciter crevisse dicenda est fides in Deum, Incarnationem et Trinitatem.

R. 1°. *Universim N. Cons.* Ex his enim duntaxat probatur, minus claram horum articulorum olim notitiam fuisse, quam post exortam Evangelii lucem, neque ita ad omnem etiam populum et quoscumque pervulgatam, ut postea factum est, dum Apostoli mittebantur ad docendas omnes gentes et prædicandum omni creaturæ.

R. 2°. Speciatim *ad* 1um. Sensum textus prioris esse: Ego Deus Patribus cognitus fui, et vocatus, *Adonai, Elohim, El, Saddai,* quæ nomina certam aliquam perfectionem instar qualitatis in Deo significant, nempe Domini, gubernatoris, fortis, liberalis, omnipotentis: tibi vero nomen meum essentiale (ponitur enim, non Adonai, sed tetragrammaton) revelo, quod ipsam substantiam meam in se et essentiæ meæ significat; unde liquet, clariorem duntaxat Divinitatis cognitionem *Moysi* præ *Abrahamo, Isaaco* et *Jacobo* datam fuisse, quemadmodum cum Gregor. M. hom. supr. cit. in Ezech. n. 12. aliisque Patribus, Interpretes exponunt. Textus posterioris sensus litteralis est, *Davidem* adhuc juvenem sapientiorem fuisse multis senibus ob studium suum assiduum in meditanda lege Domini. Quodsi vero præcellentiorem Dei cognitionem sibi ante Patriarchas antiquos his verbis tribueret *David,* nihil diceret nobis contrarium.

Ad 2um. R. Contextum ostendere, quod *Paulus* non tam de mysterio Christi, sed de mysterio vocationis Gentium ad fidem et gratiam Christi loquatur. Utrumque vero non aliter dicitur incognitum a seculis, quam quod tanta claritate itaque expressum et circumstantiis vestitum non innotuerit Patriarchis et Prophetis antiquis, atque experimento cognitum fuit ab Apostolis Novique Testamenti Prophetis; eo quod Isaias aliique jam ante prophetaverint de vocatione gentium ad Christi fidem, et Patriarchæ olim ac Prophetæ notitiam de Christi incarnatione habuerint, ut Christus testatus est de Abrahamo, Joan. 8. 56., *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit et gavisus est.*

Ad 3um. R. Tam in libris Moysis, quam in Psalmis et Prophetis, non obscure revelatum fuit Mysterium SS. Trinitatis, ut videre est in *Sacra Scriptura dogmatice et polemice explicata;* apertius tamen in Evangelio est annuntiatum, ut adeo merito et ratione hujus tempus Novæ Legis potuerit ab Apostolo dici *lux,* quæ noctem Veteris Legis subsecuta sit: atque hoc, non alio sensu intelligendus est S. Gregorius.

110. *Dico II.* Articuli minus principales ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive creverunt simpliciter.

Prob. Quia, ut ex SS. Litteris manifestum est, Deus multa successive revelavit *Adamo, Abrahæ, Moysi, David,* aliisque Prophetis; et vel maxime in Novo Testamento per Christum et Apostolos: sed inter hæc non paucæ sunt veritates, quas supra fidei articulos minus principales diximus; ergo.

Si ais: Conclusio S. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 7. hæc est: *Articuli fidei temporum successione creverunt, non quidem quantum ad substantiam, sed quantum ad explicationem et expressam professionem: nam quæ explicite et sub majori numero a posteris credita sunt, eadem omnia a superioribus Patribus implicite et sub minori numero credita fuerunt;* nempe in binis illis articulis generalibus.

R. S. Thomam substantiam articulorum sumere valde *generatim* et *confuse,* quatenus nempe omnes articuli reduci possunt aliqua ratione vel ad Deum, vel ad Dei providentiam; non vero proprie et speciatim, quatenus omnes articuli secundum se et veritatem suam singularem et specificam formaliter etiam tantum implicite continerentur in illis binis articulis revelatis. Neque is etiam loquitur de mera et simplici explicatione, quæ sit declaratio, certi-

ficatio aut applicatio veritatis cujusdam jam antea revelatæ; sed de explicatione, quæ sit nova propositio et revelatio distincta ab omni alia priore revelatione; ut patet in articulis præsertim objecta contingentia habentibus, eo quod, cum v. g. hæc vel illa, septem vel tria Sacramenta dari, non magis pertineat ad veritatem revelatæ propositionis de divina providentia, quam septem præcise et hæc dari Sacramenta; nec ut definitio in definito, nec ut pars in toto, nec ut particularis veritas in universali fuerit contenta et consequenter implicite revelata. Quare nec *implicite* credi poterant, nisi valde improprio et hoc duntaxat sensu, quod fideles antiqui parati essent credere omnia objecta, quæ substare possent divinæ auctoritati revelanti.

111. *Dico III.* Articuli fidei a tempore Christi et Apostolorum non creverunt simpliciter, sed tantum secundum quid.

Prob. 1ª. *pars.* Quia Apostolis communicata fuit omnium veritatum fidei perfecta notitia; ut patet 1°. ex Scriptura, ubi Christus Joan. 15. 15. *Omnia, quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et Joan. 16. 13. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 2°. Ex Patribus et Conciliis. Ex quibus sufficiat Epiph. hær. 66. n. 19. scribens, Apostolos accepisse donum, quo Spiritus sanctus omnia ipsis clare exposuerit: et Trid. Sess. 4. in decreto de Canonicis Scripturis Evangelium Christi proponit tanquam *fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ;* additque *hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt.* 3°. Ex eo quod fides Catholica sit simul Apostolica, atque ab Apostolis hæreditaria successione ad nos transmissa: item quod sit *superædificata,* ut ad Ephes. c. 2. 20. dicitur, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu:* quæ non haberentur, si articuli fidei quidam fuissent illis incogniti.

Conf. Quia, si crevissent post Apostolos articuli, per Ecclesiæ definitiones crevissent: atqui hæ non sunt novæ revelationes, sed duntaxat explicationes secundum unum ex tribus supra citatis modis; et ex ipsa Ecclesiæ praxi liquet in definitionibus faciendis, juxta S. Cypriani datum, ep. 74. ad Pompeium (opp. p. 132. ed. Rigalt. 1666.), monitum: *Si in aliquo nutaverit et vacillaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam, et Apostolicam traditionem revertamur.* Quod ipsum ex Actis Conciliorum omnium cognosci potest, ac manifeste declaravit Trid. Sess. 6. in fine Proœmii affirmans se non aliud *intendere,* quam *exponere omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam sol Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ Auctor et Consummator docuit, Apostoli tradiderunt, et Ecclesia Catholica, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit.* In quem sensum etiam loquitur Sess. 13. in initio decreti de SS. Eucharistiæ Sacramento.

Prob. 2ª. *p.* Quia experientia et repetito sæpius usu constat, quod ex tempore Apostolorum, occasione hæresum vel alterius necessitatis, Ecclesia per varias definitiones multos fidei articulos et traditiones clarius explicavit, aut quædam certo revelata esse pronuntiavit, aut revelationes ad objecta particularia, tanquam implicite revelata, extendit, assistente semper Spiritu sancto, ut alibi ostendetur, ne in ejusmodi decisionibus erraret; ergo.

112. *Nec dicas* 1°. *contra* 1am. *part.* Apostoli non habuerunt perfectam et plenam articulorum fidei notitiam ; tum 1. quia hæc illis necessaria non fuerat : tum 2. quia multa credere non potuerant, utpote quorum objecta tempore eorum necdum extiterant; qualia sunt Concilium Tridentinum esse legitimum, hunc numero hominem esse Christi Vicarium, aut vere sanctum : tum 3. quia dici nequit, an Apostoli eam notitiam acceperint statim in die Pentecostes, an successu temporis.

R. *D. Ass.* Non habebant perfectam et plenam fidei articulorum per sé singularium notitiam *N.* articulorum particularium in universali revelata contentorum *subd.* non habebant notitiam generalem et ex parte conditionati *N.* particularem et ex parte conditionis *C.* Propositiones singulares de mysteriis fidei nostræ jam a temporibus Apostolorum notæ et creditæ erant fidelibus, ut patet tum ex Scriptura, tum ex traditione, quæ fontes sunt, ex quibus Ecclesia suas definitiones habet ; postea vero vel hæreticorum improbitas vel fidelium oscitantia fecit, ut per *Concilia* et *Pontifices* rursus declaranda et explicatius etiam proponenda forent, quæ a Majoribus simpliciter credebantur. Propositiones autem particulares de iis, quorum objectum tempore Apostolorum necdum extiterat, non poterant credi distincte et in particulari; eo quod nullæ species individuæ de illis aderant, neque constabat an purificata esset in subjecto particulari conditio, sub qua universalis propositio prædicatum enuntiabat. Credebantur tamen ab Apostolis propositiones universales, particularibus etiam subjectis applicandæ, si conditio purificaretur; quod ad fidem Apostolicam et iis superædificatam satis erat. Unde

Ad prob. 1am. *N. Ass.* ex data modo ratione de fide Apostolica.

Ad prob. 2am. *D.* Multa credi non poterant explicite et in particulari *C.* implicite et in universali *N.*

Ad prob. 3am. R. Probabilius videri quod Apostoli die Pentecostes fuerint quidem instructi fidei mysteriis, quæ tunc nosse oportebat ad docendos Judæos, quibus primo prædicandum erat Evangelium : successu vero temporis plenius edoctos esse alias veritates, prout necessitas postulabat. Hujus ratio est, tum quia Joannes in Apocalypsi multa mysteria de novo revelata accepit : tum quia Petrus Act. 10. per visionem didicit, gentiles æque ac Judæos pertinere jam ad fidem Christi : tum quia Act. 15. Apostoli dubitabant de observanda a Gentilibus conversis circumcisione et legalibus in Concilio Hierosolymitano, in quo Spiritus sanctus non tantum eo modo, ut postea in aliis Ecclesiæ Conciliis, sed per novam revelationem videtur astitisse ; eo quod pro nova Ecclesia novæ etiam revelationes desiderari videantur, quæ Ecclesiæ aliquando plene constitutæ necessariæ non sunt, cum factæ Apostolis ac fidei Patriarchis sufficere queant, et ob unitatem debeant.

Nec dicas 2°. Post Apostolorum tempora imprimis multa sunt privatim revelata; deinde etiam publice vel miraculis vel vocibus de cœlo lapsis prodita et confirmata; denique quæ antea impune negari poterant, a Conciliis et Pontificibus definita ; quod fieri non potuisset, nisi novæ eorum revelationes accessissent.

R. Nos non loqui de revelatione privata, neque etiam de publica qualicumque; sed de ea, quæ pertinet ad fidem Catholicam, seu totam Ecclesiam ad credendum obligat. Dari enim revelationes ad peculiarem quorumdam

directionem pertinentes, facile concedimus cum S. Hier. super illud Matth. 11. *Omnes Prophetæ et Lex usque ad Joannem,* et S. Aug. L. 5. de Civ. c. 26. etc. Denique existentia novæ revelationis probari nequit ex eo, quod nunc quædam credenda sint, quæ antea impune negari poterant; hoc enim licebat non ex defectu revelationis de iis reipsa existentis, sed ex defectu sufficientis applicationis; atque hinc illa quidem etiam olim reipsa ac materialiter de fide erant, non autem de fide obligante.

Nec dicas 3°. Debent de facto fieri novæ revelationes; tum 1. quia Spiritus sanctus æque nunc assistit Ecclesiæ loquenti ac definienti, ac olim assistebat Prophetis et Scriptoribus Canonicis: tum 2. quia quæ Ecclesia definit, æque credenda sunt, ac illa, quæ illi olim pronuntiaverant; adeo ut, qui negaret veritatem ab Ecclesia definitam, foret hæreticus; ergo.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *N. parit.* vel *D.* Æque assistit, ut novas et olim necdum revelatas veritates definiat, et sic simpliciter novos articulos condat *N.* ut revelatas olim veritates infallibiliter cognoscat, explicet et ad particularia in illis vere contenta applicet, atque sic articulos duntaxat secundum quid novos proponat *C.* Assistentia Spiritus sancti respectu Prophetarum consistebat in revelatione seu locutione Dei, vi cujus illi agebantur potius quam agebant; eo quod cognitio prophetica, licet vitaliter procederet ab intellectu, tamen indeliberate fiebat, et ad loquendum impellebat: assistentia autem Spiritus sancti Ecclesiæ concessa stat in speciali providentia Dei, qua dirigatur mens Prælatorum Ecclesiæ ad inquirendam per apta media veritatem, removeantur impedimenta assecutionem veritatis impedire potentia, et illuminetur intellectus ad verum a falso infallibiliter discernendum.

Ad prob. 2am. *D.* Æque sunt credenda formaliter et directe *N.* indirecte et per quamdam quasi consequentiam *C.* Auctoritas enim Ecclesiæ aut ejus definitio non est ratio seu objectum formale fidei, sed motivum duntaxat et fundamentum obligationis ad credendum: unde etiam qui negat veritatem ab Ecclesia definitam, est hæreticus, non quia negat Ecclesiæ factas revelationes aut potestatem condendi articulos; sed quia negat Ecclesiam esse infallibilem in proponendis aut explicandis divinis revelationibus.

113. *Nec dicas cont.* 2am. *p.* 1°. Probationes allatæ evincunt nihil latuisse Apostolos; ergo nequidem secundum quid creverunt articuli. 2°. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. ad 1. ait, *quod in doctrina Christi et Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata.* Et a. 7. ad 1. docet, eos perfectius cognovisse, qui fuerunt viciniores adventui Christi, sicut magis illuminantur, qui sunt propinquiores soli.

Ad 1um. R. *N. A.* Cum enim Apostolis sufficerent veritates, pro statu rerum sui temporis necessariæ, et generales pro futuris temporibus, ad Ecclesiam constituendam et in futurum etiam Apostolicam dicendam, frustra quis et gratis probationes allatas extenderet ad cognitionem veritatum particularium, et non necessariam, et propheticam.

Ad 2um. R. S. Thomam per primum nihil velle, nisi veritatem fidei fuisse olim sufficienter explicatam pro tempore Christi et Apostolorum; minime vero, quod successu temporis non fuerit necesse quædam magis explicare, ad fidei controversias decidendas ac vitandos errores: continuo siquidem ita pergit: *sed quia perversi homines Apostolicam doctrinam et cœteras doctri-*

nas et scripturas pervertunt ad sui ipsorum perditionem, sicut dicitur 2. *Pet. ult.; ideo necessaria fuit temporibus procedentibus explicatio fidei contra insurgentes errores.* Alter textus ad præsentem quæstionem non pertinet, cum loquatur de notitia articulorum fidei clariore apud eos, qui circa *Christi adventum* vixerant præ illis, qui in *Lege naturæ* et *scripta* antea positi minus clare mysterium Incarnationis noscere poterant. Cæterum paritas a sole desumpta adæquata minime est, cum sol sit agens necessarium, Christus vero agens liberum, illuminetque homines et prout vult, et prout temporum ratio desiderat.

ARTICULUS V.

QUINAM ARTICULI SINT NECESSARIO CREDENDI NECESSITATE MEDII?

114. *Nota.* Quæstio articulos attingit principales. Ex iis generales controversiæ minus patiuntur quam particulares. Proponuntur autem ab Apost. ad Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* ubi sub ratione Dei existentis intelligitur saltem ens perfectissimum et principium rerum omnium; sub ratione remuneratoris autem Dei providentia et justitia, qui cuique pro merito suo reddat mercedem, bonis nempe præmia, malis pœnas. Cum vero providentiæ media alia possint esse *naturalia,* alia *supernaturalia,* pœnæ etiam ac præmia et hujus et alterius vitæ; nonnulla inter auctores discrepantia est, quibusdam negantibus articulum de remuneratore *supernaturali* esse per modum medii necessarium, aliis tamen communiter id affirmantibus.

115. *Dico I.* Articulos de Deo ut existente et ut remuneratore explicite credere, necessarium est necessitate medii.

Prob. Ex sententia Pauli supra cit., quæ sic incipit: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem* etc. Sermonem hic autem esse de fide *explicita,* inde patet, quia fides implicita Dei existentis dari nequit, cum primum omnium sit credere Deum; si autem fides explicita requiritur Dei existentis, eamdem quoque de Deo remuneratore ex copulatione asseri debet: *necessitatem* medii satis declarat membrum primum de impossibilitate, cui alterum per particulam *enim* adjunctum explicat duplex necessariæ fidei objectum. Hinc damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio 22. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

Conf. Quia sublata fide remuneratoris tollitur omnis spes præmiorum et timor pœnarum, ut S. Thom. Lect. 2. ad text. Pauli inquit: *Non solum est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso:* item tolleretur amor amicitiæ perfectæ erga Deum; hic enim teste Philosopho L. 8. Eth. est *amor mutuus* et *amicis patens,* seu illis non incognitus, infertque mutuam bonorum communicationem: unde sine fide Dei remuneratoris amor quidem benevolentiæ simplicis, non autem amor amicitiæ perfectus haberi posset.

116. *Dico II.* Articulus necessario credendus de Deo ut remuneratore, intelligitur de remuneratore *supernaturali.*

Prob. Apostolus loco citato docens fidem Dei remuneratoris esse absolute necessariam, expresse agit de remuneratore per bona supernaturalia et vitam æternam : nam 1°. vox græca, μισθαποδότης significat *redditorem mercedis :* sed justi in hac vita sæpe nullam suæ pietatis ac virtutis mercedem ferunt, et e contrario perpetuis afflictionibus exercitantur; ergo Apostolus vult Deum credi retributorem bonorum supernaturalium ac vitæ æternæ. 2°. Ibidem v. 1. vocaverat fidem *sperandarum substantiam rerum et argumentum non apparentium* : sed res sperandæ imprimis procul dubio vel maxime sunt bona supernaturalia nobis proposita et promissa : unde et ibid. de Patribus V. T., quorum fidem magnifice laudaverat, addit v. 35. : *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Et v. 39.: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.* Deinde vero res non apparentes dicuntur non solum illæ, quæ oculis non usurpantur, sed et quæ naturali ratione investigari nequeunt, juxta 1. ad Cor. 2. 9. : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt illum : nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* Ergo Apostolus requirit fidem rerum supernaturalium ac vitæ æternæ, atque remuneratoris supernaturalis.

Conf. Illa fides remuneratoris est necessaria necessitate medii, quæ ex natura rei requiritur ad amorem amicitiæ perfectum, consequendam justitiam et salutem : sed ad hæc requiritur fides remuneratoris *supernaturalis;* quia amor amicitiæ perfectus cum Deo supponit cognitionem mercedis aut donorum a Deo promissorum, et fides ad justitiam ac salutem, tanquam supernaturalia de facto nobis proposita, perducens includit cognitionem ipsius justitiæ et salutis ; ergo.

117. *Obj. I.* S. Paulus loco cit. intendit duntaxat fidem esse necessariam ad justificationem per bona opera, non vero fidem de omnibus iis rebus, quæ ibidem referuntur; cum certum sit *Saram* potuisse salvari, etsi nihil audivisset de promissione filii; similiter *Noe* et alios sine aliorum ibi relatorum cognitione. *Conf.* 1. Rudes interdum errant circa aliquod attributum divinum; ergo non habent conceptum veri Dei; ergo vel non habent fidem necessariam, vel fides Dei non est necessaria. *Conf.* 2. Juxta D. Th. q. 14. de Ver. Dicendum est quod de Deo non est fides, quantum ad id, quod naturalem cognitionem excedit : sed nec existentia Dei nec ejus remuneratio excedit cognitionem naturalem; ergo.

R. *D.* Paulus non intendit fidem esse necessariam de omnibus, quæ quomodocumque ibi hoc capite referuntur *C.* quæ referuntur tanquam credenda *N.* Tria præcipue in hoc capite docet Paulus, 1°. fidei essentiam et necessitatem : 2°. objectum fidei necessarium : 3°. fidei utilitatem ex objectis quibuscumque revelatis ac ejus operibus : *primum* et *secundum* ostendit in v. 1. et 6. *tertium* in reliquo capitis argumento.

Ad Conf. 1am. R. *N.* 1um. *Cons.* Habetur enim conceptus veri Dei, quando habetur idea entis perfectissimi aut supremi, vel talis, qui soli Deo vero conveniat, eumque distinguat a falso vel ficto, licet eidem addantur quædam prædicata, illi reipsa non congruentia; modo conceptum priorem non clare

evertant, vel manifeste illi repugnent in cognoscentis intellectu : atque ita subinde accidit non rudibus duntaxat sed et doctis, qui inculpabiliter aliquid, Deo revera non conveniens, tribuunt. Qui vero quid agnoscit repugnare vero Deo, aut culpabiliter prædicatum repugnans eidem tribuit, rectum veri Dei conceptum evertit, neque verum Deum credit.

Ad Conf. 2am. R. *D. M.* Non est fides per cognitionem naturalem et medium scientificum de eo, quod naturaliter est de Deo cognitum *C.* Non est fides per motivum proprium, seu auctoritatem divinam de eo etc. *N.* Sed de hoc vide Disputationem de fidei objecto formali et obscuritate.

118. *Obj. II.* Si fides explicita Dei remuneratoris esset necessaria necessitate medii; ergo ideo, quia ex natura rei esset necessaria ad amorem Dei justificativum et perfectum, ac consequenter ad justitiam et salutem : atqui ad hunc non est necessaria fides *Dei remuneratoris,* quia ad hunc sufficit fides de Deo summe bono : vel saltem non est necessaria fides explicita, quia eliciens actum charitatis sæpe non cogitat de vita æterna; ergo.

R. *C. M.* Cum communiore Theologorum sententia; nam quamvis aliqui necessitatem fundent tantum in eo, quod Deus decreverit in hac providentia non concurrere ad actum charitatis, nisi simul adsit aut præcedat fides remuneratoris, vel in eo, quod moraliter impossibile aut valde difficile sit hominem assurgere et prosilire ad actum charitatis, quin sensim per actus alios præcedentes præsertim spei ad illum fuerit dispositus; tamen ex antea dictis fundanda videtur illa necessitas in ipsa natura. His adde, quod sicut, dum Apostolus dicit : *Sine fide impossibile est placere Deo,* significat physicam fidei necessitatem et in natura rei fundatam; sic etiam, dum subjungit : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit,* eamdem necessitatem indicat; eo quod posterior sententia sit duntaxat explicatio prioris, ubi per accessum ad Deum intelligitur placere Deo, et per credere Deum ac remuneratorem declaratur fides vel ejus objectum, sine qua impossibile est placere Deo.

Ad min. R. 1o. *N.* 1am. *p. ejus prob.* Quia fides de summo bono præcise potest quidem fundare æstimationem, complacentiam et amorem simplicis benevolentiæ, non autem *amicitiæ amorem* : prior autem amor ex natura sua morali justificativus non est, nec expulsivus peccati mortalis; quemadmodum enim peccatum hoc reipsa est aversio ab ultimo fine et amicitia divina, sic et amor ejus expulsionem in ordine morali de congruo exigens debet esse conversio ad ultimum finem et divinam amicitiam, qualis nec est amor simplicis benevolentiæ; nec sine fide Dei tanquam *amici remuneratoris* haberi potest.

R. 2o. *N. etiam* 2am. *p. Hujus autem prob. D.* Sæpe non cogitat virtualiter de vita æterna *N.* formaliter *subd.* signate et reflexe *C.* exercite ac directe *N.* In actu charitatis virtualiter saltem adest fides de Deo ut remuneratore, quæ formaliter antea præcesserat; aut plerumque adest fides de Deo tanquam auctore supernaturalium, sub quo conceptu virtualiter continetur ratio remuneratoris; aut denique exercite ac directe fides alterutra non deest, eo quod qui sæpe fidei et charitatis actum exercet, formaliter attingat motivum, licet illud studiose ac cum reflexione non consideret : id quod

ad evitandos scrupulos de contritione ad obtinendam salutem in praxi observandum plerique monent.

Inst. 1. Amor tendens in Deum ut remuneratorem est amor concupiscentiæ, non amicitiæ : sed ad justificationem non requiritur ex natura rei amor concupiscentiæ; tum quia amor amicitiæ justificativus potest elici, quin præcesserit amor concupiscentiæ seu spes : tum quia etiam spes præcedens nihil conferre potest ad eliciendum amorem amicitiæ; ergo sicut non requiritur amor tendens in Deum ut remuneratorem, sic nec fides necessaria est.

R. *D. M.* Amor tendens in Deum ut remuneratorem præcise propter remunerationem passivam, tanquam motivum suum formale, est amor concupiscentiæ *C.* propter remunerationem activam, seu benevolentiam Dei amicabilem *N. M. et Trans. min. Cons.* Transmisimus vero Minorem; tum quia quamvis absolute elici queat amicitiæ amor sine prævio amore concupiscentiæ, moraliter tamen loquendo id vix contingit; eo quod voluntas connaturaliter inclinet in bonum proprium, adeoque ad amicitiæ amorem per concupiscentiæ motum præambulum ascendat : tum quia spes omnino disponit ad amorem, ut a Tridentino Sess. 6. c. 6. docemur, præstatque ut firmiter et efficaciter Deum diligamus : unde utramque probationem nihil evincere, manifestum est.

Inst. 2. Motivum charitatis justificativæ est bonitas Dei *essentialis* : sed Deum esse remuneratorem non est bonitas vel prædicatum Dei essentiale; ergo.

R. *D. M.* Est bonitas Dei essentialis, ita ut sumatur cum exclusione omnis voluntatis Dei liberæ *N.* est bonitas essentialis, per quam non intelligatur voluntas Dei libera exclusa *C.* Ratio finis ultimi et amicabilis boni omnino est essentialis Deo, nec illi advenit ab extrinseco : Deus tamen libere voluit esse de facto finis noster ultimus *supernaturalis* et amicabilis communicator suorum bonorum. Liquet autem ex dictis, charitatem justificativam esse amorem amicitiæ, atque hinc bonitatem essentialem absolutam pro motivo non habere.

119. *Obj. III.* Ad justificationem et salutem sufficit credere Deum remuneratorem per *bona naturalia*. *Prob.* Talis fides sufficit ad eliciendum amorem amicitiæ supernaturalem; tum 1°. quia per talem fidem cognoscitur ut remunerator : tum 2°. quia Deus etiam ut auctor naturæ potest amore supernaturali diligi : sed amor amicitiæ supernaturalis est justificativus; ergo. *Conf.* 1. Sufficit credere Deum esse renumeratorem per bona quidem supernaturalia sed non *æterna*. *Prob.* Quia stante tali fide, cum errore *Origenis* inculpabili, homo cognosceret et posset amare Deum amore amicitiæ; ergo. *Conf.* 2. Sufficit saltem fides, qua quis credit Deum esse remuneratorem per bona *alterius vitæ*, licet præscindat a duratione et supernaturalitate bonorum. *Prob.* Tum quia talis fides non foret falsa, atque hinc posset esse supernaturalis, fundareque supernaturalem amorem amicitiæ : tum quia non videtur necessaria cognitio supernaturalitatis, utpote cujus conceptus etiam doctis dubius et obscurus est.

R. *N. M. Rat.* 1^{am}. *D.* Per talem fidem cognoscitur Deus et renumerator benevolus et amicabilis *N.* ut remunerator simpliciter *C.* Ad remunerationem amicabilem, quæque fundet amorem amicitiæ perfectum, requiritur, ut

alter alteri velit communicare suam præsentiam, visionem intuitivam et amorem fruitivum; unde licet amor auctoris naturæ possit esse *supernaturalis*, non tamen foret amor amicitiæ perfectus, neque etiam posset esse firmus et perfectus, cum Deus se diligentes non soleat semper remunerari per bona vitæ præsentis.

Ad Conf. 1am. R. *N. Ass.* Tum quia talis fides esset falsa adeoque solum naturalis : tum quia amicitia ex ea orta non posset esse perpetua, qualis tamen requiritur, ut sit perfecta, appretietque amicum amore super omnia firmo. *Ad prob.* R. *D.* Posset amare amore amicitiæ imperfecto *C.* perfecto et justificativo *N.* Ex eo autem quod error sit inculpabilis, impeditur quidem, ne fides aut amor ejusmodi sit vitiosus; non autem præstatur, ut justitiæ sortiatur effectum, quemadmodum in aliis etiam necessario ad aliquid efficiendum reipsa requisitis patet.

Ad Conf. 2am. R. *D. ult. seq.* Posset fundare amorem amicitiæ supernaturalem perfectum *N.* imperfectum *C.* Cum enim fides præscinderet a supernaturalitate ac duratione æterna, hoc ipso non proponeret Deum tanquam amicum perfectum ac perpetuum, adeoque non posset fundare amorem amicitiæ justificativum ex duplici defectu. *Item* non requiritur cognitio supernaturalitatis quoad *an est N.* quoad *quid est C.* Requiritur enim et sufficit, ut fidelis credat vitam æternam, quam viribus propriis et naturalibus nequeat consequi.

120. *Observa.* Cum fides de remuneratore supernaturali dari nequeat sine fide immortalitatis animæ, ac necessitate gratiæ; communior etiam assertio Theologorum est, de his fidem necessariam esse necessitate medii. Quia tamen qui credit et sperat remuneratorem supernaturalem, satis hoc ipso etiam credit animæ perpetuitatem et necessitatem auxilii melioris ad salutem, fides horum explicita et per distinctos conceptus non semper in re et actualiter necessaria existimatur.

QUÆRES I. *An etiam articuli de Christo et SS. Trinitate necessario necessitate medii sint explicite credendi?*

121. *Nota I.* Conjungimus utrumque articulum, eo quod unus sine altero recte intelligi nequeat, ut consideranti facile perspicuum erit : illum autem de Christo alteri de Trinitate præponimus, propterea quod qui primi necessitatem asserunt, inde posterioris necessitatem deducant, ut videre est in S. THOM. hic q. 2. a. 8. Quæstio porro est 1°. de necessitate respective ad omnes, scilicet Gentiles, Judæos et Christianos, in antiquo Testamento seu ante Christi adventum æque ac in Novo et post adventum Christi : 2° de fide explicita, non autem de implicita tantum, qua nempe fidelis quilibet credit vera esse omnia, quæ divinitus sunt revelata, inter quæ etiam est Incarnatio Verbi et Mysterium Trinitatis : 3°. de certo gradu fidei explicitæ; habet enim ista plures gradus secundum rationem magis expliciti, ut passim observant Doctores. Inter hos de Christo *primus* est, si Deus creditur ut justificator et Salvator generis humani per media ab eo ordinata, ignorando tamen media in particulari, quorum unum est Incarnatio; atque hic gradus idem est cum fide de Dei providentia, seu Deo remuneratore : *secundus,* Si creditur aliquis redemptor, et mediator inter Deum et homines, ad hos salvandos, ignorando adhuc modum redemptionis, et an redemptor sit homo Deus;

tertius, Si creditur divinitas redemptoris, sed ignoratur etiamnum modus redemptionis, per passionem scilicet, mortem et resurrectionem redemptoris divini : *quartus*, Si explicite etiam creditur humanitas et divinitas Christi et modus proxime memoratus, quo redemptio completa fuit.

122. *Nota II.* Circa quæstionem sic expositam auctores abeunt in diversas sententias. *Prima* est, fidem penitus explicitam in Christum fuisse ad salutem necessariam pro omni omnino tempore; ita quidam apud *Bannez*: *secunda*, talem fidem non quidem fuisse necessariam tempore V. T., esse tamen nunc in N. T.; ita *Valentia, Lorca* cum pluribus Thomistis : *tertia*, fuisse semper necessariam fidem alicujus mediatoris secundum gradum, *secundum* supra expositum; ita *Alex. Albert. Bonav. Scot. Becan. Simonet*; qui iidem statuunt post adventum Christi ejus fidem in gradu *quarto* explicitam esse necessariam : *quarta* fidem omnino explicitam nunc quidem esse necessariam ad salutem consequendam, non autem ad ipsam justificationem; ita *Canus, Ledesma, Castro, Bannez* et nonnulli : *quinta* absolute docet, fidem explicitam de Christo mediatore ac redemptore nequidem in Novo Testamento et ad salutem consequendam esse necessariam necessitate medii; ita *Suar., Haunold.* et præter alios *Lugo*, qui eam inter Recentiores vocat communem, et *Layman*, qui hanc saltem æque probabilem censet. Statuitur vero ab universis explicitam in Novo Testamento utriusque articuli fidem esse necessariam necessitate præcepti etiam primarii; unde et *Suarez* eam saltem in voto necessariam dicit necessitate medii, qua ratione baptismus in voto necessarius enuntiatur; eo quod fides hæc explicita est a Deo instituta tanquam medium ad salutem obtinendam, sicut baptismus fluminis.

123. *Dico I.* Videtur certum, fidem explicitam Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis non fuisse medium ad salutem necessarium in V. T.

Prob. Medium ad salutem *absolute* necessarium debet publice ita esse promulgatum aut notum, ut non a quibusdam duntaxat sanctioribus et doctioribus sed a multitudine et omnibus cognoscatur; alioqui Deus sufficienter non provideret saluti omnium, neque voluntati seriæ omnes salvandi satisfaceret : sed in V. T. fides explicita Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis sic nec promulgata nec nota erat omnibus; ut patet 1°. ex ipsa S. Scriptura, quæ Christi fidem valde obscuram significat in ep. ad Gal. 3. 23. *Prius autem, quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat.* 1. Cor. 10. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; Petra autem erat Christus.* 2. ad Cor. 3. 14. *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum,* (*quoniam in Christo evacuatur*) *sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* 2°. Ex Trid., quod cum Sess. 6. c. 2. dicat, *Christum et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum*, clare innuit non omnibus fuisse revelatum. 3°. Ex ipsa notitia, cujus apud Gentiles vix ullum vestigium deprehendi potest : apud Judæos autem ita depravatum erat, ut vulgaris error esset, solum exspectari redemptorem corporum, non animarum.

124. *Nec dicas* 1°. S. Aug. L. 18. de Civ. c. 47. scribit : *Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.* L. de nat. et grat. c. 44. autem ait : *Ea quippe fides justos sanavit antiquos, quæ sanat et nos, id est, mediatoris Dei et hominum hominis Jesu Christi, fides sanguinis ejus, fides crucis ejus, fides mortis et resurrectionis ejus.* Similia habet L. 2. de Grat. Christi et de pecc. orig. c. 24. et alibi. 2°. S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. *Post peccatum,* inquit, *fuit explicite creditum mysterium Incarnationis Christi, non solum quantum ad Incarnationem, sed etiam quantum ad passionem et resurrectionem, quibus humanum genus a peccato et morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi passionem quibusdam sacrificiis et ante legem et sub lege.*

Ad 1um. R. S. August. ex omnibus Patribus maxime inclinare in contrariam sententiam, ad quam deligendam forte concitatus fuit a perpetua cum Pelagianis pro asserenda peccati originalis existentia concertatione, quamvis illud in V. T. nonnisi implicite multitudini certe traditum esse constet. Ne tamen ob ejus auctoritatem divinam misericordiam ac in salvandis hominibus liberalitem restringamus, benigne explicandus est dicendo nempe, assertam ab eo fidem *explicitam* Christi ut Redemptoris ac etiam modi Redemptionis pro sanctioribus et doctoribus duntaxat; pro multitudine autem fidem *implicitam* tantum Christi sub solo generico conceptu Salvatoris, non autem conceptu specifico Mediatoris, et fidem implicitam sanguinis, crucis, mortis, et resurrectionis sub generico conceptu medii aut modi Deo Salvatori convenientis ac liberi, non autem sub clara idea et modi determinati ac Redemptori convenientis. Fundamentum aliquod huic explicationi, præter theseos rationes, præbet tum ipse status ac imperfectio Ecclesiæ antiquæ; tum ipse S. Aug. qui L. 19. cont. Faustum c. 14. comparationem inter Legis Mosaicæ et Gratiæ fideles instituens, illorum fidem *occultam,* horum *revelatam* vocat; tum ex S. Th. supr. cit. ad 3. ubi sic loquitur : *Si qui tamen salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris : quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos.* Hinc

Ad 2um. R. Similiter, præsertim quia S. D. post verba objecta subjungit : *Quorum quidem sacrificiorum significatum explicite majores cognoscebant : minores autem sub velamine illorum sacrificiorum, credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem.*

125. *Dico II.* Probabilius videtur, in V. T. nequidem necessariam fuisse necessitate medii fidem explicitam in Christum ut Mediatorem inter Deum et homines.

Prob. Generalia enim *S. Scripturæ* de Messia pronuntiata nihil edicunt de munere Redemptoris seu Mediatoris inter Deum et hominem, sed simpliciter Salutare Dei aut Salvatorem proponunt, qualia habentur Genes. 49. 10. Habac. 2. 3. Aggeæ. 2. 8. etc.; alia vero magis determinata non mediatorem duntaxat, sed et prædicata illius singularia, divinitatem

scilicet et humanitatem simul, modumque redemptionis declarant vel innuunt.

Conf. S. Chrys., hom. 37. (al. 36. n. 4.) in Matth. *Qui ante Christum,* inquit, *obierunt, atque ideo ipsum non cognoverunt, si ab idolorum cultu recesserunt, ac Deum solum adorarunt, si præterea honeste vitam peregerunt, æterna bona et beatitudinem adipiscentur.*

126. *Nec dicas* 1°. S. Aug. locis supra cit. saltem intelligi debere de fide in Christum ut Mediatorem necessaria; eo quod in hoc puncto habeat etiam alios Patres sui sequaces, inter quos Greg. Naz. Or. 15. de Machabæis n. 1. generatim sic pronuntiat: *Quin etiam mystica quædam et occulta ratio mihi quidem atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi adventum martyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.* 2°. Est de fide, etiam docente Suaresio, quod semper, et sic in omni lege, fuerit necessaria necessitate medii fides aliqua Christi ad justificationem et salutem adultorum: hoc vero dici nequit de fide implicita; ergo de explicita. 3°. Magis necessaria est fides de Christo, utpote de fundamento nostræ salutis, quam de immortalitate animæ et gratiæ necessitate; contrarium enim dicere esset injuriosum Christo; ergo.

Ad 1um. R. *N. Ass.* Quia vel cedendum est auctoritati S. Augustini etiam quoad illa, quæ significantibus verbis de fide in divinitatem et modum redemptionis Christi docet; vel si ejus verba explicare benignius quoad illa datur, idem concedendum quoad fidem in Christum.

Ad Rat. R. Præter dicta superius, duplicem generatim ad textus SS. Patrum respondendi viam esse: *prima* pertinet ad eos textus, quibus dicitur sine fide Christi neminem fuisse justificatum aut justificari posse, nempe sine fide Christi tanquam causa morali justificationis, hoc est, sine meritis Christi *C.* sine fide Christi tanquam objecto *N.* vel *subd.* sine fide implicita et sub conceptu generico Dei Salvatoris *C.* sine fide illius explicita et sub conceptu Dei Mediatoris *N. Secunda* ad textus alios spectat, qui asserunt, omnes per *eamdem fidem* fuisse justificatos et salvatos; respondetur enim, id factum per eamdem fidem entitative, scilicet supernaturaliter et ex meritis Christi collatam *C.* per eamdem fidem repræsentative *subd.* quoad objectum genericum *C.* quoad objectum particulare *N.*

Ad 2um. R. *N. m.* Fides enim Christi talis sufficit, qualis *absolute loquendo* necessaria requiritur contra errores duos, *Judæorum* alterum, qui existimabant Christum esse duntaxat Redemptorem corporum, alterum *Pelagii,* qui negabat gratiæ a peccato liberantis necessitatem, atque hinc Christum etiam Justis V. T. profuisse inficiabatur, cum ejus exempla et doctrinam non haberent. Uterque autem error convincitur etiam per hoc, quod Deus sit Salvator necessario credendus, non corporum tantum sed animarum, non naturalis duntaxat et per media naturæ debita, sed supernaturalis et per gratiam proprie dictam; quæ omnia per fidem Christi *primo* modo explicitam creduntur. Plus requiri saltem pro multitudine et necessitate medii non evincit *Simonet,* aut contra priorem suam assertionem testimoniis ex Scriptura allatis probat etiam fidei quoad alia Christi prædicata explicitæ necessitatem.

Ad 3um. R. *N.* Esse hoc Christo injuriosum; cum enim absque injuria dici

possit, explicitam fidem de Deo tanquam primaria et unica causa efficiente salutis nostræ requiri, implicitam vero sufficere de Christo tanquam causa duntaxat morali; etiam citra injuriam dici potest magis necessariam esse fidem implicitam de animæ immortalitate et gratiæ necessitate, cum illa explicita de Deo fides haberi nequeat sine fide implicita de his.

127. *Dico III.* Æque probabile saltem est, nec in N. T. fidem explicitam de Christo esse medium necessarium ad justificationem aut consecutionem salutis.

Prob. 1ª. *pars.* Deus nihil exigit tanquam medium necessarium in adultis ad justificationem, nisi quod ex natura rei morali est necessarium necessitate medii ad illam de congruo merendam; tum quia in hoc conceptu statuenda est necessitas medii prout distincta a necessitate præcepti: tum quia Deus, quantum est de se, vult omnes homines salvos fieri, atque hinc, dummodo illi ponant, quantum ex natura rei necessarium est ad promerendam justificationem, ipsos justificat. Sed fides in Christum explicita non est ex natura rei morali necessaria necessitate medii ad justificationem; tum quia hæc necessitas ex rei natura declarari nequit: tum quia sine illa ex sola fide Dei remuneratoris potest elici actus amicitiæ supernaturalis perfectus et justificativus: tum quia potest stare fides sola Dei ut remuneratoris, ac consequenter etiam amor Dei, nondum habita fide Christi: nam quod dicant adversarii, vel negare Deum suum concursum in hac providentia ad amorem Dei eliciendum sine præsupposita fide explicita in Christum, est petitio principii; vel Deum homini, inter barbaros educato et illustrato fide in remuneratorem supernaturalem ac bene juxta legem naturalem viventi, missurum hominem vel etiam angelum, qui eum de Incarnationis mysterio edoceat, hoc, inquam, est divinare, cum nullibi promissa sit tam extraordinaria et miraculosa instructio, ac rursus est petere principium; ergo.

Conf. 1. Ut aliquid dicatur medium necessarium ad justificationem, si etiam id ex ipsa rei natura cognosci nequeat, debet saltem ut tale ita clare a Deo esse propositum ac promulgatum omnibus omnino hominibus, ut id nullius notitiam effugiat, ac de eo nullus prudenter dubitare queat; quod patet tum ex paritate de primariis præceptis *naturalibus,* tum ex paritate præcepti *positivi*, quod sub dubia tantum promulgatione seu existentia non obligat. Sed fidem explicitam in Christum esse medium necessarium ad justificationem, ita clare non est a Deo propositum et revelatum. Nam 1. clarissimus locus Scripturæ de natura et absoluta necessitate fidei etiam in N. T. est ille S. Pauli ad Hebr. 11. supr. cit., ubi tamen fides in Christum non requiritur, sed sola in Deum ut existentem et remuneratorem. 2. Alii textus explicari possunt aliter, quam de necessitate medii. 3. De hac necessitate non dubitant tantum, sed eam negant Patroni nostræ assertionis, iique multi doctrina et pietate commendati. Ne quid dicam de eo, quod fides illa nulli nota fiat, nisi solerter instituatur, hæc autem institutio ad plurimas gentes non pertingat.

Conf. 2. *Tum a paritate.* Quia fides omnino explicita in Christum juxta communissimam, et hinc explicita quoad mediatorem in V. T. juxta probabiliorem, non fuit necessarium medium ad justificationem; ergo nec fides omnimode explicita potest probabilius dici necessarium medium in N. T.; tum

quia justificatio non debet dici facta esse difficilior, et bonitas divina ac salvandi voluntas ad pauciores restricta post adventum Christi: tum quia justificatio jam inter gentiles a commercio Christianorum abscissos non debuit tribui miraculo, quæ antea sine eodem et communius haberi poterat. *Tum a difficultate Mysteriorum* Incarnationis ac Trinitatis, quæ vero aliquo conceptu præsertim muti et surdi a nativitate vix apprehendere possunt, ac revera obscuritate excedunt apprehensionem remuneratoris etiam ut supernaturalis. *Tum a fundamento necessitatis.* Nam fides in Christum explicita nec est formaliter justificativa, ut certum est contra Hæreticos; nec ex natura rei requisita, ut ostensum est; sed solum ideo necessaria, quia omnino decet, ut justificatus agnoscat auctorem et causam moralem suæ justificationis: atqui hæc decentia non arguit necessitatem medii, sed solum præcepti; cum sufficienter suppleri *absolute* queat per fidem remuneratoris Dei, qui prima et principalis causa justificationis est; ergo.

Prob. 2ª. *pars.* Iisdem argumentis; tum quia nec Patres nec Scholastici antiqui distinguunt inter necessitatem ad salutem *ultimam* seu gloriam et inter necessitatem ad salutem *primam* seu gratiam et justificationem: tum quia gratia dat jus ad gloriam, nec aliud est necessarium, quam ut illa servetur, quod juxta Trid. Sess. 6. c. 11. fieri potest saltem tempore brevissimo, si nempe justus statim amentia perpetua vel morte corripiatur: tum quia, quamvis ad consecutionem vitæ æternæ dicatur necessaria hæc fides; tamen non major evincitur necessitas hujus fidei quam baptismi, sine quo reipsa suscepto tamen salus in aliquo casu obtineri valet: tum quia Scripturæ textus qui pro adversa parte afferuntur, magnam partem spectant ad justificationem, de qua sermo est Act. 10. 11. 15. 26. ad Galat. 2. ad Rom. 3. Ergo.

Ex his infero, nec fidem explicitam SS. Trinitatis esse in N. T. medium necessarium ad justificationem et salutem; eo quod allatæ rationes idem omnino evincant, et multo minora sint fundamenta Adversariorum pro hac parte, quam deducunt ex ratione de Christo, utpote cujus explicita fides quoad divinitatem nequit haberi sine cognitione hujus mysterii.

128. *Nec dicas* 1°. Sacra Scriptura pluribus textibus inculcat necessitatem fidei, quorum triplex classis statui potest.

Ad 1ªm. pertinent 1°. illud Joan. 11. 25. *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* 2°. ad Rom. 3. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum.* 3°. Act. 26. 18. *Nunc ego mitto te...., ut* (gentes) *accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.*

Ad 2ªm. spectant 1°. illud Joan. 3. 14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.* 2°. Act. 4. 12. *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* 3°. Joan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.*

Ad 3ªm. referuntur 1°. illud Joan. 3. 18. *Qui credit in eum* (filium hominis) *non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* 2°. Verba Christi Joan. 8. 24. *Si non credideritis, quia Ego sum, in peccato vestro moriemini.* 3°. Ad Gal. 2. 16. *Scientes,*

quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis; ergo.

R. *N. Ant.* Quod nimium probat, nempe nec Veteris Testamenti homines salvari potuisse sine fide divinitatis et aliorum prædicatorum Christi, nec posse salvari de facto ullum nisi post explicitam nominis Jesu confessionem. Itaque, *universim* loquendo, 1ª. classis probat duntaxat fidei in Christum efficaciam, 2ª. necessitatem meritorum Christi, 3ª. necessitatem fidei in Christum tantum de præcepto, et ex supposito prædicationis de Christo, quam qui non susceperint, vel ob ignorantiam vincibilem vel ob defectum fidei imperatæ peccant ac jure damnantur. *Speciatim* vero

Ad Class. 1ªm. R. Et quidem *ad* 1um. hic significari quid et Christus tanquam causa meritoria, efficiens, exemplaris et finis homini præstet, quidque fides viva ac formata charitate in homine præstare valeat, quin tamen indicetur, quid in defectu hujus fidei vel ex natura rei, vel ex libera Dei ordinatione per præceptum manifestata, mali aut pœnæ sequatur. Similiter *ad* 2um. efficacia duntaxat fidei in Christum declaratur, non autem absoluta ejus necessitas, nisi per fidem Christi intelligatur fides ex meritis et doctrina Christi; sed hæc etiam est fides de Deo remuneratore, quæ simpliciter necessaria est. Eadem est *Responsio ad* 3um., ubi fides in Christum non tantum ad divinitatem, mortem et resurrectionem Christi restricta intelligitur, quod Adversarii contendunt; sed etiam ad alia fidei objecta et singulares revelationes, cum immediate hæc præmittantur : *Ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum, quæ vidisti, et eorum quibus apparebo tibi, eripiens te de populo et gentibus, in quas nunc ego mitto te* etc.

Ad Class. 2ªm. R. *Quoad* 1um. *primo* hic exponitur necessitas mortis Christi ad salutem hominum comparandam; *secundo* autem mortis hujus et fidei in Christum efficacia asseritur : ex hac tamen male argumentaris : Sicut olim a serpentibus admorsus non sanabatur, nisi distincte aspexerit serpentem æneum; ita nisi quis distincte crediderit Christum crucifixum, non salvatur. Nam hoc argumento fit progressus ultra litteram et sensum textus, cum nequidem sit omnimoda paritas hic instituta; alioquin et Christum corporaliter aspicere oporteret. *Quoad* 2um. R. Prædicari hic a *S. Petro* Christum nostrum Redemptorem, ejusque meritorum necessitatem ad salutem universi mundi, non autem necessitatem fidei in ipsum, nisi ex præcepto et pro iis, qui, sicut Judæi tum temporis, haberent occasionem discendi mysteria Christi. *Quoad* 3um. R. Cum S. Thomas p. 1. q. 12. a. 4. et 6. item 1. 2. q. 3. a. 4. et L. 3. cont. gent. c. 61. ac alibi verba hæc accipiat in sensu *formali,* ideo cum illo multi probabilius statuunt, textum hunc non intelligi de fide, sed de visione beatifica Dei et Christi. Si vero verba etiam sumantur *causaliter,* necdum ostenditur hic adstrui æqualitatem necessitatis inter fidem utriusque objecti, tum propter manifestam disparitatem de necessitate ex natura rei intercedentem inter duplicem hanc fidem, tum propter proportionem fidei ad visionem beatificam, quæ postrema quoad essentiam haberi potest sine visione Christi, ut patet in angelis ante Incarnationem beatis.

Ad Class. 3ªm. R. Textus *primus* aperte loquitur de non credente culpabiliter in Christum, cui sufficienter proposita est doctrina ejus et fides. Ut enim nihil dicam, quod opera aut omissiones solum culpabiles ad judicium,

de quo hic sermo est, pertineant, verba subjuncta id manifestant : *Hoc est judicium : quia lux,* nempe Christus testificans de se ipso et prædicans, *venit in mundum, et dilexerunt homines,* scilicet Judæi hæc videntes ac audientes, *tenebras magis quam lucem : erant enim eorum mala opera,* h. e. avertebantur a Christi agnitione, quia ejus doctrina adversabatur eorum vitiis, quibus quasi tenebris magis delectabantur. Idem de *secundo* dicendum constat ex contextu. *Tertii* textus sensus, ut ex toto capite patet, duntaxat loquitur, opera *Judaicæ legis* ad salutem nihil prodesse, sed absque his solam fidem Christi utilem esse. Porro quamvis necessitatem fidei hic supponat, eam tamen non extendit nisi ad eos, quibus Apostoli prædicarunt Evangelium, atque hinc ignorantia nullo modo patrocinari poterat. Hoc idem applica textibus ad Rom. 10. 8. *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde credideris, quia Dominus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Item Marc. 16. 15. et 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur* etc. Hi enim omnes loquuntur duntaxat ex supposita prædicatione et auditu.

129. *Nec dicas* 2°. Pro necessitate absoluta fidei in Christum explicitæ stant Patres ; ergo. *Prob.* S. Athanasius postquam in symbolo explicaverat articulos de SS. Trinitate et Mysteriis Christi, sic concludit : *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* S. Aug. L. de nat. et gr. c. 2. dicit : *Si non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari et redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem et Sacramentum Sanguinis Christi.* L. de prædest. SS. c. 7. ait : *Si posset* (Cornelius) *sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.* L. de cor. et gr. c. 7. n. 11. *Nemo,* inquit, *liberatur a damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi ; et tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium.* S. Thomas autem in 3um. dist. 25. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. ait : *Post adventum Christi, redemptionis mysterium omnes tenentur explicite credere ;* et q. 14. de verit. a. 11. similiter dicit, *tempore gratiæ tum majores tum minores teneri ad Trinitatis et Christi fidem explicitam habendam.*

R. *N. A.* Auctoritas S. Athanasii probat necessitatem fidei explicitæ de judicio universali ac resurrectione corporum, et consequenter nimium ; cum et illi articuli cum aliis ibidem contineantur. Itaque dicendus est tantum velle, quod salvus esse nequeat, qui hæc mysteria culpabiliter ignorat, negat, aut ne implicite quidem sub conceptu generico credit.

De S. Aug. dici potest ad *primum* textum, per fidem Christi hic intelligi ejus merita, uti ex adjuncto de Sacramento sanguinis et ipso sensu patet. Ad *secundum* respondeo, indicari necessitatem fidei ex præcepto pro illis qui audire possint Evangelium, sicut *Cornelius Centurio,* ad quem Petrus non ad fidem duntaxat sed et ad baptismum conferendum missus erat. Præterea eumdem Centurionem ante fuisse justificatum, quam Christum explicite crederet, satis declarat ipse Aug. L. 4. de bapt. c. 21. scribens : *Esse cœperat justitia Cornelii priusquam ipse esset in plebe Christiana ;* quod

idem colligitur ex Scriptura, cum de illo Petrus Act. 10. 34. dixerit : *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.* Ad *tertium* textum dici potest, ex argumento quod S. Doctor ibi tractat, hæc duo tantum haberi : 1°. Neminem adultorum liberari nisi per fidem eorum, quæ Christus docuit, non autem per fidem in Christum, aut omnium eorum, quæ continet Evangelium; siquidem et hoc ipsi Adversarii fatentur, et verba Augustini in rigore sumi nequeunt, cum alias nec salvari posset, qui per illustrationem tantum divinam acciperet fidem Christi; quia addit : *Cum fides ex auditu sit.* Jam vero et fides eorum, quæ nos necessaria media dicimus, potest dici fides Christi secundum sensum priorem. 2°. Neminem conqueri posse de Deo, si condemnetur propter originalem labem, a qua per illam Christi fidem et amorem amicitiæ inde profectum purgatus fuisset, si audivisset Evangelii prædicationem; sicut nec parvuli injuste a Deo condemnantur ob originale peccatum, a quo liberati fuissent, si accepissent gratiam baptismi. Neutrum vero horum ostendit explicitam in Christum fidem esse medium necessarium in re ipsa.

S. Thomam etiam nobiles Thomistæ apud Suar. et Laym. nostris partibus vindicant, tum ob testimonium ejus num. 124. recitatum, tum ob aliud p. 3. q. 69. a. 4. ad 2. ubi ait : *Ante baptismum Cornelius consequutus est, et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium baptismi implicite vel explicite.* Quare, quia etiam locis objectis utitur solum voce *tenentur,* potest ibi intelligi de necessitate, non medii, sed præcepti : qui sensus stare potest, licet ibidem addat homini, qui ex sua parte omnia præstaret per extraordinariam illustrationem vel submissum prædicatorem inferendam esse fidem Christi ; quia sentire potuit hanc liberalem Dei providentiam locum habere in necessariis necessitate *primaria* præcepti.

130. *Nec dicas* 3°. Necessitatem absolutam probant Concilia ; ergo. *Prob.* In Conc. Later. cap. *Firmiter.* de Sum. Trin. definitur, *unam esse fidelium universalem Ecclesiam, extra quam nullus omnino salvatur.* Sed qui non credit in Christum est extra hanc Ecclesiam cujus scilicet caput est Christus; ergo. Trid. vero Sess. 6. c. 6. agens de dispositionibus ad justificationem necessariis inter eas reponit fidem in Christum : *Disponuntur autem ad ipsam justitiam... credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem, quæ est in Christo Jesu... De hac dispositione scriptum est : accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Item c. 8. sic ait : *Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem et gratis, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit et expressit ; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis ; sine qua impossibile est placere Deo.*

R. *D. m.* Qui non credit in Christum nec sub conceptu generico nec sub specifico *C.* qui quidem non sub conceptu specifico, sed tamen sub generico credit, *subd.* est extra hanc Ecclesiam externe et apparenter *C.* interne, re ipsa et quoad statum animæ *N.* Loquitur autem Concilium Later. tantum de eo, qui nequidem interne et quoad animæ statum est intra Eccle-

siam; alias nec salus obtineri posset per baptismum flaminis aut sanguinis. Conc. Trid. vero cum utroque loco textum S. Pauli ad Hebr. 11. tanquam rationem asserti adducat, hoc ipso ostendit se caute ac studiose præscindere a necessitate fidei Christi explicitæ, ne nostræ sententiæ præjudicium ferret, cum eo ex textu sola explicita fides Dei et Remuneratoris necessaria declaretur. Præterea *primo* loco Trid. non agit tantum de necessariis necessitate medii, sed de communi ac ordinario modo se præparandi ad justificationem; alioqui necessitate medii etiam requireretur fidem concipere ex auditu, timere justitiam Dei, aliasque ex ordine actiones elicere, quæ ibidem recensentur: in *secundo* autem primario duntaxat decernit fidei divinæ in genere necessitatem et gratuitatem, non nisi secundario autem intelligi potest de fide in Christum, ob connexionem scilicet cum præcedente capite, ubi de baptismo mentio facta fuit.

131. *Nec dicas* 4°. Necessitatem absolutam definierunt Pontifices; ergo. *Prob.* Innoc. XI. damnavit hanc propos. 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. J. C.* Ex hac autem condemnatione sequitur, non tantum illicitam sed invalidam esse absolutionem talis ignorantis, quia declaratur ille *incapax*, qualis non dicitur quis propter solam culpam contra præceptum commissam; eo quod, si alias serio doleret de culpa cum proposito implendi præceptum, jam esset capax absolutionis.

R. Ex damnatione illius propositionis nihil inferri posse; 1°. quia etsi ex ea probaretur *absoluta* necessitas notitiæ horum mysteriorum ad absolutionem, non probaretur tamen necessitas ad contritionem atque hinc ad salutem: 2°. Quia pars *prima* propositionis loquitur illimitate, et intelligi etiam potest de ignorantia Dei Remuneratoris; *secunda* agit de ignorantia culpabili: unde quidem utraque recte damnata est, sine noxa tamen sententiæ nostræ, quæ neutrum asserit: 3°. quia damnatio evincit tantum incapacitatem absolutionis licitæ, non autem validæ in subjecto inculpabiliter quidem ignorante hæc mysteria, sed reliqua tamen ad Pœnitentiæ Sacramentum requisita præstante; unde et *Carden.* in *Crisi* ad hanc propos. docet, *Sacerdotem in casu necessitatis, et ubi instructio mysteriorum fieri non posset, teneri absolutionem dare sub conditione.* Atque hinc etiam *N. Seq.* quæ ex eo non tenet, quia licite absolvi non potest ejusmodi ignorans quantumvis dolens et proponens implere præceptum, partim ob præsentem Pontificis declarationem, partim ob prohibitionem aliam ejusdem Innocentii, qui damnavit prop. 1am. qua asserebatur licite agi posse secundum sententiam probabilem, quando agitur de valore Sacramenti, ubi contraria est tutior et probabilis; quod in præsenti casu locum habet.

132. *Nec dicas* 5°. Rationes ac facta pugnant contra positam assertionem. Nam 1°. fides in Christum magis est necessaria in N. quam in V. T.; item quam aliorum articulorum particularium: sed in V. T. fides implicita in Christum erat necessarium medium, et fides aliorum articulorum est necessaria necessitate præcepti; ergo in N. T. fides explicita Christi est necessaria et quidem necessitate medii. *Conf.* 1. Quia in N. T. Incarnationis

mysterium adeo clare et universim est revelatum, et fides de eo inculcata, ut, quantum est ex parte Dei, omnibus et singulis innotescat, adeoque invincibiliter ignorari nequeat; aut si invincibiliter ignoretur, id non Deo, sed hominibus sit imputandum; ergo convenientissimum est, ut ab omnibus explicite credatur. *Conf.* 2. Plane conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit auctorem et viam salutis : sed hic est Christus; ergo. *Conf.* 3. Cornelius licet ex dictis supra jam justificatus, misso tamen etiam per miraculum Petro edoctus est mysterium Redemptionis Christi : quin et Patrum in V. T. justificatorum nullus absque fide in Christum consecutus est æternam salutem, in quam rem iis in limbo detentis revelatio Messiæ facta fuit a Prophetis et Patriarchis; ergo ad salutem saltem fides explicita Christi est medium necessarium.

R. *N. Ass. Ad* 1um. *D. p.* 1^{am}. *M.* Fides in Christum in N. T. magis est necessaria necessitate præcepti quam in Veteri *C.* magis necessaria necessitate medii *N.* Etiam 2^{am}. *D.* Fides in Christum magis necessaria est necessitate eadem et præcepti quam fides aliorum articulorum, nempe necessitate primaria, cum aliorum fides sit tantum necessaria necessitate præcepti secundaria *C.* magis necessaria necessitate diversa et medii *N.*

Ad Conf. 1^{am}. *T. A.* Sub simili distinctione *N. Cons.* Ex clarissima etiam propositione mysterii solum sequitur, quod omnes teneantur *sub præcepto* illud credere fide explicita et perfecta; non autem quod fides illius explicita sit medium necessarium : cum si necessaria esset ex natura rei, debuisset etiam *Antiquis* proponi; quod autem nec ex natura rei nec ex ordinatione divina etiam nunc sit medium necessarium, supra ostensum est. Falsum præterea est quod adeo universim Incarnationis mysterium post Christi adventum fuerit revelatum, ut omnes et singuli, qui illud inter gentes, etiam nonnisi ab aliquot seculis cognitas, antea nescierunt, vincibiliter ignorarint : quamvis enim illi ob peccata sua actualia neglectumque eorum faciendorum, quæ quantum in ipsis erat, facere poterant ac debuerant, justo Dei judicio prædicationem Evangelii forte non audiverint; æque parum tamen illi damnati sunt ob hanc ignorantiam et fidei in Christum eliciendæ omissionem, ac ob non observatas alias leges Christianas, quas una cum prædicatione Evangelii fuissent docti.

Ad Conf. 2^{am}. R. *D.* 1^{am}. *p. M.* Plane conveniens est ut nemo salvetur, nisi qui credit auctorem primarium et qui est causa physica et principalis salutis *C.* nisi qui credit auctorem secundarium et qui est causa solum moralis *subd.* nisi qui credit eum saltem implicite *C.* explicite *N.* Similem distinctionem etiam applica 2^{ae} parti, et *C. m. N. Cons.* Convenientiæ hujus ratio nihil aliud exigit, quam quod fides in Christum explicita sit necessaria necessitate præcepti primaria; loquendo enim de necessitate medii utique misericordiæ et bonitati divinæ convenientius est, ut non exigat aliquid tanquam necessarium medium ad salutem, quod ex natura rei ad illam non requiritur.

Ad Conf. 3^{am}. R. *N. Cons.* De Cornelio autem notandum, rationem mittendi ad eum *Petri* sufficientissimam fuisse, ut is etiam crederet necessaria necessitate præcepti ac baptizaretur, utpote ad quæ tenebatur, alias laboraturus ignorantia vincibili et omissione culpabili. Non enim Deus vult ut homines tantum habeant necessaria media, sed capiant etiam necessaria necessitate

præcepti, si occasio illorum sit, qualis fuit illi Centurioni in Judæa et inter Judæos viventi. Adde hanc revelationem et missionem non fuisse factam propter unum Cornelium, sed propter universas gentes Ecclesiæ Christi adjungendas, ad instructionem Petri, exemplum conversionis, aliosque similes fines. Causa necdum concessæ beatitudinis Patribus in limbo detentis propria hæc erat, quod non deceret, ullum redemptum ante Redemptorem ipsum capere redemptionis mercedem, et membra beari ante Caput cœlestis curiæ Christum : præterquam quod ratio assignata etiam non teneat ex eo capite, quod fides illa Patrum in limbo fuisset extra statum viæ, et hinc ad consequendam gloriam minime necessaria per modum meriti.

133. *Observa.* Ostensa hactenus assertionis nostræ probabilitas *in praxi* minime obesse debet aut fidelium in addiscendis his articulis diligentiæ aut Pastorum in iis docendis curæ ac sollicitudini. Cum enim thesis nostra probabilitatis limites non excedat, ac præterea ex unanimi omnium sententia *gravis* sit *obligatio præcepti,* post promulgatum Evangelium, notitiam fidei habendi istorum mysteriorum, a neutris quidpiam omittendum est, ex cujus defectu salus aut propria aut aliena in periculum incurrere queat.

Quæres II. *Quænam necessario credenda sint necessitate præcepti?*

134. *Nota.* Fides respectu *materiæ* dividitur in fidem *speculabilium* et fidem *operabilium*; quatenus nempe, quæ fide tenere oportet, alia per se ac immediate tantum notitiam ipsam mysteriorum ratione sui postulant, alia vero propter operationem vel vitam recte instituendam cognosci debent. Quamvis vero saltem quoad postrema quædam scientia naturalis satis esse videatur, fides tamen certior, et errori non æque ac ratio obnoxia desideratur a lege, quæ quod communiter necessarium est attendit ac providet, atque hinc præcipit fidem ut multis *per se* necessariam in re præsenti. Jam vero convenit inter omnes, ex gravi præcepto obligari omnes ad credenda, quorum fides est medium necessarium, atque hinc etiam oportere credi ex parte *Dei,* eum esse creatorem omnium, finem ultimum supernaturalem, auctorem justitiæ et remissionis peccatorum, legislatorem ac præmiatorem æque et vindicem : ex parte *creaturæ* autem animam esse immortalem, gratiam necessariam, peccatum offensam Dei. Nec minus exploratum est apud omnes post Evangelii promulgationem sub gravi obligatione præceptam esse fidem *explicitam* Incarnationis et SS. Trinitatis.

135. R. I. Quoad *speculabilia;* quilibet adultus ex gravi obligatione præcepti tenetur explicite nosse et credere omnes articulos symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam. Ita *communis* cum S. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. et seqq. ex Conciliis Agath. can. 13. (Labb. t. 4. p. 1385.), Bracchar. III. can. 1. (Labb. t. 5. p. 896.), et Mogunt. can. 45. (Labb. t. 7. p. 1251.) atque ex usu et traditione Ecclesiæ non admittentis ad baptismum, nec absolventis in confessione, nec sponsos benedicentis, nisi symbolum sciant.

Prob. Quam enim explicita debeat esse fides Christianorum, certior regula non est præ ea, quam Apostoli tradiderunt; id quod etiam ex inductione mysteriorum patet, quæ sunt vel Divinitatis vel Christi aut aliorum,

atque in symbolo continentur. Dixi : *saltem quoad substantiam.* Nam. 1. non videtur esse obligatio sciendi aliquas circumstantias, v. g. quod passio Christi contigerit sub Pilato; quod resurrectio facta sit die tertia : quamvis et ista cum aliis addiscenda sint. 2°. Non est opus, habere conceptum omnino distinctum atque perfectam intelligentiam, cujus nempe nec omnes capaces nec plerumque gnari sunt; sed sufficit conceptus aliquis rudis ac minus perfectus, qui tamen mysterium in se proponat, discernatque a rebus aliis. Itaque non est necesse dignoscere, quomodo futura sit resurrectio, dummodo credatur, mortuos iterum suo in corpore victuros : neque opus est scire, in quonam proprie constituatur sanctorum communio, sed nosse satis est, in collectione fidelium intercedere communicationem quamdam in operibus bonis, orationibus etc. 3°. Neque datur obligatio verba omnia symboli articulorumque ordinem memoria tenendi, si modo res ipsa ac veritas cognoscatur; quanquam et longe utilius et rudibus præsertim maxime conveniens sit, symbolum *verbatim* continere memoria.

136. R. II. Quoad *operabilia,* adultus quilibet similiter tenetur scire 1°. præcepta *Decalogi*; tum quia hæc quivis observare debet : tum quia principia tantum generalia legis naturalis non sufficiunt sive quoad Deum, sive extra materiam justitiæ, sive quoad interna; neque a plebe facile ad particulares materias et actus applicari possunt : 2°. Præcepta *Ecclesiæ* saltem illa, quæ quemvis concernunt, ex eadem ratione : 3°. *Sacramenta,* saltem ea quoad substantiam, quæ quis suscipere debet, qualia pro omnibus sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia; de quibus et fructum et necessariam dispositionem ad ea digne suscipienda, simul nosse oportet : 4°. His adjungitur communiter notitia formandæ *Crucis,* et *Orationis Dominicæ,* tanquam necessaria ex præcepto; quia turpissima et fors aliquando *per accidens,* saltem ratione scandali, graviter peccaminosa esse posset negligentia circa hoc addiscendum et ignorantia.

CAPUT III.

DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

—

ARTICULUS I.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI DIVINÆ?

137. *Nota I.* Actus fidei divinæ habet objectum formale, sicut omnis assensus intellectualis: et generatim quidem fides innititur auctoritate loquentis; sic fides divina debet niti auctoritate Dei testantis, ex 1. Joan. 5. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est,* h. e. si assentimur ob testimonium hominum, multo magis assentiri debemus ob testimonium Dei.

Non autem *potestas* divinæ *voluntatis* est objectum formale fidei nec *imperium*: tum quia illud secundum se spectatum, hæc vero de se non est connexa cum existentia mysterii: tum quia neutrum deducit in mysterii cognitionem ut ratio objectiva, sed tantum ut movens intellectum per modum mediate vel immediate efficientis.

Porro nec *lumen fidei habituale* seu habitus; quia hic habet se tantum ex parte potentiæ non autem objecti, neque est medium ut quod cognitum, cum prævie non cognoscatur a credente: nec *lumen fidei actuale* seu actus intellectus et illustratio aut actus voluntatis et inspiratio; quia et hi actus tenent se ex parte potentiæ aut suadent et movent moraliter per propositionem alicujus objecti formalis, consequenter ipsum formale objectum minime dici possunt. Multo minus humana ratio potest esse objectum formale fidei. Hinc ad Cor. 2. 4. *Prædicatio mea,* inquit Apostolus, *non in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis et spiritus, ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei,* h. e. ne fides vestra fundetur in sapientia, mediis et humanis rationibus acquisita. Hinc 2. ad Cor. 10. 5. commendat *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,* scilicet per fidem; quæ autem esset captivatio intellectus, si ea duntaxat crederet, quæ per rationem cognosceret esse vera? Hoc ipsum Christus et Evangelistæ asserunt de præcipuis quibusdam fidei actibus; nam ille Matth. 11. 25. *Confiteor,* ait, *tibi Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* v. 27. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui Filius voluerit revelari.* Et c. 16. Petro Christi divinitatem profitenti respondet v. 17. *Beatus es Simon Barjona: quia caro et sanguis,* h. e. natura et ratio ejusque vires, *non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Joan. 1. 18. dicitur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Tandem SS. PP. frequentissime commendant fidei simplicitatem, nec illi volunt officere ignorantiam, nec ad eam requirunt scientiam. Instar omnium sit Augustinus, qui serm. 1. de Trin. de temp. 189. (al. in append. serm. 232. n. 2.): *Considera,* inquit, *quod voceris fidelis, non rationalis. Denique accepto hoc baptismo dicimus: fidelis factus sum, credo quod nescio.* Et Tr. 40. in Joan. n. 9. *Credimus ut cognoscamus; non cognoscimus ut credamus.*

138. *Nota II.* Auctoritas Dei potest attingi vel in recto ac ut constitutivum objecti formalis, vel in obliquo et duntaxat ut connotatum; potest præcise sumi ut est in essendo seu secundum naturam et essentiam seu divinitatem, vel in loquendo seu secundum aliquod attributum, vi cujus Deus meretur assensum, etsi alia omnia prædicata abessent vel præscinderetur: hinc examinandæ hic veniunt quorumdam sententiæ, quarum *prima* vult solam revelationem Dei esse objectum formale fidei, auctoritatem divinam duntaxat connotari in obliquo; *secunda* autem auctoritatem quidem divinam statuit pro objecto formali, sed sub ratione Deitatis, ac sic auctoritatem in essendo.

139. *Dico I.* Auctoritas Dei est *constitutive* seu in recto objectum formale fidei divinæ.

Prob. I. Auctoritate. Quia Scriptura passim assignat pro motivo nostræ

fidei Deum ut pollentem auctoritate seu dignitate tali, quæ mereatur fidem, et cui fides innitatur. Sic enim Genes. 15. 6. dicitur : *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam* ; quod ad Rom. 4. declaratur esse *scriptum propter nos,* nempe ut fidem illam modumque credendi imitemur ; quem se imitatum fuisse testatur Apostolus 2. ad Tim. 1. 12. *Scio cui credidi et certus sum;* quibus verbis fatetur, suam fidem fideique certitudinem fundatam esse in Deo, seu dignitate illius, cui credidit. Hinc etiam 1. ad Thess. 2. 19. *Gratias agimus,* inquit, *Deo, quoniam cum accepistis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei* ; scilicet quoniam in credendo non a mea, sed Dei auctoritate moti estis. Quin et ipse Christus ad conciliandam sibi fidem affert dignitatem suam et Patris, dum Joan. 8. 18. *Ego sum,* ait, *qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Joan. 1. 18. dicit : *Unigenitus , qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Ad Scripturæ sensum unanimiter loquuntur Patres : Chrys. quidem in verba Genes. recitata hom. 36. n. 5. dicit : *Per fidem intendi mentem nostram in dignitatem Dei;* Ambros. L. 2. ep. 12. (al. ep. 18. n. 7.) : *Cui magis,* inquit, *de Deo quam Deo credam;* Aug. L. 1. de Trin. *Divinæ auctoritati humana cedat infirmitas;* Leo M. Serm. 7. de Nativ. c. 1. *Divina est auctoritas, cui credimus.*

II. Ratione. Quia 1°. credere alicui non est utcumque assentiri rei dictæ, neque propter quascumque rationes aliunde notas, sed propter aliquam loquentis perfectionem, cujus ratione illum existimamus dignum assensu, si loquatur : sed hæc perfectio et dignitas intelligitur nomine auctoritatis ; ergo. 2°. Fides distinguitur a *scientia* et *opinione,* quod hæ nitantur ratione, illa autem auctoritate, ut patet ex S. Aug. et ex S. Bern. 3°. Fides est obsequium intellectuale, et exercita protestatio de loquentis dignitate : unde nemo est, qui non ipsa natura dictante putet sibi honorificum, quod ipsi credamus, ut indicatur Joan. 3. 33. *Qui accipit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est* ; et e contra injuriosum, quod ei non credamus, juxta illud 1. Joan. 5. 10. *Qui non credit Filio, mendacem facit eum; quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio.*

Conf. Objectum formale fidei adæquatum *imprimis* non est sola revelatio *externa* et *passiva,* connotans duntaxat auctoritatem divinam; nam hæc revelatio est aliquid creatum, nec entitative divinum : sed objectum fidei divinæ debet aliquid esse entitative divinum; neque ad virtutem theologicam sufficit connotari tantum prædicatum divinum; cum alias non distingueretur a pluribus *moralibus* ; ergo hæc revelatio nequit esse objectum fidei formale adæquatum. *Deinde* nec revelatio *interna* et *activa* est objectum formale adæquatum ; nam præterquam quod hæc proprie revelatio aut locutio Dei non sit, vel hæc consistit præcise in volitione loquendi juxta mentem formaliter præcisa ab omni alio ; et jam non sufficit ad motivum formale fidei certæ ac infallibilis, quia sic formaliter est indifferens ad veritatem vel falsitatem mentis, et consequenter ad conformitatem vel difformitatem locutionis cum re : vel consistit in volitione loquendi juxta mentem ut divinam et infallibilem; et tunc illa volitio non connectitur formaliter ratione sui cum veritate mysterii, sed solum exigitive, ac ratione sapientiæ, a qua formaliter provenit, quod mens sit infallibis; adeoque intellectus credens

formaliter non sistit in ea volitione, atque hinc ea nequit esse objectum formale : vel consistit in complexo ex hac volitione et infallibili cognitione Dei de objecto, de quo vult loqui; sed sic pro revelatione affertur, quod ab aliis dicitur constitutivum auctoritatis : vel alio intellecto non sufficit pro motivo formali, ut infra dicetur; ergo.

140. *Dico II.* Auctoritas Dei *in loquendo* est objectum formale fidei.

Prob. Cultus fidei non est reverentia qualiscumque, aut humilitas erga majorem potentioremque, aut obedientia erga præcipientem, sed observantia audientis erga loquentem, per assensum ejus dictis præstitum exhibita; ergo objectum etiam formale ejusdem intra hanc lineam esse debet : atqui ad hanc lineam sola pertinet auctoritas *in loquendo*; ergo.

Conf. Auctoritas motiva formaliter consistit in ea excellentia et dignitate, qua præcise intellecta, movetur audiens ad credendum loquenti et existimandum esse verum quod dicitur; et qua præcise non intellecta, sic non movetur audiens, quantumvis aliæ perfectiones in loquente resideant : sed præcise intellecta Dei auctoritate *in loquendo,* sic movetur audiens, præcise autem intellecta Dei auctoritate in essendo seu Deitate, audiens sic non movetur; ergo. *Min. prob.* 1°. Licet Deus non haberet auctoritatem in essendo aut non esset Deus, sed solam haberet auctoritatem in loquendo, aut esset duntaxat infallibilis in cognoscendo et docendo, dignus tamen esset assensu firmissimo; ergo. 2°. Vel Deitas metaphysice accepta constituitur in ente a se, vel in omni perfectione : si *primum*; per Deitatem non intelligitur talis perfectio, quæ moveat audientem ad assensum, eo quod hæc perfectio duntaxat dicat Deum sibi sufficientem ad existendum, per quod formaliter non intelligitur verum esse id quod a tali ente pronuntiatur : si *secundum*; habetur quidem in Deitate illa etiam perfectio, quæ movet audientem ad assensum, Deitas tamen, ut tale totum metaphysicum seu omniperfectum, nequit dici ratio motiva. Nam sola infallibilitas in cognoscendo et dicendo non est Deitas; sed sola illa infallibilitas est perfectio, qua præcise intellecta, movetur audiens ad assensum; ergo perfectio, qua præcise movetur audiens, non est Deitas.

141. *Obj. cont.* 1um. Communis modus credendi inter fideles præsertim rudes, est credere nihil cogitando de auctoritate divina. *Conf.* Tempore Christi et Apostolorum multi credebant propter miracula, juxta illud Joan. 14. *Alioquin propter opera ipsa credite*; ergo motivum credendi non erat divina auctoritas.

R. *N. A.* Licet enim sub his terminis non cogitent neque cognoscant divinam auctoritatem, communiter tamen et vel ex ipso nomine Christianæ doctrinæ intelligunt eas veritates sibi tradi ut doctrinam Dei certam et infallibilem; cujus signum est, quod diverso modo et animo tum audiant tum teneant, quæ in Catechesi, ac quæ alio in colloquio vel instructione percipiunt : hoc autem est, rudi saltem ac vulgari minerva, concipere divinam auctoritatem et propter illam credere, præsertim adjuvante gratia, quæ multum in pueris ac rudibus supplet.

Ad Conf. R. Si miracula concipiantur ut locutio Dei informata ejus auctoritate, qualia esse defendit Card. de Lugo, credere propter miracula hoc

modo accepta, jam est credere propter auctoritatem Dei in loquendo; unde *N. Cons.* si vero non sunt Dei locutio, et consequenter nec informantur Dei auctoritate in loquendo, ut communiter alii tenent, *D. A.* Credebant propter miracula, τῷ *propter* appellante rationem formalem credendi *N.* rationem manifestandi divinam revelationem et motivum credibilitatis *C.*

Inst. Sola divina locutio est de se sufficiens motivum actus fidei; ergo. *Conf.* 1. Præcise adveniente revelatione mysterium redditur *proxime* et *formaliter* credibile; ergo locutio Dei seu revelatio sola est objectum formale fidei; sicut juxta nos sola auctoritas Dei in loquendo et non Deitas est motivum, quamvis hæc auctoritas Deitatem præsupponat, ut locutio præsuppositive connotat auctoritatem. *Conf.* 2. Solum auxilium divinum est objectum formale *spei,* ut patet ex D. Thoma, q. un. de Spe a. 4. dicente: *Spei autem, secundum quod est virtus theologica, objectum formale est divinum auxilium, cui inhœret;* ergo et solum testimonium divinum est objectum formale fidei.

R. *N. A.* Locutio enim sive externa sive interna, sive formalis ex utraque priore conflata, de se, et præscindendo a sapientia ac veracitate Dei, est aliquid ad veritatem vel falsitatem indifferens; unde illi accidentale ac extrinsecum est, quod sit actu connexa cum re ac mente loquentis.

Ad Conf. 1am. R. *D. A.* Præcise adveniente revelatione, et jam præsupposita auctoritate ut objecto formali vel adæquato vel inadæquato, mysterium redditur proxime et formaliter credibile *C.* non præsupposita auctoritate *N. Ad prob. Disparitas* est, quia auctoritas formaliter tribuit infallibilitatem divinæ locutioni, adeoque non habet se ut merum aliquod prærequisitum aut fundamentum, sed tanquam ratio formalis et motivum ad fidem: econtra Deitas non constituit formaliter auctoritatem, sed est quasi radix cur sit in Deo, adeoque nec ad fidem pertinet ut ratio motiva et formalis.

Ad Conf. 2am. R. *N. A.* Tum quia auxilium est quid creatum: tum quia non possumus sperare nobis adfuturum auxilium, nisi ex motivo omnipotentiæ, fidelitatis, vel similis prædicati divini. Porro S. Thomas l. c. non loquitur de auxilio nude ac secundum se sumpto, sed quatenus informato et auctoritatem adepto ab omnipotentia vel fidelitate divina, adeoque includente prædicatum divinum; in qua ratione si sumatur etiam divinum testimonium ut includens divinam auctoritatem, recte quidem instituitur paritas, quam ipse S. Doctor ib. a. 1. posuit dicens: *Sicut objectum formale fidei est veritas prima, ita objectum formale spei est auxilium divinæ potestatis;* sed tunc non excluditur divina auctoritas a ratione motivi.

142. *Obj. cont.* 2um. Scriptura et Patres revocant fidem in Deum nulla facta mentione attributorum; ergo Deitas sufficit ad fidem. *Conf.* 1. Fides nostra dicitur divina a Deitate; quia si aliud subjectum a Deo distinctum esset etiam summe sapiens et verax, assensus illi præstitus tamen non diceretur fides divina; ergo Deitas tanquam ratio distinctiva fidei divinæ, debet esse objectum formale. *Conf.* 2. Ex eo præcise, quod intelligatur Deus aliquid dixisse, jam obligamur ad fidem habendam; tum quia ob Deitatem obligamur ad honorem illi habendum, qui si loquenti præstatur, debet esse fides: tum quia excellentia Deitatis auctoritatem tribuit locutioni divinæ, sicut regia dignitas locutioni regiæ, cui qui non credit, gravius delinquit,

quam qui non credit verbis subditi : tum quia Deus per se etiam est dignior fide, quam Beati, quamvis et illi sint determinati ad non mentiendum; ergo Deitas debet esse ratio motiva fidei. *Conf.* 3. Idem est objectum formale visionis in patria et fidei in via : sed objectum visionis beatificæ in patria est Deus sub ratione Deitatis ; ergo.

R. *D. A.* Scriptura et Patres loquentes in sensu reali et objectivo revocant fidem in Deum *C.* loquentes in sensu formali et præcisivo, de quo in explicatione auctoritatis divinæ proxime afferentur testimonia *N.* Scriptura et Patres non tam revocant fidem in *Deitatem,* quam in *Deum;* cui hoc tribuunt sicut creare, misereri etc., quin tamen ex hoc inferant Adversarii, Deitatem præcisam ab attributis, aut omniperfectionem formaliter vel adæquate esse potentiam creandi, miserendi etc.

Ad Conf. 1am. R. *D. A.* Dicitur divina a Deitate tanquam a ratione specificante subjectum, in quo est auctoritas *C.* tanquam a ratione ipsa motiva fidei *N.* Fides in genere specificatur formaliter ac motive ab auctoritate loquentis Dei vel hominis. *Ad prob. D.* Assensus ejusmodi non diceretur fides divina ex defectu subjecti pro auctoritate, quæ est ratio motiva in fide divina *C.* ex defectu ipsius rationis motivæ ad fidem divinam *N.*

Ad Conf. 2am. R. *N. A.* Si sumatur hic Deitas pro auctoritate in essendo præcise et ut præcisa ab attributis. *Ad prob.* 1am. *N. min.* Honor enim ille præcise staret in reverentia, non autem in assensu; sicut enim, si per impossibile Deus non foret summe sapiens et verax, non esset irreverentia Deo non credere assensu certissimo, quem nempe exigere non posset, quia deesset fundamentum talis assensus; sic quia, si omnino præscindatur sapientia et veracitas, non spectatur fundamentum ad assensum fidei, honor et reverentia, quæ hic concipitur, non stare debet in assensu. *Ad prob.* 2am. *N. supp. par.* Quod autem magis censeatur delinquere, qui non credit regi, ratio est, quia præsumitur ejus eminentiam comitari sapientia et veracitas, cui si non adhibeatur fides, illata per hoc injuria et offensa ex dignitate personæ crescere potest. *Ad prob.* 3am. *N.* id provenire *formaliter* ex Deitate; sed quia Deus ex natura sua est summe sapiens et verax : cum Beati sapientiam et veracitatem duntaxat habeant ab extrinseco, illisque non insit scientia omnium saltem in particulari juxta probabiliorem alibi sententiam.

Ad Conf. 3am. R. *N. M.* Idem quidem est objectum materiale primarium, non autem formale ; cum visio beatifica proprie objectum formale non habeat, eo quod sit clara et immediata Dei intuitio, feraturque in eum, nullo alio mediante, per modum objecti præcogniti, et sub hac ratione ad Dei visionem determinantis.

Inst. Omnis veritas est prædicatum natum ad movendum et se tenens in linea veri ; ergo cum Deitas sit prima veritas in essendo, debet esse apta ad movendum intra lineam veri ; ac consequenter non est excludenda a ratione motiva fidei. *Conf.* 1. Deus, qua prima veritas in cognoscendo et dicendo, est objectum formale fidei ; sed Deus qua Deus est prima veritas in cognoscendo et dicendo, seu summa sapientia et veracitas; ergo qua Deus est objectum formale fidei. *Conf.* 2. Deitas qua talis removet a Deo omnem imperfectionem, consequenter et falsitatem, adeoque eum reddit falsitatis incapacem ; ergo reddit testimonium ejus infallibile, atque hinc facit fide divina credibile. *Conf.* 3. Ultima fidei resolutio fit in Deitatem; quia si quæ-

ras ex fideli : cur credis Verbum esse incarnatum? dicit : quia Deus summe sapiens et verax hoc revelavit; si instes : cur Deus est summe sapiens et verax? respondet : quia est Deus et infinite perfectus; ergo Deitas est objectum formale fidei.

R. *D. A.* Omnis veritas, quæ est prædicatum formaliter excludens mendacium et errorem, est prædicatum etc. *C.* quæ est attributum entis, ratione cujus præcise ens repugnat chimæræ *subd.* est natum ad movendum ad assensum fidei *N.* ad aliam cognitionem vel assensum quemcumque *C.* Per primam autem veritatem in essendo nihil aliud intelligitur nisi attributum Dei transcendentale, quatenus est verum ens ac verus Deus.

Ad Conf. 1am. R. *N. m.* vel *Cons.* Quia mutatur acceptio ac proinde fiunt quatuor termini; cum τὸ *qua* in Maj. denotet rationem formalem, sub qua est motivum assensus fidei, in Min. autem denotet duntaxat causam virtualem et radicem motivi seu veritatis in cognoscendo ac dicendo.

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Deitas qua talis realiter accepta removet omnem imperfectionem a Deo *C.* formaliter accepta *subd.* removet per se ipsam et formaliter omnem imperfectionem *N.* radicaliter et per perfectiones, quas exigit sibi realiter esse identificatas *C.* Deus excludit formaliter imperfectiones, quibus formaliter opponitur; unde si formaliter constitui concipiatur in ente a se, formaliter solum excludit non ens et esse ab alio, alias imperfectiones tantum excludit radicaliter. Hæc porro exclusio potest esse *immediata,* si nempe imperfectiones immediate repugnent perfectionibus in Deitate radicatis, quales sunt impotentia, mutabilitas, peccabilitas etc.; vel potest esse *mediata,* si imperfectiones mediate repugnent divinis perfectionibus, quales sunt formido, dubitatio, falsitas et alia ejusmodi, quæ oppositionem actus habent ad potentiam; nam falsitas v. g. formalis locutionis non opponitur *immediate* veracitati, sed formali veritati, ad quam veracitas per modum habitus et principii determinat, atque hinc sapientia *formaliter immediate* exclusiva est ignorantiæ et veracitas mendacitatis. Quia tamen sapientiæ et veracitati non solum potentia sed actus etiam contrarius opponitur formaliter; non potest ex illo intermedio sumi argumentum pro Deitate, utpote quæ radicaliter tantum hujusmodi imperfectionibus opponitur.

Ad Conf. 3am. R. *N. supp.* Quæstionem ultimam et responsionem pertinere ad assensum et motivum fidei, cum spectet ad assensum et motivum scientiæ vel opinionis : quando enim quæritur, cur Deus sit summe sapiens ac verax, non jam quæritur de ratione formali, cur fidelis credat Verbum incarnatum, sed cur judicet Deum esse ita infallibilem; sicut dum quæritur, cur quis sit superior, non quæritur de ratione formali, cur superiori sit obediendum. Præterea manifesta instantia habetur in actibus *spei* et *charitatis,* de quibus eadem resolutio fieri potest, quin tamen Adversarii concedant harum virtutum objectum formale stare in Deitate.

Quæres I. *Per quænam prædicata formaliter constituatur Auctoritas Dei in loquendo?*

143. R. I. Sapientia formaliter constituit auctoritatem Dei in loquendo.

Prob. Christus Joan. 3. 18. ad excitandam in Nicodemo fidem sic loquitur : *Amen, amen, dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testa-*

mur. Paulus, 1. ad Cor. 2. 6. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus seculi, neque principum hujus seculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Quibus verbis non tantum Dei consilium sed et scientia Dei infallibilis commendatur.

Conf. Sicut fides divina requirit assensum firmissimum, sic et auctoritatem summam pro objecto formali exigit : sed hæc formaliter non est summa, si non formaliter constituatur in *infallibilitate cognoscendi veritatem,* seu summa sapientia; cum alias formaliter non impediret formidinem, ne loquens *fallatur*; ergo.

144. R. II. Idem etiam præstat veracitas.

Prob. Scriptura sæpe revocat fidem nostram ad Dei veracitatem, ut patet ex Joan. 8. 26. *Qui me misit, verax est : et ego, quæ audivi ab eo, hæc loquar in mundo.* Et ad Rom. 3. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? absit. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Ergo.

Conf. Auctoritas Dei in loquendo formaliter non est summa, ac consequenter assensus fidei non est formaliter firmissimus, nisi illa formaliter impediat formidinem ne loquens *fallat* aut falsum dicat.

Igitur nec sola sapientia nec veracitas sola sufficit; sed utraque requiritur ad auctoritatem Dei in loquendo constituendam : quia sapientiæ formaliter talis munus unicum est excludere ab intellectu errorem ac ignorantiam; et veracitatis similiter sumptæ officium unicum est excludere mendacium seu locutionem contra mentem : auctoritas autem in loquendo, ut sibi fidem et assensum concilicet, loquenti tribuere debet, tum quod loquens non fallatur, sed judicet de rebus prout revera ipsis convenit, tum quod loquens non velit fallere, sed loquatur prout animo sentit.

Quæres II. *An Auctoritas Dei, in sapientia et veracitate consistens, sufficiat pro quacumque locutione divina et fide theologica?*

145. R. I. Auctoritas Dei in loquendo, per sapientiam et veracitatem constituta, *universim* sufficiens est motivum fidei theologicæ cujuscumque.

Prob. Ad objectum formale fidei sufficit duas habere conditiones; *primam,* qua fundet assensum verissimum per conformitatem actus judicii cum re judicata; *secundam,* qua fundet assensum certissimum per exclusionem omnis dubii ac formidinis de errore vel deceptione. Sed in assignata auctoritate divina utraque conditio reperitur : ex eo enim, quod Deus sit *summe sapiens* et *verax,* sequitur eum loqui non posse, nisi verum, et proinde fundare assensum *verissimum*; cum assensus conformis locutioni verissimæ necessario sit verissimus : cum vero evidens sit, Deum esse summe sapientem et veracem, rursus sequitur, si aliunde constet Deum esse locutum, dubitari non posse aut formidari, quin res ita se habeat prout Deus loquitur, adeoque fundari assensum *certissimum*.

R. II. Auctoritas divina, per sapientiam et veracitatem constituta, *speciatim* etiam sufficit tanquam motivum fidei theologicæ circa revelationes decretorias.

Prob. Vi revelationis v. g. promissoriæ hujus : *Cras dabo tibi gloriam,* Deus duo enuntiat; alterum de præsenti, nempe voluntatem absolutam

dandi mihi gloriam; alterum de futuro, crastinam scilicet collationem gloriæ: sed utrumque fide divina credere possum propter solam Dei loquentis sapientiam et veracitatem; nam sufficienter mihi proposita hac promissione ut facta a Deo possum hunc actum elicere: Firmissime judico o Deus! te habere voluntatem absolutam dandi mihi gloriam, eamque cras absolute mihi dandam; atque hoc ideo solum firmissime judico, quia Tu id dixisti, qui, cum sis infinite sapiens, ignorare non potes, utrum illa duo ita se habeant, nec ne; et cum sis infinite verax, non diceres illa sic se habere, nisi illa sic se habere certissime scires. Porro evidens est 1°. hunc actum fundari in sola Dei loquentis sapientia et veracitate, tanquam motivo credendi adæquato: evidens est 2°. per eumdem actum credi omne ac totum, quod vi illius revelationis promissoriæ Deus loquitur: evidens est 3°. eum ab omni falsitatis ac deceptionis periculo esse remotissimum; ergo evidenter sequitur, ex auctoritate, quam in una sapientia et veracitate reponimus, haberi fidem divinam revelationis promissoriæ.

Conf. In locutionibus pure *assertoriis* fides nec habet nec habere potest aliud motivum, quam auctoritatem Dei ex unis sapientia et veracitate compositam; ergo nec fides in locutionibus *decretoriis*, quia locutio Dei promissoria non est nisi locutio assertoria duplicis objecti, nimirum unius *de præsenti*, quod est voluntas in Deo faciendi aliquam gratiam creaturæ, et alterius *de futuro*, quod est rei promissæ executio in tempore facienda; adeoque tantum ratione objecti materialis differt a pure assertoria, quatenus hæc non enuntiat decretum Dei.

ARTICULUS II.

AN ET QUALIS LOCUTIO PRÆTER AUCTORITATEM DEI SIT OBJECTUM FORMALE FIDEI.

146. *Nota.* An locutio divina sit objectum formale partiale, et sic cum auctoritate constituat unam rationem formalem motivam adæquatam ac totalem, hic controvertitur. Quamvis revelatio ex D. Hier. in c. 1. v. 11. 12. ad Gal. sit quasi remotio veli, quo res occultabatur, locutio autem institui etiam queat de rebus alias patentibus, tamen utraque hic confunditur, et locutio Dei ad extra sumitur pro manifestatione rei, prout est in mente divina, ad creaturas specialiter directa. Communiter dividitur in *immediatam*, qua Deus per se ipsum loquitur, et in *mediatam*, qua loquitur per angelos aut alios ministros: immediata subdivitur in *intellectualem*, *imaginariam* et *sensitivam*; quarum *prima* est, qua Deus loquitur per signa spiritualia solo intellectu perceptibilia; *secunda*, qua loquitur per signa materialia phantasiæ propria; *tertia*, qua loquitur per signa materialia propria sensuum externorum. A quibusdam tamen præmittitur alia locutionis divisio in *activam* seu internam, in *passivam* seu externam, et in *completam* seu ex utraque hac complexam; secundum hanc *activa* consistit in actione Dei immanente, h. e. in volitione nobis manifestandi in tempore divinum conceptum per signum creatum ad audientes directum; *passiva* stat in hoc signo creato; *completa* autem quæ etiam rationalis ac propria locutio est, habetur per signum ejusmodi externum volitione saltem virtuali ad aliquid manifestan-

dum directum. *Scotistæ* sine respectu ad hanc divisionem locutioni duntaxat tribuunt rationem conditionis sine qua non : *alii* vero qui eamdem tanquam objectum formale partiale admittunt, dissentiunt in designanda locutionis specie : *Cajetanus* enim, *Gonet* aliique *Thomistæ* solum locutionem activam internam volunt pertinere ad motivum fidei ; *Hurtad.* et *Marin.* cum quibusdam assignant solam locutionem passivam : reliqui communius locutionem formalem ac rationalem seu ex activa et passiva conflatam intelligunt. Cum his

147. *Dico I.* Locutio seu revelatio divina *constitutive* pertinet ad motivum fidei, et est ejusdem objectum formale partiale.

Prob. I. Auctoritate. Scriptura 1°. revocat fidem nostram non minus ad testimonium seu locutionem Dei, ac ad auctoritatem 1. Joan. 5. 6. *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas ;* et 1. ad Thess. 2. *Cum accepissetis verbum auditus fidei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei.* Huc pertinent etiam formulæ illæ : *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Verbum Domini, quod factum est* etc. *Hæc dicit Dominus* etc. 2°. Extollit ipsum testimonium Dei supra testimonium hominum, ut videre est Joan. 1. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est :* nempe in movendo ad credendum, ita ut fides ipsi testimonio innitatur ; unde additur : *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Idem explicarunt *Samaritani,* qui mulieri dixerunt Joan. 4. 42. *Quia jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus* etc. 3°. Inculcat ipsius firmitatem Matth. 24., Luc. 21. *Verba autem mea non transibunt ;* et 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes.* Jam vero si testimonium ac locutio Dei foret *mera applicatio* auctoritatis divinæ seu conditio, sine qua non movet auctoritas, fides haberet suam firmitatem unice ab auctoritate, et moveret hæc sola, dummodo reipsa extaret revelatio.

Conf. Ex SS. Patribus, inter quos Athanas. Or. Quod unus sit Christus, n. 3. *Primo,* inquit, *credere oportet ac glorificare : secundo, ex cœlo harum rerum constitutionem petere, non autem ab imo illam ex carne et sanguine desumere, sed ex divina et cœlesti revelatione.* S. Ambr. serm. 10. de Epiph. 2. n. 3. scribit, Patrem in voce descendisse in Filium, *quod solum ad astruendam fidem hominibus necessarium erat.* Similia habet S. Aug. Tr. 22. in Joan. et Tr. 23. ad illa verba : *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.*

Prob. II. Ratione. De ratione fidei constitutiva universim est, quod sit assensus propter auctoritatem dicentis, ita ut τὸ *quia dicit,* sit ratio motiva et non tantum conditio ; tum quia sicut scientiam demonstratio, ita fidem testimonium seu locutio distinguit ab aliis actibus : tum quia speciale prædicatum essentiale derivat in fidem ; utpote quæ non est assensus quicumque, neque etiam assensus cuicumque veraci ac sapienti præstitus ; sed talis, qui alteri non tantum ut veraci ac sapienti, sed ut loquenti seu testanti adhibetur.

148. *Obj.* Actus fidei non habet essentialiter hanc tendentiam : Credo hoc, quia Deus dixit ; ergo. *Prob.* 1°. Deus revelabat Prophetis, et ipsi credebant

Deo, per judicium infusum de veritate objecti : sed hoc judicium non habebat illam tendentiam, quia non reflectebat supra se ipsum ut formale motivum ; ergo. 2°. Si Deus revelat aliquid sub conditione, illud potest absolute credi conditione purificata : sed non potest absolute credi, eo quod Deus dixerit; cum Deus non dixerit absolute ; ergo. *Conf.* 1. Licet interroganti, cur credam Incarnationem, recte respondeam : quia Deus illam revelavit; tamen ulterius interroganti, cur Deo Incarnationem revelanti firmissime credam, solum respondere possum : quia Deus, qui revelavit, est infinite verax et sapiens ; ergo ratio formalis credendi ultima et sola est auctoritas Dei. *Conf.* 2. S. Th. 2. 2. q. 1. a. 1. in θ. de fide ait : *Si consideremus rationem formalem objecti, nihil est aliud, quam veritas prima;* ergo.

Ad 1am. *prob.* R. *N. M.* Nam posito etiam, quod Deus Prophetis locutus sit per judicium infusum, quod scilicet objectum *formaliter,* mentem autem divinam de tali objecto *instrumentaliter* repræsentat; auditio tamen hujus locutionis consistebat in alia cognitione reflexa, qua perceperunt illud judicium infusum et mentem divinam de objecto per id manifestatam; ac proinde multo magis fides est assensus isti locutioni spirituali præstitus : unde falsum est eos per judicium infusum credidisse Deo.

Ad 2am. *prob.* R. *N. m.* Sicut circumstantiæ extrinsecæ vocibus sæpe tribuunt significationem, quam ex se non habent; sic etiam constituunt et determinant sæpe signa et locutionem in esse talis vel locutionis simpliciter, præsertim si accedat intentio loquentis : atque hinc purificatio conditionis in hoc casu potest revelationem constituere absolutam, et a Deo assumi pro signo locutorio ac complemento revelationis absolutæ.

Ad Conf. 1am. R. 1°. *C. A.* sed *N. supp.* Quod postrema quæstio pertineat ad assensum et motivum fidei, sicut non pertineret, si quærerem : cur Deum judicet esse veracem ac sapientem. R. 2°. *D. A.* Ad 2am. quæstionem respondere solum possum : quia Deus, qui revelavit, est infinite verax et sapiens, ita tamen, ut, si sit responsio ad quæstionem de motivo actus fidei, τὸ *qui revelavit* habeat se per modum motivi inadæquati *C.* ut se nabeat per modum meri prærequisiti aut conditionis *N.*

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Nihil est aliud, quam veritas prima nude sumpta *N.* ut revelans *C.* Hinc ibid. continuo subjungitur : *Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum.* Porro S. Th. stare pro parte nostra, liquet ex pluribus; nam q. 14. de Verit. a. 8. ad 6. *Ipsum testimonium,* inquit, *primæ veritatis se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis.* Et p. 1. q. 1. a. 8. ad 2. *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis et Prophetis factæ.*

Inst. 1. Revelatio est indifferens ad verum vel falsum; aut saltem totam infallibilitatem habet a divina auctoritate ; ergo vel nullam habet connexionem cum vero, aut fides divina suam infallibilitatem aut connexionem cum veritate accipit ab una auctoritate. *Conf.* a paritate 1. Propositio revelationis facta per *Ecclesiam* non est motivum fidei nostræ, sed mera applicatio motivi ; ergo et revelatio est mera applicatio motivi, scilicet auctoritatis divinæ. 2. *Promulgatio* est mera conditio, et tota vis ad obligandum stat in lege; aut saltem promulgatio non est motivum obedientiæ; ergo etiam revelatio est mera conditio, et tota vis movendi ad assensum fidei habetur in auctoritate. 3. Quæstor regius solvit pecuniam, ostensis sibi lit-

teris regiis, quin hæ sint motivum sed applicatio duntaxat motivi, voluntatis scilicet regiæ; ergo similiter se habet fidelis respectu revelationis.

Ad 1am. *p.* R. *D. A.* Revelatio materialiter aut præcise secundum se sumpta est indifferens *C.* formaliter pro verbis Dei auctoritatem summam habentis, vel complexive cum divina auctoritate accepta *N. A.* et 1am. *p. Cons.* Connexio debet consistere in objecto formali adæquato, illique non obest, quod resultet ex extremis secundum se indifferentibus, ut patet in objecto formali conclusionis, quod est complexum ex utraque præmissa, quarum quælibet seorsim ab alia potest esse indifferens ad illam conclusionem. Illa itaque signa materialiter sumpta sunt indifferentia v. g. ad existentiam Incarnationis: quin etiam divina auctoritas, quæ communiter in prædicato Dei necessario statuitur, est ex se indifferens ad quamcumque veritatem contingentem: at vero signa hæc prout sunt verba informata ab auctoritate divina non sunt indifferentia, sed metaphysice infallibilia, et sic etiam sunt motivum fidei.

Ad 2am. *p. Ant. D.* Revelatio ab auctoritate habet totam suam infallibilitatem præcise conformitatis cum objecto *T.* conformitatis cum objecto ut et quia revelato *N. A.* et 2am. *p. Cons.* Fidei infallibilitas et certitudo non habet suam rationem præcise a conformitate cum objecto, cum assensus Beatorum, intuitive videntium auctoritatem vel sapientiam divinam, propter hoc motivum alicui objecto præstitus nec fides sit, nec habeat fidei infallibilitatem: sed debet esse infallibilitas conformitatis cum objecto *ut* et *quia* revelato, cum hæc sit essentialis tendentia fidei, ut supra dictum est. Jam vero hæc infallibilitas non desumitur a sola auctoritate divina, sed partialiter formaliter provenit a divina revelatione. Dixi: *Transeat,* quia si divina auctoritas consistat in prædicato Dei necessario, actus fidei suam infallibilitatem conformitatis præcise cum objecto desumit ab auctoritate divina ut applicata objecto, sicque revelationem includente.

Ad Conf. Tr. A. N. Cons. Quoad 1um. *Disparitas* est, quia ex communi Theologorum sententia, Ecclesiæ locutio, licet a Spiritu sancto directa non est verbum Dei, nec motivum fidei intrinsecum, sed extrinsecum duntaxat spectans ad actum judicii præambulum, et applicatio verbi divini se habens (cum infallibilitate tamen) ad morem Bibliothecarii, qui ignoranti dicit hæc vel illa scripta esse hujus vel illius auctoris: cum vero fides sit assensus propter testimonium Dei, quæ est revelatio seu locutio, hæc non applicatio duntaxat auctoritatis divinæ, sed ipsa etiam intrinsecum fidei motivum est. Quoad 2um. Recte distinguitur inter obligandum et obediendum; cum alia sit ratio obligandi, quæ est ipsa lex promulgata, alia ratio obediendi seu motivum et objectum formale obedientiæ, quæ est honestas relucens in conformitate operis cum lege; unde *Disparitas* 1a. est, quia, juxta probabilem, vis obligandi præcise a Legislatoris auctoritate et voluntate, ac consequenter a sola lege formaliter habetur: e contra vis movendi ad assensum fidei ac veritatis ut dictæ debet stare in auctoritate et revelatione seu dictione: *Disparitas* 2a. est, quia ad honestatem conformitatis operis cum lege promulgata, lex et ejus promulgatio habent se tantum præsuppositive, neque attinguntur ab actu obedientiæ intrinsece et ut quod, cum forsan etiam obedienti displiceant; e contra per actum fidei attinguntur intrinsece tum auctoritas tum revelatio, neque postrema habet se duntaxat præsupposi-

tive, ut ex sæpe dictis liquet. Quoad 3um. Alterutra ex modo datis disparitas tenet.

Inst. 2. Sola auctoritas sufficit pro hoc assensu : quidquid Deus revelat, verum est; ergo etiam sufficit pro assensu cujuslibet particularis contenti in illo universali ; dummodo ipsius continentia certo nobis constet per revelationem tanquam veram conditionem. *Cons. prob.* Motivum sufficiens ad hunc assensum : omnis homo est redemptus, sufficit etiam pro hoc alio : Petrus est redemptus ; dummodo per modum conditionis certo cognoscatur, Petrum esse hominem; ergo a pari. *Conf.* Plures sunt assensus fidei, qui nequeunt pro formali motivo partiali habere revelationem : 1. assensus, quo credo Deum esse veracem ; quia stultum est, credere aliquem esse veracem, quia ipse dixit se esse veracem : 2. assensus, quo credo Deum existere; tum quia sic crederetur Deus existere, quia existit, cum Deum loqui involvat eum existere; atque sic idem per idem, aut idem prius et posterius cognoscerem : 3. assensus de ipsa revelationis existentia, quam per actum fidei affirmo vel suppono; quia ipsa nequit esse motivum judicandæ suæ existentiæ.

R. 1°. *Retorqueo.* Sola sapientia sufficit pro hoc assensu : quidquid Deus cognoscit verum esse, verum est; et sola omnipotentia sufficit pro hoc alio : quidquid Deus potest, est possibile ; ergo.

R. 2°. *D. A. et Cons.* Sufficit pro hoc assensu, qui sit fidei *N.* pro assensu qualicumque, seu qui non sit fidei. *T.* Fidei, ut sæpe jam dictum, non est quicumque assensus certus fundatus in prædicato quodam divino, sed debet inniti divinæ auctoritati revelanti. Dixi : *Transeat;* potest enim ille assensus universalis sumi *conditionate,* ita ut sic sonet : si Deus aliquid revelet, verum est; et similiter particularis sic : si Deus revelat Incarnationem, vera est, etc. Potest autem etiam sumi *absolute* et cum revelatione jam existente, ita ut particulares etiam propositiones sint absolutæ, v. g. Incarnatio, quam Deus revelavit, est vera. Jam vero auctoritas quidem sufficere potest pro assensu in prima acceptione, minime vero in secunda et pro assensu absoluto. Ratio est, quia divina auctoritas connectitur cum quacumque veritate *conditionate,* si nempe veritas reveletur : juxta communem autem sententiam, quæ divinam auctoritatem in prædicato Dei necessario constituit, hæc auctoritas nec cum veritate contingente nec cum revelatione connectitur *absolute.* Unde patet etiam *Responsio ad prob.*; assensus enim ille postremus universalis est *absolutus,* immediateque continet sub se particularem, ac niti potest divinæ auctoritati revelanti; ideoque idem motivum sufficit ad utrumque, et quilibet potest esse assensus fidei, ut dictum est num. 64. 67. et seq.

Ad Conf. R. *Prob.* 1am. *D.* Stultum est credere aliquem esse veracem, quia ipse dicit se esse veracem, si veracitas ejus non supponatur aliunde nota *T.* si aliunde nota supponatur *subd.* si ex parte voluntatis datur motivum rationabile imperandi talem assensum *N.* sin minus *C.* Quamvis nonnulli contendant, per idem testimonium posse proponi Deum ut existentem, veracem et sapientem, ac simul loquentem; cum communiore tamen loquendo, assensus fidei præsupponit notitiam tum de existentia tum de auctoritate Dei aliunde, scilicet per lumen naturale vel per aliud quodcumque judicium prævium, habitam. Hac notitia supposita, potest voluntas prudenter imperare

assensum, quo intellectus credat Deum existere, esse veracem, habere auctoritatem; sicut etiam in humanis usu venit, ubi si quis testetur se non aut nunquam mentiri, et aliunde notam habeam ipsius veracitatem ex illius probitate, possum hoc ipsum prudenter credere, quia ipse dicit. Atque hoc potiori jure tenet in fide divina, ubi ex parte voluntatis dantur plura motiva rationabilia ad imperandum etiam circa res notissimas assensum fidei; qualia sunt 1°. ut subjiciam Deo intellectum; 2°. ut ipsi, fidem præcipienti, obediam; 3°. ut adipiscar fidei meritum; 4°. ut maximam de re certitudinem ac firmitatem acquiram, cum fides divina ex suo motivo præ omni etiam evidentia naturali certior sit. *Prob.* 2am. *D.* Crederetur Deus existere simpliciter, quia existit simpliciter *N.* quia existit dicens *C.* Itaque cognosceretur idem per idem, idem etiam cognosceretur bis, idem cognosceretur prius ac posterius, scilicet sub diverso respectu; quæ omnia nec insolentia nec absurda sunt. *Ad prob.* 3am. *N. Ass.* Cujus falsitas ex ipsa objecti formalis natura detegitur; utpote quod per se et ratione sui attingi debet.

149. *Dico II.* Locutio constitutive pertinens ad objectum formale divinæ fidei complectitur tam *activam* quam *passivam* locutionem.

Prob. Locutio constitutiva objecti formalis est locutio verificans hanc propositionem: Deus id loquitur ac testatur; siquidem essentialis tendentia et ratio formalis fidei hanc propositionem includit. Sed locutio verificans hanc propositionem debet complecti utramque locutionem; nam scire tantum signa apta ad rem significandam, eaque velle ponere, est quidem scire modum loquendi ac velle loqui, non autem est loqui, utpote quod ipsam positionem signorum et ad alios transeuntem includit, per quæ audiens ducatur in rei significatæ notitiam; ponere autem signa externa sine directione cognitionis ac determinatione voluntatis illa ordinantis ad audientem, non est proprie formaliter ac rationabiliter loqui; ergo locutio constitutiva objecti formalis utramque complecti debet.

Conf. Locutio constitutive pertinens ad fidei objectum illa est, quæ nobis a Scriptura proponitur ut fundamentum nostræ fidei, et de qua ad Hebr. 1. 1. legitur: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*: sed hæc locutio complectitur tum *internam,* quia non erat materialis duntaxat ac sine cognitione et volitione significandi, tum *externam,* quia *in Prophetis,* ac *Filio,* et, ut Zacharias Luc. 1. 7. ait, *per os sanctorum* est locutus; ergo.

150. *Obj.* Ad objectum formale fidei constituendum debet admitti vel sola locutio activa, a qua res dicta accipit veritatem; et quæ sicut determinat Deum ad loquendum verum, ita audientem determinat ad credendum; et quæ præcise credentem a non credente, fidelem ab infideli discernit: vel sola passiva, quæ est locutio proprie talis, seipsam et objectum manifestans; ergo. *Conf.* Quoties ad loquendum alicui necessaria sunt signa externa, in illis et non in actibus internis consistit locutio; hinc Scriptura assignat pro motivo locutionem, quæ auditur, *Fides ex auditu.* Adhæc fides divina est virtus theologica: sed hujus objectum formale debet esse prædicatum divinum, non autem creatum, qualis est locutio externa; ergo.

R. *N. A.* Nam quoad *primum* nec interna nec externa locutio dat veritatem

rei dictæ, sed eam supponit. Revelatio interna seu activa cum imperet et quasi causet manifestationem externam, cum qua simul constituit propriam et formalem locutionem, Deum tantum inadæquate determinat in ratione locutionis. Distinguitur fidelis ab infideli, discretione tota in eo posita, quod fidelis credat, infidelis non credat, undecumque demum, propter illud complexum, in quo consistit objectum formale *adæquate* sumptum. Quoad *secundum* locutio proprie talis est, quæ secundum id, quod dicit in recto, seipsam et objectum manifestat; et hoc ipso nequit sola *externa* esse locutio formalis, quia hæc in recto signum externum, in obliquo actum internum importat.

Ad Conf. D. M. In illis et non in actibus internis consistit locutio materialis et impropria *C.* formalis et propria *N.* Universaliter non credimus alteri etiam auctoritate prædito, quia pure materialiter seu externe dicit, alias quoque illi in somno aut ebrietate loquenti crederemus; sed quia *rationali modo* dicit, et dat signa externa ex directione cognitionis circa eorum significandi aptitudinem et ex ordinatione voluntatis ad significandum per eadem. Scriptura in sensu positivo assignat locutionem, quæ auditur, non in sensu exclusivo. Locutio, de qua Scriptura agit, est locutio *propria* et *rationalis*, hæc autem licet secundum id, quod dicit in obliquo, nempe secundum internam locutionem non audiatur, eam tamen a se, quæ in recto sumpta auditur, non excludit. Objectum formale virtutis theologicæ, saltem inadæquatum, debet esse prædicatum divinum; et revelatio conjuncta divinæ auctoritati et ab hac informata, secundum omnes, fit infallibilis.

Quæres : *An Revelatio privata pertineat ad objectum formale fidei theologicæ?*

151. *Nota.* Revelatio *privata* seu *singularis* est illa, quæ fit a Deo personæ privatæ de rebus sive ad se sive ad alios pertinentibus, quin tamen ab Ecclesia proponatur credenda : *publica* seu *universalis* ac *Catholica* communiter dicitur, quæ ab Ecclesia proponitur ut credenda. Quæstio mota præcipue versatur circa sufficientiam revelationis privatæ sufficienter propositæ, quia quæcumque revelatio antecedenter ad fidem debet certo saltem credibilis proponi : ex cujus propositionis defectu plures revelationes etiam publicæ, ac expositæ in sacra Scriptura, non creduntur *positive* ac *explicite* fide divina præsertim ab indoctis. Thomistæ communiter eam sufficere ad fidem theologicam negant : alii communius affirmant, quam sententiam, ut testatur Catharinus in Apolog. contra Sotum c. ult., P. Laynez acriter contra Sotum, in Tridentino, communi Concilii approbatione, roboravit. Sed alia ex parte oritur hic etiam controversia cum *Hæreticis* tum antiquis tum recentioribus apud Hosium L. 1. cont. *Brentium,* et apud Bellarm. L. 3. de Verb. Dei c. 3., qui negabant sufficere pro omnibus ad fidem revelationem publicam, sed exigunt eam fieri unicuique immediate a Deo.

152. *Dico I.* Ad assensum fidei divinæ sufficit revelatio privata, sufficienter proposita, de quacumque materia.

Prob. Assensus fidei theologicæ ex suo conceptu essentiali solum exigit, ut sit assensus supernaturalis, liber et obscurus propter Dei loquentis aucto-

ritatem : sed totum hoc haberi potest, ubi revelatio duntaxat privata intercedit; cum hæc nulli ex memoratis, prædicato repugnet; ergo.

Conf. 1. Trid. sess. 6. c. 12. declarat, neminem posse certo scire, nisi per specialem revelationem, quinam sint a Deo electi; et Can. 16. definit, neminem certum esse posse certitudine absoluta et infallibili de sua gratia et perseverantia, nisi id ex speciali revelatione didicerit; ergo supponit privatam revelationem posse conferre certitudinem fidei, hancque ex illa esse possibilem; cum alias inepta evadit exceptio Concilii, de quo contrarium testatur Catharinus, loco supr. citato.

Conf. 2. Scriptura, præsertim ad Hebr. 11., recenset plurimas revelationes factas Patribus V. T., et alibi similes profert B. Virgini, S. Josepho, Zachariæ etc. indicatas; quas nemo dubitat ad fidem eorum theologicam suffecisse : Historia Eccles. addit non pauca exempla de ejusmodi revelationibus privatis, circa prædestinationem, et obitum sanctorum aliasque res plurimas; quibus fidem abnegare temerarium ac imprudens foret.

153. *Nec dicas* 1°. Fides theologica non potest habere aliud fundamentum, quam Apostolorum et Prophetarum, ad Ephes. 2. 20. Sed hoc fundamentum est sola revelatio publica et toti Ecclesiæ facta; ergo. Hinc etiam S. Th. docet, fidem nostram inniti revelationi, Apostolis ac Prophetis, non autem aliis Doctoribus factæ. *Conf.* 1. S. Aug. pluribus in locis censuit non posse fidem adhiberi nisi revelationibus publicis, seu per Ecclesiam propositis; hinc L. cont. epist. Fundam. c. 5. *Evangelio,* inquit, *non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et in ep. 19. ad Hier. (al. 82. n. 3.) : *Solis Scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem* (nempe fidei) *deferre.* Item in Enchir. c. 9. asserit, fide ea tantum credi, quæ ad religionem communem pertinent. *Conf.* 2. Concilium Lateranense V. Can. 11. prohibet, ne revelationes privatæ prædicentur, nisi ab Ecclesia fuerint approbatæ; et Innoc. III. c. *Cum ex injuncto.* de Hæret., statuit, ut revelationi speciali fides non adhibeatur, nisi miraculo confirmetur; ergo judicarunt revelationes ejusmodi non sufficere ad fidem.

R. *D. M.* Fides theologica, ut simul est positive Catholica, nequit habere aliud fundamentum *C.* præcise ut theologica est *N.* Omnis quidem fides Catholica est theologica, sed non vice versa. Conveniunt enim in eo, quod utraque nitatur divino testimonio; atque hoc fidei essentiale ac necessarium est : differunt vero, quod fides theologica præscindat a testimonio Dei publico vel privato; Catholica autem ut talis nitatur testimonio publico, h. e. vel ad totam Ecclesiam directo vel Ecclesia mediante proposito. Cum vero hæc differentia se habeat duntaxat vel ex parte *subjecti* fidei, vel ex parte *modi* aut *medii* recipiendi revelationem a Deo, eademque maneat ratione divinæ auctoritatis loquentis; manifeste sequitur, fidem manere substantialiter unam et unitate habitus ac objecti formalis, solamque differentiam esse accidentalem. Apostolus loquitur de doctrina, quam oportet esse publicam in Ecclesia et omnibus ejus membris communem; S. Thomas similiter hic loquitur de fide ut Catholica, quod abunde designat tum loco primo, ubi ait : *fides nostra,* nempe communis et omnium fidelium; supponitque aliis etiam revelationem fieri posse, atque fidem privatam esse possibilem;

tum aliis locis n. 148. laudatis, ubi propositionis per *Apostolos* aut *Prophetas* factæ non meminit.

Ad Conf. 1am. R. Similiter *D.* Censuit non posse adhiberi fidem Catholicam *C.* præcise theologicam *N.* Cæterum in *primo* textu S. August. solum ostendit Ecclesiam esse regulam infallibilem, et medium ordinarium a Deo destinatum ad cognoscendum, quid sit pro Evangelio et Scriptura Canonica recipiendum, Deumque, secundum ordinariam providentiam, de veritate Evangelii per Ecclesiam ejusque auctoritatem, non vero per privatas revelationes instruere, atque hinc, ab illa præscindendo, non dari facile motivum sufficiens credibilitatis. Hoc autem non prohibet, quominus, si S. August. privatam de Evangelii veritate revelationem habuisset, eadem ad credendum Evangelio moveri potuisset, perinde ac plures Sancti. In *secundo* textu jure negat honorem fidei theologicæ exhibendum aliis scriptorum quorumcumque auctoribus, cum ipsi verbum Dei non loquantur. In *tertio* autem verba ipsa declarant, sermonem esse de fide Catholica.

Ad Conf. 2am. R. *D. Cons.* Indicarunt ejusmodi revelationes non sufficere ad fidem eliciendam ab eo, cui a Deo immediate factæ et sufficienter propositæ sunt *N.* ad fidem eliciendam ab aliis *C.* Aliud est adhibere fidem revelationi sibi factæ et satis propositæ, aliud eamdem prædicare publice, ac credendam aliis proponere. *Primum* nec prohibetur a Concilio, nec prohiberi potuit: *secundum* merito prohibitum est propter impios et fanaticos, qui revelationem privatam sibi factam mentientes, commenta sua et errores cum præsenti seductionis alienæ periculo venditare solent: atque huic Ecclesiæ præcepto, quod audire a Deo ipso jubemur omnes, est obediendum, neque revelationes privatæ, etiam indubitato factæ a Deo, prædicandæ sunt, nisi prius fuerint ab ea examinatæ et probatæ. Simili ratione intellige Innocentium.

154. *Nec dicas* 2°. Ex thesi asserta sequuntur plura absurda: 1. Assensum revelationi privatæ præstitum pertinere ad donum prophetiæ: 2. Illum, cui revelatio facta et sufficienter proposita est, teneri credere: 3. Non credentem ejusmodi revelationi amittere habitum fidei, imo esse hæreticum: 4. Infidelem, habitu fidei destitutum et reliquis articulis non credentem, posse credere fide theologica, si Deus *privatim* ipsi aliquid revelet.

Ad 1um. R. *N. Seq.* Nam prophetia *latissime* sumpta, seu instinctus propheticus, qui a Deo quidem immissus versatur maxime circa occulta et præsertim futura contingentia, non tamen agnoscitur esse a Deo, aut unde proveniat, aut quis verus sensus sit, satis per hæc manifeste discrepat *a fide*: nec minus prophetia *late* sumpta, quæ est manifestatio rei per actionem quamcumque, etiam a locutione Dei diversam, nempe per scientiam supernaturalem, aut lumen etiam naturale, angelum vel hominem propria auctoritate loquentem data, differt a *fide divina*. Quamvis vero prophetia *stricte* dicta sit manifestatio rei per locutionem divinam Deique auctoritatem interpositam, et hinc assensus illi a Propheta præstitus possit esse actus fidei; tamen nec omnis actus fidei, etiam in revelatione privata fundatæ, est cognitio prophetica, utpote quæ, tanquam gratia gratis data, immediate pertinet ad utilitatem aliorum; nec etiam omnis cognitio prophetica est actus fidei, cum illa possit esse evidens ac frequenter etiam habeat evidentiam in attestante.

Ad 2um. R. Illum teneri non discredere revelationi sufficienter propositæ, non tamen teneri eamdem assensu *positivo* ac *elicito* statim credere, nisi interveniret speciale Dei præceptum credendi statim, vel aliquid ex illa exequendi. Hinc, si *Sara* et *Zacharias* reprehensi sunt ob tarditatem in credendo revelationi privatæ, id contigit vel ex dicto capite; vel quia aliquo modo discrediderunt; vel quia per se loquendo est positiva imperfectio et veniale peccatum, revelationi hac ratione propositæ non statim credere.

Ad 3um. R. *C.* 1am. *Seq.* Habitus enim fidei, ut ex Trid. Sess. 6. c. 15. liquet, amittitur per infidelitatem positivam : est autem positiva infidelitas dissentire revelationi sufficienter propositæ ex impia voluntate non subjiciendi intellectum in Dei obsequium, ad quam nihil refert, an revelatio *publica* fuerit, an *privata.* Itaque negatur, hanc sequelam esse absurdam. Quoad 2am. *Seq.* Sanch., Vasq. et Layman negant ejusmodi infidelem dicendum *hæreticum*, cum talis stricte loquendo sit tantum is, qui pertinaciter negat, quæ proponit Ecclesia; alii cum Suarez concedunt illum *fore hæreticum* quoad culpam et in foro Dei, non autem quoad pœnas et in foro externo Ecclesiæ : *primum* quidem; quia ille dissensus contrarie opponitur fidei et quidem cum pertinacia, resistendo revelationi sufficienter propositæ : *secundum*; quia Ecclesia non punit nisi apostatas a sua, h. e. catholica fide. Quod si dissensus ille continet hunc alium : *Prima veritas non est infallibilis*; vel continet solum *interne*, et sic pœnis Ecclesiæ non subjicitur : vel etiam *externe*, prodendo scilicet se non credere revelationi divinæ, et sic erratur etiam in doctrina catholica.

Ad 4um. R. *D.* Infidelis ejusmodi posset credere fide habituali *N.* fide actuali, ex supposito præsentis auxilii necessarii transeuntis *T.* quod nego esse absurdum, sicut absurdum non est peccatorem habitu charitatis carentem, sed auxilio transeunte adjutum, elicere actum charitatis. Dixi tamen : *Transeat*; quia *communis sententia* tenet infidelitatem positivam ita opponi assensui fidei, ut dissentiens uni objecto, sufficienter proposita revelatione, non possit assentiri alteri, in sensu composito prioris dissensus; eo quod divina fides importet voluntatem credendi Deo *super omnia* et ut summæ auctoritati in quacumque materia.

155. *Dico II.* Ad credendum fide theologica non requiritur revelatio privata seu singulis hominibus *immediate* a Deo facta.

Prob. Ex praxi continua, quam in tradenda et propaganda veræ fidei doctrina Deus constanter servavit. Et quidem in V. T. manifestum est revelationes non omnibus promiscue fidelibus, sed paucis Patriarchis et Prophetis immediate fuisse factas, ab his vero communicatas deinde aliis : idem patet in præceptis, queis Deus fideles antiquæ Legis voluit specialiter sibi teneri obstrictos, quæ non omnibus ac singulis, sed certis duntaxat personis a Deo immediate proposita sunt, per easdem aliis deinceps promulganda ac tradenda. Hinc angelus de Abrahamo Genes. 18. 19. inquit : *Scio, quod præcepturus sit filiis suis, et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, et faciant judicium et justitiam*; nempe secundum ea, quæ Deus illi immediate præceperat. Et Exod. 14. 31. dicitur : *Crediderunt Domino et Moysi servo ejus*; Deo nempe tanquam loquenti immediate ad Moysen, Moysi vero tanquam proponenti, quæ a Deo acceperat. Similiter in N. T.

missus est primo Joannes Baptista, *ut testimonium perhiberet de Lumine*, h. e. de Christo : postea Deus ipse in assumpta carne immediate docuit eos, ad quos pervenerat; ad alios autem misit Apostolos juxta Matth. 28. 19. *Euntes ergo docete omnes etc.* Et Act. 1. 8. *Eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

Conf. Si *immediate* ex parte Dei revelatio foret singulis credentibus necessaria, illa etiam sola sufficeret ; cum et debitam rationem objecti formalis habeat, et certitudinem etiam nancisci supponatur : sed ex hoc varia absurda atque cum moderna Dei providentia, in Scripturis revelata, pugnantia sequerentur; nempe frustra esse verbum Dei scriptum et traditum, superfluas instructiones per Ecclesiæ ministros, vivam et animatam fidei regulam nullam necessariam, aliaque plura, quibus sublatis, fidei unitas et erga legitimos Pastores obedientia ac subjectio tolleretur, hæreses e contrario ac divisiones innumeræ nascerentur.

Si ais 1°. Jerem. 31. 33. dicitur : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam*; ac v. 34. *Non docebit ultra vir proximum suum et frater fratrem suum dicens : Cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me.*

R. Legis Evangelicæ, de qua hic sermo est, promulgandæ quidem fit promissio, quin tamen dicatur singulis *immediate* per Deum vel Christum eam esse revelandam, sed aliquibus *immediate*, aliis *mediate* per Apostolos et eorum Successores, quibus proinde mandatum illud Matth. 28. impositum fuit. Porro Lex hæc dicitur *scribenda in cordibus fidelium*, non per revelationes immediate faciendas, sed per interna gratiæ auxilia, quæ externam propositionem et auditum supponunt, tantoque copiosius danda sunt, quanto Lex Christiana præ Lege Mosaica est perfectior. Similiter per versum alium instructio externa, et mysteriorum per Apostolos et Ecclesiæ ministros propositio non excluditur; sed significatur duntaxat, in doctrina Legis Novæ tum discenda tum opere complenda præcipuas fore partes divinæ gratiæ, quam abundantissimam supremus Magister Christus sua nobis morte promeruit, juxta illud 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Si ais 2°. 1. Joan. 2. dicitur : *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium.*

R. Dictum hoc esse propter Pseudo-prophetas, significat ipse versu præcedente : *Hæc scripsi vobis de his, qui seducunt vos*; quo monentur fideles cavere sibi a doctoribus falsa dogmata spargentibus, et adhærere doctrinæ ab Apostolis traditæ. *Unctionis* autem nomine hic non venit immediata revelatio vel rerum credendarum propositio, sed interna illustratio et inspiratio, qua homines excitantur ad ea credenda, quæ per Apostolos et Ecclesiam credenda proponuntur : unde etiam præmiserat Apostolus : *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat.*

ARTICULUS III.

AN AUCTORITAS ET LOCUTIO DIVINA ETIAM CREDATUR IN ACTU FIDEI DE MYSTERIO REVELATO?

156. *Nota.* Omne judicium, nisi versetur circa veritatem ex terminis notam aut immediatam, affirmat vel negat objectum suum materiale propter aliquod motivum seu objectum formale; adeoque intellectus in ejusmodi actu motivum attingit, et quidem *intrinsece,* si motivum non tantum moveat intellectum ad judicium; sed ab ipso etiam judicii actu cognoscatur : uti fit in actu fidei, qui *intrinsece* attingit auctoritatem et locutionem divinam, utpote objectum formale proprium *virtutis,* ad quam pertinet, et a quo in ratione actus theologici specificatur. Imo utramque *intrincese ut quod* attingit, quia utramque affirmat, cum ita tendat fides : Credo v. g. Trinitatem, quia Deus, qui est summæ auctoritatis, revelavit. Præterea alii statuunt motivum fidei theologicæ ac præsertim auctoritatem divinam cognosci *per se* ac *immediate,* atque hinc tanquam veritatem lumine naturæ notam affirmari : alii contendunt illud cognosci *per aliud* et sic *mediate,* nempe per revelationem, atque hinc tanquam veritatem etiam revelatam affirmari per actum fidei seu credi. Ad quod intelligendum præmittunt, dupliciter posse revelari tam auctoritatem quam locutionem divinam; 1°. quidem reflexe ac explicite; sic revelata est Dei omniscientia ad Hebr. 4. 13. *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*; et veracitas ad Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax, et omnis homo mendax*; ac revelatio facta Matth. 2. 15. *Ut adimpleatur, quod dictum est a Domino per Prophetam : Ex Ægypto vocavi filium meum.* 2°. Exercite ac implicite, quando nempe Deus revelans aliquod mysterium et proponens ut credendum, hoc ipso etiam implicite dicit se loqui et fide dignum esse, atque hinc suam locutionem et auctoritatem implicite et exercite revelat. De *primo* modo controversia nulla est, sed tantum de *secundo.*

157. *Dico I.* In actu fidei de mysterio revelato non affirmatur auctoritas et locutio divina ut *lumine naturali* nota ; nec sufficit eam sic affirmari.

Prob. 1ª. *p.* Quia partim multi fideles rudiores non habent evidentem cognitionem de auctoritate Dei et falli et fallere nescia; cum etiam doctiores quidam existimaverint, id non esse satis clarum : partim locutio divina non proponitur, neque ex ipso lumine naturali innotescit.

Prob. 2ª. *p.* Assensus fidei theologicæ est supernaturalis et altioris ordinis; ergo fundari nequit in notitia ordinis naturalis : est etiam ratione sui motivi certior quocumque alio assensu naturali; ergo similiter in minus certo niti minime potest.

Si ais 1°. Deum esse veracem et sapientem, est principium lumine naturæ notum; tum quia quivis facile intelligit, veram esse hanc propositionem, saltem in sensu indefinito : *Deus est summe sapiens et verax* : tum quia hæc conditionalis saltem est immediate nota : *si Deus loquitur, verum loquitur*; ergo. 2°. Assensus fidei ut supernaturalis non debet inniti motivo per assensum supernaturalem asserto; tum quia supernaturalitas actus non desumitur a *motivo* : tum quia non omnia ad fidei actum concurrentia debent

esse supernaturalia; ut patet in potentia naturali ad actus supernaturales eliciendos concurrente; ergo. 3°. Quamvis auctoritas et locutio divina cognoscatur cognitione naturali, tamen per se ipsam habet infallibilitatem objectivam; neque cognitio supernaturalis aut fidei tribuit illi majorem infallibilitatem; ergo frustra requiritur assensus fidei auctoritati et locutioni præstandus ad certitudinem obtinendam. 4°. Divina auctoritas et revelatio per actum fidei asseruntur in ordine ad mysteria per modum suppositi, seu exercite supponendo illas aliunde existere; tum quia multa in assensibus tantum supponuntur tanquam aliunde nota, ut per se patet, et S. August. Lib. 8. de Trinit. cap. 5. docet : *Credimus Dominum Jesum Christum natum de Virgine quæ Maria vocabatur : quid sit autem virgo, et quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus* : tum quia actus fidei v. g. hic : Credo Trinitatem, quia Deus summæ auctoritatis revelavit, sic exponitur : Certissimum mihi est Deum esse Trinum, quia, ut suppono, Deus summæ auctoritatis revelavit.

Ad 1um. R. *N. A.* Nam 1°. nec rudis aut quilibet hoc etiam de Deo in sensu indefinito facile et evidenter intelligit : tum quia non quilibet de Deo cogitans, eum sibi proponit sub conceptu omniperfecti entis, sed sub idea potius causæ primæ aut superioris, ex qua non ita colliguntur perfectiones illæ sapientiæ ac veracitatis. 2°. ilæc conditionalis ideam ejusmodi de Deo supponit, quæ saltem omnibus immediate et per se nota non est.

Ad 2um. R. *N. A.* Nam 1°. supernaturalitas actus non desumitur a motivo; exigit tamen illud affirmari assensu supernaturali, sicut exigit illud supernaturali illustratione proponi. 2°. Non omne, quod concurrit ad actum supernaturalem, potest esse supernaturale, neque etiam supernaturalitatis rationem tribuit : e contra motivum saltem ut *propositum* et *assertum* debet esse supernaturale, quia est cogitatio sancta et objectiva motio ad actum supernaturalem; præterea etiam est illud principium, quod in actum fidei transfundere debet formalitatem firmitatis super omnia.

Ad 3um. R. *D.* 1am. *p. Ant.* Habet infallibilitatem objectivam quoad se *C.* quoad modum movendi ad assensum fidei firmissimum *N.* Modum movendi auctoritas et locutio divina acquirit ab illo actu, per quem intellectui credentis proxime applicatur et judicatur existere : nisi itaque judicetur existere actu firmissimo fidei, nequit movere intellectum ad assensum fidei firmissimum de objecto fidei materiali. Hinc etiam *D.* 2am. *p. Ant.* Cognitio supernaturalis non tribuit auctoritati et locutioni majorem infallibilitatem *ut quod* et ex parte ipsius objecti præcise *C. ut quo* et ex parte modi movendi ad assensum fidei firmissimum *N.*

Ad 4um. R. *N. Ass.* Nam quæ asseruntur, exercite saltem debent vel propter se vel propter aliud asseri; unde exercite saltem non tantum supponi, sed *intrinsece* et *ut quod* attingi debet vel propria evidentia, vel aliud motivum, propter quod asseruntur. *Ad prob.* 1am. *D.* Multa in assensibus supponuntur tanquam aliunde nota, quæ per illos assensus non asseruntur *C.* quæ asseruntur *N.* Recte hinc quidem S. Aug. dixit, quod, dum credimus Christum natum de Virgine Maria, non per hoc credamus, *quid sit Virgo, quid sit nasci, quid sit nomen proprium* : quia nempe Deus primum revelando, non etiam locutive testatus est, quid sit nasci, virginem ac nomen proprium esse; unde etiam sicut a nobis hæc non creduntur, sic etiam non

asseruntur : sed quia et motivum fidei, auctoritas scilicet et locutio, per actum fidei a nobis asseruntur, et quia Deus revelans aliquod mysterium auctoritatem suam et locutionem simul exercite revelat; hæc non supponi duntaxat, sed asseri et credi possunt ac debent. *Ad prob.* 2am. *N. Ass.* Ex communi consensu propositio illa ad normam aliarum omnium causalium sic exponitur : Certum mihi est, Deum esse Trinum : certum mihi est Deum summæ auctoritatis id revelasse : et ideo illud mihi certum est, quia hoc mihi certum est.

158. *Dico II.* In actu fidei de mysterio revelato auctoritas et locutio divina *exercite* credi potest et debet.

Prob. 1a. *p.* Deus revelans aliquod mysterium, exercite simul revelat suam auctoritatem et locutionem; ergo utraque exercite credi potest in actu fidei de mysterio revelato. *Ant. prob.* Quandocumque Deus revelat aliquod mysterium, intendit nos obligare et obligat etiam reipsa ad illud infallibiliter credendum propter auctoritatem et locutionem suam, adeoque per modum motivi interponit auctoritatem et locutionem : sed quando Deus sic nos obligare intendit et obligat ad credendum propter auctoritatem suam et locutionem interpositam, exercite ac implicite saltem revelat suam auctoritatem et locutionem : quia sic exercite revelat se hoc loqui, et scire rem quam loquitur, et veracem se in hac locutione esse; ergo quandocumque revelat Deus aliquod mysterium, exercite simul revelat suam auctoritatem et locutionem.

Conf. Objectum formale, quod determinat ad cognoscenda vel amanda alia objecta, non indiget novo formali objecto distincto, ut ipsum cognoscatur vel ametur; sed est formalis ratio attingendi simul se et alia propter se: secus enim daretur processus in infinitum ; ergo et objectum formale fidei nempe auctoritas et locutio divina, quæ determinat ad aliud objectum credendum, non indiget novo objecto formali distincto, ut ipsum seu auctoritas et locutio divina credatur; sed potest esse ratio formalis attingendi simul se et alia propter se.

Prob. 2a. *p.* Objectum formale non potest movere ad assensum, nisi ut cognitum; ergo nec ad assensum certum, nisi ut certo cognitum; ergo nec ad certum super omnia, nisi ut cognitum certo super omnia.

Conf. Actus fidei tanquam virtualiter discursivus nequit esse certior suo motivo : sed si auctoritas et locutio divina non crederetur, et quocumque naturali assensu affirmaretur, hoc ipso actus fidei certior esset, quam motivum; quia fidei certitudo excedit omnem certitudinem aliam; ergo.

Si ais 1o. Deus aliquid revelans manifestat suam auctoritatem et locutionem solum *materialiter,* quia etiam Deus revelans intendit nostram instructionem, quin tamen hæc locutio manifestet. 2o. Per actum fidei asseritur auctoritas et locutio solum in ordine ad mysterium; ergo non habet actus fidei aliam certitudinem ex motivo, quam in ordine ad mysterium. 3o. Assensus fidei est *mediatus* : sed assensus motivi propter se non est mediatus; ergo non est assensus fidei. Denique mysterium quia est obscurum, non potest credi propter se, sed debet credi propter aliud ; ergo cum revelatio et auctoritas sit æque obscura, non potest propter se credi.

Ad 1um. R. *N. Ass.* Quamvis enim non omnibus signis externis et vocibus

etiam conveniat, ut *formaliter* et *locutive* se manifestent, sed tantum *materialiter*; tamen hoc dici nequit de revelatione tali, cui quis vult credi propter suam locutionem et auctoritatem; quia hoc ipso virtualiter reflexe proponit et affirmat se loqui et fide dignum esse, sicut vult et facit, ut cognoscamus illum loqui et ob auctoritatem mereri fidem. Instructio aliaque ejusmodi, sicut sunt finis extrinsecus tantum, sic etiam extrinsece se habent tum ad Deum loquentem tum ad actum fidei : auctoritas vero et locutio pertinent intrinsece ad actum fidei, et intrinseca tendentia revelationis etiam est ad obligandum ad fidem; unde et utriusque manifestatio locutiva saltem exercite fieri potest ac debet.

Ad 2um. R. *D. A.* Per actum fidei motivum solum explicite et signate asseritur in ordine ad mysterium *C.* nequidem exercite et implicite in ordine ad se asseritur *N.* Constat ex dictis motivum non posse asseri fide divina in ordine ad mysterium, nisi asseratur etiam ipsum actu fidei : quod autem dicatur fidei motivum, uti omnia objecta formalia, asseri propter materiale non prohibet quominus etiam dicatur asseri propter se; quia τὸ *propter se* excludit duntaxat aliud motivum distinctum, non autem objectum materiale, quod una cum formali vel affirmatur tantum vel creditur.

Ad 3um. R. *D. M.* Assensus fidei est mediatus respectu objecti materialis *C.* respectu objecti formalis *N.* Sicut enim actus fidei respectu objecti materialis, quod expresse revelatur, habet motivum a se distinctum, et hinc mediatus assensus est; sic respectu objecti formalis, utpote quod exercite tantum revelatur, habet motivum indistinctum, et hinc mediatus esse nequit. Denique sicut motiva credibilitatis immediate afficiunt revelationem, hac autem mediante tantum revelatum, et hinc non æque afficiunt utrumque; sic nec utrumque æque obscurum est, sed *extrinsece* saltem notior revelatio præ revelato : quippe mysterium, quod seipsum non revelat, non habet motivum in se credendi, adeoque propter se credi nequit : cum vero auctoritas et locutio exercite reveletur, rationem credendi a se indistinctam continet, atque hinc credi propter se potest : ab hoc autem non impedit obscuritas etiam motivo conveniens, eo quod ad assensum fidei non determinetur intellectus ab evidentia objecti, sed, supposita credibilitatis notitia, a voluntate, quam per speciale Dei auxilium præsertim adjutam, intellectus in obscuris sæpissime sequitur.

ARTICULUS IV.

IN QUID ULTIMO RESOLVATUR ACTUS FIDEI?

159. *Nota.* Analysis hic est reductio fidei ad rationem motivam, in qua credens ultimato conquiescat, et ex qua sciens ac prudens valeat reddere rationem de sua fide, juxta illud 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfaciendum omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe.* Tota difficultas in eo est, ut fidei nostræ rationem poscenti quare credamus, respondeatur sine petitione principii et circulo vitioso, sic ut prudenter dubitari non possit, quin actus credendi sit et prudentissimus, et certissimus. Quia vero in fidei negotio plures actus interveniunt, illa interrogatio : cur credis hoc mysterium? est æquivoca, et spectari potest vel secundum hunc vel alium actum,

aut fidem hoc vel illo modo sumptam, ita ut sensus sit : quare assentiris huic mysterio et illud certum esse affirmas; vel quare vis credere, aut cur imperas hunc assensum certissimum; vel quare judicas hoc mysterium esse credibile et credendum ut a Deo revelatum?

160. *Dico I.* Fides *creditive* sumpta ultimo resolvitur in divinam auctoritatem et locutionem, exercite revelatam et per ipsum fidei actum creditam.

Prob. In illud et illo etiam modo resolvitur ultimo actus fidei, sistendo intra terminos fidei proprios, quod et quo modo est tota et adæquata ratio formalis seu intrinseca assentiendi per fidem veritatibus a Deo revelatis. Sed hæc est auctoritas et locutio divina, et quidem intrinsece ut quod non tantum affirmata, sed etiam credita; ergo.

161. *Dico II.* Fides *affective* sumpta ultimo resolvitur in illam honestatem objectivam, propter quam voluntas imperat assensum fidei.

Prob. Fides affective sumpta resolvitur in illud motivum, propter quod credens vult credere : sed hoc motivum est honestas objectiva, propter quam voluntas imperat assensum ; ergo. Hæc honestas est illa, quæ relucet in ipso actu volendi assentiri divinæ revelationi sufficienter propositæ; quia hæc est objectum formale proprium specialis virtutis, quam *piam affectionem credendi* vocamus. Quanquam cum actus fidei imperari possit ab aliis virtutibus, v. g. obedientia, charitate etc. poterit quidem etiam resolvi in aliarum virtutum honestatem, sed minus proprie nec proxime.

162. *Dico III.* Fides *dispositive* sumpta ultimo resolvitur in signa credibilitatis.

Prob. Fides sic sumpta est judicium credibilitatis inducens ad actum fidei : sed hoc judicium ultimo resolvitur in signa credibilitatis; quia si quis interrogetur, cur judicet mysteria fidei esse per fidem *credibilia,* ita respondebit, ut ultimo sistat in hac ratione objectiva per illud judicium attacta, nempe, quia dantur tot signa suadentia Deum illa revelasse : inde etiam est, cur Theologi cum *Hæreticis* et *Paganis* confligentes ad signa credibilitatis, per quæ nostræ Ecclesiæ credibilitas præ sectis oppositis demonstratur, recurrant; ergo.

163. *Observa.* Ultima ratio alicujus assensus mediati, *per se* et manendo intra propriam lineam, non potest fieri nisi in motivum proprium intrinsecum ac specificativum talis assensus in quo ultimo quiescit. *Per accidens* tamen et transeundo ad aliam lineam etiam fieri potest in motivum extrinsecum; et hinc fides etiam proprie dicta, si transeatur ad actum voluntatis seu piam affectionem credendi, aut ad actum judicii prævium credenditatis et credibilitatis, potest resolvi in assignata motiva utrique actui singularia et propria. Quamvis vero hæc nonnisi certa aut tantum *naturaliter* evidentia sint, nihil tamen id obest certitudini ac firmitati maximæ assensus fidei; cum ea tantum intelligantur esse motiva impellentia, de quibus ex damnata ab Innoc. XI. prop. 19. constat, quod præ eorum certitudine possit ipse fidei actus habere majorem firmitatem. Sunt ergo signa hæc nec motivum intrinsecum fidei ut fides est, cum eam secundum nullum prædicatum

essentiale specificent aut intentionaliter constituant; nec sunt motivum fidei, ut certissima ac firmissima est, cum ab illis summa fidei certitudo ac firmitas non habeatur; nec sunt motivum sub alia proprietate; ergo nec in illa fides vel partialiter etiam resolvi proprie ac intrinsece potest.

QUÆRES : *Quidnam Ecclesiæ auctoritati in resolutione fidei sit concedendum.*

164. *Nota.* Spectatur a Theologis duplex Ecclesiæ auctoritas, humana et divina. *Humana* dicitur, quam habet Ecclesia secundum se considerata, seu ut est congregatio hominum unam rerum divinarum doctrinam perpetua traditione profitentium, in qua plurimi fuerunt viri sanctitate, sapientia et miraculis clari; plurimi Martyres eamdem doctrinam sanguine profuso sunt testati; aliaque ejusmodi suppetunt signa ex quibus illi congregationi conciliatur fides et auctoritas humana quidem, sed tamen longe major, quam quæ alioqui historicis probatissimis tribuitur. *Divina* est, quæ Ecclesiæ debetur propter assistentiam Spiritus sancti specialem illi promissam, ac infallibilitatem in proponendis mysteriis fidei; quæ utraque nobis constat ex verbo Dei seu revelatione divina; de hac auctoritate præcipue quæritur.

165. *Dico I.* Fides *proprie* ac *creditive* sumpta non resolvitur ultimato in auctoritatem Ecclesiæ.

Prob. Ultima resolutio fidei proprie sumptæ nequit fieri, nisi in motivum actui fidei intrinsecum: sed auctoritas Ecclesiæ seu definitio ac propositio ejusdem, etiam ut habentis assistentiam Spiritus sancti, non est motivum fidei intrinsecum: cum non sit moraliter verbum Dei aut revelatio reflexa de directa revelatione, sed solum propositio et applicatio externa infallibilis revelationis divinæ; ergo. Quippe Deus Ecclesiæ aliquid definienti aut credendum proponenti nec revelat novam veritatem, aut prius jam revelatam recens aperit, nec illi præcipit, ut ejusmodi revelationem nomine Dei proponat; sed solum illi assistit, ne in revelationis olim factæ sensu vero designando, aut controversiam decidendo, aut particulari universalem applicando erret.

Conf. Si fides ultimo resolveretur in Ecclesiæ auctoritatem divinam, resolutio hæc committeret vitiosum circulum et foret petitio principii; nam interroganti: quare credis hoc mysterium? deberes primo respondere: quia Deus revelavit; urgenti: quare credis hoc Deum revelasse? secundo responderes: quia Ecclesia, cui infallibiliter assistit Spiritus sanctus, hoc credendum proponit; ulterius instanti: quare credis Ecclesiæ assistere Spiritum sanctum? dicere oporteret: quia hoc Deus in Scripturis revelavit. Hæ vero Scripturæ ut Canonicæ cum deberent credi propter propositionem Ecclesiæ sub Spiritus sancti assistentia, ista autem assistentia vicissim propter Scripturas; manifestum est fieri circulum vitiosum et principii petitionem.

166. *Dico II.* Fides *directive* sumpta potest resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, non tamen ultimato.

Prob. 1ª. *p.* Certum est, Ecclesiam esse regulam extrinsecam infallibiliter proponentem, quæ sint vel non sint a Deo revelata; unde sequitur, quidquid illa proponit ut dictum a Deo, hoc ipso esse sufficienter credibile, adeoque

voluntatem non solum prudenter posse, sed etiam debere assensum fidei imperare; ergo et fides *directive* sumpta in Ecclesiæ auctoritatem resolvi potest.

Prob. 2ª. *p.* Quia si dicas, te ideo hoc vel illud credere velle, quia Ecclesia ipsum a Deo dictum esse testatur, atque ut tale credendum proponit; redit quæstio, cur credas aut unde scias, Ecclesiam id testantem non errare? Huic vero quæstioni non facies satis, nisi afferendo rationes alias, quæ intellectum tuum convincant, ut judices aut credas, Ecclesiam non posse errare; unde constat resolutionem illam non esse *ultimam.*

167. *Dico III.* Resolutio fidei in auctoritatem Ecclesiæ, spectata præcise assensus fidei natura secundum se, non est *absolute* necessaria.

Prob. Ad eliciendam fidem alicujus mysterii nullus ex parte credentis actus requiritur, qui necessario nitatur auctoritate Ecclesiæ, revelationem a Deo factam proponentis; quia hic actus esset talis, quo judicamus revelationem esse factam, vel quo judicamus eam esse credibilem: sed imprimis neuter præ altero designari potest; deinde si etiam alteruter vel uterque necessarius asseratur, asseritur falsum; cum revelatio privata ad fidem sufficiat; ergo.

Conf. Quidquid ad fidem, ex ejus natura secundum se spectata, requiritur, sine eo nullus fidei assensus circa quamcumque veritatem haberi potest: sed datur aliqua veritas, cujus assensus potest haberi independenter ab Ecclesiæ proponentis auctoritate, imo dependenter ab ea haberi nequit; nempe hæc veritas: *Ecclesia est infallibilis fidei regula,* utpote quæ a Deo est revelata, et tamen ab ipsa Ecclesia gentili ad fidem convertendo proponi nequit; cum is ad judicandum hanc veritatem esse credibilem et credendam nequeat ex auctoritate Ecclesiæ de se id dicentis moveri; ergo.

DISPUTATIO III.

DE ACTU FIDEI.

CAPUT I.

DE ACTIBUS FIDEM PRÆCEDENTIBUS.

ARTICULUS I.

QUÆ ET QUALES COGNITIONES PRÆVIÆ AD FIDEI ACTUM REQUIRANTUR?

168. *Nota.* Ordo actuum, qui in fide elicienda *communiter* interveniunt; hic ut plurimum assignatur. 1°. Proponitur mysterium, revelatio de mysterio, et motiva credibilitatis, seu rationes de existentia revelationis circa propositum mysterium. 2°. Hæc motiva ponderantur et examinantur. 3°. Inde oritur notitia de existentia revelationis. 4°. Hanc sequitur cognitio reflexa tum de credibilitate, tum de credenditate mysterii. 5°. Cognita hac credendi honestate et obligatione, voluntas ad fidem afficitur, imperatque intellectui assensum præstandum. 6°. Consequitur actus, quo intellectus credit, h. e. veritati revelatæ assentitur, cum firmitate appretiative summa, propter auctoritatem et revelationem divinam. Hoc ex ordine cognitionem duntaxat de existentia revelationis, ac de credibilitate et credenditate mysterii, hic examinamus. Cognitiones præviæ sunt judicia, quorum primum vocari solet *directum* et *speculativum* de revelationis existentia, alterum *reflexum* et *practicum*, seu dictans honeste ac prudenter credi posse ac debere mysterium ob revelationem; de his quæritur, an sufficiat esse probabilia, an vero requirantur certa, aut etiam evidentia?

169. *Dico I.* Requiritur et sufficit, ut judicium *speculativum* actui fidei infusæ prævium sit moraliter certum.

Prob. 1ª. *p.* Ad assensum fidei infusæ non sufficit notitia solum probabilis de existentia revelationis, ut patet ex num. 65.; ergo requiritur notitia certa. Sed certitudo omnium minima est in judicio moraliter certo; ergo saltem judicium moraliter certum prærequiritur.

Conf. Assensus innixus revelationi solum probabiliter cognitæ vel habet certitudinem adhæsivam, vel non? Si *primum*; ergo imprudens est ac temerarius, siquidem assentiatur cum omnimoda firmitate objecto ob motivum

probabiliter duntaxat notum : si *secundum*; ergo non est assensus fidei infusæ quæ ex natura sua adhæsionem summam exigit.

Prob. 2ª. *p.* Ex una parte evidentia stricta et proprie talis passim a fidelibus non habetur de existentia revelationis; ex altera autem incredulitas Hæreticorum fundatur in eo principio, quod nolint credere, et credi posse negent, nisi evidentia de revelatione adsit, ut ex eorum errore de spiritu privato liquet; ergo evidentia ejusmodi necessaria non est, sed certitudo moralis de revelatione existente sufficit.

Conf. Per certitudinem memoratam excluditur formido ac dubium prudens de revelationis existentia; et voluntas satis habet fundamenti, ut prudenter imperet assensum divinæ locutioni conformem; ergo sufficit ad fidei infusæ assensum, h. e. ad prudentem et firmissimum.

170. *Dico II.* Prærequiritur etiam judicium *practicum* moraliter saltem certum : quin et hoc absolute loquendo sufficere potest.

Prob. 1ª. *p.* Ad fidem infusam prærequiritur aliquod judicium practicum prudentis credibilitatis; tum quia assensus fidei, utpote prudens, prærequirit judicium practicum prudentiæ : tum quia fidei debet præcedere imperium voluntatis, cui certe non minus ac aliis voluntatis actibus prælucere debet dictamen certum, sed non sufficit judicium duntaxat probabile; ergo.

Conf. S. Aug. L. de prædest. Sanctorum c. 2. n. 5. *Quis enim,* inquit, *non videat, prius esse cogitare, quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum.* Sed cogitare esse credendum, est judicium practicum, et quidem moraliter saltem certum; cum S. Aug. ib. dicat, illud cogitare esse ex gratia Dei, juxta illud 2. ad Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;* ergo.

Prob. 2ª. *p.* Si non sufficere posset certitudo moralis, sed absolute requiratur propria ac stricte talis evidentia; ergo id proveniret ex ipsa rei natura, nempe vel quia *generatim* ad omnem actum bonum prærequiritur judicium practicum evidens, vel *speciatim* id exigit conditio et natura fidei infusæ : *primum* negant omnes, qui rite distinguunt inter evidentiam et certitudinem : *secundum* itidem negatur; tum quia ratio firmitatis in assensu fidei non habetur ab hoc judicio practico, sed a revelatione et auctoritate divina, quæ appretiatur super omnia, sicut motiva aliorum actuum theologicorum : tum quia hæc ipsa evidentia a plurimis Auctoribus confunditur cum certitudine, formidinem duntaxat prudentem excludente.

Dixi : *absolute loquendo* sufficere potest. Non enim nego, judicium credibilitatis reflexum evidens haberi posse, quin et illud plerumque adesse, si sit *experimentale* et *reflexum* supra certitudinem de existentia revelationis moralem, quam in mente experimur : inde tamen nihil sequitur, nisi evidentiam hujus dictaminis arguitive ac illative, aut materialiter potius esse necessariam; non autem formaliter ex parte ipsius fidei ac absolute.

171. *Observa.* Quæ de serie actuum in fidei œconomia diximus, præcipue pertinent ad eos, qui *primo* credere incipiunt, aut mysterium aliquod, cujus notitiam antea non habuerant, recens fide credendum addiscunt : qui enim fidei actum prius jam frequentarunt, iis pristinæ cognitiones facile sufficiunt, ut, ubi objectum rursus occurrit, intellectus per species relictas

excitetur ad judicandum id esse credibile et credendum. Præterea sicut judicium practicum sæpe duplex habetur, de *credibilitate* alterum, alterum de *credenditate*; ita e contrario facile fit, ut judicium practicum et speculativum in unum confluant, neque formaliter ac signate inter se distincta sint.

ARTICULUS II.

QUALIS DEBEAT ESSE CERTITUDO JUDICIORUM ACTUM FIDEI ANTECEDENTIUM?

172. *Nota I.* Certitudo, vel, ut alii passim loquuntur, evidentia credibilitatis, ex communi Theologorum sententia, comparative ad diversum intellectum dividitur in absolutam et respectivam. *Absoluta* est, quæ tot tantisque motivis nititur, ut ista penetrata et ponderata sufficiant, respectu cujuslibet intellectus etiam sagacis et acuti, ad ingerendam cognitionem credibilitatis et revelationis existentis, excludentem omne dubium et formidinem prudentem de opposito. *Respectiva* dicitur, quæ nititur motivis talibus vel ita consideratis, ut ea satis sint ad cognitionem, quæ excludat omnem de opposito formidinem prudentem; non quidem respectu intellectus cujuscumque, sed alicujus duntaxat ratione particularis dispositionis, v. g. quia vel puer vel idiota, vel non admodum sagax est, qui nequeat omnia rite perpendere. Atque hæc certitudo in judicio credibilitatis potest dici *practico-practica,* quia reflectens supra statum revelationis in mente credentis proponit objectum, ut hic et nunc ab ipso credibile. Certitudo absoluta autem *speculativo-practica,* quia absolute et universaliter proponit objectum ut prudenter credibile. *Praxis* porro hujus respectivæ certitudinis sic evenire solet: pueri et indocti audiunt ex una parte Parochum, Catechistam, Parentes, aliosque, inter quos versantur, constanter ac serio affirmare, Deum Religionem nostram vel articulum particularem revelasse, et exigere a nobis fidem firmissimam (si addatur unum vel alterum credibilitatis motivum, melius fit, et utique fieri debet): ex altera parte non occurrit illis aliqua ratio dubitandi aut formidandi, ne forte instructores fallere velint aut fallantur: unde concipiunt notitiam divinæ revelationis excludentem omnem formidinem de opposito. Certitudine hac directa comparata, progrediuntur ad judicium *reflexum* credibilitatis, præsertim ex illo principio evidenti, quod pueri et rudes, cum ipsi res sufficienter discutere aut a falsis discernere nequeant, teneantur in rebus ad fidem et Christianos mores pertinentibus sequi ductum eorum, qui ad illas res docendas vel a Republica vel a natura constituti sunt; dummodo non appareat ratio positiva in contrarium.

173. *Nota II.* Ad judicium credibilitatis moraliter certum, præter signa externa ac motiva, concurrit etiam gratia actualis et illustratio Spiritus sancti interna: eamdem aliquid conferre ad hujusmodi certitudinem satis colligitur ex D. Thoma hic q. 1. a. 4. ad 2. dicente: *Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliud hujusmodi:* et q. 2. a. 9. ad 3. *Inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ, miraculis confirmatæ, et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis;* cui præluxisse videtur S. Aug. ep. 102. (al. 169. n. 4.) ad Evod., ubi docet rudes pervenire ad veram fidem *miris modis per altitudinem divitiarum sapientiæ*

et scientiæ Dei. Porro modus adjumenti ab illustratione supernaturali proveniens triplex excogitari potest : *primus* est, si Deus per illam non solum intellectum directe circa signa credibilitatis et existentiam revelationis præteritæ illustraret, sed etiam per illam actu interne et reflexe revelaret, se quondam hæc mysteria revelasse ; quo casu illustratio foret nova revelatio, adeoque per se motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi : *secundus* est, si Deus reflexe illustraret credentem, se habere tantam apparentiam internam et directam credibilitatem de revelatione divina vera, quantam Deus non potest dare aut permittere de revelatione solum existimata ; quo casu illustratio rursus esset novum motivum et lumen suasivum *ut quod* credendi, quia esset experimentale discerniculum, ut vocant, vel ratio, per quam credens discernat revelationem veram a pure existimata : *tertius* est, si per illam Deus nec actualiter revelet, mysteria hæc aliquando esse revelata, nec reflexe illustret de tanta apparentia credibilitatis interna, quantam non potest permittere de revelatione pure existimata ; sed solum directe illustret circa vim motivorum credibilitatis : quo casu illustratio est lumen suasivum duntaxat *ut quo* ; quia solum subjective se habet, nec reflexe cognoscitur, nec etiam reflexe cognita habet se per modum motivi objectivi aut luminis suasivi *ut quod* : unde et hic distinguimus præsentem illustrationem ab illo discerniculo *ut quo*, quod exercite facit talem propositionem articuli veri, ut nunquam detur similis propositio articuli falsi, quodque quidem Suarez dicit probabiliter asseri posse, communius tamen ab aliis negatur.

174. *Nota III.* Sententia negans certitudinem credibilitatis *respectivam* sufficere, duplici ratione ac via progreditur : secundum *priorem* enim requirit certitudinem absolutam ; secundum *posteriorem* certitudinem quidem respectivam admittit esse sufficientem, non tamen se sola, sed una cum illustratione certitudinis defectum supplente. Quamvis vero a plerisque facile concedatur, Deum ordinarie pueros ac rudes per illustrationem juvare modo *tertio* supra exposito ; bina tamen Auctorum classis hoc certitudinis adminiculo non acquiescunt. 1ª. Est Hæreticorum, qui spiritum privatum pro fidei suæ regula applicante statuentes, exigunt illustrationis modum primum. 2ª. Est Catholicorum quorumdam, qui alterum illustrationis modum tanquam necessarium adoptant. Inter hos, secundum *Perez*, rudis, proposito articulo vero, experitur in se, quod de eo dubitare non possit ; proposito autem falso, quod nequeat non dubitare : secundum *Pallavicinum*, illustratio illa supernaturalis de se ipsa, ubi verum articulum proponit, quasi dicit : Ego sum vox Dei, a natura non imitabilis, et reddo te certum, quod instructor hunc articulum docens verum dicat : secundum *Esparzam*, res ita procedit : propositio mysterii revelati, dum fit ab instructore fideli, est extrinsece et quoad modum supernaturalis, quatenus hæc substituitur fidei supernaturali, et conceptui supernaturali de divina doctrina, a quo illa etiam propositio oritur. Porro ex hac in audiente supernaturaliter bene disposito nascitur cognitio illius conceptus in instructore existentis, seu illuminatio supernaturalis et instinctus Spiritus sancti : hujus denique beneficio rudis discernit, quod instructor verum mysterium docens proponat doctrinam divinam ; unde tandem ad judicium credibilitatis determinatur.

175. *Dico I.* Sufficit certitudinem judiciorum, fidem infusam præcedentium, pro rudioribus esse *respectivam.*

Prob. Sufficit ea judiciorum certitudo, quam Deus instituit, et qua fideles semper acquieverunt in negotio fidei : sed Deus respectu rudiorum instituit certitudinem respectivam, et ea fideles semper acquieverunt; ergo.

Pars. 1ª. *min.* patet ex Levit. 10. 11. et Deut. 1. ac 4., ubi Deus mandavit sacerdotibus docere populum legem et ceremonias; unde Malach. 2. 7. dicitur : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Deinde idem officium injungitur parentibus Deut. 6. 7. *Narrabis ea filiis tuis;* et 32. 7. dicitur minoribus : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi, majores tuos, et dicent tibi.* Denique Christus Matth. 23. 1. *Locutus est ad turbas et discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite.*

Pars 2ª. liquet ex plurimis exemplis credentium populi et parvulorum tum in Veteri tum maxime in N. T., ubi ad simplicem verbi divini prædicationem, aut ad signa quædam certitudinem *absolutam* non præstantia, fides sæpe ab auditoribus habita fuit; qualia in Act. Apost. passim prostant. Accedunt quotidiana exempla conversorum ab hæresi vel infidelitate rudiorum ad fidem, apud quos vel ingenii hebetudo vel prædicationis ratio sæpe majorem respectiva certitudinem aut non permittit, aut de se non affert.

Conf. Tum ex testimoniis S. Aug. supra laudatis; tum ex effectu hujus respectivæ certitudinis, qui est exclusio prudentis dubii ac formidinis de existentia revelationis.

176. *Nec dicas* 1°. Certitudo *respectiva* est communis articulo vero et falso, ut patet in casu, quo Parochus eodem modo proponeret incarnationem Verbi et Spiritus sancti; ergo non sufficit ad fidem infusam, sicut ad scientiam non sufficit certitudo communis objecto scientifico et non scientifico. *Conf.* 1. Certitudo et credibilitas *respectiva* habet prædicatum, quod si cognosceretur, fundaret prudentem formidinem, scilicet posse convenire articulo falso : sed non sufficit ad fidem infusam certitudo et credibilitas, habens simile prædicatum ; tum quia alias sufficeret notitia tantum probabilis cum inadvertentia probabilitatis oppositæ : tum quia hæc certitudo fundatur in *ignorantia;* unde adveniente notitia de illo prædicato, prudenter repudiari posset assensus fidei supernaturalis, quod tamen proscriptum est ab Innoc. XI. in prop. 20. aliquoties jam recitata. *Conf.* 2. Ut aliquid credatur fide divina a tota Ecclesia, debet esse absolute certum; ergo idem etiam dicendum est respectu cujuslibet fidelis.

R. *D. M.* Certitudo respectiva, prout est *in se* circa articulum verum, est communis articulo vero et falso *N.* prout discernibiliter nobis apparet *C.* Prior certitudo respectiva importat illustrationem divinam tum directam de articulo ut revelato, tum reflexam de ipsius credibilitate; hæc vero saltem *directa* illustratio circa articulum falsum dari nequit. Cum vero credens non discernat inter illustrationem illam, ac naturalem cognitionem de eodem objecto falsam; hinc, prout certitudo et credibilitas discernibiliter apparet, communis est articulo vero ac falso. Scientiæ certitudo importat evidentiam veritatis, adeoque communis esse nequit objecto non scientifico : e contra

certitudo fidei potius evidentiam abesse desiderat; certitudo autem credibilitatis evidentiam ex dictis non exigit, sed sufficiens agnoscitur, si prudentem oppositi formidinem excludat.

Ad Conf. 1am. R. *T. M. N. m.* Nam 1°. etsi hic et nunc non detur advertentia ad probabilitatem oppositam, tamen qui probabiliter cognoscit, experitur se non certificari de objecto propter debilitatem motivorum, quibus nititur; si vero ratione inadvertentiæ contingat, intellectum firmiter adhærere objecto ejusmodi; jam non est cognitio formaliter probabilis, sed respective certa, et cum prudenti formidine incompossibilis. 2°. Certitudo illa per accidens et negative tantum fundatur in ignorantia, per se autem et positive fundatur in auctoritate instructorum, et quorumdam motivorum credibilitatis, quibus multum roboris addit divina illustratio. 3°. Sensus propositionis damnatæ, quo ab Auctoribus tradita fuit, teste *Cardenas,* obscurus est; et quamvis propter sententiam nimis generalem per se damnari potuerit, tamen probabilius videtur fuisse hic: quod possit quis prudenter repudiare assensum fidei supernaturalem, quem prius habuit, quantumvis maneat eadem, aut saltem æqualis apparentia veritatis et credibilitatis; ita enim colligitur ex contextu propositionis antecedentis, cum qua per particulam *hinc* connectitur, et sequentis. Nam prop. 19. hæc est: *Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium*; 21. autem: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia tantum probabili revelationis.* Unde patet, sensum Auctoris fuisse, quod assensus fidei sit mere probabilis, adeoque possit prudenter repudiari non minus quam assensus probabilis, manente eadem apparentia veritatis et credibilitatis; præsertim cum repudiare non sit simpliciter dimittere aut amittere, sed nolle assensum, cum haberi aut retineri possit. Jam vero nec certitudo *respectiva* est assensus probabilis, nec, stante certitudine respectiva, repudiari juxta nos potest fides; quin, sublata etiam certitudine illa, nequidem mutatio prudenter fieret circa assensum fidei vere talem; nam prudentia per se exigit, ut rem semel pro articulo fidei habitam non facile deseramus, sed veritatem prius debita ratione indagemus. Hoc vero et quod in se est facienti Deus non deerit, sed illustratione sua aut medio alio juvabit, ut assensum fidei supernaturalem semel elicitum possit prudenter retinere.

Ad Conf. 2am. R. *Disparitas* est, quia Ecclesia, ex Spiritus sancti assistentia, habet infallibile donum discernendi revelationem veram a falsa, quod donum cuilibet fideli minime datum est.

177. *Nec dicas* 2°. Certitudo respectiva est solum *negativa*, stans in eo quod rudis non habeat prudentem rationem dubitandi: sed hæc imprimis non sufficit ad eliciendum actum fidei, sicut non sufficit ad hoc, ut credat quis se esse in statu gratiæ: deinde non impedit, quominus possit rudis non credere; cum negando assensum non negaret, quæ Deus dixit, sed tantum id esse a Deo revelatum, quod instructor proponit, atque hinc non faceret mendacem Deum, sed instructorem, nec contra fidem, sed contra pietatem peccaret; ergo. *Conf.* 1. Rudis, sub certitudine *respectiva* credens, ita credit, ut, si contrarium ipsi proponeretur ab eodem vel majore instructore, crederet contrarium: sed sic credens non habet fidei firmitatem, quam requirit

Apostolus ad Galat. c. 1. scribens : *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit ;* ergo. *Conf.* 2. Multi infideles habent certitudinem respectivam suorum dogmatum ; quia hæc illis per suos instructores eodem modo proponuntur, quo rudibus nostris proponuntur veritates Catholicæ : ergo, si respectiva certitudo sufficit, etiam infideles tenentur firmissime credere sua dogmata ; ergo et illa credunt superna Spiritus sancti motione.

R. *N. M.* Certitudo respectiva est *positiva,* licet non absoluta ; quia rudis positive scit Parochum ad doctrinam cœlestem docendum esse publice constitutum, idem credere alios Christianos, et parentes, quos ipsa natura ipsi Magistros constituit ; adeoque positivum fundamentum, et hinc certitudinem positivam, licet respectivam duntaxat habet. Hinc

Ad 1um. *Disparitas* est, quia ad fidem de vera pœnitentia aut statu gratiæ hominis particularis habendam non dantur positiva signa credibilitatis, nec præceptum divinum hoc credendi, adeoque fides firmissima prudenter elici nequit ; quæ tamen pro nostro casu interveniunt.

Ad 2um. R. Sicut Regi est injurius, qui legem sibi sufficienter propositam negat esse promulgatam, et quavis transgressione culpam admittit, etiamsi Regis auctoritatem ad leges condendas non neget ; ita cum incredulis condemnabitur, qui negat revelationem in nostro casu rudibus sufficienter propositam, etsi veracitatem divinam non inficietur.

Ad Conf. 1am. R. *D. M.* Rudis ita credit, hoc est, credit cum tali animo, ut, si contrarium proponeretur, illud crederet *N.* ita credit, ut fundet in nobis hoc judicium, quod, si contrarium proponeretur, illud crederet *C.* Rudis ex notitia *respective* certa de revelationis existentia non cogitat de illo casu, quo alius cum æquali apparentia instrueret illum de opposito, nec expedit, ut de illo cogitet : quin exercite supponit, talem casum esse impossibilem. Nos tamen nihilominus prudenter judicamus, ab eo tunc credendum esse falsum : sicut aliquando prudenter judicamus, pœnitentem esse rite dispositum, et is etiam firmissimum habet propositum non peccandi ; quamvis nihilominus etiam prudenter judicemus, eumdem, superveniente gravi tentatione, iterum peccaturum. Ad textum Apostoli respondeo esse hyperbolen, et supplendum per conditionem hanc : *si id fieri posset.* Quare non intendit immobilitatem fidei pro illo casu impossibili, sed firmitatem de præsenti super omnia, ac præcipue super auctoritatem judaizantium, seu qui Judaismum prædicabant : hæc vero apud Galatas insufficiens erat ad extinguendam certitudinem etiam respectivam, quam habebant ex prædicatione Apostoli.

Ad Conf. 2am. R. *C. A.* de infidelibus idiotis *D.* 1um. *Cons.* Tenetur firmissime credere fide supernaturali, quæ scilicet essentialiter est vera *N.* fide naturali ac humana *C.* Hinc etiam *D.* 2um. *Cons.* Illa credunt superna Spiritus sancti motione, quæ sit ad conatum et imperium voluntatis *T.* quæ sit ad actum credendi, proponendo illius objectum ut verum *N.* Concedimus itaque cum S. Aug. et *communiore sententia,* dari interdum ignorantiam invincibilem nostræ Religionis in pueris et idiotis educatis inter Hæreticos, iisque posse suam sectam proponi ab instructoribus ut moraliter respective certam ; supponimus tamen, quod facientibus quod est in se, Deus non deneget gratiam ad credenda saltem necessaria necessitate medii.

In eo etiam casu damus, quod infidelis ejusmodi debeat conari credere suam sectam ut revelatam a Deo, sicut invincibiliter judicans teneri se ad mendacium pro vita proximi tuenda tenetur mentiri; sed tunc nec fides subsequens erit, nisi *naturalis* et *humana,* nec hic intervenit illustratio divina, proponens objectum ut revelatum.

178. *Dico II.* Ut certitudo respectiva in rudibus sufficiat, non requiritur discerniculum experimentale.

Prob. I. universim. Discerniculum hujusmodi gratis omnino statuitur; tum quia experientia illud non testatur, cum rudium nullus id se expertum esse unquam asserere est ausus, et quam certitudinem rudes fideles appellarent, ad eamdem etiam provocarent rudes sectarii : tum quia illud ratio nulla solida persuadet; partim quod ad firmitatem ac certitudinem fidei habendam sufficiat certitudo, excludens omnem formidinem prudentem a judiciis fidei actum præcedentibus, quæ per respectivam certitudinem præstatur; partim quod firmitas fidei, utpote meritoria, non debeat provenire ex notitia experimentali revelationis divinæ, sed potius ex libero imperio voluntatis captivantis intellectum in obsequium auctoritatis divinæ obscure propositæ.

Conf. Quia, hoc discerniculo admisso, sequeretur 1°. nec rudibus opus esse externa fidei regula; cum per illum instinctum discernere possent verum Scripturæ sensum a falso, sicut Parochi propositionem discernunt : nec aliis etiam necessarium esse controversiarum Judicem, cum ex unius pueri aut simplicis rustici responso res omnis decidi posset : 2°. illitteratos feliciores esse Theologis scientissimis, inter se non raro dissidentibus circa propositionem, an illa de fide sit, nec ne : 3°. nullum rudem posse in hæresin mere materialem deflectere; cum, stante hoc discerniculo, error non foret inculpabilis : 4°. instructorem ex inculpabili errore falsum dogma proponentem continuo posse erroris a rudi coargui etc.

Prob. II. speciatim; et quidem contra *Perez:* 1°. Hæretici tam parum sæpe dubitant de suis dogmatibus falsis, ac Catholici de veris, illisque se adhæsisse appretiative super omnia etiam post conversionem serio testantur. 2°. Vel illa experientia patet, ac est discernibilis, vel ambigua est, ac discerni nequit? *secundum* dici non potest; alias non determinaret ad judicium evidens credibilitatis : neque *primum;* quia fidelium nemo, secluso speciali gratiæ privilegio, in se experitur miraculosam hanc dubitandi aut formidandi impossibilitatem. 3°. Nemo experiri potest, an possit vel non possit dubitare, nisi in ipso assensu fidei aut eo posito; cum ergo judicium credibilitatis assensum fidei præcedat, illa indubitabilitas per discerniculum nequit afficere judicium credibilitatis.

Contra *Pallavicinum:* 1°. Ejus discerniculum reipsa est revelatio privata, et quidem non mysterii, sed et miraculi, aliorumque signorum, ab instructore narratorum in mysterii propositi confirmationem; unde proxime saltem accedit ad spiritum privatum Hæreticorum. 2°. Si non est revelatio; ergo debet esse vel illustratio *subjective* tantum movens, ac non discernibilis; adeoque nihil a communi sententia eximium aut singulare dicitur : vel *objective* movet ac discernitur; atque hinc argumentis, ad universim probandum allatis, opinio hæc jam devicta est. 3°. Vel rudes tenentur intel-

lectum, hoc instinctu illuminatum, submittere Ecclesiæ, vel non ? si *secundum*; pro rudibus inutilis est Ecclesiæ infallibilitas : si *primum*; ergo ut credant, scire debent quod Ecclesia idem sentiat ; adeoque ille instinctus, ut abstrahens a definitionibus Ecclesiæ, non sufficit rudi ad judicandum, articulum a Parocho propositum super omnia esse credendum.

Contra *Esparzam* : 1°. Incredibile est, rudem hac via posse infallibiliter discernere supernaturalem assensum fidei in instructione, quem hic ipse non nisi arguitive dicere potest, utrum supernaturalis sit. 2°. Rudis fide divina credere non posset articulum etiam revelatum, si instructor eum proponens tum temporis conceptum supernaturalem non haberet, aut Hæreticus foret occultus, quantumvis doctrinam Catholicam profiteretur. 3°. Quicumque rudis, Scripturam sacram legens, certus fieret per similem instinctum de vero ejus sensu ; cum verbum scriptum non minus conceptui substituatur, ac voce prolatum.

179. *Nec dicas* 1°. Illustratio supernaturalis habet rationem testimonii et veræ locutionis divinæ internæ; hinc enim psal. 84. David dicit :*Audiam, quid loquatur in me Dominus*; et S. Aug. Tr. 3. in 1. Ep. Joan. n. 13. *Sonus verborum nostrorum,* inquit, *aures percutit*; *Magister intus est... si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster... quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt*; ergo est lumen suasivum *ut quod*. 2°. Objectum fidei proponitur a Parocho, non nomine proprio, sed nomine Dei revelantis ; ergo illustratio divina, vel ad ejusmodi propositionem, vel ad ejus perceptionem pertinens, fungitur officio revelationis. 3°. Hoc ipso, quod illustratio dicatur aliquid conferre ad certitudinem, illa partialiter saltem facit judicium certum ; adeoque rudis, supra hanc certitudinem reflectens, potest habere *discerniculum* articuli veri a falso per illustrationem.

R. *Ad* 1um. *D. A.* Illustratio prophetica aut alia extraordinaria habet rationem locutionis ac testimonii divini *C.* ordinaria et qualiscumque *Subd.* habet rationem locutionis proprie et stricte talis, quæque objective, et per modum motivi ac rationis formalis moveat *N.* habet rationem locutionis minus proprie talis, quæque subjective duntaxat et per modum comprincipii agat *C.* De illustratione *primi* generis loquitur David, eamque non Prophetis duntaxat et Apostolis, sed et Sanctis aliis, ac præsertim Martyribus, etiam rudibus ac puerulis, in fide ejusque professione constantibus, non nego datam sæpe fuisse, juxta illud Christi promissum Matth. 19. 20. *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini*; *dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini*. Quin et hujusmodi illustrationem locum habere in perpetuo surdis ac mutis, aut aliunde non habentibus sufficientem certitudinem credibilitatis respectivam (inter quos etiam Gentiles facientes quod in se est, sed homine instructore carentes, numerari possunt) maxime ad actum fidei circa necessaria necessitate medii eliciendum non abnuo : sed hæc extraordinaria et rariora sunt, imo in ordine ad judicia fidei prævia accidere non debent aut possunt; cum ea alias statui deberent actus fidei formaliter tales. De *secundi* generis illustrationibus sermo est apud Augustinum, qui recte illustrationem non foris duntaxat sonantem, sed intus loquentem præter externas duntaxat gratias, a Pelagianis prius admissas, exigit. In his vero asserendis minime S. Doctor laboravit, ut iis prædicatum novæ revelationis

aut discerniculi, aut motivi objecti tribueret; sed potius vires illi ex parte subjecti vindicatum ibat, cum illustrationes non ad *facilius*, sed ad simpliciter, modo salutari scilicet ac supernaturali, intelligendum necessarias esse contenderet.

Ad 2um. R. *N. A.* Non enim requiritur, ut Parochus *stricte* loquatur nomine Dei, sicut Prophetæ olim loquebantur; sed sufficit, quod proponat doctrinam a Deo revelatam, confirmatam per miracula, et ab Ecclesia Catholica creditam : hac enim ratione rudis habere potest certitudinem respectivam, quod Parochus veram doctrinam proponat.

Ad 3um. R. *N.* 2am. *p. Ant.* Quamvis enim rudis, supra certitudinem de rebus ab instructore doctrinæ cœlestis reflectens, possit habere *discerniculum* suæ adhæsionis ad hanc veritatem potius, quam ad illam profanam aut ab alio propositam; id tamen non præstat talem certitudinem, quæ nequeat adæquari ad articulum fidei falsum; hinc per reflexionem etiam factam articulus verus a falso discerni nequit.

ARTICULUS III.

AN PRÆVIE AD ACTUM FIDEI REQUIRATUR PIA AFFECTIO?

180. *Dico.* Ad omnem actum fidei supernaturalis infusæ requiritur *pia affectio* seu voluntatis imperium immediatum, positivum et directum. Ita cum Suar., Lug. et alii communiter.

Prob. Auctoritate. Ad Rom. 1. 5. dicitur : *Accepimus gratiam ad obediendum fidei* : obedientia autem pertinet ad voluntatem; unde D. Thomas in hunc locum Lect. 2. citans Augustinum probat, quod *his, quæ sunt fidei, voluntate consentiamus.* Ad Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam* : ubi nomine cordis significatur voluntas, ut explicat S. Th. Lect. 1.; unde Act. 8. 37. Philippus dixit : *Si credis ex toto corde*, h. e. ex tota voluntate, sicut de amore Dei ex toto corde præcepto intelligitur. Quæ quamvis detorqueri soleant in alium sensum et explicentur aut de voluntate *permittente*, aut de *mediata*; tamen interpretatio hujusmodi, quæ nimis violenta per se intelligitur, aperte a S. Th. hic q. 2. a. 9. ad 2. rejicitur. Arausi. II. c. 5. docet, *initium fidei esse credulitatis affectum, eumque inesse nobis per inspirationem Spiritus sancti; corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem.* Trid. Sess. 6. c. 6. ait : *Fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum credentes* : ubi libera voluntatis motio ponitur post conceptam ex auditu fidem, h. e. post judicium credibilitatis. Aug. Tr. 26. in Joan. n. 2. *Intrare*, inquit, *quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens : credere non potest nisi volens.* Et L. de Præd. Sanctorum c. 5. n. 10. *Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed quia in electis præparatur voluntas a Domino.*

Conf. Ratione. 1°. Ad assensum determinatum et positivum intellectus requiritur causa positiva determinans : sed fides est talis assensus, neque illius determinans causa positiva est ipse *intellectus*, qui in obscuris ab alio determinari debet : non est *motivum*; quia et hoc inevidens est, non obstantibus

præviis cognitionibus : nec est *objectum materiale*, utpote quod, etsi etiam ipsum sæpe obscurum non foret, actum fidei non facit aut infert; ergo. 2°. Assensus fidei debet esse liber et meritorius saltem moraliter et denominative; ergo. 3°. Quantamcumque etiam evidentiam habeant cognitiones præviæ, et quantumvis voluntas non resistat, illæ ad summum determinant intellectum ad assensum innixum illi evidentiæ, et quoad firmitatem proportionatum ; minime autem ad assensum obscurum innixum soli revelationi divinæ et firmiorem, quam mereantur illa motiva ; ergo præter illas cognitiones etiamnum aliud requiritur, imperium nempe voluntatis.

181. *Obj. I.* Intellectus movetur et rapitur a vero; ergo non a voluntatis imperio. *Conf.* 1. Voluntas necessitatur ad amorem objecti, quod ut bonum quamvis inevidenter proponitur; ergo etiam intellectus ad *assensum* objecti, quod proponitur ut verum licet inevidenter. *Conf.* 2. Dæmones non habent piam affectionem, et tamen Jacobi 2. 19. credunt et contremiscunt ; ergo fides absolute haberi potest sine voluntatis imperio.

R. *D. M.* Intellectus movetur et rapitur a vero evidenti *C.* a vero obscuro, aut solum probabili *N.* In his, ubi evidentia veritatis abest, subjective determinatur a voluntate, per suum imperium quodammodo supplente defectum evidentiæ : quod quidem si fieri non posset, locum haberet propositio 19. ab Innoc. damnata.

Ad Conf. 1am. *Disparitas* est, quia obscuritas ac inevidentia, qua intellectui veritas proponitur, est quoddam malum intellectus et quædam species negativa falsi, adeoque sufficiens est, ne rapiatur intellectus ad assensum : nam sicut voluntas solum necessitatur ad amorem objecti, si proponitur ut bonum sine advertentia ad rationem mali seu positivi seu negativi ; sic etiam intellectus tantum in ratione veri necessitatur. Obscuritas autem et inevidentia bonitatis non est malum voluntatis ne quidem negativum, saltem ita proprium ac est malum intellectus; adeoque non sufficit ad suspendendum exercitium amoris.

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Dæmones credunt actu fidei supernaturali *N.* naturali *Subd.* qui sit liberum obsequium intellectuale ac præcise respectu auctoritatis divinæ *N.* qui talis non sit *C.* Dæmonum assensus ad res revelatas nec liber omnino est, nec unice in auctoritate Dei revelantis nititur, cum ex naturali intellectus sui excellentia moralem saltem de fidei mysteriis aut de revelationis existentia habeant evidentiam : inde vero is etiam assensus in dæmonibus non est appretiative summus sed, proportionatus duntaxat motivis credibilitatis; adeoque ad illum non requiritur imperium voluntatis, quæ potius in illis veritati reluctatur.

182. *Obj. II.* Objectum formale fidei sufficienter applicatur intellectui, *mediate* per signa credibilitatis, *immediate* per illustrationem supernam; ergo superfluum est voluntatis imperium. *Conf.* 1. Evidentia credibilitatis non relinquit locum positivo dissensui, quia determinat ad hoc judicium: Revelatio non potest prudenter *negari :* et etiam determinat ad hoc : Assensus circa revelationem non potest prudenter *omitti;* ergo. *Conf.* 2. Ad credendum aliquid *fide humana* non requiritur pia affectio; dum enim viri plures iique graves rem aliquam factam affirmant, intellectus sine volun-

tatis imperio ad consensum inclinatur; ergo nec ad credendum fide divina illa affectio requiritur.

R. *D. A.* Sufficienter applicatur, ut intellectus assentiatur ex determinatione voluntatis *C.* ut assentiatur ex determinatione objecti *N.* Vis objecti formalis obscuri non est determinativa, sed duntaxat *objective* motiva, ita tamen ut hanc vim exercere nequeat nisi mediante voluntatis imperio et determinatione; uti patet in motivo mere probabili.

Ad Conf. 1am. R. *D.* Determinat ad judicium, quo asseritur non posse omitti assensum ob inhonestatem omittendi *C.* ob fundamentum evidens et rapiens ad assensum *N.* Cum judicium credibilitatis non afferat veritatis evidentiam, non excludit fundamentum *omittendi;* et licet asserat assensum non posse prudenter omitti, hoc ipsum tamen propter inhonestatem asserit, cum quo componi potest omissio imprudens; ut accidit quandocumque voluntas peccat omittendo actum præceptum.

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Ad credendum *fide humana* non requiritur pia affectio seu voluntatis imperium in rebus quoad se facile perceptibilibus et factibilibus, nullamque in credendo difficultatem asserentibus *T.* in rebus arduis, extraordinariis, aliisque, quibus præsertim vel rationes vel animi affectus repugnant *N.* Hujusmodi autem pleraque fidei mysteria esse constat. Præterea *disparitas* est, quia objectum *fidei humanæ* non raro est evidenter verum; ipse assensus non adhæret objecto firmissime; animus etiam credendi nec universalis est, nec passim in reverentiæ aut obsequii testimonium præstatur: objectum autem *fidei divinæ,* saltem formale, manet semper obscurum; ipse assensus firmissimus et excedens firmitate meritum rationum ad fidem impellentium; animi præparatio generalis ad credenda firmissime etiam creditu difficillima; protestatio denique reverentiæ et intellectus captivatio in obsequium fidei semper adest ad meritum obtinendum.

ARTICULUS IV.

AN ACTUS FIDEM PRÆCEDENTES, SINT ENTITATIVE SUPERNATURALES?

183. *Nota. Primam* mysterii, revelationis ac motivorum *propositionem* supernaturalem esse, videtur communis acceptio probare, qua hæc nomine illustrationis supernæ usurpatur: pro *examine* autem loquitur illud Act. 16. 14. de Lydia muliere testimonium: *Cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo.* Denique pro *utroque judicio speculativo,* altero quidem affirmante revelationis existentiam, altero affirmante mysterii credibilitatem, stat utriusque necessitas vel ad fidei actum ipsum, vel ad piam affectionem requisita. Agimus vero hic duntaxat de *pia* voluntatis *affectione* et *judicio credibilitatis practico* seu proxime dirigente voluntatem ad imperandum fidei assensum supernaturalem, quod alias judicium credentitatis appellatur.

184. *Dico I.* Pia affectio seu voluntas credendi est *entitative* et quoad substantiam supernaturalis. Ita communis Theologorum.

Prob. Argumentis iisdem, quibus necessitatem piæ affectionis ab *auctori-*

tate stabilivimus. His, præter alia in Tr. de Gr. allata, accedit testimonium S. AUGUSTINI L. de Sp. et lit. c. 34. scribentis: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus... His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat; neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos* etc.

Conf. Tum quia voluntatis imperium per se disponit, et immediate ac necessario inducit ad actum fidei supernaturalem, adeoque juxta communissimam in Tr. de Gr. doctrinam debet et ipsum esse entitative supernaturale: tum quia sicut actus fidei excedit vires naturæ, sic et voluntas efficax illum actum amplectendi easdem vires superat: tum quia hæc affectio et de se meritoria est, et rationem meriti tribuit assensui fidei.

185. *Nec dicas* 1°. Fides a Scriptura et Patribus dicitur initium meriti et salutis; ergo affectio pia eamdem præcedens nequit statui meritoria, ideoque supernaturalis. *Conf.* Ad judicium credentitatis supernaturale non prærequiritur voluntas supernaturalis imperans; ergo nec ante actum fidei supernaturalem requiritur.

R. *D. A.* Fides sumpta in abstracto, seu prout præcise est actus intellectus, dicitur meriti et salutis initium *N.* Fides sumpta in concreto, seu prout fidei nomine intelligitur unum concretum morale, liberum ac meritorium, constans scilicet ex actibus fidei præviis, maxime actu voluntatis imperante, et intellectus imperato *T.* Patres initium meriti ac salutis tribuentes fidei non locutos unice fuisse de assensu intellectuali, vel una controversia cum Pelagio ejusque reliquiis agitata abunde demonstrat. Dixi: *Transeat*; partim quia nec fidem sic acceptam esse primam gratiam ac initium merendi, patet ex propositionibus Quesnelli damnatis 26. *Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem.* 27. *Fides est prima gratia et fons omnium aliarum*: partim quia et ante fidem dispensantur infidelibus, tempore opportuno et urgente præcepto, sufficientes gratiæ, uti ostendit damnata ab ALEX. VIII. propositio: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a J. C. influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente.*

Ad Conf. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia judicium *credentitatis,* utpote actus plerumque evidens, non est obsequium intellectuale liberum respectu Dei, quale tamen actus fidei tum a Scriptura, tum a Patribus statuitur; adeoque illud, ad imitationem hujus, nec requirit, nec præsupponit voluntatis imperium. Præterea dictamen illud spectat ad id genus actuum, quos in nobis Deus, *sine nobis* libere cooperantibus, operatur: e contra fides, utpote *meritoria,* nonnisi libere nobis cooperantibus ponitur; cum vero libertatem hanc nec in seipsa formaliter habeat, nec ab intellectu obtinere queat, voluntatis imperium præire necesse est, a quo et liberi et meritorii denominationem participet.

186. *Nec dicas* 2°. Potest quis converti ad veram fidem propter regnum, divitias, aut alia commoda naturalia acquirenda, vel mala vitanda, ut experientia docet: sed talis intentio seu voluntas amplectendi fidem saltem non est supernaturalis; ergo. *Conf.* Ipsa voluntas, etiam supernaturalis, credendi

potest imperari a voluntate venialiter mala; ergo et actus fidei poterit immediate imperari a voluntate venialiter mala, ac consequenter naturali.

R. *D. M.* Propter illa naturalia vel acquirenda vel vitanda potest quis mediate et remote converti *C.* immediate et proxime *Subd.* potest quis converti ad fidei confessionem externam, vel ad fidem mere humanam et naturalem *C.* ad fidem internam, eamque theologicam et supernaturalem *N.* Possunt quidem illa motiva naturalia impellere hominem, ut indaget veritatem, et ex motivis credibilitatis ad judicia fidei prævia pertingat, quæ tandem pia affectio et fides subsequatur; ad ipsam vero fidem motivum seu objectum formale esse nequeunt, ut per se patet; neque etiam motivum impulsivum ex se sufficiens dici possunt. Cum enim captivatio intellectus et assensus firmissimus veritati obscuræ præstitus merito inter opera ardua et libertati æque ac nativæ volubilitati repugnantia fere præcipuum locum obtineant; moraliter loquendo, impossibile videtur ut quis propter motiva ejusmodi sola fidem internam ac veram suscipiat. Hinc S. Aug. L. de Catechiz. Rud. c. 5. *Rarissime accidit*, inquit, *imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum exspectando ab hominibus, quibus se aliter placiturum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando..... vult fieri Christianus; non fieri vult potius quam fingere. Fides enim non est res salvandi* (alii legunt *salutantis*, h. e. assensum gestu significantis) *corporis, sed credentis animi.* Ex eo autem capite multo minus illa motiva sufficiunt ad fidem supernaturalem; cum hæc non sit sine gratia, gratia autem ordinarie donetur tempore opportuno, quod certe non habetur per illas intentiones prorsus terrenas, aut etiam peccaminosas.

Ad Conf. R. *T. A.* Nam proprie loquendo actio supernaturalis non potest fieri ex fine malo, sed duntaxat cum malo fine aut affectu. *N. Cons. Disparitas* est, quia in priori casu voluntas credendi honesta supponitur habere propriam libertatem et motivum honestum; adeoque de se, intrinsece et formaliter sicut honesta est, sic etiam supernaturalis esse potest, quamvis extrinsece ac denominative etiam mala ab actu præcedenti dici queat : cum vero ex adverso actus fidei de se ac intrinsece liber non sit, ac proin nec formaliter honestus ac meritorius; nisi voluntatis imperium honestum, ac moraliter bonum præcedat, nec fundamentum quidem adest pro actus fidei supernaturalitate.

187. *Nec dicas* 3°. Si admittatur pia affectio supernaturalis, debet etiam statui supernaturalis illius habitus : sed dici nequit, qualis ille sit, et ad quam virtutem pertineat; ergo.

R. *N. m.* Sicut dictum supra, specialem esse honestatem propositam piæ affectioni, quæ scilicet relucet in subjectione intellectus ad auctoritatem loquentis et in assensu revelationi præstando; sic etiam dicendum est, specialem dari virtutem moralem per se infusam, distinctam imprimis a reliquis virtutibus moralibus ob formale objectum diversum; deinde etiam diversam ab habitu fidei, qui ad intellectum pertinet, cum illa sit propria voluntatis, quamvis mutuo conjungantur, nec unus sine altero habitu infundatur aut maneat; denique aliam omnino a charitate, utpote ab hac separabilem, et ob defectum motivi divini non theologicam.

188. *Dico II.* Judicium credibilitatis practicum, seu dictamen *credenditatis,* est quoad substantiam supernaturale.

Prob. Juxta Apost. c. 2. ad Cor. 3. 5. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est :* quem textum Concilia et Patres communius interpretantur de cogitatione per se ad justificationem et salutem pertinente ac disponente; qualis, præ aliis omnibus, dicenda est judicium practicum. Hinc Araus. II. cap. 7. sic loquitur : *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu, non intelligens illud Apostoli : Non quod idonei sumus cogitare aliquid ex nobis etc.* Similiter S. August. eumdem textum usurpans L. de Præd. Sanctorum. c. 2. n. 5. judicium credibilitatis esse supernaturale contendit; quin ex eodem evincit etiam alias cogitationes, affectionem voluntatis præcedentes, a Dei dono proficisci ; dum L. 2. ad Bonif. c. 8. n. 18. sic scribit : *Cogitare aliquid, utique bonum; minus est autem cogitare quam cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamen cupimus omne quod cogitamus. Cum igitur minus sit cogitare quam cupere : potest enim homo cogitare bonum quod nondum cupit; et proficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit : quomodo ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et ad id, quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio?*

Conf. 1. Sicut juxta Can. 4. Concilii Carthag., quod nomine Milevitani II. alias laudatur, *donum Dei est, scire quid facere debeamus;* sic idem etiam dicendum est de judicio practico credibilitatis, quo scimus, quid credere debeamus; cum gratiam non minus ad initium fidei, quam ad operis exordium necessariam esse, constet ex dogmate Ecclesiæ contra *Semipelagianos;* ergo judicium illud supernaturale esse conficitur.

Conf. 2. Inter omnes cogitationes præambulas nulla est, quæ magis disponat per se, ac positive inducat ad supernaturalem piam affectionem, quam judicium practicum credibilitatis : sed nihil mere naturale per se ac positive disponere ac inducere potest ad supernaturale ; ergo.

189. *Nec dicas* 1°. Judicium illud non exigit concursum gratiæ ratione *objecti;* quia obligatio credendi naturaliter cognoscibilis ac evidens est : nec ratione *potentiæ;* utpote quæ ex se vires sufficientes habet ad ejusmodi objectum cognoscendum : nec ratione *piæ affectionis;* tum quia sufficere potest naturalis cognitio, voluntatem supernaturalem præcedens : tum quia supernaturalitas piæ affectionis non desumitur a cognitione dirigente, sed a principio supernaturali influente.

R. Permissa 1ª. et 2ª. *p. N. Cons.;* quia desideratur auxilium gratiæ ratione ipsius cogitationis *salutaris et ut expedit,* quemadmodum Arausicanum loquitur. *Ad* 3ᵃᵐ. *p. N. Ass.* Quoad 1ᵃᵐ. *prob.* rursus *N. Ass.* ob rationem in *Conf.* 2ª. datam; cui accedit, tum quod sicut ad actum voluntatis spiritualem requiritur cognitio spiritualis, ad actum materialem potentiæ appetitivæ cognitio materialis; ita ad volitionem supernaturalem cognitio

ejusdem ordinis præmitti debeat : tum quia alias ratio congruentiæ non adesset pro necessitate fidei supernaturalis ad placendum Deo contra Script. et Concilia ; cum etiam hic per cognitionem aut fidem naturalem posset quis moveri ad amandum Deum. Quoad 2^{am}. *prob. C. Ass.* sed *N. Supp.*, quod inde supernaturalitatem piæ affectionis deducamus, aut hoc argumento utamur. Non enim arguimus sic : Cognitio prævia est supernaturalis; ergo et pia affectio : sed e converso : Pia affectio est supernaturalis; ergo et cognitio practica, tanquam prævia dispositio ultima proportionata.

190. *Nec dicas* 2°. Sive dicatur pia affectio sequi necessario ad judicium practicum, sive non, potest colligi judicium hoc non esse supernaturale : nam in *primo* casu, quia nec pia affectio, nec fides essent liberæ ac meritoriæ, consequenter nec supernaturales, frustra omnino requireretur supernaturalitas judicii prævii : in *secundo* autem, sequeretur voluntatem posse negligere suasionem judicii prælucentis; unde, et ex supposita judicii supernaturalitate, proflueret hoc absurdum, quod homo simul haberet actum supernaturalem, et simul esset infidelis. *Conf.* Rursus pro hoc judicio statuendus esset habitus supernaturalis ; qui tamen vel assignari non potest, vel pro libitu assignatus auget numerum supernaturalium sine necessitate.

R. *N. Ass.* Permissa utraque probatione, nego in *secundo* casu evenire majus absurdum, quam ex eo quod quis illustrationem ac motionem supernam, quam habet, non sequatur, aut intelligens obligationem servandi præcepta, ea nihilominus violet.

Ad Conf. R. Assignari imprimis a nobis pro *habitu* specialem prudentiam infusam, dictantem debitum et obligationem credendi : hanc vero ab habitu prudentiæ generalis infuso distinguimus ; tum quia hic est directivus virtutum moralium fidem sequentium, illa autem per se saltem fidei habitum præcedit : tum quia prudentia *generalis* superna amittitur pereunte charitate, ad cujus comitatum æque ac virtutes morales, pertinet ; *specialis* autem nonnisi cum fidei habitu, desinere videtur ex data proxime ratione. Deinde vero non multiplicari habitus sine necessitate, probat diversitas objecti formalis et modi tendendi, quæ non sinit hoc judicium practicum reducere ad habitum fidei, ut Thomistæ contendunt.

CAPUT II.

DE NATURA ACTUS FIDEI.

ARTICULUS I.

AN ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS NECESSARIO SIT VERUS?

191. *Nota.* Naturæ nomine solet hic intelligi tum ipsa rei essentia, tum proprietas. De Essentia fidei, h. e. de objecto materiali, formali et modo tendendi proprio dictum hactenus; proprietates ejusdem sunt libertas, honestas, supernaturalitas et meritum : magis autem controversæ sunt veritas, certitudo et obscuritas; et de his agendum. *Falsitas* fidei haberi potest vel ex objecto materiali non ita se habente, ut creditur, vel ex objecto formali non existente, propter quod creditur. Unde hic duplex quæstio proponitur : 1ª. An res a Deo revelata, etsi per se sit contingens, sit infallibiliter vera, absoluta infallibilitate, ex hypothesi divinæ revelationis? 2ª. An ad actum fidei supernaturalis sufficiat revelatio apparens tantum et existimata? *Prior* porro dependet a gemino hoc quæsito : An Deus non tantum nunquam falsum revelaverit, aut mentitus sit, sed et falsum revelare aut mentiri de potentia, ut vocant, absoluta nequeat; *posterior* autem circa duos casus versatur, quibus revelatio reipsa non facta, existimari tamen ac apparere potest tanquam facta : alter nempe est, si objectum in se falsum vel impossibile, v. g. quod tota Trinitas sit incarnata, per errorem putatur esse revelatum a Deo : alter, si objectum quidem in se sit verum, non tamen a Deo revelatum, et nihilominus per errorem revelatum esse judicetur.

192. *Dico I.* Deus falsum nunquam revelavit, nec *absolute* revelare potest : adeoque sicut objectum a Deo revelatum infallibiliter verum est, sic etiam fidei divinæ actus necessario est verus ex parte objecti materialis.

Prob. 1ª. *p.* Quamvis respectu creaturarum diversa et separabilia sint; dicere physice falsum, dicere moraliter falsum, ac formaliter mentiri; hæc tamen in Deo sunt realiter idem, nec a se invicem separantur, quia 1°. quidem Deus necessario et infallibiliter scit esse falsum, quod physice falsum est ; adeoque illud dicens etiam scienter falsum diceret : 2°. autem, quia Deus infallibiliter scit obligationem ortam ex dictamine suæ sapientiæ, quod nempe sibi loquendum non sit contra veracitatem ac mentem suam, ne reddat se fide indignum; adeoque dicens physice ac scienter falsum, mentiretur formaliter. Atqui Deum nunquam esse mentitum, Scriptura testatur Num. 23. 19. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, neque ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? Locutus est, et non implebit?* Ad Tit. 1. 2. *Spes vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Ad

Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas, cum judicaris.* Ad Hebr. 6. 17. et 18. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum : ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus* etc.; ergo.

Conf. Deus nunquam aliquid egit, quod repugnaret alicui perfectioni divinæ; quia, judice S. Ambr. in Numer. 23., *est impossibile Deo, quod naturæ ejus contrarium est.* Sed si Deus aliquod falsum revelasset, et ad illud credendum propter auctoritatem suam nos obstrinxisset, ut fieri implicite in omnibus a Deo revelatis alibi ostensum est, egisset contra veracitatem et sapientiam suam, ejusque dictamen ac obligationem; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Deus necessario ac essentialiter est infinite sapiens, verax et bonus; tum quia hæ sunt perfectiones simpliciter simplices, necessario convenientes Deo, tanquam enti secundum omnem rationem infinite perfecto : tum quia alioqui non foret Deus, seu ens, quo excogitari non posset melius; cum ens, quod nec falli, nec fallere posset, Deo his perfectionibus destituto præstaret; ergo nec *absolute* quidem revelare falsum potest. Inde enim illud est dictum Apostoli : *Impossibile est mentiri Deum* ; et Aug. L. 22. de Civ. c. 23. *Si volunt invenire quod Omnipotens non potest, habent prorsus; ego dicam, mentiri non potest.*

Conf. Si Deus posset revelare falsum, non esset summa fide dignus, neque nos teneremur illi firmissime credere; consequenter corruerent omnia fidei nostræ fundamenta, *fides* nostra foret inanis, *spes* incerta, et securitas nulla. Sed Deus ob suas perfectiones simplices summa fide dignissimus est, atque hinc meretur firmissimam a nobis credulitatem; ergo.

Si ais 1°. Sufficit ad fidei nostræ certitudinem, quod Deus decreverit verum semper loqui.

R. *N.* Tum quia, ubi Deus dicitur verax, et omnis homo mendax, oppositio veracitatis divinæ et mendacitatis humanæ non habet se unice ratione actus *secundi,* quandoquidem et plures homines mentiti non fuerint; sed ratione potentiæ et actus *primi :* tum quia, admissa in Deo possibilitate revelandi falsum, certus omnino esse nequeo, an Deus hoc suum decretum revelando verum dixerit, nec ne.

Si ais 2°. Sufficit Deum non tantum dixisse, se habere illud decretum, sed etiam gravi præcepto nos obligare, ut sibi hoc loquenti credamus.

R. *N.* Tum quia, si Deus *falsum* loqui potest, vel negata, vel non impediente perfectione divina, eadem aut similis non obstabit, quominus ad illud credendum nos etiam obligare possit : tum quia, sicut Deus in opposita sententia dicere potest, se habere decretum, quod reipsa non habet; sic posset etiam dicere, se voluntatem nos obligandi habere, quæ tamen re ipsa illi non adesset : adeoque homo certus minime redderetur, utrum ficte ac simulate, an vere ac serio Deus præcipiat. Quæ ratiocinatio congruit cum illa S. Aug., qua L. de mendacio c. 8. probat, omnem naturæ ac doctrinæ institutionem destrui, si dicatur, mendacium aliquando esse licitum : *Quomodo,* inquit, *credendum est ei qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte et tunc mentiatur, cum præcipit, ut credamus. Unde enim sciri potest, utrum et tunc habeat aliquam causam, sicut ipse putat, officiosi mendacii...*

Quo genere admisso atque approbato, omnis omnino fidei disciplina subvertitur.

193. *Dico II.* Actus fidei theologicæ supernaturalis necessario requirit revelationem divinam actu existentem; adeoque est necessario verus etiam ex parte objecti formalis. Ita communissima.

Prob. Nec fides proprie talis, nec fides theologica, nec supernaturalis denique haberi potest, ubi Deus reipsa objectum non revelavit, aut non est locutus. *Pars* 1ª. patet ex natura et motivo fidei; sicut enim vera scientia demonstrationem, ita fides locutionem requirit, tanquam specificativum suum essentiale; ergo, illa reipsa deficiente, fides proprie talis haberi non potest, sed credulitas duntaxat quædam et conatus vel affectus credendi. *Pars* 2ª. liquet ex supra dictis; quia fides theologica, quæ hoc prædicatum saltem a motivo participare debet, non affirmat unum objectum materiale, sed et *ipsam revelationem* divinam asserit ac credit; ergo, supposita revelationis absentia, et destituitur prædicato rationem actus theologici conferente, et caret speciali sua tendentia; adeoque non erit theologica. *Pars* 3ª. *prob.* Sicut repugnat actus supernaturalis peccaminosus; sic etiam supernaturalis *falsus* implicat; quia non minus in ordine divino per participationem, ad quem actus entitative supernaturalis ab omnibus refertur, quam in eodem ordine per essentiam, imperfectio et intellectualis et moralis habere locum nequit; ergo actus fidei supernaturalis revelatione pure existimata niti non potest, cum in casu *primo* ratione utriusque objecti, in *secundo* autem saltem ratione objecti formalis actus falsus evaderet.

Conf. Trid. Sess. 6. c. 9. loquens de actu fidei circa statum gratiæ inquit: *Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum* : quibus verbis si non decernit, saltem supponit, nec ex parte objecti, nec ex parte motivi falsitatem in actu fidei theologicæ locum habere; ergo cum falsus esset actus fidei saltem ex parte motivi, qui niteretur revelationi mere existimatæ, verus fidei actus revelationem divinam actu existentem exigit.

194. *Obj. I. cont.* 1um. Teste Scriptura, Deus decipit pseudo-prophetas, Ezech. 14. *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum* : Utitur spiritibus malis ad decipiendos homines in peccati pœnam, ut docet S. Aug. L. 83. QQ. q. 53. n. 2. et liquet ex L. 3. Reg. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum*; et 2. ad Thessal. 2. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio* : Fefellit, licet bis consultus, Judic. 20., Israelitas, eosque in errorem et cladem iteratam, a Benjamitis acceptam, induxit; ergo Deus videtur mentitus esse, aut revelasse falsum.

R. *D.* 1am. *p. Ant.* Deus decipit pseudo-prophetas negative ac permissive duntaxat *C.* positive et active, præcipiendo scilicet, infundendo aut intendendo mendacium vel deceptionem *N.* Sicut in Tr. de Pecc. ex infallibili Scripturarum fide, et naturæ divinæ sanctitate negavimus, Deum esse causam propriam ac per se auctoremque peccati; sic ex iisdem Scripturis ac sapientia veracitateque Deo essentiali negandum, Deum esse causam propriam et auctorem deceptionis vel mendacii. Porro ex dictis ibid. intelligitur

diversus modus, quo Deus se in rebus ejusmodi permittendis habere possit. 2am. *p. D.* similiter. Quod S. August. attinet, is suum dictum ibidem aperte pluribus pro nostra sententia explicat; ex his pauca ista sufficiant : *Non itaque Deus deceptor est, quod credere nefarium ac impium esse quis non intelligat? sed meritorum et personarum justissimus distributor; faciens quædam per seipsum, quæ illo solo digna sunt, eique soli conveniunt, sicuti est illuminare animas et seipsum eis ad perfruendum præbendo sapientes beatasque præstare; alia per servientem sibi creaturam, integerrimis legibus pro meritis ordinatam, quædam eorum jubens, quædam permittens* etc. Eadem est responsio *ad* 3am. *p.* quæ etiam simpliciter negari potest. Cum enim neutra ex binis Israelitarum quæstionibus, quibus Deum consuluerant, versaretur de eventu prælii, clades iterato accepta divinæ deceptioni minime adscribi potest. Quod vero spem eorum erronee conceptam permiserit Deus, nec ejus veracitati nec sapientiæ repugnat; quin illius permissionis justissima ratio fuerit, ut nempe peccata idololatriæ ab Israelitis prius commissa, et eorum præfidentia culpabilis, quam cap. cit. versus 22. aperte docet, pœnis commeritis plecterentur.

Inst. 1. Deus vel per se, vel per Prophetas multa prædixit, promisit aut comminatus est, quæ caruerunt effectu : sic 4. Reg. 20. denuntiatum est Ezechiæ : *Morieris tu, et non vives.* Genes. 4. Caino timenti, ne occideretur, promisit Deus : *Nequaquam ita fiet.* Jonæ 3. Propheta nomine Dei minatus est : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur.*

R. *D. A.* Deus reipsa et absolute prædixit, promisit, aut comminatus est, quæ caruerunt effectu *N.* vel reipsa non prædixit, vel conditionate duntaxat *C.* Exemplum *secundum* pertinet ad illa, quæ Deus minime prædixit; Caino enim non promiserat simpliciter libertatem a morte violenta, sed solum, quod a quolibet primum obvio et impune non esset occidendus; sic enim textus habet, et quidem timori Caini respondens : *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Primum* et *tertium* sunt exempla prædictionum conditionatarum; scilicet moriendum Ezechiæ et Ninivitis esse pereundum, nisi illius precatio humilis et horum seria pœnitentia intercessura sit. Tacitam autem conditionem hujusmodi tum promissionibus tum minis divinis fuisse sæpius adjunctam, probat et ipsa conditionis expressa mentio in aliis Dei prædictionibus et eventus rerum prædictioni specietenus contrarius, ex quo velut a posteriori innotuit, prædictionem non fuisse absolutam et a conditione præcisam; cum ex Scriptura perfectionibusque divinis ejus infallibilitas ac fidelitas manifeste constet; 2. ad Tim. 2. 13. *Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Regula porro universalis dignoscendi, num promissa aut minæ divinæ sint absolutæ ac universales, an conditione tacita affectæ vel cum quadam exceptione intelligendæ (sæpiuscule enim occurrunt in Scriptura propositiones nonnisi in sensu morali universales, ubi, quod parum pro nihilo reputetur, vox *omnis* pro plerisque aut fere omnibus usurpatur) dari non potest; sed disci ac colligi debent vel ex ipsis promissionis aut comminationis verbis aut circumstantiis, vel ex alterius Scripturæ comparatione, vel ex gravi ac evidenti ratione, vel etiam ex traditione aut declaratione Ecclesiæ.

Inst. 2. Angeli, Prophetæ, et Viri sancti mentiti sunt. *Primum* accidit in Raphaele, qui Tobiæ comitem se offerens, dixit se nomine Azariam magni

Ananiæ filium, unum esse ex filiis Israel, et quidem ex tribu Nephtali. *Secundum* in Michæa, qui 3. Reg. 22. Regem Israel allocutus: *Vade prospere*, inquit, *et tradet eam*, urbem Galaad, *in manus Regis*. Item in Elisæo, qui 4. Reg. 8. promisit sanitatem Benadad; quamvis eventus utriusque dicti falsitatem probarit. *Tertium* in Abrahamo et Jacobo, quorum ille Genes. 14. cum iret ad montem, filium immolaturus, et hinc rediturus solus, tamen famulis dixit: *Revertemur ad vos*: hic vero pluribus mendaciis induxit Isaacum, ut sibi benedictionem daret. Sed hæc mendacia ipsi Deo videntur adscribenda, cum ea prolata fuerint ab illis instinctu Spiritus sancti; ergo.

R. Non omnia dicta vel facta quorumlibet etiam Sanctorum et Patriarcharum, quæ in Scripturis narrantur, a mendacio vel peccato saltem materiali excusari, Deoque proin inspiranti adscribi possunt.

Ad exempl. 1um. Raphael vero sensu dicere poterat se esse Azariam, h. e. *auxilium Dei*; filium Ananiæ, h. e. *obnubilati* seu latentis *Dei*; unum ex filiis Israel, h. e. *videntis Deum*; ex tribu autem *Nephtali* et captivitate *Ninive* Tobiam seque esse dicebat angelus, intelligens locum et terminum, a quo ambo venissent, conformando nempe responsum ad interrogationem Raguelis: *Unde estis?* Tob. 7. 3. Alii addunt: Tobiam juniorem reipsa ex hac tribu descendisse, angelum autem se ex eadem dixisse, non quod reipsa esset, sed Azariam repræsentaret, inde oriundum.

Ad exempl. 2um. Michæas hæc dixit per ironiam, quæ ex proferendi modo aliisque circumstantiis etiam audienti innotuit: unde Scriptura prosequitur: *dixit autem Rex ad eum: iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine Domini*. Elisæus autem recte dixit morbum Benadadi non esse lethalem; adjunxit tamen eum obiturum, nempe ex Hazaelis scelere, unde sic respondit: *Vade, dic ei, sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.*

Ad exempl. 3um. Abrahamum non esse contra mentem locutum, duplex explicatio probat; vel enim de se duntaxat verba faciens more Hebræorum, et nunc etiam Principum, plurali usus est loco singularis: vel fide cognovit aut certe speravit, Isaacum brevi post immolationem suscitatum iri, ut promissiones de illo factæ implerentur. Jacobum reipsa adeoque non ex inspiratione divina, sed permissione tantum, mentitum esse, multorum Patrum opinio est: a mendacio illum excusat S. Aug. L. cont. mend. c. 10. n. 2. eo quod ipse typus et figura Christi fuerit, atque hinc omnia ipsius facta et verba in illa historia figuratam ac mysticam significationem gerant Christi et Ecclesiæ: S. Thom. autem in scripto secundo ad Hannibald. et in 3um. dist. 28. q. un. a. 2. ad 1. ex eo capite eumdem a mendacio vindicat, quia id significare intenderit, ad quod Spiritus sanctus verba ordinabat. Jam vero cum Jacobus, secundum revelationem divinam Genes. 25. Rebeccæ factam: *Major serviet minori*, nosset se ordinatum ad benedictionem primogeniti referendam; dicere poterat, se esse primogenitum *repræsentative*, seu secundum jus et Dei dispensationem; fecisse quod sibi, ut hac ratione primogenito, Isaac præceperat ad obtinendam benedictionem: potuit etiam adhortari patrem ad comedendum de venatione sua, sub hac improprie sumpta intelligendo carnem hædinam ad ferinæ imitationem paratam.

Inst. 3. Christus ipse et Scriptura sacra videntur multa falsa dixisse, et sibi sæpius contradixisse: Joan. 7. *Non ascendo ad diem festum istum*;

quamvis postea ascendisse legatur. Eccli. 49. *Præter David et Ezechiam et Josiam omnes peccatum commiserunt;* cum tamen et horum peccata quædam alibi prodantur : Joan. 5. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum,* et Joan. 8. *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum :* Jerem. 22. de Jechonia : *Scribe virum istum sterilem... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda;* cum tamen 1. Paral. 3. dicatur: *Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia* etc.; ac 1. Esd. 2. Aggæi et Matth. 1. *Zorobabel filius Salathiel* legatur fuisse Dux Israelitarum e captivitate redeuntium ; ergo.

R. *N. A. Ad exempl.* 1um. Christus unice dixit se non ascensurum eo modo, quo ascendere rogabatur, scilicet in comitatu fratrum suorum se rogantium, ac publice ad gloriam suam manifestandam ; hinc mox subjicitur : *Et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.*

Ad exempl. 2um. Hoc elogio non omne, sed idololatriæ duntaxat peccatum excludebatur, quod, quia Gentis Hebrææ quasi proprium et reliquis Regibus commune fuerat, hic ab Ecclesiastico per antonomasiam intelligitur.

Ad exempl. 3um. Textus *primi* sensus hic est : si solus ego de me testimonium perhiberem, vestro quidem judicio (loquebatur enim Christus ad sententiam et confessionem Judæorum) non foret verum, h. e. fide dignum : *secundi* autem sensus est, reipsa testimonium Christi esse verum ; tum quia ex sua natura falsum dicere non poterat, suamque ob auctoritatem merebatur omnem fidem : tum quia non ipse solus, sed Pater cum et de ipso testabatur.

Ad exempl. 4um. Posteriora textus membra docent, nullam hic subesse antilogiam ; cum Deus non fuerit Jechoniæ comminatus sterilitatem absolutam et corporis, qua negarentur proles qualescumque, sed respectivam et nominis, qua negabantur proles et hæredes potestatis regiæ aut supremi magistratus in Juda. Id vero ex communi sententia contigit, eo quod *in diebus Jechoniæ* de semine ejus non fuit vir, h. e. *filius,* qui sederit super solium David, et potestatem habuerit in Juda, Salathiele scilicet absque dignitate ac in captivitate mortuo; quamvis Zorobabel ejus nepos prærogativam ducis in Judæam reversorum sit nactus. Alii cum *P. Berruyer* planius rem componunt, qui originem Salathielis et Zorobabelis, quorum inter duces et progenitores Christi Aggæus et Matthæus meminerunt, deducunt ex Johanan, seu Jechonia, primogenito Josiæ filio ; non autem ex Jechonia Joakimi filio et Josiæ tantum nepote, quem minæ divinæ apud Jeremiam feriebant. Præterquam enim quod Deus non videatur præservasse singularem illam nasciturí olim Dei avorum prærogativam toties maledictæ illi generationi, quam nec minima quidem dignitate imposterum eximiam voluit ; ægre profecto Genealogia a S. Matthæo pertexta et ab Aggæo duntaxat indicata conciliari potest cum illa, quæ de junioris Jechoniæ posteris in Paralip. l. c. refertur. Plura de his Interpretes, et *Scriptura dogmatice ac polemice explicata.*

195. *Obj. II.* Dolus non est intrinsece malus ; tum quia datur dolus pius : tum quia a S. Paulo est adhibitus dicente 2. ad Corinth. 12. 16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi ;* ergo nec mendacium intrinsece malum est : conse-

quenter Deo est possibile. *Conf.* 1. Mendacium tantum est malum, quia est prohibitum; ergo seclusa prohibitione non erit malum : sed Deo nihil est prohibitum; cum superiorem non habeat; ergo mentiri Deo non est malum. *Conf.* 2. Deus cum Jacobo dispensavit in lege *non mentiendi*. ut Innoc. III. c. *Gaudeamus* de diversis innuit; ergo a fortiori poterit ipse mentiri.

R. *N. A. Ad prob.* 1am. *D.* Datur dolus improprie talis, qui dicitur bonus propter finem bonum eo intentum *C.* Datur dolus pius, qui sit propria deceptio *N.* Neque hic etiam moraliter *pius* seu *bonus* dici potest, cum finis quantumlibet bonus non excuset medium malum.

Ad prob. 2am. *N. Ass.* Hæc enim ab Apostolo non dici asserendo, manifestum facit ipse contextus.

Ad Conf. 1am. R. *D. A.* Mendacium est malum in creatura, quia est prohibitum lege, scilicet tam naturali quam positiva *C.* est malum in Deo *N.* Equidem ubi non est lex, ibi nec est prævaricatio; adeoque cum respectu Dei lex *proprie* talis locum non habeat, nec in eo proprie peccatum datur : quia tamen voluntas nec mentiendi nec fallendi necessaria, ex Dei essentia et perfectionibus promanans, eum a mendacio non minus impedit, ac lex aliqua, si daretur, abstinere posset; inde est, cur Deus non tantum nequeat mentiri, sed et mendacium necessario prohibeat, a qua ratione mendacium formaliter malum esse in Tr. de Act. Hum. ostenditur.

Ad Conf. 2am. R. Innocentium non dicere, dispensatum fuisse cum Jacobo, ut mentiretur, sed ipsum excusari posse a mendacio; quia divina revelatione illi concessum erat, ut ejus verba verum sensum haberent, ideoque sine mendacio ita loqueretur : unde idem Pontifex videtur supponere sententiam SS. Augustini et Thomæ tanquam veram, non autem in aliorum Patrum sensu esse locutus.

Inst. 1. Deus potest mendacium præcipere, ut patet in eo, qui *invincibiliter* putat mendacium ad salvandam suam vitam licitum; quia hic lege naturali, ac consequenter divina tenetur mentiri; ergo etiam ipse mentiri poterit.

R. *N. Ass. Ad prob. D.* Tenetur lege naturali ac consequenter divina per accidens mentiri, et quidem prout mendacium in esse intentionali per judicium erroneum apparet bonum et licitum *C.* per se tenetur, et prout reipsa mendacium est moraliter malum *N.* Vide Tr. de Act. Hum. Merito Job. 13. 7. amicis objicit : *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* et Plato L. 2. de Republ. statuit, Deo semper indignum fore mendacium, etiamsi homini interdum utile esse possit; quod testimonium etiam Ethnicis a natura inditum laudat L. 6. Strom. Clem. Alexandrinus.

Inst. 2. Deus potest in loquendo uti *restrictione mentali*; imo eadem usus est in comminatione per Jonam Ninivitis facta : nec minus eam adhibuit Christus, dum Marc. 13. interrogatus de die judicii respondit : *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*; ergo et mentiri poterit; quia per mentalem restrictionem audiens æque decipitur, et loquens decipere intendit, ac per mendacium.

R. *D. A.* Deus potest uti, et de facto usus est restrictione pure mentali *N.* restrictione non pure mentali *C.* Restrictio mentalis *generatim* describi potest unius alteriusve vocis reticentia, qua fit, ut verba exterius prolata, si per se præcise considerentur, sensum falsum, aut saltem sensui loquentis

contrarium contineant; quamvis eadem cum verbis quæ mente reticentur conjuncta sensum verum, vel menti loquentis conformem exprimant. Restrictio *pure* mentalis est, quando sensus qui mente loquentis retinetur ab audiente, quantumvis attento et intelligente, percipi nullo modo potest, eo quod nec verbis a loquente exprimatur, nec a circumstantiis hic et nunc occurrentibus significetur, ut si quis rogatus, an Petrum a se visum viderit, respondeat, se non vidisse, subintelligendo non pedibus, sed oculis vidisse. *Non pure* mentalis est, quando sensus mente loquentis retentus ab auditore attento ac perito, saltem ex circumstantiis, colligi potest, licet humanis verbis non proferatur, ut si sacerdos rogatus de peccato in confessione audito respondet, se non audivisse, subintelligendo, se non audivisse ita ut alteri revelare possit : nam licet hunc sensum verba *per se* non significent, ipsa tamen confessarii et confessionis circumstantia est ejusmodi, ut prudens quilibet ac peritus hunc sensum cognoscere queat. Jam vero restrictio *pure* mentalis a mendacio non differt, ut declaravit Innoc. XII. damnans hanc ordine 26. propositionem : *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec perjurus est.* Nam in ejusmodi locutione verba de se, *spectatis omnibus circumstantiis,* sensum falsum, aut menti loquentis oppositum habere, per se liquet : eadem vero verba ut conjuncta cum eo, quod loquens occulte subintelligit, nec alium sensum faciunt; etenim quæ occulte omnino subintelliguntur, sicut audienti per nihil innotescunt, ita pariter nihil significant ; adeoque mutare vel modificare nequeunt sensum locutionis externæ, ac consequenter utens tali locutione nequit prudenter intendere, nisi ut audiens habeat judicium falsum, idemque judicet esse in mente loquentis, quod ipse vi verborum intelligit.

Unde iisdem argumentis evincitur, Deum non posse uti restrictione *pure* mentali, quibus supra ostensum, mentiri non posse : ob contrariam tamen rationem illi permissus est usus restrictionis *non pure* mentalis ; ideoque is in omnibus Dei locutionibus, restrictionem mentalem connotantibus, supponi potest ac debet, præsertim cum aliunde intelligamus, circumstantias plerumque aliquas Dei ac Prophetarum verba esse comitatas, quæ auditores facile in notitiam qualemcumque sensus in mente retenti ducerent. Sic Ninivitis non defuisse aliquid circumstantiarum, ex quo prudenter colligerent, decretum divinum de subvertenda urbe non esse absolutum, satis liquet tum ex edicto Regis Ninivitarum pœnitentiam imperantis, tum ex illa ejusdem clausula : *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus?* Similiter Discipuli poterant ex circumstantiis prudenter colligere, quod Christus solum loqueretur de scientia extremi judicii *ex ordinatione Patris* communicabili, non autem de scientia simpliciter tali : ex una enim parte sciverant, Christum etiam secundum humanitatem habere scientiam rerum omnium ad ejus dignitatem pertinentium ; ex altera autem a Christo audiverant, Deum velle occultum habere, et Apostolis non esse conveniens scire judicii diem. Hinc S. Augustinus L. 83. QQ. q. 60. scribit : *Ideo bene accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse quia facit Filium scire : et quod dictum est, nescire*

Filium, sic dictum esse quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scient.

Inst. 3. Licet *æquivocatio* et *amphibologia* in loquendo repugnet sinceritati, et, illa admissa, non staret firmitas fidei nostræ, cum semper formidare possemus an Deus æquivocatione non fuerit usus, aliudque revelare intenderit ; ea tamen Deus juxta communissimam omnium uti potest ; ergo, non obstantibus rationibus fere similibus, Deus etiam mentiri poterit.

R. 1°. *C. Ant.* ex supposito, quod non intendatur, et sic quod *per se* non sequatur deceptio, sed permittatur ea tantum et sequatur *per accidens*. Locutio *æquivoca* vel *amphibologica* ea dicitur, quæ verbis constat plures sensus habentibus, ex quibus quandoque contingit, unum esse verum et a loquente intentum, alterum falsum et ab audiente acceptum : item unum obvium et frequentem, alterum rarius usurpatum et infrequentem, unde perinde hic nobis est, an sit æquivocatio *stricte* dicta, ubi scilicet verbum prolatum ex ipsa hominum institutione habeat duplicem significationem ; an autem sit æquivocatio *minus stricte* dicta seu amphibologia, cujus duplex significatio ex alio capite, nempe circumstantia loci, temporis, rei aut personæ accipitur, aut per tropos ac figuras etiam fit. Ex hac ipsa autem descriptione liquet, locutionem ejusmodi *de se* non esse mendacium, atque hinc ex isto capite nec hominibus semper prohibitam, nec Deo indecentem. Quæ porro conditiones requirantur, ut hominibus licitus sit æquivocationis aut amphibologiæ et restrictionis etiam *non pure* mentalis usus, hujus loci non est definire : nobis hic sufficiat, in Scriptura a Christo aliisque Sanctis usurpatas, ac per Patres plurimos, maxime S. August., ab omni vitio liberatas esse locutiones 1. hyperbolicas, juxta illud Genes. 22. : *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli et arenam, quæ est in littore maris*; 2. dissimulatorias veritatis, juxta illud Abrahæ dicentis, *Saram sororem suam*, et Samuelis : *Ad immolandum Domino veni*; 3. ambiguas, juxta illud Christi : *Solvite templum hoc* etc. *Lazarus amicus noster dormit*; 4. figuratas, juxta illud Jacobi : *Ego sum Esau* etc. ; mysticas, juxta illud Raphaelis : *Ego sum Azarias, magni Ananiæ filius*; 6. cum restrictione non pure mentali conjunctas, quales de Christo negante, *se ad diem festum ascendere*, ac *judicii horam scire*, supra explicavimus etc.

R. 2°. *N. supp. Antec.* Nam *primo* quidem, licet sinceritas obliget ad mentem clare aperiendam, si quis hanc alteri clare aperire aliunde teneatur; tamen locutio ambigua sinceritati non repugnat, ubi quis mentem clare aperire non tenetur, sed potius prudentem finem habet eam occultandi : qui quidem Deo negari nequit ad meritum fidei, Scripturarum studium, diversi sensus utilitatem præstandam; præsertim cum hujus rei admoneamur ab ipsa Scriptura. *Secundo* falsum est, fidei nostræ ex hoc aliquid firmitatis decedere. Non enim tenemur credere, nisi quæ Deus *clare* proponit, neque determinate credimus, nisi constet, ea determinate in sensu revelationis contineri : si quid vero circa fidei mysteria *dubii* sensus aut *obscuri* locutio habeat, tum sensus verus, tum certus haberi potest per Ecclesiam, utpote fidei regulam infallibilem ; unde formido locum habere nequit.

Inst. 4. Deus potest homini infundere, aut in eo per se causare errorem saltem speculativum ; ergo et potest hominem verbis decipere ac mentiri.

R. *N. A.* Tum quia sicut repugnat primæ veritati, infundere homini mendacium, sic etiam videtur repugnare ut infundat errorem; cum error non minus ac mendacium veritatem primam dedeceat : tum quia per se et scienter producens in alio errorem, *virtualiter* mentitur, cum virtualiter loquatur, licet ab audiente non advertatur loqui. Hinc sicut, dum in Scriptura dicitur Deus *excæcare* hominem, Patres constanter exponunt de permissione divina, et directam aut per se factam excæcationem Deo minime convenire posse statuunt; sic idem dicendum est de erroris productione, cum inter hanc et excæcationem plane nullum discrimen reperiatur.

196. *Obj. cont.* 2um. Actus formalis virtutum moralium potest versari circa falsam existimationem, ut patet in largitione eleemosynæ pauperi duntaxat putatitio factæ; ergo etiam actus fidei potest versari circa testimonium falso existimatum. *Conf.* Existimans revelatum esse quod beatitudo consistat in visione Dei oculis corporeis perficienda, circa hanc beatitudinem potest elicere spem theologicam et supernaturalem; ergo etiam fidem ejusmodi; cum spes theologica fidem divinam supponat.

R. *D. A.* Potest versari circa falsam existimationem, quæ tamen relinquat sufficientem motivi et objecti formalis proprii rationem et applicationem ad movendam potentiam *C.* quæ eam tollat *N. Primum* quandoque contingit in actibus virtutis ad voluntatem spectantis, *secundum* vero in fide; unde et *Disparitas* est, nam quamvis judicium *speculativum* de vera paupertate aut jejunii præcepto sit falsum, tamen judicium *practicum* prudentiæ verum est, quod dicit honestum esse, dare eleemosynam homini, qui probabiliter videtur pauper; cum itaque actus misericordiæ tanquam actus practicus et virtutis moralis nec veritatem suam desumat a conformitate sui cum ipsa re, sed cum recta ratione, nec pro objecto formali ac motivo habeat paupertatis existentiam, sed honestatem illam expositam; etiam supposito judicio speculativo falso, adest sufficiens motivi vis et applicatio ad movendam potentiam. Fides e contra est actus speculativus et intellectualis, adeoque veritatem suam ab objecto verificationis, seu a conformitate cum ipsa re desumit, et pro objecto formali habet veritatem primam revelantem; quæ si reipsa non adsit sed existimetur duntaxat, falsa existimatio hoc ipso tollit motivi vim et applicationem ad potentiam movendam.

Ad Conf. R. *N. A.* Quia spes theologica et supernaturalis non se extendit, nisi ad ea, quæ sub ipsius objectum formale cadunt; hæc autem ea una sunt, quæ vera fide theologica credimus a Deo esse promissa: unde sicut fide theologica ac supernaturali credi non possunt, nisi vere revelata; ita nec spe theologica et supernaturali possunt exspectari, nisi vere promissa.

Inst. 1. In casu, quo quis invincibiliter existimat Deum revelasse aliquid, quod in se est falsum, simulque judicat se ad id credendum obligari, simplex ejusmodi tenetur credere; ergo potest; quia ad impossibile nemo tenetur. *Conf.* 1. Voluntas credendi in hoc casu est *supernaturalis,* in eamque influit habitus piæ affectionis ad fidem infusam; ergo etiam assensus intellectualis, qui per illum imperatur, foret supernaturalis, et ab habitu fidei infuso procederet. *Conf.* 2. Rudis hic eliciendo actum fidei haberet meritum; ergo et actum fidei supernaturalem.

R. *D.* Simplex ejusmodi tenetur credere eo modo, quo potest *C.* aliter,

quam reipsa possit *N.* Quamvis itaque putet se teneri ad actum fidei verum et supernaturalem, tamen reipsa non tenetur nisi ad actum *naturalem* et *falsum*, quem etiam elicere potest. Talem autem ad falsum etiam obligationem indirectam et *per accidens* duntaxat invectam dari posse, constat ex Tr. de act. hum.

Ad Conf. 1am. Aliqui negant Deum in hoc casu ad credendi voluntatem concurrere, aut habitum piæ affectionis infusum hoc permittere, utpote cujus natura sit, esse instrumentum Spiritus sancti moventis voluntatem ad veros, minime autem falsos fidei actus imperandos; unde juxta eosdem homo illa ignorantia vel errore laborans tenebitur credendi voluntatem elicere, qualem reipsa potest, nimirum naturalem. Communius tamen *T. A. N. Cons. Disparitas* eadem est, quæ num. pr. de actibus virtutum moralium data est, ad quod genus etiam affectio pertinet. Quare, cum illa credendi voluntas immediate non reguletur per existimationem revelationis sive veram sive falsam, sed per judicium prudentiæ infusæ de æquitate et obligatione credendi, quod in præsenti casu practice applicatum, tametsi speculativum judicium falsum supponat, verum est; nullum inconveniens oritur, si voluntas credendi tum supernaturalis esse, tum ab infuso piæ affectionis habitu procedere dicatur; cum tamen e contrario, præter illa in probationibus allata, sequeretur actum falsum esse a Deo ut auctore et causa per se, nosque nunquam certos in fide nostra fieri posse, si revelatio pure existimata ad fidem supernaturalem sufficiat.

Ad Conf. 2am. R. *D. A.* Habet meritum ex ipso actu credendi *N.* meritum ex imperio voluntatis ortum, seu quatenus libere vult captivare intellectum in obsequium divinæ auctoritatis, quam quidem falso judicat esse locutam *C. A.* et *N. Cons.* quia ex dictis ipse assensus intellectualis non esset entitative supernaturalis, sed ad summum denominative, denominatione extrinseca aliquo modo desumpta a prædicta pia affectione.

Inst. 2. Poterant Judæi, ante Christi adventum, credere fide infusa, Christum esse venturum, et ille actus poterat perseverare post Christi adventum: sed post Christi adventum fuisset falsus; ergo actus falsus potest esse fidei supernaturalis. *Conf.* Si quis ex falsa revelationis propositione crederet, Filium et Spiritum sanctum esse incarnatum, haberet actum falsum simul et supernaturalem; ergo.

R. *N. m.* Nam actus ille semper respexisset idem tempus, in quo fuit primo elicitus, et comparative ad hoc tempus Christum futurum affirmavit. S. Thomas hic q. 1. a. 3. ait: *Dicendum, quod hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoque nasci: sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed ex conjectura humana: possibile est enim ex conjectura humana, hominem fidelem falsum aliquid æstimare: sed quod ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.*

Ad Conf. R. Si ejusmodi credens habet duos actus distinctos de memoratis objectis, alter est verus et supernaturalis, alter falsus et naturalis: si autem unico duntaxat actu indivisibili *copulative* objectum utrumque affirmat, is simpliciter falsus est, ideoque ex dictis minime supernaturalis.

ARTICULUS II.

AN ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS SIT CERTUS?

197. *Nota.* Veritas desumitur a conformitate actus cum objecto : *certitudo* autem ab infallibilitate proficiscitur, quæ excludendo formidinem reddit intellectum certum. *Formalis* est ineluctabilis et necessaria conformitas actus cum objecto, unde etiam certitudo *inhæsiva* seu inhæsionis, et infallibilitatis seu indefectibilitatis a vero dicitur. *Subjectiva* est imperturbabilis et immobilis alligatio vel adhæsio intellectus ad objectum, seu firmitas, qua intellectus objecto adhæret, excludendo omne dubium ac formidinem; unde etiam certitudo *adhæsiva* seu adhæsionis, firmitatis item ac indubitabilitatis vocatur. *Objectiva* est infallibilis sic se habentia objecti, stans in eo, vel quod objectum antecedenter et in seipso non possit aliter se habere, vel quod ratio objectiva assentiendi talis sit, ut ei non possit subesse falsum. De certitudine *formali* et *subjectiva* actus fidei, h. e. de infallibilitate et indubitabilitate, eaque tam absoluta et positiva quam respectiva et comparativa nobis duntaxat sermo est.

198. *Dico I.* Actus fidei supernaturalis est certus certitudine infallibilitatis ac indubitabilitatis.

Prob. 1ª. *p.* Quia Conc. Trid. Sess. 6. tum c. 9. tum can. 16. supponit infallibilem et absolutam certitudinem haberi per fidem, ubi dicit nullum scire posse certitudine fidei, cui nequeat subesse falsum, se gratiam Dei consecutum; et damnat dicentem se certo, absoluta et infallibili certitudine, habiturum donum perseverantiæ, nisi ex speciali revelatione id uterque didicerit.

Conf. Actus intrinsece connexus *metaphysice* cum objecto ita se habente, ut ipse enuntiat, est actus formaliter certus certitudine metaphysicæ infallibilitatis : sed actus fidei supernaturalis intrinsece ita est connexus ; tum propter tendentiam suam in objectum formale, quod, utpote auctoritas et revelatio divina, nec de potentia absoluta ad falsum credendum movere nos potest; tum propter supernaturale lumen fidei tam actuale quam habituale, quod similiter ad veritatem determinatum est; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Talis est actus fidei supernaturalis ex sua natura, qualem Act. 8. requisiverat ab Eunucho Philippus, cum diceret : *Si credis ex toto corde, licet.* Sed fides ex toto corde dicit actum formaliter certum certitudine indubitabilitatis; unde et Basil. serm. de Fide, n. 1. (opp. t. 2. p. 224. D.) inquit : *Fides est assensus non hæsitans de his, quæ audita sunt certitudine summæ veritatis;* ergo.

Conf. Actus fidei supernaturalis concipitur sub judicio evidenti de prudenti credibilitate, atque hinc de eo, quod imprudens sit omnis dubitatio vel formido in oppositum ; ergo ita concipitur, ut sit adhæsive certus, atque sua firmitate et adhæsione excludat tanquam imprudentem omnem dubitationem ac formidinem.

Conf. utr. p. Ex Scripturis. Nam Tob. 3. dicitur : *Pro certo habeat omnis, qui credit in te.* 2. ad Tim. 1. autem Apostolus inquit : *Scio cui credidi, et*

certus sum. Et Act. 2. *Certissime sciat domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Jesum.* Quæ omnia, cum certitudinem propriam significent, et *infallibilitatem* et *indubitabilitatem* demonstrant, quibus tanquam cardinibus aut partibus vera certitudo nititur et constat.

199. *Dico II.* Actus fidei supernaturalis aliquo vero sensu est utraque certitudine certior cognitionibus naturalibus certis.

Prob. I. Quoad excessum *infallibilitatis* : Lucæ 21. 33. Christus ait : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt;* quæ juxta Interpretes non sunt dicta duntaxat ad manifestandam verborum Dei indefectibilitatem a vero, sed et ad excessum in hoc genere supra certitudinem aliam omnem. 2. Petr. 1. 19. Apostolus prophetiam fidemque illi innixam, comparans cum certitudine ex physica scientia hausta, *Habemus,* inquit, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes.* 1. Joan. 5. 9. scribitur : *Si testimonium hominum accipitis, testimonium Dei majus est;* nempe fidem magis ob sui certitudinem meretur.

Prob. II. Quoad excessum *indubitabilitatis* ex iisdem testimoniis, et SS. Patribus : Chrys. hom. 21. in c. 11. n. 2. ad Hebr. *Atque rursus, si de iis quæ non cadunt sub aspectum non apertius fuerit cuipiam persuasum, quam de iis quæ videntur, non potest esse fides.* Aug. L. 7. Conf. c. 10. *Audivi sicut auditur in corde, et non erat prorsus unde dubitarem; faciliusque dubitarem vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea quæ facta sunt intellecta conspicitur.* Basil. in Ps. 115. n. 1. (in append. t. 1. p. 371. C.) *Fides supra rationales methodos animam ad assensum trahens;* et serm. de Fide, n. 1. *Fides est assensus non hæsitans de his, quæ audita sunt certitudine summæ veritatis;* Item ep. 43. (al. 38. n. 5.) : *Potior est fides quarumvis ratiocinationum complexione.*

Conf. 1. *utr. p.* Assensus fidei supernaturalis est actus virtutis theologicæ, cujus essentia est ferri in motivum suum super omnia sibi opposita; ergo imprimis est *adhæsive* certior, quia veritatem primam debet appretiare super omnia, cum quibus comparari potest : deinde etiam est *inhæsive* certior, quia, cum adhæsio illa non sit imprudens, sed vera etiam ac prudentissima, debet supponere certitudinem infallibilitatis majorem præ illis omnibus certis, præ quibus veritati primæ et objecto revelato adhæret.

Conf. 2. Ex damnatione Innocentii in prop. 19. lata, voluntas potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium : sed pondus rationum meretur assensum utraque certitudine certum; ergo assensus fidei potest magis esse utraque certitudine certus, sive certior.

200. *Obj. cont.* 1um. Actus fidei admittunt has reflexiones : forte fallor; forte revelatio non existit; ergo saltem non est simpliciter et absolute certus *adhæsive. Prob. Ant.* Admittit hæc judicia : tota apparentia credibilitatis, sub qua mihi proponitur hoc mysterium, metaphysice non connectitur cum existentia revelationis : *Item,* non est metaphysice impossibile, quod hoc objectum aliter se habeat : denique, forsan hic actus non est fidei supernaturalis; ergo.

R. *N. A.* Quia has reflexiones sive per ipsam fidei naturam sive per piam affectionem excludi a fidei assensu aperte constat ex dictis.

Ad prob. Quoad 1um. *N. m.* Equidem nec apparentia et certitudo credibilitatis respectiva, nec etiam quatenus nobis innotescit, *metaphysice connectitur* cum existentia revelationis : licet illa connexio reipsa concedenda sit credibilitati perfectæ et absolutæ; sicut tamen hoc judicium : tota apparentia credibilitatis, sub qua mihi proponitur Ciceronem extitisse, non connectitur metaphysice cum existentia Ciceronis; sicut, inquam, hoc judicium non facit locum huic reflexioni : forsan Cicero non extitit : sic multo minus id fit in fide; quia judicium credibilitatis certo suadet, prudenter posse ac debere credi mysteria toto corde et sine ulla hæsitatione; adeoque ejusmodi reflexiones cedere oportet.

Quoad 2um. *N. M.* Ratio cur hoc judicium : non est *metaphysice impossibile,* quod hoc objectum aliter se habeat; non componatur cum fide, hæc est; quia actus fidei habet certitudinem metaphysicæ infallibilitatis, adeoque per actum fidei exercite judicatur metaphysice impossibilis alia habentia objecti.

Quoad 3um. *D. M.* Admittit hoc judicium : forte hic actus non est fidei supernaturalis, quantum ad entitatem actus aut principium, a quo elicitur *C.* quantum ad motivum *N.* Sensus distinctionis hic est : Certi non sumus, quod hic assensus, quem hic et nunc præbemus mysterio revelato, sit revera *supernaturalis,* adeoque de hoc formidare possumus, sicut de supernaturalitate aliorum actuum omnium; eo quod supernaturalitas non subjaceat experimento : stante tamen actu fidei, non possumus formidare an hic actus, quantum ex parte motivi, sit actus fidei; quia hoc esset formidare de existentia revelationis, quod fieri non potest: cum actus fidei revelationem etiam attingat intrinsece *ut quod* et firmissime credat, adeoque exercite dicat metaphysice impossibile esse, quod objectum deficiat.

Inst. 1. Fides assentitur tantum mysterio assensu super omnia certo, *sub conditione* quod Deus sit locutus; sicut etiam hæretici omne credunt esse verum, si Deus illud dixit. *Item*, si *probabilis* tantum notitia revelationis præcederet, intellectus non posset prudenter affirmare esse moraliter impossibile, quod objectum aliter se habeat; ergo pariter, præcedente tantum notitia moraliter certa, prudenter nequit affirmare esse metaphysice impossibile, quod objectum se aliter habeat.

R. *N. A. Ad* 1um. R. Ejusmodi actus in hæretico est fides duntaxat de Dei veracitate, vel potius animi præparatio aut propensio ad fidem eliciendam, si quid a Deo revelatum proponatur.

Ad 2um. R. *Disparitas* est, quia prudens formido exercite vel signate importata in notitia *probabili,* ne quidem exercite potest prudenter rejici, dummodo maneat et appareat prudens : at in ipsa notitia *moraliter certa* jam apparet imprudens formido, adeoque prudenter rejici potest; et sic evidenter apparere prudens credibilitas actu firmissimo. Quare enim supponens ut certam divinam auctoritatem revelantem potest, exercite affimare, esse omnino impossibile, v. g. *Verbum non esse incarnatum;* quatenus assensus sine formidine nitens divinæ auctoritati est exercita certitudo et infallibilitas talis objecti.

Inst. 2. Assensus fidei solum extrinsece et ratione imperii voluntatis excludit

formidinem de opposito; ergo dici nequit simpliciter adhæsive certus. *Ant.* patet; tum quia solum opponitur cum formidine deliberata, quod signum est, hanc oppositionem provenire a voluntatis imperio: tum quia hoc indicare videtur D. Th. q. 14. de ver. a. 1. ubi intellectum per fidem captivatum dicit teneri *terminis alienis, non propriis. Cons.* similiter liquet; quia per adhæsivam certitudinem simpliciter talem intelligitur firmitas ipsius actus et intrinseca.

R. 1°. *N. A.* Firmitas enim fidei partim est extrinseca, partim intrinseca seu fidei ex seipsa etiam et non tantum a voluntatis imperio conveniens, ut ex prop. 19. damnat. liquet. *Ratio*: tum quia sicut adhæsio affectiva actibus voluntatis efficacibus, et evidentia actui evidenti intellectus est intrinseca; sic etiam judicio certo, quale est fides, adhæsio intentionalis ad suum objectum debet esse intrinseca, ita ut ex suo modo tendendi physice repugnet cum omni formidine etiam imprudente ac indeliberata circa articulum, quem credit: tum quia fides est intellectualis appretiatio super omnia, sicut actus charitatis est affectiva appretiatio ejusmodi; atque hinc non minus quam ista per se ac ratione sui, adeoque intrinsece etiam firmitatem dicit, excluditque formidinem.

Ad prob. 1am. *N. Ass.* Firmitas fidei, quæ a voluntatis imperio oritur, non impedit, quominus ipse actus fidei ex suo modo tendendi componi nequeat cum formidine circa suum objectum sive deliberata et prudenti sive indeliberata et imprudenti. Hinc formido indeliberata apud pios et deliberata apud improbos, aliique motus de contrario insurgunt duntaxat in credente, quando actus fidei, mora licet imperceptibili, præteriit aut necdum est: si tamen aliquando coexistat, vel formidinis actus non est *judicativus* sed pure apprehensivus, vel potius non est in intellectu sed in *phantasia*.

Ad prob. 2am. R. S. Thomam his verbis indicare voluisse, firmam intellectus adhæsionem, quanta in fide est, haberi *mediante* imperio voluntatis; non autem, formaliter adæquate consistere in voluntatis imperio.

R. 2°. *T. A. N. Cons.* Loquimur de adhæsione *prudenti* seu regulata a dictamine prudentiæ, quod dicit posse ac debere affirmari actu firmissimo; adeoque si probatio allata tenet, hoc ipso voluntas imperat actum etiam *intrinsece* certum. Præterea vero, nisi τὸ *simpliciter* sumatur pro omnimode ac ex omni parte, falsum est, certitudinem simpliciter adhæsivam includere utramque; cum sive intrinseca sive extrinseca certitudo sit, recte dicatur certitudo adhæsiva simpliciter talis.

201. *Obj. cont.* 2um. S. Aug. L. 15. de Trin. ait: *Per scientiam roboratur fides.* D. Th. hic q. 4. a. 8. dicit, virtutes intellectuales, sapientiam, nempe scientiam et intellectum esse *certiores* ex parte subjecti *præ fide.* Hugo a S. Victore: *Fides,* inquit absolute, *est certitudo supra opinionem, et infra scientiam*; ergo fides non est *certior* cognitionibus naturalibus. *Conf.* Actus scientiæ includit potentiam antecedentem formidandi, et consequentem etiam recessum a se impedit; ergo major est certitudo scientiæ, quam fidei, quæ nec ante, nec post assensum excludit omnem formidinem, et quia sæpe est de objecto contingente, mutari potest.

R. *N. A. prob. D.* Fides roboratur *extrinsece* per scientiam, quatenus per hanc penetrantur mysteria, et est infra scientiam seu minus certa quoad

nos et nostram innotescentiam *C.* roboratur *intrinsece,* et quoad se minus certa est aut infra scientiam *N.* Distinctionem hanc insinuat S. Thomas l. c. comparans fidei certitudinem cum memoratis virtutibus intellectualibus, ac ita disserens : *Certitudo dupliciter considerari potest. Uno modo ex causa certitudinis : et sic certius dicitur illud, quod habet certiorem causam. Hoc modo fides est certior tribus prædictis; quia fides innititur veritati divinæ : tria autem prædicta nituntur rationi humanæ. Alio modo potest considerari certitudo ex parte subjecti : et sic certius dicitur, quod plenius consequitur intellectus hominis. Et per hunc modum, quia ea, quæ sunt fidei, sunt supra intellectum hominis, non autem ea, quæ subsunt tribus prædictis : ideo ex hac parte fides est minus certa. Sed quia unumquodque judicatur simpliciter quidem secundum causam suam; secundum autem dispositionem, quæ ex parte subjecti est, secundum quid : inde est, quod fides est simpliciter certior, sed alia sunt certiora secundum quid.*

Ad Conf. R. Hoc unice evinci, quod assensus scientiæ sit necessarius, et tam in actu primo excludat formidinem, quam post actum secundum; fides autem sit libera, ac formidinem tantum removeat, dum existit et in actu secundo : minime vero sequitur adhæsivam certitudinem fidei esse minorem ac scientiæ. Nam quod actus *primus* excludat, vel permittat formidandi potentiam, ab actibus præviis potius quam ab ipsa scientia aut fide habetur; deinde certitudinem *adhæsivam* pensandam non esse ab eo, quod potest accidere post assensum, patet in amore Dei super omnia, qui, quantumvis sit adhæsionis summæ, relinqui postmodum ab homine, tanquam actus liber, potest, licet non ita facile a complacentia simplici, utpote necessaria, recedatur. Denique observandum, quod quamvis objectum fidei, si est contingens, *absolute* et *per se* loquendo possit se aliter habere, tamen id nequeat ex supposito factæ revelationis divinæ, in quo fundatur actus fidei, ac consequenter exercite judicat objectum jam aliter se habere non posse.

Quæres : *In quonam stet excessus certitudinis fidei supra alias cognitiones naturales certas?*

202. R. I. Excessus certitudinis quoad infallibilitatem actus fidei supernaturalis supra cognitiones naturales *moraliter* vel *physice* certas est formalis, et stat in eo quod actus fidei sit metaphysice infallibilis.

Prob. Infallibilitas metaphysica *intensive* excedit infallibilitatem moralem et physicam : sed metaphysica infallibilitas convenit actui fidei supernaturalis; ergo excessus infallibilitatis fidei supra infallibilitatem actuum moraliter aut physice certorum est *formalis et intensivus,* statque in metaphysica a vero indefectibilitate.

203. R. II. Excessus certitudinis quoad infallibilitatem fidei supernaturalis supra cognitiones *metaphysice* certas est tantum *radicalis,* stans in eo quod actus fidei ex sua intrinseca perfectione et ex pluribus principiis sit infallibilis.

Prob. 1°. Ille excessus infallibilitatis in actu fidei intensivus et formalis præ cognitione naturali *metaphysice* evidenti haberetur, vel ex eo quod plura vel nobiliora sint principia, a quibus fides suam infallibilitatem sor-

titur, vel ex eo quod magis repugnet actum fidei esse fallibilem; ex neutro capite actui fidei vindicari potest *formaliter et intensive* major infallibilitas : nam imprimis plura et nobiliora principia faciunt quidem infallibilitatem respicere plures titulos aut esse altioris ordinis, non autem formaliter ac intrinsece majorem : deinde vero ex supposito illo impossibili, quo actus fidei ejusque principia adhuc exigerent, non esse falsa, dum actus naturalis metaphysice certus posset falli, eruitur duntaxat *materialiter* non autem *formaliter* major infallibilitas; ergo.

Prob. 2°. Certitudo actus naturalis metaphysice infallibilis provenit duntaxat ab eo, quod objectum hujus actus se aliter habere non possit : certitudo autem actus fidei inde profluit, quod ipse essentialiter exigat objectum ita se habere ut enuntiat, quantumvis ex se contingens sit; tum quia pro objecto formali habet auctoritatem Dei revelantis, quæ metaphysice connexa est cum veritate objecti : tum quia est actus habitus fidei essentialiter determinati ad actus veros : tum quia, ex participatione superna luminis actualis, est intrinsece supernaturalis, cui repugnat falsitas : sed hæc infallibilitas est *radicaliter* major, statque in eo quod actus fidei ex intrinseca perfectione sit infallibilis; ergo.

Conf. Tenet hæc argumentatio : Assensus fidei divinæ sic enuntiat; ergo res ita se habet; non autem tenet similis argumentatio in actibus naturalibus metaphysice evidentibus : si enim per impossibile eorum objectum non esset necessarium, sed contingens, et aliter se habere posset, ac naturalis actus metaphysice infallibilis enuntiat, hic non foret metaphysice infallibilis : unde ex hoc præcise, quod hic actus ita enuntiet, nulla habita ratione ad objecti necessitatem, non infertur *formaliter*, quod objectum sic se habeat; ergo cum hujusmodi actus aliunde sint metaphysice infallibiles, neque in hoc prædicato suscipiatur majus aut minus, superantur ab actu fidei in illa intrinseca perfectione.

204. R. III. Assensus fidei quoad certitudinem *adhæsivam* excedit excessu appretiationis intellectualis omnes assensus naturales, *dependentes a voluntate,* si non sint ne quidem *putatitie* assensus fidei divinæ.

Prob. 1ª. *p.* Assensus naturales a voluntate dependentes vel sunt actus opinativi, vel assensus moraliter aut etiam physice certi : sed hos omnes excedit certitudine adhæsiva assensus fidei; tum quia actus *opinativi* formidinem prudentem non excludunt : tum quia in actibus etiam *physice* certis potest adesse ratio formidandi nonnunquam de sensuum illusione, vel de eo quod miraculum intervenerit; ergo.

Conf. Assensus ille est altero *adhæsive appretiative* certior, quorum alteruter si relinquendus foret, hic retineretur, altero negato et relicto : sed si vel assensus fidei vel naturalis alius a voluntate dependens foret relinquendus, recedendum esset ab assensu tali naturali, non vero ab assensu fidei; ut jam a fideli fit in actu fidei de præsentia Christi in Eucharistia, et fieri debet, ne committatur gravis irreverentia in auctoritatem divinam; ergo assensus fidei est *adhæsive appretiative* certior, quam assensus alius naturalis a voluntate dependens.

Prob. 2ª. *p.* Non datur discerniculum ullum in fideli articulum verum credente; et voluntas æque indubitabiliter imperat actum fidei existima-

tum ac verum, ut patet tum experientia in Hæreticorum *materialiter* talium adhæsione, tum ratione ejusdem objecti formalis saltem invincibiliter existimati; ergo certitudo adhæsiva fidei veræ non superat certitudinem adhæsivam assensus fidei divinæ tantum putatitiæ.

205. R. IV. Assensus fidei quoad certitudinem *adhæsivam* non excedit assensus naturales metaphysice certos seu evidentes, et a voluntate independentes; quin excessus appretiationis in fide supra hos assensus et impossibilis est, nec ad certitudinem fidei necessarius aut utilis.

Prob. 1ª. *p.* In vero metaphysice evidenti, tanquam in suo centro perfecte possesso, immobiliter, ac omnino indubitabiliter pondere naturalis sui appetitus sistit et quiescit intellectus; ergo nequit adhæsio firmior in alio quocumque actu a voluntate imperari; tum quia nulla ratio dicendi est, quod imperium voluntatis hoc in negotio plus possit, quam evidentia: tum quia intellectus magis adhærere nequit, quam excludendo titubationem omnem ac formidinem, et modo quidem appetitum suum propric adæquateque satiante; id quod per evidentiam præstatur.

Prob. 2ª. *p.* Excessus appretiativus adhæsivæ certitudinis in fide non est possibilis respective ad et supra assensus, v. g. *Quidlibet est, vel non est; Totum est majus sua parte* etc.; si credens non possit esse paratus ad hos assensus negandos, quando repugnare viderentur rei revelatæ: sed credens sic nequit esse paratus; tum quia non potest esse paratus negare, quod negare non est in ejus potestate: tum quia impossibile est, quod res proponatur ut fide credibilis, si in contrarium obstet certitudo metaphysica seu evidentia; ergo.

Prob. 3ª. *p.* Si excessus appretiationis in fide supra assensus metaphysice certos esset necessarius aut utilis, ergo per hoc, quod hac ratione intelligeretur ejus certitudo *supra omnia*: atqui ad hoc obtinendum vel intelligendum non requiritur aut confert ille excessus; tum quia certitudo debet tantum esse supra omnia sibi absolute opposita, non autem supra omnia, quæ tantum *sub hypothesi impossibili* conditionate opponuntur, eo quod hæc chimerica sibi vix ullus proponat, nec ullus proponere aut comparare teneatur: tum quia ad amorem Dei super omnia habendum non requiritur voluntas, qua dicam v. g. Odio prosequerer Deum si hoc ipsi placeret etc.; ergo.

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS SIT OBSCURUS?

206. *Nota.* Fidem aliquam ratione obscuram esse, unanimis fert Catholicorum sententia contra Hæreticos tum antiquiores, tum recentiores; atque hæc quidem obscuritas vocatur *præcisiva* seu *permissiva*, quatenus nullum fidei prædicatum ex natura sua evidentiam aliquam aut ex parte objecti materialis, aut ex parte rationis humanæ exigit. Præter hanc quidam non aliam videntur admittere fidei obscuritatem, quam *respectivam;* eo quod fides ex parte motivi sui proprii per se requirat aut habeat evidentiam, adeoque absolute, simpliciter ac positive clara sit, et nequeat dici obscura, nisi

comparative et *respective*, quatenus non est tam clara, quam evidentia physica aut metaphysica. Alii tamen communiter assensum fidei divinæ ex natura sua et *positive* obscurum statuunt, voluntque eum per se esse actum inevidentem, qui exigat habere defectum seu negationem evidentiæ, sive ratione motivi proprii et objecti formalis, sive ratione objecti materialis. Loquuntur autem omnes de fide *theologice* sumpta, qualis a nobis habetur in via, et elicitur ab habitu supernaturali proprio, de quo ex Scriptura, Conciliis et Patribus notitiam habemus.

207. *Dico.* Assensus fidei divinæ supernaturalis ex natura sua et *positive* est obscurus.

Prob. Apostolus ad Hebr. 11. 1. *Est autem*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* In quem locum S. Chrys. sic commentatur : *Si fides est argumentum non apparentium, quid est, quod ea vultis videre, ut a fide excidatis?* Greg. M. autem hom. 26. in Evang. n. 8. *Profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt : quæ etenim apparent jam non habent fidem, sed agnitionem.* 1. Ad Cor. 13. 12. *Videmus*, ait, *nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem* : ubi *videmus* idem est ac *cognoscimus*, prout S. Thomas ad hunc locum notat : adeoque fides ænigmatica tantum, h. e. obscura cognitio esse convincitur. Denique 2. Pet. 1. 19. fides appellatur *Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat etc.*; quod Auctor L. de Mystica Theol. c. 1. sic explicat : *Nonnisi per sacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec possunt nec debent divina contemplari mysteria.* Accedunt tum illud Christi dictum : *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*; tum illud S. Thomæ Apostoli factum, quo *aliud vidit, aliud credidit*; tum plura testimonia Patrum : quale illud S. Athan. L. 2. cont. Apollinar. de salut. adventu Christi n. 11. *Neque enim fides evidenter apparens fides dici potuerit; verum fides est quæ quod impossibile est* (apparenter nempe aut negative) *in potentia..... esse credit.* Et illa S. Augustini quæstio Tr. 40. in Joan. n. 9. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Nec minus assertio ejusdem Serm. 1. de Trin. de temp. 189. (al. in append. 232. n. 2.) : *Fidelis factus sum, credo quod nescio* etc. Unde S. Thomas q. 14. de Verit. a. 3. ad 6. respondet, veritatem primam non esse objectum proprium fidei, nisi sub hac ratione, prout est non apparens.

Conf. 1. Quamvis objectum fidei sit evidenter credibile, tamen non est evidenter verum; ergo et actus ipse fidei nequit esse evidens.

Conf. 2. Fides nostra est libera, honesta ac meritoria; ergo requirit imperium voluntatis : sed si fidei actus ne absolute ac simpliciter quidem obscurus foret, hæc illi non competerent; nam juxta S. Aug. Tr. 89. in Joan. n. 1. *Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur*; et juxta S. Greg. M. hom. 26. n. 1. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; et ex *ratione* liquet, nec libertatem, nec voluntatis imperium locum habere, ubi evidentia obtinet ac necessitatem assensui imponit; ergo.

Conf. 3. Si actui fidei posset convenire evidentia, nulla foret ratio, cur habitus fidei infusæ non remaneret in Beatis; nam et in Beatis sunt judicia intuitiva auctoritatis divinæ et revelationum circa objecta, quæ nos credimus, et olim ipsi crediderunt, donec erant in via; per quæ judicia ex natura

rei nequeunt non assentiri objectis revelatis propter illud motivum: sed in communissima omnium sententia habitus fidei infusæ non remanet in Beatis; ergo.

208. *Obj.* Obscuritas fidei est solum respectiva, ea, scilicet, quæ comparata *divino lumini, tenebra est;* ut S. Th. hic q. 5. a. 1. ad 2. docet, et ipsi textus Scripturæ enuntiant. Nam 1°. ad Hebr. ἔλεγχος seu *argumentum* rerum non apparentium significat demonstrationem et convictionem, adeoque evidentiam. 2°. Visio *per speculum* designat visionem claram, cum speculum non rei imaginem, ut vulgus putat, sed rem ipsam oculis exhibeat. 3°. *Lucerna* ex eo quod in caliginoso loco luceat', non potest dici *positive* obscura, cum Christus, qui Joan. 1. dicitur Lux, quæ in tenebris lucet, a S. Hilario L. 2. de Trin., nihilominus vocetur lux splendidissima, quam multæ tenebræ non possint vincere.

R. *N. Ass.* Hanc sane obscuritatis acceptionem nec Scripturæ, nec Patrum præsertim phrasis innuere videtur, cum alias speciale quid et ignotum nos minime doceret, et scientiam etiam naturalem obscuram faceret. Quare cum S. Thom. ibid. q. 1. a. 4. et 5. clarissime negat fidei claritatem demonstrationis et scientiæ, illius obscuritatem tantum *respectivam* ad divinum lumen hic non asserit; sed ostendere intendit, illam obscuritatem non esse peccati pœnam, eo quod ratione limitationis creatæ hæc ipsa etiam ante peccatum fuerit in homine et angelo.

Ad prob. 1am. R. *D.* Fides, ut argumentum rerum non apparentium, significat demonstrationem et convictionem, si consideretur secundum judicia prævia et credibilitatem *C.* si secundum se spectetur et ipsum assensum mysteriis præstitum *subd.* significat demonstrationem et convictionem, attendendo præcise effectum, nempe certitudinem infallibilitatis ac firmitatis *C.* attendendo modum, nempe claritatem ac evidentiam *N.* Sicut, dum ibidem fides dicitur ὑπόστασις, seu subsistentia et existentia, vel fundamentum rerum sperandarum, non facit res ipsas vere ac reipsa existere, sed id tantum præstat, ut futura tam certo ac firmiter credamus, ac si jam subsisterent, eaque coram haberemus; sic etiam, dum vocatur ἔλεγχος seu demonstratio, non facit ea, quæ non apparent, evidentia et clara, sed præstat, ut nihilo magis de futuris atque a sensu remotis mysteriis obscurissimis dubitemus, quam si oculis conspecta vel ratione a nobis comprehensa forent.

Ad prob. 2am. R. *D.* Visio per speculum qualiscumque est clara *T.* quia quamvis speculum rem ipsam oculis exhibet, id tamen non præstat per radium directum, sed reflexum, ideoque non proprie, clare, distincte, sed quasi procul, obscure et confuse rem repræsentat. Visio per speculum in ænigmate, h. e. obscura (quia ænigma est quæstio cum involucris verborum proposita) est clara *N.* Ἐσόπτρον, quod Vulgata vertit *speculum,* juxta alios significat inspectorium, seu medium alicujus rei videndæ.

Ad prob. 3am. R. Ex eo quod *lux* omnis certo sensu et comparative ad alia possit dici clara, non sequitur eam positive obscuram non esse; cum *lux* dubia, maligna et interfusa tenebris communi ac propria usurpatione etiam obscura vocari soleat. Quamvis itaque secundum phrasin Hilarii Christus aut fides splendidissima *lux* dicatur, eo quod a tenebris extingui omnino nequeat; tamen tum ex notione *lucernæ,* quæ lucem rectam sonat, tum ex

adjuncto loci caliginosi, qui lucis radios tenebris suis intercipit, atque hinc ejus vim debilitat, fides nec clara nec evidens, sed obscura ac inevidens proprie ab Apostolo compellatur.

Inst 1. Fides in Scriptura appellatur scientia, et claritas : *primum* patet tum ex verbis Samaritanorum : *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est Salvator*. Et ex 1. Joan. 1. asseveratione : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ... et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam* : tum ex epist. ad Ephes. 3., ubi dicuntur fideles *scire supereminentem charitatem Christi* ; et iterum ex 1. Joan. 3. *scire, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus. Secundum* liquet ex 2. ad Cor. 3., ubi transitum a fide ad visionem beatificam intelligens Apostolus, *Nos vero omnes*, inquit, *revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem* ; et c. 4. loquens de fide Christi, quam v. 4. dixerat *illuminationem Evangelii*, v. 6. sic prosequitur : *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei* ; ergo obscura dici nequit.

R. *D*. Fides in Scriptura vocatur scientia et claritas in sensu proprio et positivo *N*. minus proprio et tantum comparativo *C*. *Scientiæ* nomen a sacris æque ac profanis Scriptoribus non raro usurpatur pro notitia et cognitione rei qualicumque, etiam incerta et inevidenti : *Fides* vero nomine scientiæ vestita in Scriptura nonnunquam sumitur pro objecto fidei, vel pro notitia ex fide orta, vel etiam pro conscientia de fide, ut S. Aug. L. 13. de Trin. c. 1. adnotat. Ad *primam* acceptionem pertinent verba *Samaritanorum*, ubi scientia usurpatur pro fide, quin tamen inde claritas cognitionis probetur, sicut dum 1. ad Cor. 8. dicitur : *Sive scientia destruetur*, intellecta per illam fides, solum dicitur γνῶσις, id est, cognitio, et quidem, teste Chrys., Theod., Theoph., imperfecta, obscura et ænigmatica : ad *secundam* spectat locus Joannis, de humanitate Christi a se sensibus externis percepta loquentis, quæ fidei annuntiatæ objectum erat : ad *tertiam* denique reducuntur reliqui textus, utpote de notitia ex fidei principiis hausta intelligendi, quæ scientia ob certitudinem quidem, non autem ob *evidentiam*, appellatur ad morem omnis conclusionis theologicæ. Similiter *claritas*, quam quidam Interpretes locis cit. de fide exponunt, positiva et propria non est, sed imperfecta et impropria, ac *comparativa* duntaxat vel ad Legem Veterem, ubi plurima fidei mysteria sub symbolorum ac figurarum velamine proponebantur involuta, cum nobis ea explicite ac distincte sint exposita, et plurimis signis evidenter credibilia facta; vel ad tenebras ignorantiæ et erroris, quibus collata cognitio omnis, præsertim vera ac certa, lumen ac illuminatio vocatur : atque geminæ huic expositioni geminus textus allatus e diametro correspondet.

Inst. 2. Actus, cujus objectum est tale, ut dicatur demonstratum, ut nullus, nisi insanus, negare possit, ut de eo aliquantulum dubitare sit præcipitis arrogantiæ aut summæ dementiæ, *positive* obscurus dici nequit, sed clarus. Sed objectum fidei tale est, ut secundum priores conditiones asserit S. Chrysost. in orat. contra Gent., quam *Demonstrationem quod Christus sit Deus*, inscripsit; quoad postremam autem docet S. Aug. L. de util. cred. c. 12., et Richard. a S. Victore L. 1. de Trin. c. 2. ; ergo.

R. *D. M*. Actus ille nequit dici positive obscurus, cujus objectum, quate-

nus prudenter credibile, est tale, ut dicatur demonstratum etc. *N.* cujus objectum, quatenus verum, est tale etc. *C.* Jam vero mysteria fidei non sunt evidenter vera, sed evidenter duntaxat credibilia. Præterea nullum ab Adversariis fit discrimen inter evidentiam et certitudinem, quod tamen faciendum. Denique quamvis consequenter ad assensum fidei firmissimum libere elicitum debeat esse certum omnimode ac indubitatum, et revelationem existere et mysterium ita se habere, ut actus enuntiat; antecedenter tamen ad fidei assensum et ex vi præcise signorum ac motivorum de existentia revelationis, talis certitudo summa non habetur, nec nisi dubium et formido prudens excluditur.

209. *Observa.* Ex dictis colligitur, actui fidei theologicæ connaturalem esse modum tendendi in objectum obscurum. Obscuritas tamen objectiva in ordine ad eam fidem non habet se ut *ratio formalis motiva*; cum ea, sicut incertitudo aut fallibilitas in motivo probabili, nec persuadeat, nec alliciat aut moveat ad assensum, sed potius retardet: adeoque est *conditio* duntaxat necessario requisita, ut fidei actus liber sit ac meritorius. Quamvis itaque dari possit, quod evidentia veritatis sit objectum formale partiale *scientiæ*, eo quod illa inadæquata sit causa et ratio assensus, id tamen ex opposita ratione negatur de *obscuritate*.

Quæres I. *An obscuritas actus fidei compatiatur evidentiam perfectam in attestante?*

210. R. Non compatitur; seu actus fidei theologicæ supernaturalis ex natura sua sic est obscurus, ut nequeat esse ex *evidentia* objecti sui *formalis*, vel niti revelatione et auctoritate divina, et utriusque connexione cum veritate objecti *evidenter* cognitis.

Prob. Assensus fidei infusæ dicit aliquam obscuritatem ita ut in credendo nequeat esse evidens: sed assensus ex evidentia objecti formalis, nimirum divinæ auctoritatis ac revelationis, unice profluens, seu illi innixus soli, non est obscurus, sed evidens; ergo. *Min. prob.* Veritas innixa præmissis evidentibus ac bonitati illationis evidenti non obscura est, sed evidens; quia præter *immediatam* evidentiam objecti in seipso ab omnibus admittitur *mediata*, per quam intellectus videt objectum in præmissis, et in istarum connexione cum objecto. Sed veritas, cui assentimur ex evidentia auctoritatis et revelationis divinæ, est veritas innixa præmissis evidentibus et bonitati illationis pariter evidenti, quia nititur his præmissis: *Quidquid Deus revelat, verum est; sed Deus hoc revelat*; quæ præmissæ sunt evidentes, ut supponitur, earumque connexio cum veritate est pariter evidens, semel penetratis terminis; adeoque veritas, quæ est conclusio objectiva, innititur præmissis et bonitati illationis evidentibus; ergo non est obscura, sed evidens.

Si ais. Plures de facto habuerunt fidem ex evidentia objecti formalis: Nam 1°. in angelis viatoribus, teste S. Thoma hic q. 5. a. 1., erat fides: sed in iis ac præsertim in angelo supremo erat evidentia attestantis; quia hic evidenter cognoscebat, se non illuminari ab alia creatura, sed a Deo; ergo. 2°. Lumen propheticum juxta S. Th. est evidens, ideoque Prophetæ dice-

bantur *Videntes* : et tamen eorum fides inde orta similis erat nostræ; tum quia laudata præcipue c. 11. ad Hebræos : tum quia illis von videtur meritum fidei negandum, quod aliis datur. 3°. B. Virgo et Apostoli habebant fidem; et tamen ex miraculis, quæ in ipsis et per ipsos fiebant, cognoscebant evidenter, illas veritates esse divinas; ut iterum S. Th. pluribus in locis affirmat. 4°. S. Paulus post raptum ad tertium cœlum habuit probabilissime fidem eorum, quæ vidit et audivit; hanc autem aliunde non habuit, quam ex evidentia in attestante; quia evidenter recordabatur eorum quæ viderat et audierat; ergo. 5°. D. Thomas Apostolus viso Christo, et hinc ex evidentia, credidit, dicente ipso Domino : *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

R. *N. A. Ad prob* 1am. R. 1°. *N. M.* Probabile enim est, ut Durand., Alens., Bonav. aliique docent, angelos non habuisse fidem obscuram et liberam, sed cognitionem fide altiorem, vel, si ita loqui libet, fidem necessariam et evidentem; quorum aliqui idem docent de primo Parente, necessitatem fidei reducentes ad statum naturæ lapsæ. Sub hac vero ratione intelligi potest Doctor Angelicus, et stare etiam potest libertas merendi per actum ab ejusmodi fide regulatum ; propterea quod cognitio evidens præsupposita ad omnem actum voluntatis non ideo voluntatem necessitet, quia ipsa est *subjective* necessaria; sed quia *objective* non est indifferens, h. e. objectum non repræsentat indifferenter, sed sub pura ratione boni amabilis, vel mali odibilis.

R. 2°. *N. m.* Cum enim angelus supremus sit talis duntaxat inter angelos actu existentes, non autem possibiles, poterat idem, saltem imprudenter, suspicari a Deo sibi ob altissimos fines occultari aliam creaturam se superiorem; adeoque non habebat evidentiam illuminationis vel revelationis a Deo sibi immediate factæ.

Ad prob. 2am. R. *D.* 1am. *p.* Lumen propheticum est evidens quantum ad manifestationem signorum , quæ videntur et audiuntur *C.* quantum ad manifestationem tum locutionis divinæ tum sensus prophetiæ *N.* Evidentiam de ipsa existentia locutionis divinæ non fuisse necessariam Prophetis, sed satis fuisse evidentiam credibilitatis, conficitur tum ex fide nostra, tum ex obligatione ad fidem illis habendam, quæ evidenter credibilia sunt : non enim tam ex evidentia veritatis, quam ex cognitione occultorum ac futurorum Prophetæ dicebantur Videntes, juxta illud Christi de Abrahamo Joan. 8. *Exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Præterea vero Prophetas non cognovisse semper, quæ prophetarunt, docet S. Th. hic q. 173. a. 4., et expertus est Dan. 12. 8. et 9. Propheta, qui dixit : *Et ego audivi; et non intellexi* ; ac ad quæstionem suam responsum accepit : *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones usque ad præfinitum tempus.*

Ad 2am. *p.* R. *N. supp.* Quod eorum fides orta sit ex evidentia locutionis divinæ ac veritatis revelatæ; quia alias ut necessaria laudari non potuisset, nec similis nostræ foret.

Ad prob. 3am. *N.* 2am. *p.* Ratio est 1°. quia cum laudetur duntaxat actus liber, B. Virginis autem et Petri fides commendetur his verbis : *Beata, quæ credidisti* : *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit* etc., non poterat illa fides ex evidentia profluere, adeoque necessaria esse, quæ tanta laude non foret digna : 2°. quia miracula etiam visa non faciunt evidentiam veritatis, in cujus confirmationem fiunt, ut dictum est supra. Porro

quomodo et B. Virgo et ipsi etiam patratores miraculorum Apostoli dubitare prudenter saltem potuerint, explicat hic Disp. 2. Card. de Lugo : quin nec fidem necessario inde ortam fuisse ostendit Judæ proditoris factum, qui fidem de Christi divinitate scelestissime abjecit, licet in ejus confirmationem ipse miracula sit operatus. Hinc D. Thomæ assertiones intelligi possunt vel de evidentia credibilitatis, vel de alia quapiam minus proprie ac stricte sumpta veritatis.

Ad prob. 4am. R. *T. M.;* quia, supposita veritate minoris, vel concedenda tantum est scientia eorum, quæ viderat, vel alia propositio obscura adjungenda, unde fides de eodem objecto etiam per scientiam cognito haberetur. *N. min.* Fundamentum negandi, ortam esse ex evidentia memoriam rerum visarum et auditarum et assensum, præbet ipse Apostolus, dum de alio adjuncto inevidentiam fatetur, 2. ad Cor. 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi ad tertium cœlum;* et simul etiam addit, se audivisse *arcana verba :* ex quibus plures statuunt, Apostolo nec olim accidisse visionem intuitivam, sed abstractivam et ænigmaticam.

Ad prob. 5am. R. Præterquam quod, teste S. Greg. M., Thomas dici possit aliud vidisse, aliud credidisse, aut pro fidei objecto formali vel totali vel partiali desiderasse visionem, ex quo plus etiam, quam Adversarii optant, sequitur; satis manifestum est, hic non intercessisse evidentiam metaphysicam *in attestante,* sed locum fuisse formidationi. Quæri hic etiam solet : an habitus fidei supernaturalis et scientiæ naturalis in eodem intellectu possint simul operari, tum in actus distinctos, tum in unum eumdemque actum influendo; et his quidem verbis,

Quæres II. *An obscuritas fidei compatiatur evidentiam rei attestatæ?*

211. R. I. Possunt in eodem intellectu circa eamdem veritatem, v. g. circa unius Dei existentiam simul stare actus fidei supernaturalis et scientiæ evidentis, sive infusæ sive naturaliter acquisitæ.

Prob. In Philosopho gentili, qui habens naturalem Dei unius demonstrationem, velit accedere ad Deum, ut justificetur; nam, non obstante scientiæ naturalis habitu et actu, tenetur eamdem Dei unius existentiam fide supernaturali credere; ergo potest credere, simulque stare actus supernaturalis fidei cum naturali scientiæ de eadem veritate assensu. *Ant.* liquet ex vulgata illa ad Hebr. 11. sententia : *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est;* quibus verbis manifestum est, proponi verum præceptum de actuali fide Dei existentis : ut colligitur ex Trid. Sess. 6. c. 6., quod ex hoc textu docet fidem de existentia Dei esse dispositionem ad justificationem; item ex Ecclesia in symbolo omnibus præscribente communem illam credendi formulam : *Credo in unum Deum;* denique ex damnata ab Innoc. XI. hac 23. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit. Cons.* est evidens.

Si ais cum Thomistis 1°. *τό credere* accipi hic ab Apostolo pro quocumque assensu certo : 2°. ibi requiri fidem de Deo ut auctore supernaturali : 3°. solum exigi præparationem animi ad credendum : 4°. non esse sermonem de habentibus evidentiam, et in sensu composito evidentiæ.

R. Nulla ex his tenet responsio : non *prima*, quia Apostolus præmiserat : *Sine fide impossibile est placere Deo*; quibus continuo subjungit : *Credere enim oportet* : certum autem est in prioribus verbis de fide *proprie* tali disseri; adeoque et posteriora verba eamdem usurpationem retinere, ut ex *damnata* manifestum est. Præterea quia Concilium Tridentinum ex iisdem verbis fidem assignat tanquam dispositionem ad justificationem non aliter ac *spem, timorem, dolorem* etc. ; sicut reliqui dispositionum actus in sensu suo proprio sumuntur, sic et fidem accipere oportet. *Secunda* rejicitur ; quia Apostolus duo requirit, credere nempe, *quia est, et inquirentibus se remunerator sit* : primum autem significat simpliciter Deum existere secundum interpretationem Patrum apud Suar. Disp. 3. sect. 9. ; unde et in symbolo dicitur : *Credo in Deum Creatorem cœli et terræ* ; ergo non solum de Deo, ut auctore supernaturali, sed ut auctore naturæ fides requiritur. *Tertia* videtur æque aliena a mente Pauli et Tridentini ; nam Apostolus ait : *Credere oportet,* et Concilium : *Credentes vera esse* etc. : credere autem assensum significat, non vero solam animi præparationem ad credendum; sicuti *sperare, diligere* etc. in Tridentino nequeunt de sola animi præparatione ad sperandum et diligendum explicari. *Quarta* denique multo minus subsistit ; tum quia dici nequit quod præceptum Apostoli pertineat tantum ad *idiotas* et *indoctos,* cum sine omni discrimine inter doctos et indoctos a Scriptura proponantur credendæ perfectiones divinæ plures naturaliter demonstrabiles, et ex præcepto professio fidei omnibus facienda sit juxta symbolum : tum quia si pertineat præceptum credendi ad omnes, etiam illi, qui evidentiam de Deo existente habent, debent posse credere, adeoque conjungere actum fidei supernaturalis cum scientia naturali de eodem objecto; aut si id non possent, et imprudenter obligarentur illo præcepto, et fidei professionem edentes vel mentirentur vel falsum dicerent, et præ indoctis forent conditionis deterioris, carentes prima ad justificationem ac summe necessaria dispositione. Nec juvat dicere, doctos debere mentem avocare a tali evidentia ; tum quia hoc gratis ac sine fundamento petitur : tum quia hoc aliquando non est liberum.

212. R. II. Etiam idem realiter actus potest esse fides theologica supernaturalis et scientia evidens, sive infusa sive naturaliter acquisita.

Prob. In casu jam posito possunt intellectui simul obversari ambo motiva, nempe fidei motivum, quod est auctoritas divina revelans, et medium demonstrationis ; ergo possunt utraque simul operari, seu potius intellectus elicere assensum de existentia Dei ex utroque motivo, tanquam in actu primo adæquato. Prædicata invicem opposita non cadunt supra actum *eodem modo* consideratum, sed prout ille nititur diversis motivis. Utrum autem talis actus proprie dici possit *fides theologica,* ad modum loquendi pertinet.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS ACTUS FIDEI.

ARTICULUS I.

QUALIS FIDES NECESSARIA SIT NECESSITATE MEDII AD JUSTIFICATIONEM ET SALUTEM?

213. *Nota.* Inter fidei affectiones ejus *necessitatem* ac *oppositionem* referimus. Fides potest intelligi vel stricte vel late: *stricte* sumpta nititur revelationi divinæ formali, qua Deus libere loquitur et testatur aliquid ad extra: *late* sumpta vocari potest quæcumque illustratio supernaturalis, aut assensus, qui nititur revelationi divinæ solum virtuali, qua Deus quasi virtualiter loquatur per creaturas quascumque, quatenus hæ indicant divinas perfectiones juxta illud Ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Præterea fides spectari potest formaliter et in actu aliquo, vel tantum virtualiter ac in voto. Quæritur itaque 1°. an fides, quam alibi jam ostendimus esse medium necessarium ad salutem, sit *stricte* aut *late* sumenda? 2°. an fides ipsa formalis et in actu requiratur, vel sufficiat ejus *votum* seu in alio. Quod fides debeat esse actus *internus* et *supernaturalis*, per se patet.

214. *Dico I.* Fides ad salutem necessaria debet *stricte* sumi, nec sufficit fides *late* accepta. Patet ex prop. ordine 23. ab Innocentio XI. damnata: *Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.*

Prob. I. Fides, sine qua Apostolus ad Hæbræos 11. dicit impossibile esse placere Deo, ab eodem antecedenter definitur *sperandarum substantia rerum, et argumentum non apparentium*, ac postea asseritur fuisse in Patriarchis, operatamque esse justitiæ opera et præmia: sed hæc de sola fide *stricte* sumpta intelligi possunt, et ibidem etiam additis revelationibus declarata sunt; ergo.

Conf. Tridentinum Sess. 6. c. 6. pro dispositione ad justificationem requirit fidem, qua credantur ea, *quæ divinitus revelata et promissa sunt*; simulque addit: *De hac dispositione scriptum est, accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*; ergo patet tum ab Apostolo, tum a Concilio fidem stricte sumptam medium necessarium haberi.

Prob. II. Assensus existentiæ Dei præstitus ob testimonium creaturarum, est assensus *scientiæ*, non vero *fidei*; tum quia pro motivo habet solam connexionem creaturarum cum Deo: tum quia, producto etiam hoc uni-

verso, ex quo relucent divinæ perfectiones, potuit per illud suam auctoritatem, quam in loquendo habet, interponere vel non interponere, cum etiam *virtualiter* loqui ipsi sit liberum; quod autem eam interposuerit, ex creaturis intelligi nequit : tum quia hæc ipsa locutio *virtualis* per creaturas est solum metaphorica, et improprie sumpta, et ne quidem ejusmodi, qualis fit per miracula in confirmationem veri edita; cum creaturæ non producantur a Deo tanquam signum præcedentis loquelæ, sed solum ut manifestatio materialis suæ omnipotentiæ; ergo non est fides ad salutem necessaria.

Conf. Dum Trid. Sess. 6. c. 8. Concilia et Patres secutum, fidem vocat initium salutis, fundamentum et radicem omnis justificationis, illam non statuit tanquam dispositionem mere passivam, et prævie requisitam, sed tanquam *meritum de congruo*; ut patet tum ex timore, spe, amore, aliisque dispositionibus ibidem c. 6. fidei adjunctis, quibus omnes rationem meriti tribuunt : tum quia alias auxilium supernaturale prævium ad fidem potius dicendum erat initium, radix et fundamentum : tum quia nec commendanda a Concilio fidei libertas fuerat, ut tamen c. 5. et 6. factum : sed sola fides *stricte* dicta, utpote obscura, potest esse libera, et habere rationem meriti de congruo; non vero fides *lata*, quæ cum sit evidens, nec libera, nec meritoria esse potest; ergo.

215. *Dico II.* Eadem fides debet esse *formalis* et actus reipsa elicitus, ita ut non sufficiat ejusmodi actus solum *in voto*.

Prob. Si formalis actus fidei stricte sumptæ non foret necessarius ad salutem; ergo fides *late* talis posset illi æquivalere, ac illius defectum supplere : sed fides late dicta talis naturæ et efficaciæ non est ; ergo. *Maj.* patet a paritate de Baptismo et Sacramento Pœnitentiæ, quæ ideo dicuntur *in voto* duntaxat necessaria, quia illis æquivalent quoad efficaciam, et eorum defectum supplere possunt amor et contritio perfecta. *Min. prob.* Si fides late dicta posset supplere defectum fidei stricte talis, illud haberet vel ex ordinatione divina, vel ex ipsa sui natura : sed ex neutro capite illi hæc vis convenit; non enim ex *primo*, quia nullibi Scriptura hanc illi efficaciam asserit; neque ex *secundo*, quia omnis etiam supernaturalis cognitio, ex creaturis hausta de Deo, solum est de eo ut auctore naturæ; adeoque fundare nequit amorem amicitiæ perfectum et justificativum.

Conf. 1. Apostolus l. c. fidei, quam antea dixerat ad salutem necessariam, exempla proferens non alia recitat, quam quæ fuerunt actus reipsa eliciti fidei *stricte* sumptæ. Item Christus, postquam Marc. 16. 16. dixisset : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; mox subjungit, nihil jam de Baptismo commemorans : *qui vero non crediderit, condemnabitur*; unde colligitur, fidem magis ad salutem necessariam esse, quam Baptismum; ergo licet hic sufficiat in voto, fides tamen *in voto* non sufficiet.

Conf. 2. Si fides in voto sufficeret, sequeretur fidem omnium articulorum esse æqualiter necessariam; fides enim in voto virtualiter et implicite extendere se debet ad omnes omnino articulos : sed fides de omnibus articulis non est æqualiter necessaria; quia pauca sunt necessaria necessitate medii, alia vero primario, alia secundario præcepta.

216. *Obj. cont.* 1um. Ad Rom. 10. 17. fides vera habetur *ex auditu* : sed ad fidem ex auditu habendam sufficit testimonium virtuale per creaturas; quia, quæ David Ps. 18. de cœlis et firmamento v. 5. dixerat, eadem hic assumit Paulus v. 18. dicens : *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*; ergo.

R. *N. m. Ad prob. D.* Quæ David de cœlis et firmamento litteraliter dixit, eadem Paulus assumit allegorice de Apostolis et Evangelii Prædicatoribus *C.* usurpat litteraliter de cœlis ac firmamento *N.* Usurpationem allegoricam cum S. August. aliisque Patribus communius asserunt Interpretes, et argumentum hujus capitis exigit; cum Paulus ibidem loquatur de fide in Christum et Evangelii, quæ certe ex testimonio creaturarum hauriri nequit.

Inst. 1. Apostolus Act. 14. 16. *Non sine testimonio,* inquit de Deo, *reliquit se ipsum, benefaciens de cœlo, dans pluviam et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra*; ergo opera Dei ut auctoris naturæ sunt sufficiens ad fidem testimonium : tum quia Chrys. in illum textum, *Deo siquidem,* ait, *tam loquenti, quam mirabiliter operanti æque credere et obedire oportet :* tum quia, secundum probabilem Theologorum sententiam, miracula, etsi tantum sint virtuale testimonium Dei, ad actum fidei movendum sufficere possunt.

R. *N. Cons.* Quia Paulus hic non loquitur de testimonio sufficiente ad fidem *stricte* talem, ejusque objectum creditu necessarium per modum medii, sed de testimonio duntaxat sufficiente ad notitiam vel scientiam de Deo ut auctore naturæ existente; tum quia opera illa, quæ testimonium Dei compellat, prorsus *naturalia* sunt, neque aliter, quam effectus suam causam, h. e. *naturaliter* significant et manifestant : tum quia de testimonio loquitur, quod infideles etiam habent, cum ibidem dicat de Deo hæc operante : *Qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas*; quibus certe infidelitas positiva universaliter dari nequit, aut negativa in peccatum suscipi posset cum *Baio*, cujus tamen prop. 68. hoc de Christi fide enuntians damnata est.

Ad prob. 1am. R. *D.* Deo tam loquenti, quam mirabiliter operanti æque credere et obedire oportet, si mirabilia operatur in confirmationem prævíæ revelationis, atque hinc ex intentione fidei eliciendæ *C.* si sic non operetur *N.* Deo credere non possumus, nisi ipse libere interponat suam *auctoritatem,* quam *in loquendo* habet; cum igitur per hoc præcise, quod aliquid producat, hanc auctoritatem non interponat, propter effectus præcise a Deo productos eidem credere non possumus.

Ad prob. 2am. R. Qui miraculis tribuunt vim intrinsece et per modum objecti *formalis* partialis movendi ad fidem, simul supponunt præcessisse revelationem divinam, in cujus confirmationem ea eduntur; consequenter quatenus confirmatoria revelationis moraliter dici possunt locutio divina iterata, et testimonium Dei virtuale non simpliciter tantum, sed in ordine ad credendam rem a Deo revelatam : simile quid, ex defectu illius suppositi, minime convenit cuicumque productioni creaturarum a Deo ad manifestandam *materialiter* gloriam suam factæ.

Inst. 2. Hoc ipso, quod quis ex creaturis cognoscat Dei existentiam et perfectiones, potest prudenter supponere quod Deus revelaverit suam existentiam et perfectiones; sicut ex eo quod quis agnoscat dictamen suæ con-

scientiæ seu rectæ rationis, et sciat id nobis a Deo ut Legislatore inditum, potest certo scire, Deum reipsa aliquid præcepisse aut prohibuisse; ergo et hoc ipso potest quis, vi acceptæ a creaturis notitiæ, quasi *reflexe* etiam credere fide *stricte* dicta.

R. *N. A.* Vel enim revelatio ejusmodi præcise ex sola creatione prudenter supponi nequit; cum revelatio Dei *formalis* sit nova actio Deo libera, quæque ex novo fine poni potest : vel exinde non potest supponi, nisi probabiliter, et quidem de existentia et perfectionibus Dei duntaxat ut auctoris naturæ : verum nec probabilem notitiam de revelationis existentia sufficere ad fidem, nec fidem de Deo ut naturæ auctore satis esse ad justificationem, alibi ostensum.

Ad prob. R. *Tr. A.* quod de Deo tantum ut Legislatore naturalia præcipiente vel prohibente intelligi potest. *N. Cons. Disparitas* est, quia non potest cognosci dictamen conscientiæ obligantis sine cognitione alicujus superioris ac legislatoris, qui mandatum dederit, ut dictum in Tr. de Pecc.; potest tamen cognosci Dei existentia et perfectio quæcumque naturaliter cognoscibilis ex effectu creato, quin intelligatur Dei revelatio circa ejusmodi prædicata.

Inst. 3. Stante sola fide *late* tali, vel homo potest Deum super omnia amare amore perfecto amicitiæ, vel amor amicitiæ stricte dictus non requiritur ad justificationem; postremum enim nec exigitur *ex ordinatione divina*; cum hæc ad justificationem nihil exigat, quam quod ex natura rei requiritur : nec etiam exigitur *ex natura rei*; cum vi hujus sufficiat amor Dei supernaturalis et appretiativus super omnia, utpote per quem modo supernaturali Deus præponitur omni creaturæ, sicut per peccatum mortale fuit postpositus; talem autem amorem posse provenire ex fide *late* tali, colligitur ex S. Aug., L. 10. Conf. c. 6. dicente : *Cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, ecce undique dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles*; ergo.

R. *N. utr. p. Ant.* Cum enim ex dictis liqueat, amorem amicitiæ perfectum erga Deum haberi non posse, nisi ex fide de Deo ut remuneratore supernaturali, fides autem *late* dicta de eo esse nequeat; sequitur, stante sola fide latius accepta, homini hunc amorem non competere. Amorem vero amicitiæ ad justificationem extra sacramentum requiri dicimus imprimis *ex ordinatione divina*; quia ex hac, secundum Apost. ad Hebr., impossibile est placere Deo sine fide *Dei remuneratoris*; adeoque cum illa fides ordinetur ad amorem Dei, sicut necessaria est fides de Deo, ut benevolo remuneratore et amico, sic etiam amor amicitiæ exigitur. Deinde etiam asserimus *ex natura rei* necessitatem talis amoris ad justificationem : cum enim ista formaliter consistat in jure filiationis Dei adoptivæ et amicitiæ, hæc autem in possessione Dei amicabili; consequens est, amorem ferri debere in Deum ut benevolum tali benevolentia amicabili, ut justificationem de congruo amor ille *per se* mereatur. Hinc

Ad 1am. *prob.* R. *N. Ass.* et ex ratione adjecta potius infertur contrarium.

Ad 2am. *prob.* Rationem *D.* Ex natura rei sufficit amor Dei supernaturalis et appretiativus super omnia, qui sit amicitiæ *C.* qui sit concupiscentiæ duntaxat aut simplicis benevolentiæ *N.* quod de peccato additur, pugnat pro nobis; sicut enim mortale est *per se* violatio amicitiæ divinæ, sic ad

illud abolendum *per se* requiritur amor amicitiæ. Porro S. Aug. loqui duntaxat vel de amore Dei naturali, vel de supernaturali quidem sed imperfecto concupiscentiæ aut benevolentiæ, colligere licet ex verbis l. c. mox subjunctis : *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, et misericordiam præstabis, cui misericors fueris : alioquin cœlum et terra surdis loquuntur laudes tuas.*

Inst. 4. Ante actum fidei *stricte* talis potest elici pia affectio credendi super omnia firmiter, quæ divinitus revelantur : item, ex sola fide *late* tali potest quis elicere actum attritionis, et cum ea suscipere sacramentum Baptismi, sicque justificari sine omni actu fidei *stricte* acceptæ; ergo et amor perfectus potest elici ante fidem rigorose dictam, et sine ea obtineri justificatio.

R. *Quoad* 1um. *N. Cons. Disparitas* est, quia *pia affectio* credendi pro suo motivo formali habet solam honestatem, quæ in eliciendo actu fidei propter revelationem divinam elucet; unde hæc sufficienter dirigitur per motiva credibilitatis, et judicium prudentiæ supernaturalis : *amor amicitiæ divinæ* perfectus autem pro motivo formali habet Deum ut benevolum et amicabilem remuneratorem; cum vero Deus ut talis nequeat cognosci ex creaturarum testimonio, sed ex revelatione divina, fidem *stricte* talem ex ipsa rei natura requiri ad ejusmodi amorem sponte sua consequitur.

Quoad 2um. *N. Ant. et ejus supp.*, quod hic casus sit possibilis; tum quia homo ejusmodi non potest elicere attritionem pro justificatione etiam cum sacramento requisitam; eo quod attritio, juxta Trid. Sess. 14. c. 4., debet esse conjuncta cum spe veniæ, hæc spes autem regulari a fide *stricte* dicta, qua Deus cognoscatur certo esse placabilis : tum quia nequit habere sufficientem intentionem suscipiendi Baptismum, nisi prius saltem implicite crederet hunc esse remedium salutis, ac consequenter ex fide *stricte* tali notitia Dei ut supernaturalis Auctoris et Salvatoris habeatur. Sunt tamen, qui dicant, adultum ejusmodi solo originali peccato infectum forsan justificari et salutem nancisci, sed præcise ut hæreditatem, ad modum parvulorum.

Inst. 5. Licet charitas a SS. Patribus dicatur necessaria ad meritoria opera vitæ æternæ, hoc tamen non intelligi debet de charitate *proprie* usurpata, habente pro motivo bonitatem divinam, sed de *latius* accepta, et quæ pro motivo habet quamcumque honestatem virtutis moralis ad Deum relatam; ergo similiter, licet ad salutem dicatur necessaria fides, hæc de *stricte* accepta intelligi necessario non debet, sed potest accipi vel *late*, vel pro fide præscindente ab utraque ratione.

R. *Disparitas* est, quia tum ipsa Patrum verba et usurpatio charitatis manifeste ostendit aliam quam stricti sensus acceptionem; tum ipsa rei veritas ac natura probat rationem meriti non charitati duntaxat sed et hominis justi operibus supernaturalibus aliis convenire; e contra a Script. et Patribus, præter fidem *stricte* dictam, non usurpatur fides alia ex testimoniis duntaxat creaturarum, ac ex iisdem ostensum etiam est, fidem propriam ex ipsa rei natura requiri.

Inst. 6. Cornelius centurio Act. c. 10. ante fidem erat *religiosus ac timens Deum, ejusque orationes et eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei;* ergo etiam ante fidem fuit justificatus. *Conf.* Plures gentiles habuerunt solam fidem *latius* dictam, quia ad Rom. 1. 19. cognoverunt

Deum ex creaturis; et tamen qui eorum Deum pro illa cognitione non glorificaverunt, traditi sunt in pœnam suis desideriis, ac *inexcusabiles* ibid. c. 2. dicuntur: qui vero huic cognitioni sunt obsecuti, ea, quæ *legis* sunt, fecerunt; ergo ex sola fide *lata* tum poterant bene et salutariter operari, tum etiam meritorie operati sunt, juxta v. 10. et 11. *Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco : non enim est acceptio personarum apud Deum*; ergo fides *stricte* dicta non est simpliciter, sed tantum ut facilius aut perfectius obtineatur justitiæ apex, juxta illud ad Rom. 1. 17. *Justitia Dei in eo* (Evangelio) *revelatur ex fide in fidem.*

R. *D. A.* Cornelius ante fidem in Christum eamque explicitam erat religiosus ac timens Deum *C.* Ante fidem proprie dictam in Deum existentem et remuneratorem *N.*

Ad Conf. R. Quamvis multi negent, ante *fidem propriam* haberi posse opera supernaturalia, nisi quæ vel ex seipsis vel ab operantibus referuntur ad obtinendam fidem, cum Deus det gratias actuales ex intentione obtinendæ justificationis adeoque in ordine ad fidem : quia tamen dogma Catholicum est, gratias saltem remote sufficientes dari etiam infidelibus; hæ autem gratiæ probabilius constituuntur in illustratione et affectione supernaturali, qua ad servandam legem naturalem infideles excitantur et adjuvantur: hinc *D.* 1um. *Cons.* Ex sola fide *lata* poterant salutariter ac meritorie operari, et operati sunt opera supernaturalia mediate ac remote disponentia ad justificationem *C.* immediate ac proxime ad justificationem disponentia *N.* Inde vero 2um. *Cons.* falsum esse constat; quod etiam nihil juvatur per textum Pauli, qui loquens de justitia Dei per Evangelium revelata, hoc ipso per fidem, ex qua in fidem revelatur, non potuit intelligere cognitionem ex creaturis haustam, sed fidem V. T. in ordine ad fidem N. T. vel incipientem et imperfectam respective ad fidem proficientem, perfectam et charitate formatam; de quo V. Corn. a Lapide.

Cæterum ordo justificationis et salutis a fide lata cœptæ a quibusdam hic apte statuitur : 1°. ubi gentilis ex pulcherrima universi serie naturaliter cognoscit dari aliquem illius potentissimum et sapientissimum auctorem, Deus illum *supernaturaliter* illustrat de obligatione et honestate indagandi existentiam et essentiam hujus auctoris. 2°. Si homo huic illustrationi cooperatur, pro illa notitia capienda orat, facitque quantum in se est, observando legem naturalem nec peccando ; vel Deus cursum causarum secundarum ita disponit, ut ab alio homine saltem possit *instrui in necessariis necessitate medii,* vel ministerio angelorum mediate, aut immediate privata ac interna revelatione, in iisdem instruit. 3°. Hac instructione supposita, Deus homini dat gratiam actualem ad eliciendum *actum fidei* circa Dei amicabilis remuneratoris existentiam, et subinde ad actus spei ac charitatis seu amicitiæ. 4°. Posito amoris amicitiæ perfecto actu, homo *justificatur,* et a peccato originali emundatur per baptismum flaminis, in tali amore virtualiter inclusum. Hunc statum reliqua consequuntur, quæ aliis etiam in hominibus ad perseverantiam et salutem requisita contingere solent aut debent.

Inst. 7. Si fides *stricte* talis est absolute necessaria ad justificationem, ergo nullæ dantur gratiæ nisi per fidem, ac fides est prima gratia, et fons omnium aliarum: sed hæ sunt propositiones ordine 26. et 27. *Quesnelli* damnatæ in Bulla *Unigenitus*; ergo.

R. *D. seq. M.* Ergo fides inchoata, initialis et imperfecta esset prima gratia et fons omnium aliarum, ac nisi per hanc nullæ darentur gratiæ *C.* Fides completa, perfecta et explicita etiam in Christum *N.* Prioris fidei nomine intelligimus quamlibet Dei cognitionem, si modo *cœlitus* immissa sit, et tum gratias cum actiones salutares ad fidem sive proxime sive remote disponentes; conformiter ad dicta S. Augustini, qui hæc et similia L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 2. appellat *inchoationes quasdam fidei, conceptionibus similes.* De posteriore autem intelligenda est damnatio prop. 26. et 27. Quod enim *Jansenistæ* docuerant in prop. 5. ab Alex. VIII. damnata, nempe in Paganis, Judæis ac Hæreticis voluntatem nudam esse ac inermem sine gratia sufficiente; quodque *Quesnellus* in prop. 29. asseruerat, extra Ecclesiam gratiam concedi nullam; hoc ipsum idem et instauravit et repetiit in illis propositionibus allatis, quibus negavit ante fidem in Christum, vel etiam in Deum remuneratorem, dari gratiæ auxilia prævenientia et quodcumque opus salutare.

217. *Obj. cont.* 2um. Fidelis cum sola fide *virtuali* potest elicere actum amoris justificativum; quia non semper requiritur ad actus meritorios eliciendos immediate prævia fides *formalis*; ergo et id poterit infidelis; consequenter fides stricte sumpta reipsa et actu non requiritur. *Conf.* 1. Licet Baptismus et Pœnitentia *formalis* ac Confessio dicantur necessaria necessitate medii, intelligi tamen hæc necessitas potest de iis vel in re vel in voto; ergo idem dicendum est de necessitate fidei stricte talis. 2. Juxta nos nomine fidei in Christum, potest intelligi fides *implicita*, sive in Salvatorem; ergo etiam idem dici poterit de fide in Deum ut amicabilem remuneratorem.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia fides *virtualis,* quam apud fidelem sufficere dicimus, non est fides tantum in voto sed reipsa existens et in actu, licet duntaxat tenui ac ferme imperceptibili, quæ eatenus dicitur *virtualis,* quatenus præsupponit formalem expressam et reflexam, ex cujus virtute procedit atque in aliquo effectu perseverat: talem autem apud infidelem reperire non est, utpote qui fide stricte tali semper caruisse supponitur.

Ad Conf. 1am. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia fidem in voto sufficere, nuspiam Scriptura docet, ut tamen significat de Baptismo et Confessione, ubi actibus charitatis et contritionis vim justificandi tribuit, quam neque propter sacramentorum institutionem, et obligationem inde ortam, illis fuisse ablatam ullibi declarat. Præterea, etiam assignari non potest actus alius intellectus, qui fidei *stricte* sumptæ æquivaleat, aut vim ejus præstet.

Ad Conf. 2am. *N. Cons. Disparitas* est, quia cum fides in mediatorem, *hominem Deum,* cum reliquis proprietatibus ac circumstantiis Redemptoris nec ex natura rei nec ex ordinatione divina ostendatur necessaria, fundamentum est fidem in Christum explicandi de fide *implicita* ac in Salvatorem, ubi illius mentio occurrit et necessitas asseritur: quia vero contrarium probavimus de fide *stricte* sumpta, asserta fidei necessitas male referretur ad fidem *latam.*

218. *Observa.* Fidem etiam necessariam esse ex præcepto, manifeste docemur tum ex ejus necessitate hactenus asserta, tum ex aliis Scripturæ textibus, Eccli. 2. *Qui timetis Deum, credite illi.* 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine filii ejus* etc. Unde ab Innoc. XI. est proscripta

hæc propositio 16. : *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.* Item ab Alex. VIII. hæc ordine 1. : *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* Porro cum illud præceptum sit duplex, aliud scilicet *negativum,* seu prohibens ne quis fidei mysteriis dissentiat, aut de iis dubitet; aliud *affirmativum,* seu præcipiens ut iisdem veritatibus assensus actu detur; certum est *primum* obligare pro semper, quia nullum est tempus, quo fidei mysteria sufficienter proposita repudiari possint : *secundum* etiam aliquando quidem obligare, liquet ex proxime dictis. Ad tempus vero præcise determinandum facit tum censura ab Innoc. XI. inflicta huic ord. 17. propositioni : *Satis est actum fidei semel in vita elicere,* tum universalis omnium sententia statuens, hoc præceptum sæpius urgere in vita et ratione sui, et per accidens. Nam *per se* quidem videtur urgere 1°. cum fides Catholica sufficienter proposita est infidelibus, hæreticis, et iis qui in infantia baptizati rationis usum attingunt : 2°. cum gravis contra fidem pulsat tentatio : 3°. cum quis in hæresin vel dubitationem voluntariam circa fidei mysteria lapsus est : 4°. cum adest probabile mortis periculum. *Per accidens* autem, ubi sine actu fidei præcepta Dei vel Ecclesiæ, ut par est, impleri, aut peccata vitari non possunt; sic, seclusa fide magis aut minus explicita, nec digne quis Deum orare, nec peccatorum in sacramento remissionem consequi potest : sic etiam aliquando tam graves contra spiritum insurgunt motus, ut certo succumbat, qui non a fide robur quæsiverit, repræsentando sibi Deum Judicem, qui corpus et animam gehennæ addicat.

ARTICULUS II.

QUOMODO OPPONATUR FIDES INFIDELITATI?

219. *Nota I.* Infidelitas triplex est : 1°. *Negativa* sive ignorantia inculpabilis rerum fidei, et est in eo, cui fides vel simpliciter, vel sufficienter non est sic annuntiata, ut credere possit et debeat. Hæc quidem peccati pœna est, non autem peccatum, ut ex damnatione Baianæ patet, quæ ordine 68. sic dicit : *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* 2°. *Privativa* est ignorantia culpabilis in eo, qui, quos potuit, discere articulos fidei negligit; vel cui fides sufficienter est annuntiata, ut credere debeat, omittit tamen credere, quin simul positive dissentiat, vel ullum errorem fidei contrarium admittat. Hæc peccatum est quidem contra fidei præceptum, fidei tamen objecto formali directe non opponitur. 3°. *Positiva* vel *contraria* antonomastice quasi definitur : Deliberatum ac pertinax judicium contra aliquem fidei articulum; magis autem *generice* a Card. de Lugo describitur esse peccatum, quod ex objecto suo ita opponitur fidei actuali, ut, quamdiu non retractatur, non possit homo habere voluntatem credendi vero et proprio actu fidei divinæ : atque hoc contingit, quando quis vel *dissentitur* objecto fidei sufficienter proposito, vel assentitur objecto, quod fidei repugnare cognoscit, vel de rebus fidei satis propositis voluntarie *dubitat,* vel deliberate statuit aut omnia aut aliqua fidei objecta *non credere.* Inde autem colligitur infidelitatem *proprie* talem nec haberi in errore *inculpabili;* cum hic peccatum non sit : nec in errore *culpabili* culpabilem

ignorantiam sequente; cum in hujus consortio stare possit tum voluntas tum actus credendi articulos sufficienter propositos, et quorum ignorantia non adest: nec in *negatione fidei externa* aut perversione aliorum ad falsam sectam, si negatio interna aut dissensus contra fidem absit; cum hæc omnia, licet sint gravia contra fidem peccata, actui tamen fidei interno non opponantur ex parte objecti: nec in *voluntate peccaminosa*, qua quis universim nollet audire doctrinam aut fidem Christianam; cum ea etiam stante dari simul queat voluntas efficax credendi illam doctrinam, quantum est ex parte objecti; quia si in hoc casu vel fortuito vel coacte hauriret fidei notitiam, posset velle et etiam credere.

Porro infidelitas *proprie* dicta nonnunquam cum hæresi confunditur; communiter tamen universalius sumpta subdividitur in *Paganismum, Judaismum et Hæresin*. Denique *apostasia* universim sumpta est defectio a fide prius suscepta, atque ad unam ex memoratis infidelitatem, pro ratione scilicet tum recessus, tum fidei, reducitur: in specie autem et per antonomasiam est transitus Christiani ad paganismum vel Judaismum; in quo sensu defectio a fide Catholica ad hæresin Calvini *proprie* non dicitur apostasia.

220. *Nota II.* Quæritur autem, an infidelitas *positiva* circa unum articulum possit componi cum fide naturali vel supernaturali circa articulum alium, v. g. utrum Lutheranus negans arbitrii libertatem possit fide divina, in sensu composito hujus erroris, credere Incarnationem Verbi, quam veram et revelatam profitetur? Communis sententia negat, *universim* enuntians, non posse amorem efficacem aut assensum absolutum unius objecti propter motivum aliis commune componi cum odio aut dissensu alterius, quod sub eodem motivo continetur. Altera ex principio contrario, et, facta inter actus virtutis perfectos et imperfectos distinctione, cum Ripalda, Lug., Viva, Ulloa etc. tenet, culpabiliter in aliquo discredentem, h. e. infidelitate positiva circa unum articulum laborantem, posse simul credere alium fide divina *imperfecta*, etiam supernaturali. Ubi tamen Ripalda Disp. 131. advertit, bifariam hæreticum dissentire posse articulo fidei; 1°. admittendo revelationem Dei, et negando illam esse infallibilem; quo modo discredens articulum unum juxta omnes nequit alium articulum credere: 2°. admittendo omnem Dei revelationem esse infallibilem, sed negando existentiam revelationis alias sufficienter propositæ. Præterea autem observandum est, assensum imperfectum et minus firmum non esse fidem *simpliciter*, talem quæ sufficiat ad justificationem hominemque denominet fidelem; cum hujus nomine intelligamus, ex supra dictis, assensum appretiativum super omnia, qualis non est actus imperfectus, qui potius dicitur fides initialis vel fidei inchoatio.

221. *Dico I.* Discredens culpabiliter unum fidei articulum non potest simul credere alium, fide divina *perfecta* et *simpliciter* tali.

Prob. Fides divina perfecta et simpliciter talis debet *appretiative* ferri super omnia divinæ auctoritati ac revelationi graviter opposita; ergo tam parum potest componi cum dissensu culpabili divinæ revelationis sufficienter propositæ de alio mysterio, quam parum actus perfectæ charitatis stare potest cum culpabili et gravi transgressione alicujus præcepti.

Conf. Assensus fidei *perfectæ* ac *simpliciter* talis prærequirit voluntatem efficacem subjiciendi et captivandi intellectum in omnibus divinæ auctoritati loquenti; tum quia hoc requiritur ad credendum ex toto corde; tum quia hoc exigit propria et adæquata intellectus captivatio: sed hæc voluntas componi nequit cum nolitione credendi aliquem articulum sufficienter propositum, ut *per se* manifestum est; ergo.

222. *Dico II.* Discredens culpabiliter unum fidei articulum potest simul credere alium assensu fidei objective divinæ *imperfecto*, probabiliter etiam supernaturali.

Prob. 1ª. *p.* Potest quis prosequi aliquod objectum materiale virtutis ex motivo universali, ita ut non afficiatur erga motivum universale in tota sua latitudine, velitque ex eo rem aliquam materiæ ac difficultatis minoris, quam accedente majore difficultate aut materia non præstaret; v. g. culpabiliter nolens restituere centum, potest simul velle restituere decem ex motivo *justitiæ*: potest amicus ea *dilectione* diligi, quæ quidem non patiatur negari illi pecunias, quamvis non parata sit pro eo subire famæ et vitæ periculum: potest cum violatione præcepti difficilioris stare Dei amor remissus et imperfectus, vi cujus voluntas maneat determinata ad observanda faciliora præcepta; ergo pariter voluntas potest ita affici erga divinam auctoritatem loquentem, ut ei præbeat assensum solum in iis, quæ perfectionem practicam *religionis* ac *fidei* facilem reddunt, non vero in iis, quæ reddunt difficilem; aut circa ea, quæ sibi proponuntur his vel illis argumentis credibilia, non autem quoad illa, quæ minoribus argumentis persuadentur.

Prob. 2ª. *p.* S. Aug. L. de Patientia cum quæsivisset, quantum Schismatici patientia pro Christo ac vero fidei articulo valeret, et an donum Dei esset, cap. 27. sic respondet: *Neque enim hoc non est bonum, ut credat homo æterno supplicio se esse puniendum, si negaverit Christum, et pro ista fide qualecumque supplicium perferat et contemnat humanum. Proinde sicut negandum non est hoc esse donum Dei, ita intelligendum est alia esse dona Dei filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra;* ergo fides hujusmodi hominis alium articulum negantis, patientiaque pro veritate illius est actus supernaturalis; quia *phrasi Augustiniana* actum aliquem esse donum Dei idem est ac esse cum auxilio gratiæ supernæ elicitum, ut toto hoc libro aliisque in locis manifeste docet. Huic adde sententiam S. Chrys. de fide introductoria num. 68. recitatam et expositam; item Aug. L. 1. ad Simplic. q. 2. fidem inchoatam et imperfectam distinguentis a perfecta et aucta, quam utramque tamen L. de Prædest. Sanct. c. 2. donum Dei esse contendit.

Conf. Deus hæreticis ac infidelibus confert auxilia supernaturalia ad salutaliter operandum; ergo etiam ad fidem tum articuli, quem positive discredunt, tum articuli, quem verum existimant; ergo cum aliunde inter fidem istius *imperfectam* et alterius dissensum non detur repugnantia physica, possunt concipere ex auxilio supernaturali fidem unius articuli *imperfectam* et alterius dissensum; præsertim cum gratis ac sine fundamento asseratur lex Dei, negans supernaturalem concursum ad credendum unum, ubi aliud culpabiliter non creditur. Dixi: *Probabiliter supernaturali;* quia

ad præsentem quæstionem etiam sufficit, modo detur assensus *naturalis* propter revelationem divinam, siquidem et hæc vera fides *objective* divina dici potest.

223. *Obj. contra* 1[um]. Actus perfectus v. g. temperantiæ in una materia, componi potest cum actu intemperantiæ in alia materia; actus perfectus fidei humanæ, aut scientiæ stare potest cum positivo dissensu in alia propositione, et sic de aliis; ergo idem pariter contingere potest circa fidem divinam.

R. *N. Cons.* Præterquam quod dentur diversæ specie temperantiæ; auctoritas humana non æqualiter sit vel perspicax vel verax circa rem quamcumque; pro diversis conclusionibus requirantur diversa demonstrationis media ac principia; cum tamen *auctoritas divina* sit omnino eadem, et revelatio supponatur æqualiter satis proposita : universim *Disparitas* est, quia nec *temperantia,* nec *fides humana,* nec alia hujusmodi exigunt aut connotant voluntatem efficacem universalem amplectendi omnia objecta materialia, quæ subsunt eidem motivo, cum appretiationem sui motivi super omnia non dicant : at vero actus *fidei perfectæ* ac simpliciter talis est appretiativus divinæ auctoritatis super omnia, atque hinc voluntatem importat efficacem ac universalem submittendi intellectum divinæ auctoritati, quotiescumque Dei testimonium sufficienter proponitur; quia hoc sic propositum contemnere gravis est irreverentia, quæ cum illius *summa appretiatione* conciliari nequit.

Inst. 1. Assensus intellectualis fidei *ex se* non est acceptatio ne quidem virtualis omnium revelationum, quæ sufficienter proponuntur; ergo neque pia affectio est ejusmodi acceptatio; præsertim cum obsequium et cultus fidei erga divinam auctoritatem sit *intellectualis*; adeoque, quod ad intellectum non spectat, nec ad obsequium et cultum fidei erga divinam auctoritatem pertinere censeatur.

R. *N. Cons.* Quamvis assensus fidei intellectualis *implicite* ac *virtualiter* saltem affirmet, verum esse quidquid Deus revelavit, quatenus datur propter *infinitam auctoritatem,* ut in omnibus infallibilem; non tamen assentitur etiam virtualiter tantum existentiæ cujuscumque revelationis sufficienter propositæ; tum quia interdum alias contingeret hunc assensum implicitum esse *falsum,* sicut accidit subinde proponi sufficienter ut revelatum, quod reipsa revelatum non est : tum quia ejusmodi virtualitates in eo fundantur, quod motivum hujus actus *commune* sit actibus vel objectis aliis : jam vero cum motivum intrinsecum assentiendi divinæ revelationi sit exercita revelatio divina hæc *reipsa* existens; hæc vero non adsit cuicumque revelationi sufficienter propositæ; patet motivum assentiendi huic revelationi per actum fidei, non esse *commune* revelationi cuicumque sufficienter propositæ. Itaque oppositio actus fidei perfecti cum infidelitate, *formaliter* consistit in pia affectione et voluntatis imperio universali, efficaci et appretiativo divinæ auctoritatis super omnia; atque hinc illud saltem *virtualiter* dicit : Volo submittere intellectum cuilibet revelationi sufficienter propositæ; licet actus fidei nequidem *æquivalenter* dicat : Amplector ut vere existentes omnes revelationes satis propositas.

Ad prob. R. Obsequium nihilominus dici posse *intellectuale*, licet in ipso assensu formaliter non consistat; quia saltem circa assensum tanquam materiam ipsius obsequii et cultus versatur.

Inst. 2. Quamvis Hæreticus faceret contra cultum divini testimonii, si illud admittens negaret veritatem revelatam, tamen contra hunc cultum non peccat, si neget existere testimonium divinum; sicut homini loquenti irreverens non est, qui duntaxat negat eum fuisse locutum; ergo negatio hujusmodi componi potest cum assensu fidei *perfecto* alterius mysterii.

R. *N.* 2am. *p. Ant. et prob.* Ad summam erga testimonium divinum reverentiam *intellectualem* spectat recipere illud ubicumque sufficienter proponitur credibile: sicut enim non absque irreverentia respueretur testimonium regis, ubi illud prudenter et rationabiliter proponeretur esse regis; sic idem in nostro casu locum habet potiori jure, cum Deus fidem exigat, quotiescumque satis credibile est ejus testimonium; unde dissensum semper positivam irreverentiam esse colligitur.

Inst. 3. Si actus fidei perfectus cum infidelitate non foret compossibilis, sequeretur, quod Zacharias discredens aut saltem hæsitans de futura prole, sibi ab angelo prænuntiata, amisisset *perfectam fidem* circa alia mysteria, ad fidem Catholicam et universalem pertinentia: sed hoc minime videtur dicendum; ergo.

R. *N. M.* Zacharias in ea hæsitatione, quæ minus deliberata fuit, et ex inconsiderantia proficiscebatur, non peccavit graviter, ut Corn. a Lap. in c. 1. Lucæ exponit; adeoque illa non fuit *positiva* et *propria* infidelitas, cui duntaxat fides appretiative super omnia graviter opposita tendens contrariatur. Idem responderi potest de Sara, Genes. 18., quæ dubitasse etiam, sed sine minoribus credibilitatis motivis, de revelatione per angelum facta videtur.

224. *Obj. cont.* 2um. Apost. 1. ad Tim. 1. jacturam fidei comparat cum naufragio, dicens: *Quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem naufragaverunt*; et c. 6. de errantibus in uno articulo ait: *Si quis aliter docet, superbus est et nihil sciens.* Nomine *naufragii* autem et illa negatione *nihil sciens* videtur significari amissio omnis fidei et auxilii ad credendum. Accedunt S. Aug. Enchirid. c. 5. asserens apud Hæreticos qui se Christianos vocari volunt, non reipsa, sed solo nomine esse Christum; et S. Thomas hic q. 5. a. 3. in θ. sic concludens: *Unde manifestum est, quod talis Hæreticus circa unum articulum fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundum propriam voluntatem.*

R. *N.* Hunc sensum erui ex Scriptura. Comparatio enim Hæreticorum cum *naufragantibus* non est adæquata, quandoquidem alias illi destituerentur omni gratia et illustratione etiam ad resipiscendum aut ad eliciendum quodcumque bonum: consistit itaque hoc *naufragium* in jactura omnium habituum supernaturalium, ac difficultate appellendi ad salutis portum; quæ in Hæreticis major est ac in Catholicis. Idem respondetur ad 2um. textum: Hæreticus enim dicitur *nihil sciens*, tum quia licet subinde habeat *actus*, tamen spoliatus est *habitu* fidei et scientiæ supernaturalis: tum quia actus fidei et assensus in illo adeo infirmi et imperfecti sunt, ut *scientiæ* appellationem non mereantur. Quod ad auctoritatem S. Aug. spectat, cum illo etiam

nos consentimus; Christianus enim reipsa is duntaxat est, ac dici meretur qui nulla in re a professione Christiana deficit. S. Thomas vero vel loquitur de Hæretico, qui negat veritatem, fatendo esse revelatam, quia non tenet revelationem metaphysice cum veritate connexam, ut exponit Ripalda, propterea quod S. Doctor pro ratione assignat, quod is non adhæreat primæ veritati tanquam *regulæ infallibili*; vel solum negat fidem perfectam et simpliciter talem, ut indicat in responsione ad *primum*.

Inst. 1. Qui detestatur unum mortale ex motivo universali, ac omnibus communi, *implicite* ac *virtualiter* detestatur omnia mortalia, atque hinc nequit simul habere complacentiam in aliquo mortali: cujus *ratio* est, quia libertas voluntatis nequit separare virtualem inclusionem unius in altero; ut patet in efficaci amore *finis*, circa quem licet libera sit voluntas ad amandum, non tamen potest efficaciter amare finem, et simul nolle ponere media; ergo pariter id obtinet in fide.

R. *D. Ant.* Qui detestatur unum mortale efficaciter efficacia adæquata et in tota latitudine motivi etc. *C.* efficacia duntaxat inadæquata et restricta *N.* Ad rationem *N. Ass.* universaliter sumptum, cujus exemplum tantum locum habet in efficaci amore finis, dicente efficaciam *adæquatam*: contrarium enim liquet ex aliis exemplis, et ex illo absurdo, quod alias actus quilibet honestus, ob conformitatem cum ratione elicitus, esset retractatio cujuslibet peccati prius commissi, nec conjungi posset cum actu rationi difformi.

Inst. 2. Qui discredit aliquid cum gravi irreverentia in divinam auctoritatem, non credit aliud mysterium ex solo motivo reverendi *divinam auctoritatem*, sed ex motivo v. g. majoris facilitatis, commodi etc.; ergo talis assensus nequit esse supernaturalis. *Conf.* Si assensus, quo Hæreticus credit Incarnationem, foret supernaturalis, in eo non destrueretur *habitus* fidei infusus; cum in hoc casu non esset otiosus: sed hoc falsum esse constat ex Trid. Sess. 6. c. 15; ergo.

R. *N. A.* Facilitas illa vel commodum non est ratio motiva assensus, sed duntaxat remotio impedimenti, quod alias vim motivam impediret; et limitatio etiam assensus ex remissione efficaciæ in pia affectione provenit, sicut diffusio ejusdem secundum omnem motivi latitudinem ab adæquata affectus et voluntatis efficacia ortum habet: ex quo non minus quam ex allatis supra exemplis falsitas asserti detegitur.

Ad Conf. N. M. Habitus fidei deperditur ab Hæretico demeritorie, et ob specialem indignitatem; unde adjuncta ratio hic nihil evincit, præsertim quod id etiam ostendant exempla aliarum virtutum infusarum: *habitus* enim supernaturalis temperantiæ, misericordiæ etc. quamvis in peccatore otiosi non forent, nihilominus a nullo restare dicuntur. Ubi vero in absentia *habituum* eliciuntur actus fidei, temperantiæ etc., horum supernaturalitas habetur vel a gratiæ auxilio transeunte, vel ab omnipotentia Dei specialiter applicata, prout in Tr. de Gr. explicatum fuit.

Inst. 3. Non dantur actus fidei supernaturales, qui sint formidolosi et fundati tantum in notitia probabili revelationis; ergo nec dantur fidei assensus supernaturales imperfecti et minus efficaces.

R. *N. Cons. Disparitas* est, quia formido vel est culpabilis vel inculpabilis: si *primum*; est positiva infidelitas, quia secum importat judicium erroneum de incertitudine motivi; implicat autem actum fidei supernaturalem coexi-

stere infidelitati positivæ circa idem mysterium : si *secundum*, adhuc nequit stare cum fide supernaturali circa idem mysterium ; quia assensus formidolosus est imperfectio essentialis et intrinseca ipsius assensus, nec captivatio intellectus circa idem mysterium, cui assentitur ; adeoque nec supernaturalitas simpliciter, nec fidei supernaturalitas convenit ejusmodi assensui. Similia non sunt in actu fidei *accidentaliter imperfecto*, de quo nobis sermo est; ac præterea patet, possibilem esse affectum supernaturalem in aliqua materia, qui componatur cum amore prohibito circa aliam materiam, licet nequeat conjungi cum amore prohibito circa materiam eamdem.

Quæres. *Quis sensus sit Censurarum theologicarum?*

225. *Nota.* Censura hic sumitur pro nota malæ doctrinæ; *theologica* dicitur, cum mala doctrinæ qualitas est nociva fidei; quia ut Theologiæ munus est tueri fidem, sic etiam ad illam spectat doctrinas fidem lædentes notare : ex officio inuritur a Pontifice, Episcopis et Quæsitoribus fidei. Pro diversitate *graduum*, quibus propositio fidei opponitur, diversa etiam censura est, cujus variæ species et exempla extant in Concilio Const. Sess. 8. et 15. articulos *Wicleffi* proscribente, in Bulla Leonis X. articulos *Lutheri* abolente, in damnatione propositionum *Baianarum*, ac in quibusdam Decretalibus Pontificum. Atque secundum hanc ipsam graduum diversitatem triplicem censurarum classem statuimus ; ubi ad *primam* reducimus propositionem hæreticam, erroneam, blasphemam, impiam et schismaticam; ad *secundam* vero suspectam et proximam hæresi aut errori, sapientem hæresin; ad *tertiam* denique scandalosam, male sonantem, piarum aurium offensivam, simplicium mentium seductivam, seditiosam, et temerariam. In harum explicatione non sensum qualemcumque, sed fidei duntaxat oppositum attendimus, et unum ab altero, qui ab aliis subinde confunditur, secernimus, spectando ubique *objectum* magis, quam *subjectum*.

226. R. I. Propositio *hæretica* est, quæ contrarie vel contradictorie opposita aperte est veritati, quam certo constat esse revelatam seu de fide. *Erronea* est, quæ opponitur veritati certæ certitudine theologica; sic autem certa dicitur a plerisque veritas ea, quæ est conclusio theologica seu evidenter illata ex propositionibus, quarum altera de fide, altera evidens est : ab aliis explicatur esse ea, quæ reipsa de fide non est definita, communi tamen consensu fidelium habetur tanquam contenta in SS. Litteris, aut Conciliis, aut traditione Apost. *Blasphema* est, quæ injuriam et irreverentiam immediate aut mediate contra Deum vel Sanctos continet; hæc si cum fidei articulis simul pugnat, *blasphema hæreticalis* dicitur. *Impia* est, quæ contra verum ac debitum Deo vel Sanctis cultum pugnat, illique detrahit. *Schismatica* est, quæ nata est, quamvis sine hæresi, inducere vel promovere schisma, h. e. separationem Ecclesiæ a suo Capite.

227. R. II. Propositio *suspecta* a quibusdam sumitur quasi genus respectu subsequentium censurarum hujus classis, diciturque ea, quæ videtur innuere aliquam hæresin vel errorem : quod si *proxime* fiat, dicatur proxima vel hæresi vel errori; si *remote* tantum, dicatur sapiens hæresin vel errorem :

ab aliis seorsim et tanquam singularis censura accipitur; inter quos tamen aliqui eam extenuant, ac infra illam, quæ sapit hæresin, diminuunt, voluntque eam dici, de qua tantum fundamentum adest suspicandi hæresin vel errorem : aliqui vero extollunt et proximam post erroneam ponunt, dicuntque eam, quæ opponitur doctrinæ sacræ non certo quidem et communi consensu, sed probabilissime et juxta plerosque in Scriptura aut traditione contentæ. *Proxima hæresi* vel *errori* est, quam quidem non omnes, plures tamen et graves Doctores cum gravi fundamento dicunt esse hæreticam vel erroneam; quia ipsum proximitatis vocabulum maximam indicat propinquitatem, quæ aliter explicari nequit. *Sapiens hæresin* vel *errorem* est, quæ sive propter verba aut materiam, sive propter locum, tempus aut personam, sive propter circumstantias alias præbet fundamentum *probabiliter* judicandi, aliquam hæresin vel errorem esse in auctore, ex qua vel quo talis propositio procedat.

228. R. III. Propositio *scandalosa* universim dicitur quæ affert occasionem ruinæ vel facilitatem cadendi in hæresin, errorem, vel alia fidei opposita : magisque specialiter dicitur, quæ in individuo et praxi damnat bonos fidelium mores piasque consuetudines a Prælatis Ecclesiæ permissas et communi fidei instructione introductas. *Male sonans* est, quæ duos habet sensus proprios, alterum Catholicum, alterum hæreticum vel quacumque censura damnabilem, sed in sensu damnabili frequentius sumitur, et nihilominus absque explicatione vel exceptione profertur. *Piarum aurium offensiva* est, quæ repugnat communi fidelium existimationi, in quam ex pietate doctrinæ sacræ conformi inducti sunt. *Simplicium mentium seductiva* est, quæ sub specie et velo pietatis ac doctrinæ sanæ seducit simplices animos a fidei doctrina. *Seditiosa* est, quæ in Ecclesia vel populo Dei viam sternit ad negandam vel diminuendam obedientiam, maxime Ecclesiæ, Pontifici, Conciliis ac Prælatis circa res fidei ab iis propositas credendas debitam. *Temeraria* est, quæ communi Patrum sensui opponitur, aut sine sufficienti fundamento simili Doctorum consensui repugnat in materia theologica seu in rebus, quæ ab humana ratiocinatione et illatione ex principiis naturalibus et fidei facta dependent. Hanc *positive* temerariam dicunt, cum alia *privative* temeraria dicatur, quæ quidem Patribus aut Doctoribus, eo quod hi rem nec in communi nec in particulari tractarint, non contradicit, temere tamen ac imprudenter sententiam pronuntiat : sed postremam plerique confundunt cum *improbabili*, quæ tamen nota, nisi aliquid ex aliis supra enarratis participet, inter censuras theologicas non refertur.

DISPUTATIO IV.

DE SPE.

CAPUT I.

DE NATURA ET OBJECTO SPEI.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT NATURA ET NOTIO SPEI THEOLOGICÆ?

229. *Nota.* Spes *proprie* talis, sed in genere, juxta D. Thomam 1. 2. q. 40. a. 2. in 6. describitur esse *motus appetitivæ virtutis, consequens apprehensionem boni futuri, ardui, possibilis adipisci.* Ex hoc Theologi plerique pro natura spei cognoscenda varias in objecto conditiones, et in actu formalitates exigunt. Conditiones quidem sunt, ut objectum 1°. sit *bonum* aliquod; quia spes tanquam actus prosecutivus nonnisi bonum pro objecto habere potest, cum malum fugæ, non vero prosecutionis objectum sit : 2°. *absens,* seu quod necdum habetur ; cum stulte speretur, quod jam possidetur, nisi forte ejus præsentia possidentem lateat per errorem : 3°. *arduum* seu cum aliqua difficultate in obtinendo conjunctum ; sicut enim non timetur malum, quod nullo negotio declinare vel depellere licet ; ita nec sperare quis dicitur res minimas, aut facillimas, quas obtinere statim, ut voluerit, in potestate habet : 4°. *possibile* obtentu, et probabiliter obtinendum : quia quod quis cognoscit a se vel nullatenus obtineri posse, vel certo non obtentum iri, id quidem desperare potest, sperare autem nisi imprudenter nequit ; cum actus spei prudenter conceptus non possit ferri in impossibile, vel in aliquid, quod certo cognoscitur non esse obtinendum : *Possibile autem,* ut inquit D. Th. 2. 2. q. 17. a. 1., *est nobis quid dupliciter : uno modo per nosmetipsos, alio modo per alios.* His vero objecti conditionibus quadruplex etiam formalitas in actu spei correspondet.

Et quidem ratione *primi,* amor seu complacentia in bono sperato requiritur, quia, ut S. Th. 2. 2. q. 17. a. 7. notat, spes et omnis appetitus motus ex amore derivatur : ratione *secundi,* desiderium ; tum quia ad eamdem virtutem aut facultatem pertinet amare bonum, et amatum desiderare : tum quia spes, ex communissima acceptione, motum voluntatis tendentis ad boni absentis consecutionem sonat : ratione *tertii,* erectio animi seu efficacia volitionis et conatus voluntatis, non obstante difficultate prosequendi bonum et

media ad illud consequendum adhibendi ; cum enim spes nec objecti arduitatem, utpote quæ rationem boni non habet, appetat, nec eam etiam fugiat, aut ejus causa ab objecti prosecutione desistat ; debet contra illam appetitum erigere, ut verba Trid. Sess. 6. c. 6. innuunt, et confirmare, ut illam contemnat ac superet : atque ratione hujus spes, ut S. Th. 1. 2. q. 25. a. 1. in 0. ratiocinatur, quatenus supra desiderium addit quemdam conatum et animi elevationem ad bonum arduum consequendum, in appetitu irascibili residet, quia animus difficultatibus quodammodo iratus, quibus quasi septum proponitur bonum, stimulatur et accenditur ad illas superandas : ratione *quarti*, fiducia seu alacritas animi conjuncta cum certitudine aut quiete saltem et exclusione timoris inordinati, ne difficultates reipsa non superentur, et bonum desideratum non obtineatur ; quia absque fiducia eaque prudenter concepta spes in temeritatem vel audaciam degeneraret, vel certe languida foret, ac prorsus excideret. Ex his porro tres posteriores actui spei *essentiales* sunt, amor autem et quidem concupiscentiæ, seu quo amatur aliquid ut nobis bonum, vel præsupponitur vel includitur in desiderio tanquam genus in specie.

230. *Dico I.* Actus spei theologicæ est desiderium efficax et fiduciale boni ardui ut a Deo obtinendi.

Prob. Quia per hanc sive definitionem sive descriptionem spei natura et essentiales notæ satis exponuntur ; actus spei distinguitur ab omni alio ; ratio theologica sufficienter indicatur : nam 1°. *Desiderium* obtinet hic locum generis proximi, quod cum dicat motum appetitus rationalis, spem a passione necessaria ac sensitiva distinguit ; cum dicat actum prosecutivum, distinguit a timore ; cum dicat extensionem appetitus ad objectum, et a simplici complacentia et a gaudio distinguit. 2°. *Efficax boni ardui* prædicatum proprium et differentiale prius continet, tum quia per hæc vocabula indicatur animi erectio : tum quia per ea spes distinguitur partim a desiderio inefficaci, partim a desiderio simplici seu prosecutione boni absolute futuri, aut futuri sine omni difficultate ad libitum desiderantis. 3°. *Fiduciale* exprimit alterum prædicatum proprium ac differentiale ; quia et per hoc postrema formalitas diserte exprimitur, et spes a desperatione non minus, quam a temeritate, audacia et præsumptione distinguitur. 4°. Dicitur : *Boni ut a Deo obtinendi* ; per quod ratio actus theologici designatur juxta sententiam D. Th. hic q. 17. a. 1. in 0. dicentis : *In quantum ergo speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur.*

231. *Dico II.* Habitus spei theologicæ est virtus per se infusa disponens et elevans potentiam ad actus spei supernaturales.

Prob. Spes habitualis *virtus* est ; tum quia facit bonum habentem se, juxta illud Ps. 33. 9. *Beatus vir, qui sperat in eo* : tum quia facit opus bonum, utpote honestum, et regulæ morum conforme, ut infra ostendetur. Est *per se infusa*, ad Rom. 15. 13. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe et virtute Spiritus sancti.* Porro ejusmodi virtutem *disponere ac elevare ad actus supernaturales*, patet ex natura habitus et virtutis, et ex Trid. Sess. 6. Can. 3.

232. *Observa.* Fidem esse virtutem a spe distinctam, satis ostensum est num. 43. et 58. contra Hæreticos fidem in fiducia speciali reponentes. Ab hoc errore quantumvis alieni, Catholici quidam spem faciunt esse vel actum solius intellectus, vel saltem potentiæ hujus non minus, quam voluntatis, sed perperam. Nam licet et hi studeant distinguere actum hunc intellectus a fide, et nos concedamus præmitti judicia de memoratis nuper objecti conditionibus; ex nullo tamen capite spes *actus intellectus* dici potest: non quidem ratione *desiderii,* utpote cujus modus tendendi, scilicet prosecutivus, et objectum formale, nempe bonitas, plane discrepat a modo tendendi expressivo et motivo intellectionis seu veritate: nec ratione *erectionis animi,* utpote quæ actus est appetitus irascibilis generose assurgentis contra arduitatem boni, et oppositus tam timori quam desperationi; qui actus duo postremi cum, omnibus fatentibus, ad voluntatem pertineant, spem quoque illuc referri necesse est; nec denique ratione *fiduciæ* aut *firmitatis,* tum quia prior spei formalitas non est intellectualis, sive vivax tantum persuasio aut fides de bono possibili, sed affectiva, et alacris volitio boni illam intellectualem persuasionem præsupponens: tum quia firmitas spei ac certitudo non est formalis, seu affirmandi aut negandi, sed illativa, aut ut S. Th. hic q. 18. a. 4. inquit, participata et competens voluntatis actibus, quatenus his et ad bonum immobiliter ferimur et contra difficultates in eo consequendas erigimur.

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT MATERIALE OBJECTUM SPEI THEOLOGICÆ?

233. *Nota.* Objectum spei materiale *principale* esse Deum seu beatitudinem objectivam, communis ac certa est sententia, quam Scriptura manifeste declarat, Genes. 15. dicente Deo: *Ego merces tua magna nimis;* et Matth. 6. adhortante Christo: *Quærite primum regnum Dei;* atque ad Tit. 2. scribente Apostolo: *Exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Eadem constat ex testimonio Patrum, et multiplici ratione, ex qua hæc una sufficiat: Objectum spei nostræ *primarium* est, quod est præcipuum bonum nobis promissum, et ad quod opera nostra omnia ordinantur: tale autem sine omni controversia est Deus et nostra beatitudo; ergo. Controvertitur nihilominus, an beatitudo formalis sit objectum *primarium,* an objectiva connotans duntaxat formalem, an complexum ex utraque? De objecto autem *secundario* quæritur: quænam ad illud bona pertineant? circa quam quæstionem inter Catholicos quidem controversia nulla intercedit: quamvis nonnulla iisdem cum fanaticis illis, quos *Quietistas* vocant, esse possit, qui nihil determinati a Deo desiderandum aut petendum docent; sed omnia voluntati divinæ sic permittenda, ut homo paratus sit vel accipere, si Deus concedat, vel privari, si deneget.

234. *Dico I.* Objectum materiale *primarium ut quod* spei theologicæ est non tantum beatitudo objectiva, sed et formalis, seu complexum ex utraque.

Prob. Per spem attingitur Deus, non solum ut potens nos beare, sed etiam ut *actu* nos beans; quia idem objectum materiale attingimus per actum, quo speramus Deum nos beaturum, ac per actum, quo credimus Deum

de facto beare Sanctos ; ergo per spem non solum attingitur Deus, sed etiam id, per quod constituitur nos beans, quæ est beatitudo formalis.

Conf. Actus spei est procurativus et causativus sui objecti ; quia ejus causa omnia fiunt, sicut et ipse fit : sed non est causativus Dei *secundum se,* sed solum Dei ut possidendi ; ergo.

235. *Dico II.* Objectum materiale spei theologicæ *secundarium* sunt bona supernaturalia omnia beatitudini subordinata ; imo et bona naturalia ac temporalia, quantum hæc ad consequendam beatitudinem conducunt.

Prob. Ad eamdem virtutem spectat velle finem et media, *primario* quidem finem, media autem *secundario* ; ergo cum spes versetur circa beatitudinem tanquam finem, et hinc illa sit objectum primarium ; etiam versabitur circa bona supernaturalia, præsertim gratiam divinam et remissionem peccatorum, quæ sunt media necessaria ; et circa bona naturalia, si et quantum hæc sunt media conducentia ad beatitudinem ; adeoque hæc omnia sunt objectum secundarium.

Conf. Spes theologica attingit Deum ut objectum *formale* ac *materiale* : sed quando speratur bonum ut conducens ad beatitudinem, attingitur Deus ut objectum formale et materiale, quando autem sub hoc respectu non speratur bonum, neque Deus etiam sic attingitur ; quia quando amatur bonum ut medium ad beatitudinem, hoc ipso etiam amatur beatitudo, quæ importat Deum ut nobis bonum ; et e contrario quando bonum sic non amatur, neque etiam beatitudo aut Deus illo actu amatur ; ergo. Dixi : *Bona naturalia, quatenus ad beatitudinem conducunt* ; tum quia naturalia bona, secundum se spectata, æque possunt esse impedimenta salutis ac adjumenta ; nec illius consequendæ evadunt media, nisi ad eam fuerint a Deo ordinata : tum quia non possunt esse objectum pertinens ad virtutem spei, nisi illi conveniat etiam objectum formale, quod *partiale* saltem est bonitas Dei respectiva seu Deus ut possidendus.

236. *Dico III.* Utrumque objectum etiam *determinate* sperandum est. Patet ex propp. *Mich. de Molinos* ab Innoc. XI. damnatis, 12. : *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet habere desiderium propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.* 14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus proprie voluntatis et electionis, et est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod divinæ* etc.

Prob. Quæ sunt petenda et roganda a Deo, hæc itidem speranda sunt, tum quia spei est *orare,* ut ex ipsa orationis natura et S. Aug. Enchir. c. 7. constat : tum quia juxta eumdem ib. c. 114. quæ in Oratione Dominica continentur, ad spem pertinent. Sed utrumque objectum a Deo petendum et rogandum est ; nam ex una quidem parte Christus precandi formulam septem petitionibus distinctam dedit et præcepit, illis Matth. 6. verbis : *Sic vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis* etc. Unde S. Cypr. L. de Or. Dom. n. 2. eam ita necessariam dicit, *ut aliter orare quam docuit non ignorantia solum sit, sed et culpa;* et Aug. ep. 89 (al. 157. n. 2.) scribit : *Omnibus necessaria*

est Oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit: ex altera vero parte constat, tam primarium quam secundarium spei objectum quoad bona naturalia non minus, quam supernaturalia *distincte* ac *determinate* postulari in divina illa precandi formula; ergo.

Conf. Nullum est spei objectum *particulare* et *distinctum*, de quo non habeantur exempla sanctorum tum V. tum N. T., qui illud a Deo vel postulaverint, vel postulare sint jussi aut moniti; *item*, Ecclesia in precibus suis publicis objecta spei tam universim quam *singillatim* ac *determinate* petit et orat; ergo.

237. *Obj. contra* 1um. Vel sola beatitudo formalis debet dici objectum primarium et immediatum spei, vel simpliciter non potest dici objectum ut quod; ergo. *Prob.* 1^{a}. *p.* Ut aliquid sit objectum spei, debet esse futurum ac arduum; ut sit *immediatum*, nihil inter illud et actum spei mediare debet: sed hæc soli beatitudini formali conveniunt; quia beatitudo objectiva sive Deus non habet rationem futuri, inter eam autem et actum spei debet mediare beatitudo formalis, cum, hac mediante, spes respiciat beatitudinem objectivam tanquam terminum et ultimum finem; ergo. *Conf.* Objectum *gaudii* immediatum in patria et *desperationis* in via est sola visio; *timoris* objectum non est ipse Deus, sed malum, quod Deus infligit; ergo etiam objectum spei immediatum non est Deus, sed ejus possessio; quia vel actuum sibi succedentium idem est objectum, vel contrariorum eadem ratio. *Prob.* 2^{a}. *p.* Solus Deus secundum se est summum bonum et finis ultimus; visio autem Dei est tantum *conditio sine qua non*, sicut cognitio rei amatæ in actu amoris; ergo solus Deus est objectum spei adæquatum, et beatitudo formalis saltem non potest esse objectum spei ut quod.

R. *N. A. ad prob.* 1^{ae}. *p. D. M.* Debet esse futurum et arduum secundum se et entitatem *N.* secundum sui assecutionem et possessionem *C.* Licet aurum non sit de novo producendum, sed jam existat, tamen speratur ut obtinendum; *item*, ut objectum sit immediatum, inter illud et actum spei, nihil debet mediare ut quod *C.* ut quo *N.* Etiam oculus immediate dicitur videre, licet visio mediet *ut quo*.

Ad Conf. Quoad 1um. R. *N. A.* Nam objectum *gaudii* est Deus ut possessus, quia sicut non sola possessio, sed etiam Deus est bonum, sic nec sola illa delectat; similiter etiam *desperatio* versatur circa Deum possidendum, quia est nolitio formalis vel virtualis Dei possidendi, quatenus boni ardui et impossibilis. Quoad 2um. *T. A. N. Cons. Disparitas* est, quia Deus in se malus non est, adeoque objectum timoris aut tristitiæ esse nequit; ut tamen Deus, utpote bonum, spei objectum est: potest tamen Deus ut puniens apparere malus, licet reipsa malus non sit, atque hinc etiam esse objectum timoris et tristitiæ.

Ad prob. 2^{ae}. *p.* R. *D.* Solus Deus secundum se est summum bonum absolutum et suum *C.* respectivum et nostrum, et fit tale sine visione seu beatitudine formali *N.* Visio est ipsa finis possessio, seu finis ultimus ut quo, qui respectu spei, quæ est actus quasi reflexus, se habet *ut quod*; atque ita etiam cognitio rei amatæ est objectum partiale amoris, si ipsa cognitio et objectum per aliam cognitionem proponatur ut bonum *cognitum* amabile.

238. *Obj. cont.* 2um. Vel nulla *bona temporalia,* vel omnia sunt objectum spei; ergo. *Prob.* 1a. *p.* Nihil est objectum spei, ex dictis in thesi, nisi quod vel est beatitudo nostra vel ad illam conducit: sed bona temporalia nec sunt beatitudo nostra, nec ad eam etiam conducunt; ergo. Adhæc spes, utpote virtus theologica, debet habere pro objecto materiali immediato aliquid divinum seu Deum. *Prob.* 2a. *p.* Objecta quæcumque, licet non conducentia ad Deum, possunt esse materia fidei; ergo et quæcumque bona temporalia objectum materiale spei. Nonne actus, quo quis, v. g. sperat sanitatem, secundum se sumptam et a Deo conferendam ad intercessionem alicujus Sancti, est spes theologica, pro objecto habens omnipotentiam divinam auxiliatricem; ergo bonum temporale quodcumque seu non conducens ad beatitudinem potest esse spei objectum.

R. *D.* 2am. *p. min.* Bona temporalia non conducunt directe, per se aut per modum meriti ad beatitudinem *C.* ne quidem indirecte, per accidens, aut per modum occasionis, vel materiæ etiam, in qua exerceatur virtus aut meritum *N.* Ex eo autem quod spes sit *theologica,* sequitur duntaxat, ejus objectum formale debere esse quid divinum, et materiale principale esse Deum; non vero quod nihil creatum possit obtinere locum materiæ immediatæ.

Ad prob. 2ae. *p.* R. *N. Cons. Disparitas* est, quia quodcumque creditur propter revelationem divinam, creditur propter motivum fidei proprium, adeoque est materia fidei; quando autem aliquid speratur sine relatione illius ad bonitatem Dei respectivam seu Deum possidendum, non amplius adest motivum specificativum fidei theologicæ; cum hoc partialiter situm sit in bonitate Dei respectiva. Atque hinc etiam colligi potest, cur non omnes fidei objectum primarium et secundarium, sicut pro spe, statuant, quamvis concedant reliqua omnia ad unum Deum referri etiam in materia fidei posse. Ad *spem theologicam,* quæ essentialiter est desiderium, et ut desiderium pro motivo bonitatem divinam respectivam habet, actus ille ex dictis non pertinet, sed ad dilectionem propriam et fiduciam in Deum, quarum prima specificat actum in ratione virtutis moralis, cui æque ac aliis convenit posse efficaciter desiderare et sperare hunc actum et objectum : altera autem quamvis referat actum ad Deum, spem theologicam non constituit, cum nonnisi inadæquatum spei motivum et se solo ad illam insufficiens importet.

239. *Obj. cont.* 3um. Fides tria docet : *primum,* neminem salvandum, nisi sit prædestinatus : *secundum,* non omnes esse prædestinatos : *tertium,* neminem posse esse certum de sua prædestinatione sine speciali revelatione; ergo ut in hoc dubio voluntas humana sit divinæ conformis, non debet suam salutem *absolute* petere, sed conditionate duntaxat, si ita Deus decreverit, cæterum parata illa privari. *Conf.* Juxta Apost. ad Rom. 8. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus;* ergo nihil *determinate* petendum aut sperandum est.

R. *N. Cons. Incertitudo* enim prædestinationis non debet extinguere aut suspendere nostræ salutis desiderium, cum Deus, quantum est ex parte sua, velit serio omnium salutem, regnum cœlorum vim patiatur, et violenti illud rapiant; culpa non prædestinatorum accidat, quod salutem non consequantur; quia nempe noluerunt illam adipisci, nec pro viribus et fervore debito

ad illam contenderunt. Quin excitari potius inde nostrum desiderium, discimus ex 2. Pet. 1. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*, et ad Hebr. 12. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.*

Ad Conf. R. *D. A.* Quid oremus, nescimus semper et quoad omnia *N.* nescimus aliquando et quoad singula *C.* Quæ enim supernaturalia sunt, petere semper possumus et debemus *determinate* et *absolute*, temporalia vero semper quidem conditionate et indeterminate, non vero priori modo petenda sunt, nisi Spiritus in et pro nobis postulet gemitibus inenarrabilibus.

Inst. Temporalia bona non possunt esse materia orationis; tum quia oratio est mentis ascensus ad Deum, appetitus vero temporalium est descensus ad inferiora : tum quia Orationis Dominicæ petitio *quarta*, quam nos circa victum et vestitum versari existimamus, ad panem spiritualem, testibus Tertull. L. de Orat. c. 6., Cypr. L. de Orat. Dom. c. 18. et Aug. de serm. Dom. in monte, L. 2. c. 7. n. 27., spectat : tum quia, ubi Christus Matth. 6. nos jussit quærere regnum Dei et justitiam ejus, nec sollicitos esse de necessariis ad vitam, juxta S. Aug. loc. cit. n. 25. : *Non ait utique, quærite primum regnum Dei, et deinde ista quærite; sed, hæc omnia,* inquit, *vobis apponentur, scilicet etiam non quærentibus* : tum quia *determinate* saltem temporalia peti non possunt, sicut supernaturalia; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. R. *D.* Appetitus temporalium propter vitam æternam et tanquam mediorum quomodocumque ad illam conducentium est descensus ad inferiora *N.* temporalium propter seipsa appetitorum, ita ut in illis plane sistatur *C.*

Ad prob. 2am. R. *D.* Orationis Dominicæ petitio *quarta*, imo et *septima*, pertinet ad panem spiritualem et bona superna, cum exclusione nostræ interpretationis de victu et vestitu, de malorum item temporalium diminutione aut depulsione *N.* sine tali exclusione *C.* Iidem enim Patres sensum utriusque petitionis etiam temporalibus tribuunt, et pro sufficientia ad vitam præsentem liberationeque a pœnalitatibus hujus vitæ orandum statuunt.

Ad prob. 3am. R. *D.* S. Aug. monet temporalia non esse quærenda, excludendo sollicitudinem, qua avertamur a regni divini prosecutione, et desiderium, quo ferimur in bona temporalia unice propter se ac tanquam in finem ultimum *C.* excludendo omnem temporalium petitionem, ut conducentium ad salutem *N.* Vid. S. Aug. loco cit. c. 16. et 17.

Ad prob. 4am. R. Discrimen inter utraque bona postulanda patet ex dictis: supernaturalia enim *absolute* petimus, quia non obsunt accepta, et præterea certi sumus, quod Deus paratus sit ea dare, cum toto corde quæsiverimus : temporalia vero *conditionate* tantum postulamus, quia prodesse possunt et obesse.

240. *Observa.* Controversum est inter Auctores num et *aliena* beatitudo formalis possit esse objectum materiale spei theologicæ? Communior est, et probabilior videtur nobis sententia negativa, nisi aliena beatitudo intendatur ut ad propriam sperantis beatitudinem conducens, quam et amplectitur S. Th. p. 3. q. 7. a. 4. ad 2., et insinuat S. Aug. in Enchir. c. 8. præter alias inter fidem et spem distinctiones, hanc quoque asserens : *Spes autem non-*

nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. Ratio est, quia spes theologica est actus concupiscentiæ circa bonitatem divinam respectivam, ut ipsi concupiscenti bonam; tali autem actu quis non concupisceret beatitudinem ut *sibi*, sed ut *alteri* bonam; adeoque desiderium ejusmodi ad amorem benevolentiæ vel amicitiæ, non autem ad spem theologicam pertineret. Atque hinc quidem patet imprimis discrimen, cur eodem habitu *charitatis* amemus Deum, nos ipsos, et proximum propter Deum, utpote ubi semper pro objecto formali attingitur bonitas divina *absoluta*; quin tamen eodem spei habitu propriam et alienam beatitudinem sperare possimus, ob diversum scilicet motivum. Deinde vero constat, nonnisi *improprie* desperari de aliena salute; quia ejusmodi desperatio potius fiduciæ in Deum, quam spei theologicæ opponitur. Denique sequitur, desiderium salutis et erectionem animi ad fundendas preces non ex concupiscentiæ amore, sed ex benevolentia proficisci etiam in illo casu, quo Deus promitteret viatori sancto, intuitu ejus precum, a se alteri peccatori concedendam veniam et salutem.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE SPEI THEOLOGICÆ?

241. *Nota I.* Sunt qui simplex pro spe objectum formale statuunt, *arduitatem objecti sperati*; sed arduitas se habet ad spem, sicut obscuritas ad fidem: adeoque non est ratio motiva, sed modus duntaxat objecto inhærens ac proprius, quotus sæpe retrahens a sperando. Alii *bonitatem Dei respectivam* statuunt; sed quamvis hæc bonitas ratio esse possit, cur rem quis cupiat; non tamen spei actus ultimato resolvitur in illam bonitatem, adeoque ratio formalis saltem adæquata non est. Nec felicius assignant alii *misericordiam* et *omnipotentiam* divinam; objectum enim ut possibile, sub qua ratione sperata res omnipotentiam connotat, voluntatem non allicit, sed ut bonum. Cum itaque ex his singulis nullum satisfaciat, ac præterea actus spei, utpote vel formaliter vel æquivalenter triplex, possit ac debeat habere diversas rationes formales; cum communiori jam Theologorum pro singulis spei formalitatibus singula objecta formalia designatum imus.

242. *Nota II.* Juxta Theologos, absoluta et respectiva bonitas desumitur a diversa consideratione perfectionis in ordine ad subjecta, unde etiam diversus amor nascitur; atque hinc *absoluta* dicitur, qua aliquod ens in se bonum est, et in ordine ad se spectatur; ex quo amor æstimationis, benevolentiæ ac amicitiæ profluit: *respectiva* vocatur, qua ens alteri bonum est, et in ordine ad alios spectatur; ex quo oritur amor concupiscentiæ, prosecutionis ac desiderii: quia vero res alteri secundum diversa potest esse bona, atque hinc appetibilis, in bonitate Dei respectiva diversæ relationes attendi debent, inter quas pro ratione objecti spei primarii etiam primaria est, quæ in ordine ad visionem et amorem beatificum habetur; unde et nomine hujus bonitatis Dei respectivæ venit ejus possessio seu Deus possidendus, non præcise ut aliquod bonum creatum, sed ut donum Dei, prout nos uniens cum Deo, adeoque ut aliquid *moraliter* divinum. Similiter virtus Dei auxiliatrix non

dicit tantum omnipotentiam Dei et misericordiam, sed et auxilia ac media a Deo profecta et necessaria sive utilia ad consecutionem boni sperati.

243. *Dico I.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit formalitatem desiderii, est *bonitas Dei respectiva.*

Prob. Prout spes dicit formalitatem desiderii, non tantum est actus virtutis theologicæ ad voluntatem spectantis, sed et amor concupiscentiæ. Atqui dum ut virtus voluntatis pro objecto habet bonitatem, ut theologica bonitatem divinam seu Deum qua bonum, debet ut amor concupiscentiæ pro motivo respicere *bonitatem Dei respectivam;* cum amor concupiscentiæ per hoc distinguatur ab amore æstimationis, benevolentiæ ac amicitiæ seu a charitate, quod ille feratur in bonum, prout amanti bonum est, non autem prout præcise bonum est in se et absolute; ergo.

Conf. Idem est objectum formale *gaudii,* quod est desiderii : sed objectum formale *gaudii* est divina bonitas respectiva sive Deus ut nobis per sui possessionem bonus; ergo idem etiam est objectum spei, prout formalitatem desiderii importat.

244. *Dico II.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit formalitatem erectionis animi, est *virtus Dei auxiliatrix.*

Prob. Illud est objectum formale spei secundum hanc formalitatem, quod est ratio formalis et immediata, cur voluntas audeat contra difficultates conari, et earum sibi victoriam promittere; quia erectio ejusmodi est conatus quidam voluntatis ad superandas difficultates, cum exclusione desperationis ne illæ superentur : sed hæc ratio est virtus Dei auxiliatrix; tum quia hæc præstat ratione *omnipotentiæ,* ut victoria difficultatum sit absolute possibilis, ratione *misericordiæ* autem, ut illa etiam sit nobis proxime possibilis: tum quia interrogatus : cur quis speret beatitudinem obtentu quantumvis difficilem, seu contra difficultates animum erigat? respondet, quia Deus *potens* valet auxilium ferre, et *misericors* vult ferre, seu paratus est ad ferendum auxilium ; sicut æger ad quæstionem, cur sanitatem vehementer afflictam reparandam nihilominus speret? reponit : quia præsto est medicus peritus et ad medicinam salubrem dandam paratus; ergo.

Conf. Scriptura sæpe proponit jam virtutem Dei auxiliatricem, jam singulas hujus virtutis partes, *misericordiam* nempe et *omnipotentiam* tum ad contestandam tum ad excitandam spei erectionem, ut patet ex Ps. 17. 3. *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum.* Genes. 15. 1. *Noli timere : Ego protector tuus, et merces tua magna nimis* Ps. 12. 6. *Ego autem in misericordia tua speravi;* Quæ verba David Ps. 51. 10. repetit. Isa. 26. 4. *Sperastis in Domino Deo forti.* 2. Reg. 22. 3. *Deus fortis meus, sperabo in eum.,* etc.

245. *Dico III.* Objectum formale spei theologicæ, prout hæc dicit fiduciam, est *fidelitas Dei in promissis,* vel omnipotentia ac misericordia Dei per promissionem obligata.

Prob. Motivum spei secundum hanc formalitatem est illud, quod datur pro ratione formali et immediata, cur confidamus bona sperata nos esse obtenturos : sed hæc ratio est Dei promittentis *fidelitas;* quia, supposito

quod Deus beatitudinem et media ad illam nobis promiserit, sitque omnipotens, et promissa servare valeat; ex eo præcise ac formaliter habetur fiducia beatitudinis consequendæ, quod Deus promissa sua præstare velit, nec voluntatem mutet; quia ex hoc capite certo inferimus objectum futurum; ergo.

Conf. Spes, ratione fiduciæ, dicit firmitatem et certitudinem, indeque ad Hebr. 6. vocatur *anchora tuta et firma;* Tridentinum vero docet, *omnes debere in auxilio Dei spem firmissimam ponere :* sed hujus firmitatis motivum in Scriptura assignatur fidelitas divina in promissis, ibid. 10. 23. *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit.* Et ad Tit. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus;* ergo.

246. *Obj. cont.* 1um. Nullus actus resolvi potest in *bonitatem rei speratæ* tanquam in motivum, cui innitatur; ergo bonitas Dei respectiva nequit esse objectum formale spei theologicæ. *Prob. Ant.* 1°. Licet interroganti, cur aliquam rem amem vel desiderem vel de ea læter? recte respondeam, quia bona est; tamen quærenti, cur sperem? ita reponere non possum : qui enim postremum quærit, sciscitatur, qua re motus aut fretus in illius rei assequendæ spem veniam? Sicut qui quærit, cur credam? interrogat, qua re motus aut fretus præbeam assensum? 2°. Licet *bonitas rei speratæ* non sit indifferens, ut quis eam amet aut oderit, desideret aut fugiat, de illa gaudeat aut tristetur; tamen secundum se est indifferens, sive ut eam speremus, sive ut de ea obtinenda desperemus, ut experientia circa eamdem beatitudinem respectu diversorum hominum probat; ergo actus sperandi in bonitatem tanquam motivum resolvi nequit. 3°. Motivum *desperationis* non est bonitas vel malitia rei, de qua desperatur, sed vel infirmitas virium vel defectus alieni auxilii; ergo a contrario bonitas rei speratæ non est motivum formale spei, sed vel propria sperantis industria vel alienæ potestatis auxilium.

R. *N. A.* vel *D.* Nullus actus sperandi, sumptus secundum formalitatem desiderii, resolvi potest in bonitatem etc. *N.* sumptus secundum formalitatem erectionis animi aut fiduciæ *T.* Hinc

Ad prob. 1am. *D.* Ita non possum respondere quærenti, cur sperem, si actum sperandi considero, prout prosecutive tendit in objectum *N.* Si eumdem præcise sumo, prout tali modo tendit *C.* Quæstio illa, cur sperem, habet duplicem sensum : *primum,* cur *velit* assequi tale bonum? cui respondetur per specialem rationem motivam, sub qua illud vult, nempe bonitatem; *secundum,* cur *tali modo* tendat in objectum, id est, cur erigatur animo concipiatque fiduciam illud assequendi, quamvis arduum ac difficile? huic respondetur per motiva erectioni et fiduciæ propria. Atque hoc speciatim etiam elucet in spe theologica; nam si quæratur, cur tendamus ad Dei visionem, eamdem appetendo? apte respondetur : quia est summum bonum nostrum : si vero cur tali modo tendamus, per erectionem nempe animi et fiduciam illius assequendæ? ratio recte datur, quia Deus paratus omnino est auxilium nobis dare, quantum sufficit, ut eam assequamur.

Ad prob. 2am. *N. Cons.* Sequitur enim duntaxat, voluntatem posse diversimode se habere circa idem objectum formale diversimode apprehensum :

nempe circa illud audendo et animum erigendo, atque *prosecutive* tendendo, si apprehendatur ut possibile ac probabiliter futurum; vel e contrario abjiciendo animam ac diffidendo et tendendo *aversative*, si apprehendatur ut impossibile aut nimis difficile.

Ad prob. 3am. *D. A.* Motivum desperationis, h. e. abjectionis animi ac diffidentiæ non est bonitas vel malitia objecti *C.* motivum desperationis, h. e. aversionis aut omissæ tendentiæ in objectum, non est bonitas *Subd.* secundum se sumpta *C.* apprehensa ut impossibilis aut non obtinenda *N.*

Inst. 1. Amor *concupiscentiæ* non pertinet ad constitutiva spei sed ad eam præsupponitur, sicut ad timorem præsupponitur amor rei, quam quis amittere timet; ergo bonitas respectiva nullo modo potest esse objectum formale spei.

R. *D. A.* Amor concupiscentiæ sumptus pro simplici complacentia aut affectu amoris cujuscumque vel desiderii inefficacis non pertinet ad constitutiva spei *C.* amor concupiscentiæ prosecutivus boni ardui ac futuri et desiderio efficaci expressus *N.* Amor *primo* modo acceptus timorem æque ac spem præcedere debet aut potest; *secundo* modo acceptus ad spei essentiam ex supra dictis pertinet.

Inst. 2. Si *bonitas respectiva* esset motivum actus spei, et hic esset simul actus concupiscentiæ; ergo spes non amitteretur solo peccato desperationis, sicut fides solo infidelitatis peccato juxta Trid. Sess. 6. c. 15. deperditur; sed etiam quocumque alio peccato mortali commisso cum advertentia, quod illud bono nostro supernaturali adversetur; cujusmodi tamen sunt omnia fere peccata mortalia Christianorum, quibus peccantibus id notissimum est ac fere semper occurrit memoriæ : hoc enim peccatum *directe* opponitur amori et desiderio boni supernaturalis non minus ac charitati et amicitiæ erga Deum. Sequela est falsa; ergo.

R. *N. seq.* quoad 2am. *p.* Quamvis enim, juxta plures, *probabilius* dicatur, spem amitti non tantum per peccatum *desperationis*, sed etiam per quodcumque aliud peccatum mortale affectibus virtutis spei incompatibiliter repugnans, illosque prorsus excludens a subjecto; cujusmodi statuitur voluntas deliberata nunquam sperandi, contemptus aut neglectus absolutus proprii boni supernaturalis, et peccatum mortale admissum cum advertentia, quod tali bono graviter adversetur, aut nos illo privet, præsertim irrevocabiliter : falsum tamen imprimis est etiam in plerisque Christianis peccantibus vigere illam notitiam et adesse advertentiam. Deinde vero discrimen oppositionis in peccato mortali cum *charitate* ac *spe*, ex alibi dictis est manifestum; quandoquidem peccatum mortale est formalis offensa Dei, ejusque contemptum *formaliter* includit, qui sane cum Dei amicitia stare nequit; cum e contrario, quamvis *causaliter* inducat privationem boni nostri supernaturalis, tamen hæc a peccantibus sæpe ignoretur, aut saltem non attingatur.

247. *Obj. cont.* 2um. *Virtus Dei auxiliatrix* pertinet ad causam efficientem objecti sperati, h. e. beatitudinis; imo actus spei supernaturalis; ergo non est motivum seu causa objectiva; præsertim, cum alias daretur mutua naturæ prioritas, quia auxilium divinum, quod speratur, causatur a spe, et tamen si illud motivum spei foret, spes ab eo auxilio causaretur. *Conf.*

Eadem virtus, quacumque ratione spectetur, nequit esse motivum spei, etiam secundum formalitatem *erectionis* : si enim spectetur ut bona absolute, est objectum charitatis ; si ut bona respective, est objectum spei sumptæ secundum rationem *desiderii* ; si ut utilis ad obtinendam beatitudinem, non habet rationem objecti formalis, sed medii propter aliud amati ; ergo.

R. *N. Cons.* Patet enim contrarium in medico, qui motivum sperandæ sanitatis unaque causa eam *efficiens* sæpius habetur. Ad id quod additur R. *N. Ass. Ad rationem D.* Idem numero, quod speratur, causatur a spe *N.* aliud numero *C.* Auxilium divinum concurrens ad productionem actus spei est distinctum ab auxilio altero , quod in præmium spei conceditur : atque hoc licet possit esse causa *finalis* spei eliciendæ ; tamen quia causa finalis, nec ut existens, nec ut futura causat, physice profecto et in eodem ordine prior non est suo effectu.

Ad Conf. R. *N. Cons.* Virtus auxiliatrix, prout est objectum spei , spectatur præcise sub ratione efficaciæ sibi propriæ, qua rem speratam reddit possibilem et, non obstante quacumque ejus arduitate , probabiliter futuram, eo quod sub hac ratione voluntatem erigat, firmetque in boni prosecutione. Cum *hac responsione* congruit aliorum enuntiatio, qui volunt spem versari circa virtutem Dei auxiliatricem ut dignam, cui confidatur ; sicut fides versatur circa veritatem primam, ut dignam, cui credatur, charitas circa bonitatem Dei ut dignam, quæ ametur propter se.

Inst. Si assertio nostra teneret, sequeretur e contrario, *timorem gehennæ* debere pro motivo suo habere Deum comminantem, adeoque etiam esse virtutem theologicam : sicut enim interroganti : cur speras ? respondemus : quia Deus paratus est per sua auxilia subvenire ; sic etiam sciscitanti : cur times gehennam ? respondendum foret : quia Deus illam comminatur ; atque hinc Deus *comminans* non minus esset objectum formale timoris, ac Deus *auxilians* objectum spei dicitur.

R. Quamvis *timor Dei ut vindicis* possit pertinere ad virtutem theologicam spei, sicut timor offensæ Dei, ex motivo Dei summe dilecti conceptus, habetur pro actu secundario charitatis ; propterea quod eadem virtus primario prosequitur proprium bonum, et secundario aversatur ac fugit malum suo bono directe oppositum : nihilominus *N. seq. et prob.* Imprimis enim falsum est, quod Deus *comminans* necessario statuendus sit pro motivo timoris gehennæ : deinde *disparitatem* produnt prædicata divina ; cum omnipotentia et bonitas Dei sit per se et ante nostra merita ad auxilia et vitam æternam dandam disposita, justitia vero vindicativa et comminatoria non sit prona ad infligendam pœnam ante demerita, prætereaque hanc non intendat, uti bonitas vitam æternam. Inde autem sequitur, quod interrogatus de spe, debeat pro motivo *primario* reddere virtutem divinam auxiliatricem ; timens autem pro eodem assignare malum pœnæ probabiliter imminens, et pro motivo solum *secundario* ac ex suppositione consequente comminationem divinam.

248. *Obj. contr.* 3um. Ad secure desiderandum seu sperandum cum fiducia aliquod objectum sufficit illud esse futurum, præscindendo ab hoc vel illo medio, quo est *active* futurum ; ut patet in eo qui, cum mediis vel determinate non cognitis , vel etiam perspectis, prudenter judicat vel scit se dignitatem obtenturum, secure desiderare dignitatem potest, quin moveatur

a mediis etiam sibi cognitis : præsertim cum alias etiam merita nostra forent motivum spei theologicæ, si, quod ad rem *active* futuram per modum causæ vel conditionis spectat, necessario tanquam objectum formale constituendum esset. Sed beatitudo est *formaliter* futura per seipsam ac præscindendo a fidelitate Dei in promissis vel omnipotentia Dei per promissionem obligata ; ergo.

R. *D. M.* Ad secure desiderandum actu spei quocumque aliquod objectum sufficit etc. *C.* ad secure desiderandum actu spei theologicæ *N*. Ut spes, etiam secundum rationem fiduciæ, habeat veram notionem virtutis theologicæ, non sufficit habere pro motivo futuritionem formalem beatitudinis præsertim *formalis,* sed requiritur futuritio *causalis,* quæ, quoad possibile, ab omnipotentia, quoad certitudinem, a fidelitate Dei in promissis habetur. Hinc

Ad prob. 1^{am}. patet disparitas. *Ad* 2^{am}. *prob.* R. Communior sententia pro formali fiduciæ motivo *secundario* statuit omnia illa media, quæ ad obtinendam beatitudinem sunt ordinata ; qualia sunt merita Christi Salvatoris, accurata observantia mandatorum, pius ac frequens usus sacramentorum, exercitium virtutum, mutuæ justorum in terris degentium preces, intercessio Sanctorum in cœlis, pro quibus tam auctoritas quam ratio pugnat.

Inst. Seclusa omni *promissione*, sufficiens motivum fiduciæ habetur per ipsam potentiam, misericordiam, liberalitatem, justitiam remuneratoriam aliasque ejusmodi perfectiones divinas; prout hoc ipsum etiam patet a paritate *in humanis* ; ergo. *Conf.* Plura, nempe auxilium efficax, finalem gratiam etc. et petimus et speramus a Deo, quæ tamen non sunt *promissa* ab eodem, atque hinc pro motivo fidelitatem divinam connotare nequeunt; ergo.

R. *D. M.* Seclusa promissione divina sufficiens motivum fiduciæ adeo firmæ, quam spes theologica importat, haberi potest *N*. fiduciæ qualiscumque *C*. Experientia, ad quam *in humanis* provocatur, potius ostendit contrarium, cum mendicus longe confidentius eleemosynam sibi *promissam* a divite ac liberali speret, quam ab altero æquali, qui nihil promisit : atque hinc etiam, quia illæ perfectiones divinæ dicunt in Deo inclinationem ad concedenda sperata, non vero necessitatem, qua omne desideratum debeat dare ac obligetur ; spes, quæ in Deo habita non confundit, fidelitati etiam inniti debet ; id, quod ulterius declarant tot in Scripturis consignatæ promissiones divinæ, quæ sane forent superfluæ, si tanta sine illis fiducia elici posset.

Ad Conf. R. *D. A.* Plura petimus et speramus, quæ a Deo non sunt promissa promissione saltem generali, qua ille promisit adesse in nomine Christi petentibus, rogantibus, pulsantibus et invocantibus se *N*. Promissione semper particulari, specialiter ad tale objectum terminata *C*. Inde vero actum spei unum præ altero et confidentiorem et contra difficultates audentiorem facile concedimus.

249. *Observa I.* Ex dictis patet, quodnam sit objectum *adæquatum* spei formale constituendum, Deus nempe ut remunerator seu ut nobis bonus, ut auxiliator, et ut promissor fidelis : sicut enim pro fidei motivo auctoritatem Dei et revelationem simul statuimus, sic præter fidelitatem etiam promissio-

nem divinam hic in complementum motivi fiduciæ adjungendam censemus. Nec refragatur nobis D. Thomæ auctoritas hic q. 17. a. 4. in 0. *Spes duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, et auxilium per quod illud bonum obtinetur; bonum autem quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis, auxilium autem, per quod aliquis sperat illud bonum obtinere, habet rationem causæ efficientis* : cum hic quæstionem nostram et sub his terminis non tractat, uniceque probat quod bonum speratum habeat rationem causæ *finalis,* respectu virtutis spei ut prosequentis et enitentis illud assequi, auxilium vero divinum rationem causæ *efficientis,* respectu assecutionis ejusdem boni ; quin neget auxilium esse id, ex cujus consideratione assurgat voluntas in spem, et fiduciam habeat : in Quæstionibus enim disputatis q. un. de spe, a. 1. in Conclus. aperte pro nobis definit scribens : *Sicut formale objectum fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit* (intellectus) *his, quæ creduntur... ita etiam formale objectum spei est auxilium divinæ pietatis et potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt objectum materiale spei.* Atque his similia ibid. ad 4. et a. 4. repetit : quid? quod *loco supra objecto* a. 1. statuit, spem nostram attingere ad ipsum Deum, cujus auxilio, nempe ut objecto formali, innitur. Ubi vero non adeo diserte divinam in promissis fidelitatem adjungit, vel de spe minus adæquate nec secundum perfectionem certæ fiduciæ sumpta loquitur, vel potentiam Dei auxiliatricem promissione obligatam intelligit; quo postremo sensu etiam accipi debet illud Ps. 20. *Rex sperat in Domino et in misericordia Altissimi non commovebitur* : spem enim formaliter immobilem non facit misericordia Dei *secundum se* et inclinationem duntaxat ad bona concedenda exprimens, sed promissionis obligatione et fidelitatis vinculo determinata.

250. *Observa II.* Spem esse virtutem a charitate distinctam, satis probat duplex distinctionis signum, separabilitas scilicet et relationis oppositio. Liquet id præterea ex objecto formali utriusque, cum spes secundum formalitatem amoris ac desiderii pro motivo respiciat bonitatem Dei *respectivam,* charitas autem *absolutam.* Veritati huic ab omnibus alias receptæ duplex Auctorum quorumdam genus repugnat. Alii enim amorem Dei *ut nobis boni,* vitii et male mutati ordinis insimulant, adeoque vel spem virtutem negant, vel cum charitate confundendam jubent; sed contra hos agetur, ubi de spei honestate. Alii e contrario contendunt, nihil posse a nobis amari, nisi illud sit nobis bonum; cum non sufficiat rem amandam esse simpliciter et absolute bonam, sed requiratur ut amanti sit bona et conveniens; adeoque charitatem a spe distinctam esse fictitiam : verum et hoc, ubi de charitate loquemur, facile diluetur, et objectio allata sophismate laborat : si enim per voces illas, *nobis bonum* et conveniens, intelligatur quod res amata debeat pollere virtute amantem perficiendi, aut amans debeat esse ordinatus ad rem illam, vera omnino est propositio : si autem sensus sit, rem illam, ut ametur, semper referri oportere ad ipsum amantem tanquam ad finem, propositionis falsitas tum ex obviis exemplis tum ex *infra dicendis* perspicua est.

CAPUT II.

DE PROPRIETATIBUS ET AFFECTIONIBUS SPEI.

ARTICULUS I.

AN ACTUS SPEI THEOLOGICÆ SIT SUMME CERTUS?

251. *Nota.* Inter spei proprietates est *certitudo : honestas* et *necessitas* ejusdem affectiones dicuntur. *Certitudo* alia est infallibilitatis seu indefectibilitatis a vero, altera firmitatis seu indubitabilitatis. Prior *formaliter* nequit haberi in actu spei et ratione sui, sed denominative tantum et participative ab actu intellectus, a quo dirigitur, ut docet D. Thomas hic q. 18. a. 4. *Certitudo invenitur in aliquo dupliciter, scilicet essentialiter et participative : essentialiter quidem invenitur in vi cognoscitiva; participative autem in omni eo, quod a vi cognoscitiva movetur infallibiliter ad finem suum.* Atque hæc spei certitudo participata vocari etiam potest infrustrabilitas. Posterior, quantum *præcise* dicit firmitatem et adhæsionem actus ad suum objectum, non actibus duntaxat intellectus sed et voluntatis convenit, cum hoc uno discrimine, quod *firmitas intellectus* excludat dubium et fluctuationem intellectus, *voluntatis* autem *firmitas* timorem ac voluntatis fluctuationem. Præterea, cum spei certitudo ex actu intellectus prævio dependeat, adverti debet circa objectum materiale spei duplicem Dei promissionem haberi, alteram *absolutam* de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus, alteram *conditionatam* de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur; atque hinc illam promissionem essentialiter esse infrustrabilem, hanc vero sæpius frustrari, non quidem ex defectu infallibilitatis et virtutis divinæ, sed ex hominis defectu, nec positæ ab eo conditionis. Porro secundum hæc Catholici omnes distinguunt tum inter objectum spei tum inter ejus certitudinem, quantum respicit vel Deum vel nos; cum e contra *Novatores,* qui existimant fidem esse certam animi fiduciam, qua unusquisque indubitanter sibi applicat promissiones futuræ beatitudinis generatim factas, statuant unicuique firmiter esse sperandum, seu in erronea eorum phrasi, credendum, se esse ex numero prædestinatorum ac certo salvandum. Contra quos

252. *Dico I.* Actus spei theologicæ, quantum *ex parte Dei,* est summe certus seu infrustrabilis, et summe firmus seu excludens omnem timorem.

Prob. 1°. *p.* Ad Rom. 5. 5. *Spes non confundit*; Ps. 24. 3. *Qui sustinent te, non confundentur* ; et Eccli. 2. 11. *Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est*; 2. ad Tim. 1. 12. *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare.* Unde sic arguere licet : si spes ex parte Dei non foret *summe certa,* suo quandoque frustraretur effectu, aut frustrari certe

posset; si nempe Deus creaturis suis deesset; adeoque spes confunderet, et confunderentur ii, qui sperant in Domino, nec Apostolus certus esse potuisset : sed enim hoc repugnat cit. textibus; ergo.

Conf. Actus voluntatis est denominative ac participative certissimus, qui dirigatur ab actu intellectus summe certo ac infallibili; sed actus spei theologicæ, in ordine ad Deum spectatus, dirigitur ab ejusmodi actu intellectus, scilicet a *fide divina*, qua sperans credit Deum absolute quidem collaturum auxilia sufficientia, et conditionate beatitudinem; tum quia spes supernaturalis ab eadem fide connaturaliter dependet, secundum illud ad Hebr. 11. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum* : tum quia hoc ipso, quod Deus aliquid promisit, potest homo ac tenetur credere rem promissam esse futuram, vel absolute vel conditionate, prout sensus est promissionis; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Ad Hebr. 6. 18. *Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Ps. 124. 1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion : non commovebitur in æternum* etc. Unde Trid. Sess. 6. c. 13. inquit : *In divino auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent.* Firmitas autem ejusmodi deliberatum saltem timorem non compatitur; ergo.

Conf. Ille actus est affective et appretiative *super omnia firmus,* qui habet motivum formale super omnia infallibile; desumit enim firmitatem a motivo, cui innititur : sed actus spei theologicæ habet tale motivum formale; ergo. Adde paritatem cum fide, de qua S. Thomas hic q. 17. a 6. in 0. *Spes autem et fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis et cognitio veritatis et adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo adhærere, in quantum est nobis principium cognoscendi veritatem : credimus enim ea vera esse quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est nobis principium perfectæ bonitatis, in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.*

253. *Dico II.* Actus spei theologicæ, quantum *ex parte nostra,* et prout involvit absolutam exspectationem beatitudinis, seclusa speciali revelatione divina, nec est summe certus vel participative infrustrabilis, nec summe firmus vel excludens timorem.

Prob. 1ª. *p.* Eccles. 9. 1. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit : sed omnia in futurum servantur incerta.* 1. ad Cor. 10. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Ergo cum absolutus nostræ salutis eventus dependeat ex fidei et gratiæ perseverantia, aliisque nostris meritis per modum *conditionis* ad coronam gloriæ requisitis; sicut de his certi et infallibiles non sumus, sic nec spes nostra est infrustrabilis. Unde Trid. Sess. 6. c. 12. *Nemo,* inquit, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero prædestinatorum..... Nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit.* Et Can. 16. sic statuit : *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Conf. Promissio divina de danda nobis beatitudine, seclusa speciali revelatione, est solum *conditionata*, et quidem sub conditione fallibili; quia facta duntaxat est a Deo sub conditione præsertim perseverantiæ finalis, ut ex innumeris Scripturæ testimoniis liquet : hæc autem non est certo, sed solum probabiliter futura; ergo spes, prout includit exspectationem beatitudinis *absolute* futuræ, nequit esse summe certa et infrustrabilis; tum quia spes, secundum præsens objectum, dirigitur duntaxat per judicium probabile de absoluta futuritione beatitudinis, a quo denominari nequit certa : tum quia, licet præsupponatur actus fidei de futuritione conditionata beatitudinis, conditio tamen est incerta et frustrabilis.

Prob. 2ª. *p.* Spes theologica obtinendæ beatitudinis non solum potest, sed et debet, seclusa speciali revelatione, simul componi cum *timore* supernaturali de ea non obtinenda, juxta illud ad Philipp. 2. 12. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*; ad Rom. 11. 20. *Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time*; ad Cor. 4. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est.* Unde Trid. Sess. 6. cap. 9. inquit : *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet : sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest.* Cap. 13. *Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, et nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo.* Cap. 16. *Quia in multis offendimus omnes; unusquisque sicut misericordiam et bonitatem, ita severitatem et judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare, quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei* etc. Ergo hoc ipso spes ista, quantum *ex parte nostri*, et prout involvit exspectationem absolutam beatitudinis, nequit esse summe firma, speciali revelatione absente.

Conf. Objectum formale *secundarium* spei sunt propria auxiliis divinis cooperatio, et alia supra recensita, quibus innixa non excludit *timorem*; tum quia hæc media non inferunt infallibiliter salutem, quia perseverantiæ donum, licet impetrari orando queat, juxta D. Th. 1. 2. q. 114. a. 9. et communem Theologorum sententiam, sub meritum nec proprium et condignum, nec infallibile cadit : tum quia viator adultus, seclusa revelatione speciali, nequit esse infallibiliter certus quod aut hæc media, cum effectu gratiæ sanctificantis in præsenti et gloriæ in futuro, adhibuerit, aut ob potentiam resistendi gratiis divinis et voluntatis defectibilitatem in posterum sit adhibiturus; ergo. Adde quod, si spes ex parte nostri foret absolute certa, posset ac proin teneretur quilibet *certo credere*, se esse ex prædestinatorum numero; sed consequens est contra ipsa *Novatorum* placita, quibus persuasum omnino est nec omnes etiam ex ipsis esse electos; ergo.

234. *Obj. cont.* 1ᵘᵐ. Spes, quantum etiam respicit Deum, pro motivo formali debet habere Deum *auxiliatorem* in ordine ad beatitudinem reipsa obtinendam : sed spes nixa tali motivo nequit esse *summe certa* et infrustrabilis; cum certum non sit an Deus sit daturus perseverantiæ donum, et hinc nos adjuturus in ordine ad beatitudinem reipsa obtinendam; ergo. *Conf.* Qui sperat beatitudinem, debet habere fiduciam de ipsa beatitudine

absolutè obtinenda : sed qui spe sua respicit Deum, sperat beatitudinem; nec tamen potest habere fiduciam illam cum summa certitudine; ergo.

R. *D. m.* Spes talis nequit esse summe certa, quantum respicit Deum absolute daturum auxilia sufficientia, et etiam beatitudinem ex hypothesi positarum per hominem conditionum *N.* quantum respicit nos et nostram cum auxiliis cooperationem, aut absolutam beatitudinis collationem *C.*

Ad Conf. R. *D. M.* Qui absolute atque sine omni conditione sperat beatitudinem, debet habere fiduciam etc. *C.* qui conditionate tantum ac sub hypothesi suæ simul cooperationis factæ vel faciendæ sperat beatitudinem *N.* vel *subd.* debet habere fiduciam ex omni parte summe certam *N.* secundum quid, nempe secundum primarium suum motivum, certam *C.* Qui Deum spe sua respicit, conditionate tantum non autem absolute obtinendam beatitudinem respicit : et fiduciam habet probabilem duntaxat secundum motivum *secundarium,* quod est propria cooperatio; certam tamen secundum *primarium,* seu Dei auxilium et promissionem.

Inst. Ad hoc ut spes sit *summe firma* affective, debet excludere omnem timorem deliberatum de opposito, seu de non obtinenda beatitudine; quia in tantum datur firmitas affectiva voluntatis, in quantum excluditur formido de opposito; oppositum autem spei est non consecutio beatitudinis : sed spes hunc timorem non excludit; ergo. *Conf.* Licet timor servilis et supernaturalis adhæreat Deo, et sit appretiative super omnia firmus, secundum illud Matth. 10. : *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam;* non tamen debet esse affective super omnia firmus ; ergo idem dicendum est de spe.

R. *D. M.* Ad hoc ut spes sit summe firma simpliciter et secundum omnem formalitatem, debet excludere omnem timorem deliberatum de opposito *C.* ut sit secundum quid, nempe secundum formalitatem solum fiduciæ primariæ ad Dei auxilium terminatæ, debet excludere etc. *N.* Spes nempe theologica excludit timorem, secundum quam partem est *summe firma,* habetque sibi prælucentem fidem; non vero secundum quam nec firma est, nec nisi probabile judicium prævium agnoscit.

Ad Conf. R. *N. Cons. Disparitas* est, quia voluntas per timorem servilem fugiendo æternam pœnam, per illam præcise ac proprie loquendo Deo non adhæret *affective,* sed tantum *effective,* quatenus per timorem a peccatis committendis retrahitur, et ad pœnitentiam de commissis agendam impellitur; adeoque nec *affective* summus est : e contra spes proprie et *affective* adhæret Deo.

235. *Obj. cont.* 2um. Actus spei, prout dicit *expectationem beatitudinis,* fundatur in fide supernaturali de Deo remuneratore; ergo sicut fides hæc est infallibilis, sic etiam spes illa est summe certa; cum ob similem fidei conditionem de Deo auxiliatore spes, ut dicit fiduciam in auxilia divina, sit summe certa. *Conf.* In homine prædestinato non solum actus fidei *remote* præcedens, sed etiam judicium de sua cooperatione et futuritione salutis est certum et infrustrabile; ergo et spes in iis fundata.

R. *D. A.* Actus spei, prout dicit expectationem beatitudinis, fundatur proxime et immediate in fide de Deo remuneratore *N.* remote solum et mediate *C.* Quia divina promissio beatitudinis est solum *conditionata,* ipsaque bea-

titudo, ut corona, exigit meritorum perseverantiam, spes beatitudinis absolute consequendæ immediate ac proxime dirigi debet a judicio de futuritione cooperationis et perseverantiæ finalis; quod cum absque speciali revelatione divina sit solum *probabile*, probabilem duntaxat spem etiam infert. Unde et discrimen inter fiduciam expectationis *beatitudinis* et expectationis *auxiliorum sufficientium* desumitur.

Ad Conf. R. *D. A.* In homine prædestinato etiam judicium de cooperatione propria et futuritione salutis est infrustrabile ab intrinseco, seu spectata sua entitate *N.* solum ab extrinseco, seu ratione prædestinationis divinæ *C.* Licet igitur spes etiam hujusmodi possit *extrinsece* certa dici, non tamen infallibilis est *intrinsece*, aut ratione judicii a quo dirigitur.

Inst. Fides theologica supernaturalis est simpliciter summe firma, licet solum sit *moraliter* certum revelationem divinam existere; ergo et spes theologica potest esse simpliciter firma, etsi quis tantum moralem aliquam certitudinem de sua cooperatione ac salutis futuritione habeat. *Conf.* Etiam fide certum est quod Deus omnibus adultis det auxilia sufficientia ad finaliter perseverandum aut pœnitendum: perseverantibus autem aut pœnitentibus sit collaturus vitam æternam; ergo in hac fide fundari potest firmitudo spei de beatitudine.

R. 1°. *N. supp. Cons.* Vel enim solum *probabiliter* futura est cooperatio propria ac perseverantia finalis, vel si qualiscumque etiam admittatur circa illam certitudo, talis tamen non est, qualem signa credibilitatis de fidei nostræ mysteriis generant, quæ prudens dubium de opposito excludunt.

R. 2°. *N. Cons. Disparitas* est, quia signa credibilitatis de revelationis existentia, ex dictis, sunt motivum fidei solum mediatum et extrinsecum, et fides suam certitudinem trahit ab ipsa infallibilitate Dei exercite suam auctoritatem et loquelam revelantis: cooperatio autem et perseverantia finalis sunt motivum tum proximum tum intrinsecum exspectationis absolutæ beatitudinis; ergo licet hæc *moraliter* utcumque certa forent, tamen summam certitudinem spei non possent præstare.

Ad Conf. R. *D. A.* Et simul etiam est certum adultos bene usuros gratiis sufficientibus, ac illis collatum iri donum perseverantiæ *N.* est hoc omnino incertum *C.*

256. *Observa.* Quamvis ex dictis spes respectu nostri summe certa dici nequeat, eam tamen *simpliciter* et *absolute* certam esse dicendam, constat tum ex auctoritate D. Thomæ hic q. 18. a. 4. ad 2. et 3.; tum quia res quælibet æstimari et denominari debet ex iis quæ sunt ei propria, non vero ex his quæ ipsi *per accidens* adveniunt: certa autem est spes in ordine ad suum motivum formale, et sic secundum suam substantiam, cui non repugnant timor, incertitudo ac fluctuatio, quæ nostram spem comitantur, cum non ex ipsa spe, sed ex pravitate cordis et defectu liberi arbitrii humani, vel ex anxietate nascantur. Quin timor iste adeo non remittit spem nostram, quasi sit incerta, ut illam potius acuat, et ad Deum confugere impellat; quia dum timemus ne ipse nos deserat, aut propter peccata a se rejiciat, pronum est recurrere ad eumdem, cujus natura est bonitas omnipotens, et opus misericordia; juxta illud Ps. 113. 11. *Qui timent Dominum, speraverunt in Domino; adjutor eorum et protector eorum est.*

ARTICULUS II.

AN ACTUS SPEI THEOLOGICÆ SIT HONESTUS ET LICITUS?

257. *Nota.* Calvin. L. 3. Inst. c. 16. §. 3, et c. 18. §. 2. negat esse operandum intuitu mercedis, aut saltem ab eo intuitu ducendum exordium adhortationis ad opus: in Antid. ad Trid. Sess. 6. c. 25. autem statuit hoc principium: *Dei judicio nihil est sincerum nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat;* ibidemque Can. 31. ita scribit: *Cum ingenuam a suis filiis obedientiam requirat Deus servile hujusmodi obsequium* (opus nempe intuitu mercedis factum) *non repudiabit modo, sed procul etiam rejiciet.* Luther. assert. 6. ait: *Contritio, quæ paratur per amissionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, imo magis peccatorem.* Baii propositio 38. damnata sic habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur;* quæ propositio cum prolato Calvini principio respondet, et a *Jansenianis* tanquam axioma suscipitur; ex quo plane et turpitudo operis propter mercedem æternam suscepti, et *inhonestas spei* seu amoris concupiscentiæ dimanat.

258. *Dico I.* Licitum est operari opus bonum intuitu mercedis æternæ.

Prob. I. Ex Scriptura; quæ 1°. mercedem æternam proponit tanquam motivum et incitamentum ad operandum, ut Eccli. 12. 2. *Benefac justo, et invenies retributionem magnam, et si non ab ipso, certe a Domino;* et 1. ad Cor. 9. 24. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam;* ad Gal. 6. 9. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes;* ad Coloss. 3. 24. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus: scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 2°. Commendat Sanctos intuitu mercedis æternæ operantes, ut Moysen ad Hebr. 11. 25. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem;* et Davidem de seipso Ps. 118. 112. canentem: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem,* seu ut Hieron. reddit, *propter æternam mercedem.*

Prob. II. Ex Traditione. 1°. quidem præter Patres plures, præsertim in commentariis ad Ps. 118. et ep. ad Heb. c. 11, legendos, Cypr. ep. ad Fortunat. de exhort. Martyr. c. 13. postquam exposuisset magnitudinem præmii cœlestis, ait: *Hæc oportet mente et cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari: si talem persecutionis dies Christi invenerit militem, vinci non poterit virtus ad prælium prompta;* in epist. 81. ad Sergium et Rogatian. n. 2. scribit: *Claritatis* (futuræ) *gloriam cogitantes, pressuras omnes et persecutiones tolerare nos convenit.* Hieron. L. 2. contra Jovinian. disserens contra quartam propositionem ait n. 22. (opp. t. 2. p. 361.): *Apostolus autem..... laborat manibus suis, ne quem gravet, et die ac nocte operatur..... utique ideo hoc facit, ut plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat.* Aug. in Ps. 14.

inquit : *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum : ipsa enim est altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum;* et in Ps. 120. : *Noli facere nisi propter vitam æternam; ideo fac, et securus facies.*

2°. Trid. Sess. 6. decernit opus bonum intuitu mercedis æternæ esse licitum, sive adjunctum habeat motivum nobilius, sive non. Prius patet ex cap. 11. ubi dicitur : *Unde constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui..... statuunt..... justos peccare, si..... suam ipsorum socordiam excitando, et sese ad currendum in stadio exhortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam :* Posterius vero ex Can. 31. qui talis est : *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur : anathema sit.*

3°. Inter damnatas ab Alex. VIII. propositiones habetur hæc 11 : *Intentio qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens ;* et ista 13 : *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

Prob. III. Ex Ratione. 1°. Vita æterna est finis fidei et bonorum operum, ut ex 1. Petri 1. 9. et ad Rom. 6. 22. liquet : sed licitum erit operari intuitu hujus finis; cum ad finem dirigenda sint et referenda omnia ; ergo. 2°. In negotiis temporalibus licitum est operari propter coronam aut fructum percipiendum : ut patet ex 1. ad Cor. 9. 10. : *Debet in spe, qui arat, arare : et qui triturat, in spe fructus percipiendi,* item v. 24. ; ergo et id licitum est in negotio spirituali et salutis; præsertim quia Scriptura ad has paritates provocat. 3°. Non vitiatur pœnitentia et sacramentorum perceptio; si fiant obtinendæ divinæ gratiæ causa; ergo nec eadem aut alia bona opera vitiabuntur, si fiant obtinendæ beatitudinis causa; cum hæc sit gratia consummata et perfecta.

259. *Dico II.* Desiderium beatitudinis, seu *amor concupiscentiæ,* quo Deum ut summum nostri bonum prosequimur, est honestus et licitus. Sequitur ex *priori assertione;* cum omnis operatio intuitu mercedis æternæ suscipienda præsupponat amorem concupiscentiæ et desiderium beatitudinis.

Prob. I. Auctoritate. Nam. 1°. amoris hujus ac desiderii utilitatem honestissimam ostendit Joan. in 1. ep. 3. 2. *Nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* Paulus vero illorum cognitionem Ephesiis etiam orando impetrare studet non alio sane ex fine, quam ut illis ipsi utantur; sic enim ad Ephes. 1. 16. *Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus det vobis illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis ;* Christus tandem ad ea nos adhortatur, dum Matth. 6. v. 33. ait : *Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis ;* et Luc. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

2°. Amoris hujus ac desiderii honestatem præter alios Aug. in Ps. 102. n. 8. aperte exponit : *Ubicumque peccas quasi bonum quæris, quasi refectionem desideras. Bona sunt ista quæ quæris; sed mala tibi erunt, deserto illo a*

quo bona facta sunt. Bonum tuum quære o anima! est enim bonum aliud alteri, et omnes creaturæ habent quoddam bonum suum, integritatis suæ, et perfectionis naturæ suæ : interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit ut perficiatur. Quære tuum bonum. Nemo bonus nisi unus Deus. Summum bonum, hoc est tuum bonum : quid ergo deest, cui summum bonum bonum est? sunt enim et inferiora bona quæ aliis et aliis bona sunt... Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium : ipse erit bonum tuum, a quo... omnia in suo genere facta sunt bona.

3°. Trid. Sess. 6. cap. 16. postquam retulisset Scripturæ testimonia præmium meritorum confirmantia, pergit: *Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione... fideliter reddenda.* Adde quod spes, amorem concupiscentiæ illum supponens vel includens, tam a Patribus quam a Conciliis habeatur pro dispositione ad justificationem.

Prob. II. Ratione. 1°. Ubi objectum, motivum et modus amandi est bonus ac honestus, ibi et amor bonus est ac honestus : sed *amoris concupiscentiæ,* quo beatitudinem seu Deum ut summum nostri bonum prosequimur, imprimis *objectum* est bonum ac honestum ; tum quia in beatitudine nulla apparet aut est turpitudo, ut per se patet : tum quia juxta Adversarios hoc objectum honeste diligere possumus ex motivo charitatis : deinde *motivum* est bonum ac honestum; quia ratio formalis motiva est divina bonitas, sub qua autem est convenientia beatitudinis aut summi boni cum homine : hæc autem convenientia moraliter bona omnino est ac honesta; tum quia ex se respicit hominem, non qua appetentem et sensitivum, sed qua rationalem : tum quia per se et propria vi perficit intellectum et voluntatem, efficiendo ut ille vero, hæc bono summo adhæreat, omnemque rationis et legis divinæ regulam sequatur : tandem *modus* amandi est ordinatus ac honestus; quia amor hujusmodi tendit in Deum eo modo, quo bonus est et amabilis, nec ullam habet circumstantiam malam assignabilem; ergo.

2°. Amor concupiscentiæ, quo Deum ut summum bonum prosequimur, vitiosus foret ac illicitus, vel quia non pertinet ad virtutem theologicam, vel quia amor, quo Deum etiam ut summum nostri bonum prosequimur, non est concupiscentiæ amor sed benevolentiæ : non *primum;* tum quia amor concupiscentiæ pro objecto materiali habet Deum possidendum, pro formali bonitatem divinam respectivam, ferturque super omnia, et hinc habet omnia ad actum virtutis theologicæ requisita : tum quia vel sumitur hic pro eodem cum desiderio efficaci beatitudinis, vel in eo continetur tanquam genus in specie, adeoque ad *spem* pertinet : nec *secundum;* tum quia charitas seu amor benevolentiæ tendit in Deum propter bonitatem ejus absolutam, et per eam non nobis, sed Deo bonum volumus : tum quia juxta S. Aug. L. 21. de Civ. c. 15., S. Thom. 2. 2. q. 17. a. 8., Scotum in 4um. dist. 27. num. 3. aliosque omnium scholarum Theologos, amor charitatis Deum tum propter se, tum ita diligit, ut is adhuc diligeretur, etsi futurus non esset summum hominis bonum, quorum neutrum amor prosecutionis Dei ut summi nostri boni dicit, aut includit; ergo.

260. *Obj. cont.* 1um. Servile ac sordidum est intueri mercedem; ergo non

videtur licitum ob beatitudinem bene operari. *Conf.* 1. Agens et amor ob mercedem est *mercenarius* : sed juxta Christum Joan 10. 12. agens, et juxta S. Bern. L. de dilig. Deo c. 12., ac D. Thom. 2. 2. q. 19. a. 4. ad 3. amor mercenarius est vituperandus; ergo. 2. Qui operatur mercedis intuitu, operatur ex *amore proprio*, nec operaretur deficiente mercede : sed imprimis agere ex amore proprio est malum, cum is amor sit malus; deinde actus, qui sic in mercedem afficitur, ut deficiente mercede non poneretur, est inordinatus, cum hominem præferret Deo ; ergo.

R. *D. A.* Servile et sordidum est intueri mercedem, opere ipso ac labore viliorem *C.* mercedem eminentissimam, et quæ Deus ipse sit *N.* De priore, præsertim in bonis temporalibus consistente, loquuntur Ambr. L. 7. in Luc. c. 15. n. 220., Hier. L. 6. in Isa. c. 16. v. 14., Aug. Tr. 46. in Joan. n. 5., Greg. hom. 14. in Evang. n. 2. dum intentionem mercedis et amorem mercenarium detestantur.

Ad Conf. 1am. R. *D. M.* Agens et amor ob mercedem temporalem est mercenarius *C.* ob mercedem æternam ac divinam *subd.* est mercenarius late sumptus *C.* stricte sumptus *N.* Qui pro mercede *temporalia* exspectat, aut positive non vult operari, nisi pro mercede, aut commodum suum præcipue intendit, *stricte mercenarius* est, et tum a Christo tum a laudatis Doctoribus vituperatur.

Ad Conf. 2am. R. quoad 1um. *N. min.* quoad 2um. *N. M.* universaliter sumptas. Nam imprimis amor proprius, ut sic, est præcise amor propriæ perfectionis et commodi, qui potest esse bonus; cum ordinate ac honeste possimus amare propriam perfectionem ac commodum : deinde operans *intuitu mercedis* nec debet positive velle, nec positive nolle operari mercede forsan deficiente, sed potest ab utroque præscindere vel suspendendo libere actum circa hunc casum, vel de eo casu nihil cogitando.

261. *Obj. cont.* 2um. Amor concupiscentiæ est amor cupiditatis : sed amor cupiditatis est malus; quia juxta S. Bern. loc. cit. ubi quis non gratis facit, *propria cupiditate trahi convincitur : porro ubi proprietas, ibi singularitas; ubi autem singularitas, ibi angulus ; ubi vero angulus, ibi sine dubio sordes sive rubigo;* ergo.

R. *D. M.* Amor concupiscentiæ malæ seu rerum temporalium aut obscœnarum est amor cupiditatis *C.* amor concupiscentiæ bonæ seu beatitudinis, gratiæ aliorumque bonorum spiritualium *N.* de priori concupiscentia loquitur S. Bern., non autem de posteriori, quam Scriptura potius commendat Sap. 6. v. 12. 14. 21. et alibi sæpius; quamvis id concedendum sit cum Aug. L. 14. de Civ. c. 7. n. 2. quod usus obtinuerit, *ut, si cupiditas vel concupiscentia dicatur, nec addatur cujus rei sit, nonnisi in malo possit intelligi.*

Inst. 1. Etiam amor concupiscentiæ, Deum ut summum nostri bonum prosequens, est *malus;* tum quia hoc amore Deum referimus ad nos tanquam finem : tum quia eo amore utimur Deo ; in quo utroque ordo pervertitur, et summa est perversitas : tum quia amor concupiscentiæ contradicit amori benevolentiæ; ergo. *Conf.* Saltem amor ejusmodi est *mere naturalis ;* partim quia ex proprio, quo nos amamus, amore oritur : partim quia omnis amor ad proprium commodum relatus est naturalis ; ergo.

R. *N. A. et prob.* 1am. quidem; quia per hunc amorem concupiscimus Deum ut finem nostrum ultimum, ejusque nobiscum unionem ac fruitionem; neque in nobis, sed in Deo finem nostrum ultimum constituimus, neque Deum ad nos, sed nos ad Deum virtualiter et exercite referimus: 2am. vero; quia usus proprie versatur circa *media,* et oritur ex amore finis, ad quem media ordinantur; amor vero concupiscentiæ Deum ut summum nostri bonum prosequens, non versatur circa Deum ut *medium* aliquod ordinatum ad finem, cujus consequendi gratia intendatur; sed versatur circa Deum, ut ipsum finem ultimum rerum omnium, eumque, qua talem finem, ac ejus possessionem concupiscendo amanti ut subjecto, aut tantum ut *fini cui;* in quo nihil est inordinatum, sed totum referibile ad gloriam Dei, et habitualiter saltem eo etiam relatum ab amante Deum: 3am. denique; tum quia uterque actus in eadem voluntate potest simul commorari, ut ex Trid. Sess. 6. cap. 11. constat: tum quia charitas potest imperare amorem concupiscentiæ, utpote in finem charitatis aliquid conferentem.

Ad Conf. R. *N. A.* Falsa est *prob.* 1a. si proprie sumatur; cum amor quidem naturalis proprius supponatur ad amorem supernaturalem beatitudinis, ut natura supponitur ad gratiam, ille tamen hunc non moveat; utpote qui, ex parte *principii,* a gratia interiore voluntatem excitante, et ex parte *objecti,* a bonitate respectiva boni concupiti exoritur: falsa etiam 2a. *prob.*; quia amor, quo proprium nostrum commodum supernaturale amamus, supernaturalis est; unde et Trid. Sess. 6. cap. 6. spem inter dispositiones justificationis enumerat.

Inst. 2. Actus charitatis potest respicere mercedem, ac præmium et propter retributionem operari; ut patet ex Aug. in Psal. 72. n. 32. ad illa verba: *Pars mea Deus,* sic commentante: *Factum est cor castum, gratis jam amatur Deus: non ab illo petitur aliud præmium.... Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum, præter ipsum: præmium Dei, ipse Deus est,* et in Psal. 134. n. 11. *Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis; quia merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis;* ergo ex eo quod honeste respici possit merces et operatio fieri propter retributionem, non arguitur amorem concupiscentiæ, a charitate distinctum, esse bonum et honestum. *Conf.* 1. Spes ipsa est charitatis motus, ut liquet ex Aug., qui in ep. ad Gal. n. 43. *Alio fine,* ait, *liberos ea* (opera Legis) *facere decet, id est, charitatis æterna sperantis hinc præmia, et ex fide spectantis*; et L. de perf. Just. c. 8. n. 19. *Cum venerit quod perfectum est..... charitas... augebitur et implebitur, contemplata quod credebat, et quod sperabat adepta;* ergo amor spei non est concupiscentiæ sed benevolentiæ. *Conf.* 2. Amor, quo Deum ut nobis bonum prosequimur, est amor quo tendimus in Deum ut *finem ultimum:* sed hic amor pertinet ad charitatem; ergo.

R. *D. A.* Charitas respicit mercedem ac præmium materialiter, h. e. Deum, qui est præmium et merces justorum *C.* formaliter, h. e. Deum ut præmium respicit, aut in eum ut bonum nobis concupiscendo tendit *N.* Textus uterque nihil aliud probat, quam charitatem non carituram præmio; minime vero eam respicere aut concupiscere præmium.

Ad Conf. 1am. R. *D. A.* Spes ipsa est motus charitatis imperantis *T.* quia spem non *semper* etiam imperari a charitate, patet in peccatoribus ad justificationem se disponentibus: est motus charitatis elicientis *N.* vel cum aliis

subd. spes late sumpta pro quocumque desiderio boni absentis et futuri ex quacumque ratione elicito *T.* spes stricte accepta pro quocumque desiderio boni ob nostrum commodum vel ejus nobiscum convenientiam elicito *N.* S. Aug. vel de spe latius dicta, vel de motu a charitate duntaxat imperato est accipiendus, ne charitatem cum spe tantum sed et cum fide, de qua æqualiter in postremo textu loquitur, confundere videatur; quod quam alienum a mente tanti Doctoris sit, abunde liquet ex alibi dictis.

Ad Conf. 2am. R. *N. m.* Nam tendit in Deum ut suum finem ultimum, ut ab illo sibi bene sit, in illoque obtento suaviter conquiescat; sed qui in Deum tendit, hoc actu non diligit Deum *gratis* et *propter* se solum, qui est character charitatis; ergo.

Quæres: *An timor servilis sit honestus ac licitus?*

262. *Nota I.* Timor est actus voluntatis liber, fugiens malum quod imminet vel imminens apprehenditur. *Mundanus est,* qui fugit malum aliquod temporale ab hominibus inferendum: *Divinus,* qui fugit malum, quod vel Deus inferre potest, vel quod Deo malum est. Mundanus vel est *comparative* talis, quo quis magis timet malum temporale vel ab homine infligendum, quam æternum vel a Deo infligendum: vel *simpliciter* mundanus, quo quis præcise malum ab homine inferendum timet sine illa comparatione. Divinus est 1°. *servilis,* quo quis timet malum pœnæ sive temporale sive æternum a Deo inferendum, aut peccatum tanquam causam hujus pœnæ; quam appellationem habet, ex eo quod servi ob timorem pœnæ obtemperare solcant: hic vel *serviliter servilis,* quo quis malum pœnæ magis timet quam malum culpæ; seu quo timetur peccatum propter pœnam, cum virtuali saltem proposito peccandi, si abesset pœna: vel *simpliciter servilis,* quo quis præcise timet malum pœnæ; seu quo timetur peccatum propter pœnam, et nulla voluntas peccandi includitur, si pœna abesset; 2°. *filialis* seu *castus,* quo quis timet malum culpæ seu peccatum, ut Dei malum est, quatenus scilicet est Dei offensa, contemptus, injuria; cujus nominis ratio est, quia filiorum, et sponsæ est timere ne offendant parentes et sponsum: hic vel *imperfectus* seu *initialis* est, quo quis timet malum pœnæ simul et malum culpæ, ut hæc est Dei offensa et malum; ita dictus, quod incipientium mos sit ita timere peccatum quatenus malum Dei, ut etiam timeant quatenus causam pœnæ secuturæ: vel *perfectus,* quo quis timet malum culpæ ut offensam Dei sine adjutorio timoris servilis.

263. *Nota II.* Supponimus 1°. timorem *comparative* mundanum esse inordinatum et noxium; quia contra Dei et rationis ordinem humana divinis, temporalia æternis præfert, et ad peccandum inducit. *Simpliciter* mundanum autem de se quidem esse indifferentem, atque si recta cum ratione habeatur, etiam fieri honestum, qualis est ille, quo quis secularem potestatem timet, quatenus a Deo est constituta vindex in iram ei qui malum agit, ut ad Rom. 13. 4. Apostolus scribit. 2°. *Serviliter servilem* esse perversum et malum; quia et hic rectum ordinem pervertit, ac præterea affectum peccandi et voluntatem malam includit. 3°. Timorem Dei *filialem* tam perfectum quam imperfectum esse honestum ac licitum, quia prior ex charitate,

posterior cum charitate elicitur. Restat itaque dubium de solo timore divino *simpliciter servili*; in quo aliqui duas distinguunt quæstiones, quarum *prima* sit: an timor simpliciter servilis, v. g. gehennæ generatim ac secundum se consideratus sit bonus ac licitus? *secunda*: an idem timor hic et nunc, ubi ex charitate non fit, aut ab ea ad Deum tanquam finem ultimum non refertur, sit bonus et licitus, ac non sit saltem peccatum omissionis? præterea vero addunt *primam* a Novatoribus asseri, præsertim a *Jansenio*, qui illam L. 5. de Gr. Chr. c. 21. sibi propositam aiendo resolvit: *secundam* negari. Verum id imprimis in Novatorum principiis non est necessarium, utpote qui inter vitiosam cupiditatem et laudabilem charitatem per Spiritum sanctum in corde diffusam nullum amorem medium, aut alium voluntatis affectum admittunt: deinde nec *prima* quæstio a Novatoribus serio ac sincere affirmatur:

Nam *Luther*. in Art. 4. ait: *Imperfecta charitas morituri secum fert necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni*: quod in assert. confirmat. *Jansenius* vero antea cit. c. 27. scribit: *Impossibile est, ut ille, qui in peccandi proposito constitutus est, sola pœnæ formidine ita mutet voluntatem peccatumque detestetur, ut non peccet*: præterea probandum suscipit in eod. Lib. c. 25. et 26. timorem hunc, etiam supposita fide, non esse ex gratia Christi, sed ex naturæ viribus; c. 28. non excludere animum peccandi; c. 29. esse invitum et violentum; c. 31. nasci ex amore sui ipsius, quod tanquam *certum et conspicuum* etiam c. 24. asseruerat. Item Jansenianorum erat propositio illa 14. ab Alex. VIII. damnata: *Timor gehennæ non est supernaturalis. Quesnelli* denique propositio, præter septem alias de timore præcedentes, 67. a Clem. XI. damnata sic habet: *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum et intractabilem.* Unde, vel omissa illa distinctione dubii in duas quæstiones, vel postrema ad disp. sequentem remissa,

264. *Dico*. Timor simpliciter servilis est honestus et licitus.

Prob. I. Script. Malach. 1. 6. ait; *Si ego Pater, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum*; Luc. 12. 5. *Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*; Apocal. 14. 7. *Timete Dominum, et date ei honorem, quia venit hora judicii ejus?* Trid. Sess. Can. 8. sic definit: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere: anathema sit.* Aug. serm. 13. de verb. Apost. (al. serm. 156. c. 13. n. 14.) ait: *Timor servus est, charitas libera est; et ut sic dicamus, timor est servus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, et servet dominæ venturæ locum: fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ.* Et in Psal. 127. n. 8. ad illud: *Beati omnes, qui timent Deum*, sic scribit: *Ille timor nondum castus præsentiam et pœnas timet, timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est.* Rursus serm. 18. de verb. Apost. (al. serm. 161. c. 8. n. 8.) *Modo cum dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum*

puniri timeo : quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus..... dixit..... eum timete, qui habet potestatem etc.... plane time, nihil melius times ; nihil est, quod magis timere debeas. Ex his arguitur : Actus qui a Deo exigitur et præcipitur, a Concilio expers peccati declaratur, a S. Aug. velut bonus admittitur et commendatur, est honestus ac licitus : sed talis est timor *simpliciter servilis* ; ergo.

Prob. II. Script. rursus Exod. 20. 20. dicit : *Ut probaret vos, venit Dominus, et ut terror illius esset in vobis* : Psal. 118. 120. petit David : *Confige timore tuo carnes meas ; a judiciis enim tuis timui* ; et ad Rom. 8. 15. Paulus ait : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum* ; in quem locum D. Thom. inquit : *Considerandum est, quod Spiritus sanctus duos effectus facit in nobis ; unum quidem timoris, alium amoris ; timor autem facit servos, non amor..... Non iterum in Nova Lege, sicut in Veteri Lege fuit, accepistis spiritum servitutis in timore, scilicet pœnarum, quem Spiritus sanctus faciebat ; sed accepistis spiritum charitatis, qui est adoptionis filiorum* etc. Quæ expositio hausta videtur ex S. Aug. serm. 13. de verb. Apost. (al. 156.), et q. 55. super Exodum. Trid. etiam Sess. 14. cap. 4. sic loquitur : *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ ; declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum ;* unde et Alex. VIII. in damnatione prop. 14. et 15. tam timorem inferni quam attritionem ex eo conceptam et a charitate Dei benevola sejunctam, decernit esse *bonum motum ac supernaturalem.* Similiter Aug. L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. n. 39. ait : *Cavere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donum..... Illius timoris et spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus : Eum timete, qui habet potestatem et animam et corpus perdere in gehennam.* Ex quibus ita arguere licet : Timor, qui secundum Scripturam, Concilia et Patres est opus, effectus et donum Dei, impulsus Spiritus sancti, et actus supernaturalis ; est honestus et licitus : ejusmodi autem est timor simpliciter servilis ; ergo.

Prob. III. Timor servilis 1°. efficaciter oppositus est peccato ; patet tum ex Prov. 8. 13. *Timor Domini odit malum ;* et Eccli. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum* : tum ex Trid., quod dum loco nuper laudato dicit : *Si voluntatem peccandi excludat ;* significat hunc effectum timori non tantum esse possibilem sed etiam frequentem : tum ex Aug. in Psal. 187. n. 7. *Alius non in hac terra pati timet sed gehennas timet, unde terruit et Dominus : audistis cum Evangelium legeretur : Ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, et quia vere futura sunt impiis, timent et continent se a peccato..... timent quidem, sed nondum amant justitiam.*

2°. Utilis est ad varias virtutes acquirendas ; ut patet tum ex Prov. 14. 27. *Timor Domini fons vitæ, ut declinet a ruina mortis* ; et Eccli. 1. 16. *Initium sapientiæ timor Domini* : tum ex Trid. Sess. 6. cap. 6. *A divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur* ; et Sess. 14. cap. 4. *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt* : tum ex Aug. serm. 214. de temp. (al. serm. 349. n. 1.) : *Cum time-*

tur pœna quam (Deus) *minatur, discitur amari præmium quod pollicetur : ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur; per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere : discat ad tempus esse sollicitus, qui semper vult esse securus.*

3°. Deducit ad charitatem, justificationem et gratiam sanctificantem; ut patet tum ex Eccli. 1. 17. et 18. *Timor Domini, scientiæ religiositas : Religiositas custodiet et justificabit cor*; et 2. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*; tum ex Trid., quod Sess. 6. cap. 6. timorem numerat inter actus *dispositionis et præparationis ad ipsam justitiam*; et Sess. 14. cap. 4. loquens de timore Ninivitarum subjungit : *et misericordiam a Domino impetrarunt*; ac tandem ibid. can. 5. definit : *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando..... amissionem æternæ beatitudinis et æternæ damnationis incursum... non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam,.... anathema sit*; tum ex Aug., qui L. de Catech. rud. c. 5. ait : *De ipsa etiam severitate Dei, qua corda mortalium saluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda est*; et Tr. 9. in ep. Joan. n. 4. inquit : *Timor quasi locum præparat charitati*; comparatque ibidem *timorem medicamento vulneranti et putredinem tollenti*, quam sequatur *charitas* tanquam *sanitas*, et timorem setæ *quæ sicut introducit linum, quando aliquid suitur*, ita timor *intrat, ut introducat charitatem* etc. Sed actus efficaciter oppositus peccato, utilis ad varias virtutes acquirendas, ac perducens ad charitatem, justificationem et gratiam sanctificantem, est honestus ac licitus; ergo.

265. *Nec dicas* 1°. Psal. 18. 10. dicitur : *Timor Domini sanctus permanens in seculum seculi*; h. e. in patria : sed timor servilis non permanet in patria; ergo non est sanctus, seu honestus et licitus. *Conf.* 1. Timor servilis opponitur charitati; quia ex 1. Joan. 4. 18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*; ergo. *Conf.* 2. Juxta S. Aug. L. cont. Adimant. c. 17. n. 2. non est honestus : *Hæc est*, inquit, *brevissima et apertissima differentia duorum Testamentorum, timor et amor : illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet*; ergo nunc saltem timor est inutilis, si non illicitus.

R. *Ad Arg. N. Cons.* Quia non sequitur ex eo quod aliquis timor sanctus permaneat *in patria*, alium timorem non esse sanctum, quia in patria non manet. Qualis vero timor in patria maneat, differunt inter se auctores : alii enim intelligunt *filialem*, seclusis imperfectionibus quas habet in via, et quatenus hic fuga est offensæ divinæ, non quidem secundum beatitudinis statum, sed secundum se et naturam creatam possibilis : alii improprium timorem seu *reverentialem* assignant, quatenus Beati ex consideratione divinæ excellentiæ profundissime demittunt se in Dei præsentia, et quemdam velut horrorem de illo concipiunt, vel quatenus ex admiratione de divina excellentia refugiunt curiosius investigare opera et consilia Dei.

Ad Conf. 1am. R. *prob. D.* Charitas perfecta foras mittit timorem serviliter servilem *C.* simpliciter servilem *subd.* illum tanquam contrarium expellendo *N.* illum tanquam imperfectum vel excludendo vel ab imperfectione

anxietatis liberando *C.* Qui charitatem perfectam habet, non operatur amplius ex timore servili, aut certe non ex eo tanquam motivo præcipuo; quod timorem esse quid imperfectius charitate ostendit, non autem *malum* et *inutilem*; sicut nec ex eo quod visio beatifica excludat fidem, hæc mala et inutilis dici potest. Admitti etiam potest, manente timoris servilis substantia, quæ in fuga inferni vel privationis beatitudinis consistit, anxietatem et sollicitudinem a timore servili profectam sensim minui crescente charitate; quia, crescente charitate, crescit spes et fiducia in Deum: his autem crescentibus, anxietatem decrescere et pacem conscientiæ generari necesse est.

Ad Conf. 2am. R. *N. Cons.* Sequitur tantum, in Veteri Lege timorem, in Nova amorem prævalere; non vero timorem jam penitus excludi, sicut nec amor antea exclusus erat. Atque hoc ipsum testatur S. Doctor, de Morib. Eccles. L. 1. ubi c. 28. n. 56. ait: *Hæc disciplina quæ animi medicina est.., in duo distribuitur; coercitionem et instructionem. Coercitio timore, instructio amore vero perficitur ejus, cui per disciplinam subvenitur..... In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementia fit omnino ut aliquid simus, duobus Testamentis Vetere et Novo nobis disciplinæ regulam dedit. Quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in Vetere timor, amor in Novo.*

266. *Nec dicas* 2°. Timor servilis est *pure naturalis* et solis naturæ viribus partus; ergo non est supernaturalis, donum Dei et impulsus Spiritus sancti. *Prob. Ant.* 1. Timor nascitur ex amore creaturæ seipsam diligentis: sed hic amor omnino est naturalis, atque hinc et timor inde ortus. *Prob.* 2. Juxta Aug. L. de Gr. Chr. c. 13. *justitia legis* dicitur *justitia nostra* et naturæ viribus comparata, non autem *Dei* et *ex Deo*; quia ortum habet *ex formidine pœnæ*; ergo et timor pœnæ est ex nobis non ex Deo. *Prob.* 3. S. Aug. negat dari gratiam iis qui ex timore operantur, ut patet ex L. de Sp. et Lit. c. 8. n. 12. *Quicumque faciebant quod lex jubebat, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant*; et c. 29. *Timentibus pœnam absconditur gratia*; ergo et ipse timor non est gratia.

R. *N. A.* Nam timor servilis est species timoris divini, respicitque pœnas a Deo infligendas *per fidem* propositas; adeoque pure naturalis non est, cum cognitio proponens objectum sit supernaturalis: dein licet concedamus dari posse timorem servilem naturalem; non tamen eo sensu est naturalis, quasi non posset aut non soleret etiam inspirari a Deo et ex gratiæ principio elici, eo quod vitiosus sit aut naturæ duntaxat debitus, prout Adversarii intendunt.

Ad prob. 1am. *D. M.* Timor nascitur ex amore creaturæ seipsam diligentis, h. e. bonum aliquod supernaturale sibi appetentis, vel malum aliquod supernaturali felicitati oppositum fugientis *C.* h. e. bonum aliquod mere naturale appetentis et aliud excludentis, vel malum huic felicitati duntaxat oppositum fugientis *N.* similiter *D. m.* Amor prior est omnino naturalis *N.* amor posterior *C. m.* sed *N. supp.*, talem necessario esse radicem timoris servilis.

Ad prob. 2am. *D.* Justitia legis dicitur nostra et naturæ viribus comparata; non autem Dei et ex Deo, quia oritur ex formidine pœnæ serviliter servili *C.* simpliciter servili *N.* Sicut S. Doctor contra *Pelagianos* per justitiam Legis intelligit opus justitiæ ex sola externa Legis propositione, adeoque a

cogitatione et affectione interna mere naturali profectum; ac præterea sæpius accipit justitiam solum externam cum affectu interno peccandi, seclusa pœna, conjunctam : sic et timorem *serviliter servilem* intelligere debuit, quem non tantum mere naturalem sed et inhonestum ac perversum supposuimus.

Ad prob. 3am. *D.* Negat dari gratiam iis, qui ex timore serviliter servili operantur *C.* qui ex timore simpliciter servili operantur *subd.* Negat dari gratiam propriam Evangelio *C.* gratiam Legi propriam, licet vere divinam et proprie theologicam *N.* Audivimus supra ex Aug., prævalere amorem in N. T., quod ideo lex amoris et simpliciter *Lex gratiæ* appellatur : ex quo tamen sicut non sequitur, aut a S. Doctore assertum fuit, nullum amorem fuisse in T. V., sic nec deduci potest, timorem omnem servilem carere principio *gratiæ.*

267. *Nec dicas* 3°. Qui culpam fugit propter pœnam, respicit se tanquam finem ultimum; cum unice consulat proprio commodo : sed se respicere tanquam finem ultimum est inordinatum et malum; ergo. *Conf.* Ut timor sit honestus et ordinatus, necesse est ut culpa timeatur magis quam pœna : sed qui ex solo pœnarum metu abstinet a peccato, e contrario plus timet pœnam, quam culpam; ergo.

R. *N. M.* Neque enim ejusmodi homo respicit se tanquam finem simpliciter talem, sed tantum tanquam *subjectum* cui bonum vult : neque tanquam finem ultimum, quia ipsum bonum et commodum suum non est finis positive ultimus, a quo scilicet abstrahit, sed ad summum finis proximus, non tantum ulterius referibilis, sed et virtualiter relatus, si ex amore concupiscentiæ ac spe beatitudinis æternæ oriatur.

Ad Conf. R. *T. M. N. m. Primum* quidem, quia Suarez cum aliis docet, neminem teneri semper et in omni statu fugere culpam magis quam pœnam, modo non excludat rectum ordinem ad finem ultimum seu Deum, nec fuga pœnæ impediat fugam culpæ simpliciter et propter alias rationes. *Secundum,* tum quia non est necessario instituenda comparatio pœnæ cum culpa : tum quia ad hoc ut timor fugiat culpam propter pœnam, satis est si, natura prius et independenter a fuga culpæ, fugiatur pœna, et non vicissim : tum denique quia sicut servus, dum diligit dominum propter cibum, non diligit cibum magis quam dominum; et sicut fidelis, qui diligit Deum propter retributionem, non diligit retributionem magis quam Deum; sic nec qui fugit aut detestatur culpam propter pœnam, magis detestatur aut fugit pœnam quam culpam; cum intentio finis proximi et utilitatis non excludat finem ultimum et excellentiæ.

268. *Nec dicas* 4°. Timor qui non excludit voluntatem peccandi, sed eam potius supponit, bonus non est, nec honestus : sed timor pœnæ est talis, ut constat plurimis Aug. textibus, quos Jans. L. 3. de Gr. Chr. c. 27. 28. 29. congerit; ergo.

R. 1°. *N. M.*; quia simili argumento probaretur actum fidei informem, seu a peccatore adhuc charitate destituto elicitum, esse malum; quia nec is ex sese voluntatem peccandi excludit.

R. 2°. *N. min.*; quia timor, de quo hic loquimur, id omne potest ac debet

excludere, sine quo ad finem quem intendit, nempe fugam æternæ pœnæ, pervenire nequit : sed si actualem peccandi voluntatem vel affectum non excludat, pœnam quam timet effugere nequit ; quia maxime actualis interior peccandi voluntas vel affectus æterno supplicio punitur; ergo. AUGUSTINUS, ne sibi ipsi in textibus supra laudatis timorem commendanti contradicat, loquitur de timore *serviliter servili* ; præsertim quia in locis a Jansenio allatis expresse designatur voluntas mala et affectus peccandi.

269. *Nec dicas* 5°. Voluntas peccandi, qua quis detinetur, deponi nequit, nisi ex contraria voluntate benefaciendi, ut docet S. AUG. L. 2. cont. Advers. Leg. et Proph. c. 7. n. 28. : *Desiderium peccandi..... non extinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi ; ubi fides per dilectionem operatur* : sed talis voluntas nullo pacto haberi potest ex timore pœnæ, sed tantum habetur ex dilectione justitiæ; ut docet idem ep. 144. (al. 145. n. 5.) ad Anast. scribens : *Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit ; quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam* ; ergo.

R. 1°. *N. M.* Quia voluntas potest immediate excitari ad odium peccati, nullo præcedente amore absoluto et efficaci boni oppositi; cum sola peccati malitia immediate motiva sit odii, actusque odii sit in se immediate liber, adeo ut a voluntate fieri et cohiberi possit seorsim ab alio actu voluntatis libero præcedente.

Ad textum AUG. R. *D.* Desiderium peccandi non extinguitur contrarie, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur *T.* non extinguitur contradictorie aut simpliciter *N.* Præterea S. Doctoris scopus, quem hic per totum cap. spectabat, fuit duntaxat ostendere, Legem Veterem, quamvis bona et sancta fuerit, quia tamen ex se gratiam adjuvantem non habebat, sed duntaxat mandatum et legem prohibentem, non fuisse medium sufficiens ad impediendum peccatum, sed potius occasionem peccandi; contrarium autem ob rationem oppositam esse in Lege Nova : unde mox subjungit : *Hoc autem non præstat littera jubens, sed spiritus juvans; non lex ergo, sed gratia ; non Vetus Testamentum in servitutem generans, quod est Agar, sed Novum in quo non sunt ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit.* Quibus verbis sicut non excluditur universim omnis gratia et amor salutaris a Veteri Lege; sic nec per verba objecta excluditur alius modus extinguendi desiderium peccati.

R. 2°. *N. min.* Quia timor non minus ad justitiæ amorem quam ad injustitiæ seu peccati detestationem inducit. Cum enim timore gehennæ intentatæ perculsus, videat se non posse pœnam illam evitare, nisi amorem injustitiæ exuat, et induat amorem justitiæ; proxime et efficaciter movetur ad detestandam injustitiam et justitiam amandam.

Ad textum AUG. *D.* Non poterit odisse peccatum et diligere justitiam ex timore serviliter servili *C.* ex timore simpliciter servili *subd.* si tantum sit a lege terrente *T.* si simul sit a gratia, quæ ipsa etiam sæpius ad timorem datur *N.* Sermonem hic fieri de timore serviliter servili, constat e præmissis n. 4. ubi dicitur : *Etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis.* Et postea : *In ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune non potest*

fieri etc. Cæterum in utraque responsione aliquid transmisimus; quia alibi examinatur, an peccatum vitari possit sine gratia divina aut charitate.

270. *Nec dicas* 6°. Quæ aguntur pure ex metu, secundum se spectata sunt involuntaria, prout vero hic et nunc aguntur, sunt voluntaria, atque adeo ex utroque mixta; ergo agens pure ex metu voluntatis actum conjunctum et præsentem habet, quo nollet facere, nisi impendentis mali metu cogeretur. Utrumque ostenditur ex Aug. in Comment. ad epistolam ad Galat. n. 43. *Qui per charitatem servit libere servit obtemperans Domino, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur*; et superius: *Timore ista implere cogebantur.*

R. *D. A.* Quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria quoad affectum efficacem *N.* quoad affectum inefficacem *subd.* si affectus etiam tantum inefficax obstat fini per actionem vel omissionem ex metu imperatam obtinendo *N.* si non obstat *C.* Porro patet, ex dictis, affectum peccati inefficacem etiam obstare fini intento a metuente gehennam. *Textus* Aug. agit de specie timoris cum voluntate peccandi interna conjuncti, licet exterius a peccato abstinentis, de qua nobis sermo non est, neque ad nostram materiam est transferendus; cum Trid. Sess. 14. cap. 4 contra Novatores simili argumento utens dixerit: *Falso docent, contritionem,* quæ attritio dicitur, et ex gehenna ac pœnarum metu concipitur, *esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam*; et can. 5. definierit: *Si quis dixerit... illam,* nempe attritionem ex metu pœnarum conceptam, *esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: anathema sit.*

ARTICULUS III.

AN DETUR IN HAC VITA PERFECTIONIS STATUS, IN QUO ACTUS SPEI THEOLOGICÆ NON SIT NECESSARIUS, AUT LOCUM NON HABEAT?

271. *Nota I.* Supponimus 1°. spem esse necessariam necessitate *medii*: tum quia hoc sequitur ex necessitate fidei, utpote quæ foret inanis sine spe, unde ad Hebr. 11. definitur in ordine ad spem, et frequenter in Scriptura cum spe conjungitur: tum quia partim adultus peccator sine spe justificationem obtinere nequit; cum illa inter necessarias ad hanc dispositiones a Trid. Sess. 6. cap. 6. fuerit numerata: partim quia justus, seclusa spe, gratias ad perseverandum in bono necessarias nec postulare, ut par est, nec proinde assequi valet. 2°. Eamdem esse necessariam necessitate *præcepti* tam naturalis quam divini. Præceptum naturale enim sequitur ex *primo* supposito; cum lex naturæ præcipiat, ut media ad salutem ac finem ultimum necessaria adhibeamus: divinum autem demonstrant tum expressa in Scriptura mandata Psal. 61. 9., Eccli. 2. 26., Ose. 13. 6., 1. Petr. 1. 13.: tum prop. ab Alex. VII. damnata: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* 3°. Spei præceptum *negativum* obligare pro semper; *affirmativum* autem aliquando per accidens. Prius enim docet ipsa negativi præcepti conditio, et materia etiam præcepti exigit, quæ est desperatio motivo spei opposita, et temeraria præsumptio nunquam licita, tanquam intrinsece mala: posterius declarat tum speciale præceptum spei obliga-

tionem eliciendi hujus actus per se, tum ejus ad alia virtutum necessariarum exercitia necessitas obligationem illam per accidens inducens.

272. *Nota II.* Necessitatem ejusmodi negarunt exorti superiore seculo novi Mystici, a quiete ac indifferentia animæ dicti *Quietistæ,* qui certum perfectionis et amoris statum confinxere, ubi spes locum habere nec possit nec debeat. Auctor hujus doctrinæ, spurcissimis erroribus amplius depravatæ, fuit *Michael de Molinos*, presbyter Hispanus, in pago Maniozzo Diœcesis Cæsaraugustanæ in Aragonia an. 1640. natus, et Romam an. 1665. profectus: ubi sermone, litteris et libro *Dux spiritualis* inscripto, perniciosa mysticæ suæ scholæ dogmata sparsit, postmodum non in reliquam duntaxat Italiam, sed et in Hispaniam et Gallias perlata. Eorum *quasi principium* erat, internam viam seu vitam spiritualem stare in annihilatione potentiarum animæ, quæ in nullo se debeat active gerere; in perfecta cum Deo unione, quam anima, illa annihilatione ad principium suum et originem redeundo, consequatur; in totali sui derelictione et traditione, qua Deum solum omnia agere sinat, et quæcumque circa se fieri non curet. Inde inferebatur 1°. studendum unice orationi quietis tanquam perfectissimæ, in qua per fixum fidei intuitum, qui sit cognitio a Deo solo creaturæ tradita, habeatur contemplatio Dei sub conceptu universalissimo, et excludatur tum omnis reflexio, discursus et operatio mentis, tum voluntatis etiam quicumque affectus pius; absitque tum memoria attributorum Dei, Trinitatis et Humanitatis Christi, tum phantasia imaginum, figurarum et specierum quarumcumque etiam sanctarum. 2°. Nihil a Deo petendum, et hinc etiam pro nullo gratias agendas; nullam ullius rei etiam virtutis, perfectionis, sanctitatis et salutis propriæ curam habendam, et hinc ab actibus virtutum et operibus bonis, ex propria electione et activitate factis, abstinendum; non reflectendum ad dubia quæ de opere occurrunt, aut ad proprios etiam defectus, et hinc confessionem ac pœnitentiam omittendam. 3°. In tentationibus tam solarum cogitationum quam operationum, sive dæmonis instinctu a proprio corpore, sive sollicitatione aliena factarum, nec externe nec etiam eliciendo actus virtutum oppositarum, interne resistendum positive, sed tantum negative et in sua annihilatione permanendo. Ne citius doctrinæ hujus perversitas, et ex ejus praxi renovata antiquorum *Gnosticorum* impuritas detegeretur, fecit tum ambiguus Magistri in docendo sensus, et hypocrisis in agendo famam pietatis et auctoritatem adepta, tum discipulorum nequissima arcani observatio. Demum tamen indiciis captis, an. 1685. *Molinos* cum duobus fratribus germanis cognomine Leonibus Romæ inopinate detentus, ejus doctrina 68. propositionibus comprehensa, anno 1687. die 28. Augusti, Bulla, quæ incipit: *Cœlestis Pastor,* tanquam hæretica, suspecta, erronea, scandalosa, blasphema etc., ipse vero ad carceres perpetuos 3. Sept. ab Innoc. XI. damnatus fuit; ubi editis pœnitentiæ ac resipiscentiæ signis, cum jam ante errores suos abjurasset, tandem 1696. obiit.

Venenum *Molinosismi* quoad partem aliquam suxerat in Gallia nobilis quædam Domina *de Guyon* nuncupata, corruptamque de vita spirituali ideam variis manuscriptis prodiderat; quæ cum ad manus Benigni *Bossuet,* Episcopi Meldensis, pervenissent, is, edito de Statibus Orationis libro, illusionum hujusmodi fallacias aperire, et mala inde oritura prævertere est

conatus. At ex adverso, sive in præfatæ mulieris defensionem, sive in doctrinæ, quam nullo infectam veneno existimabat, ampliorem apologiam, Archiepiscopus Cameracensis elucubravit opus, cui titulus : *Explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure.* Auctor erat pietate non minus quam doctrina celeberrimus Franciscus *de la Motte-Fénelon* ex nobilissima Feneloniorum stirpe in Galliis an. 1651. ortus, post susceptum sacerdotium ad Huguenottos convertendos primum, tum ad conversos regendos adhibitus, Præceptor postea Duci Burgundiæ datus, ac tandem ad Archiepiscopatum Cameracensem evectus : doctrina vero jam damnatis in *Michaele de Molinos* erroribus admodum affinis; cum admissus ibidem status quidam habitualis divini amoris et charitatis puræ excludat omnem actum et motivum proprii interesse seu commodi etiam supernaturalis; exigat statum sanctæ indifferentiæ, in quo etiam partem inferiorem animæ percellere possit desperatio, regnante apud superiorem charitate; faciatque animam in virtutum exercitatione non minus ac contemplatione fere passivam. Quare et præfatus liber damnatus, et 23. propositiones inde excerptæ, an 1699. die 12. Martii ab Innoc. XII. Bulla, quæ incipit : *Cum ad Apostolatus Nostri notitiam,* edita, fuerunt proscriptæ tanquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, ac respective erroneæ. Hoc Ecclesiæ judicium quemadmodum humanæ fragilitatis in summo viro documentum exhibuit, sic et protulit pulcherrimum debitæ erga Ecclesiam humilitatis et obedientiæ exemplum. Adeo enim illustrissimus Præsul damnationem suam sincera cum pœnitentia et submissione suscipere non erubuit, ut ipse Pontificium Diploma suo gregi promulgarit, et edicto fuerit obtestatus, ne quisquam librum suum legeret aut servaret, sed sinceram obedientiam et intimam docilitatem secum Apostolicæ Sedi exhiberet. Cujus etiam virtutis deinceps dum viveret, plura documenta edidit, tandem an 1715. pientissime defunctus. Fœminam vero memoratam, vanis deceptam illusionibus, vel ad radicem mali destruendam, vel ad occasionem eripiendam judicatum est recludere.

Porro propositiones huc spectantes præcipuæ sunt, Molinosi quidem 1ª. : *Non debet anima cogitare aut præmium, aut pœnam, aut paradisum, aut infernum, aut æternitatem;* et 12ª. : *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec desiderium debet habere propriæ perfectionis, nec virtutis, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, a cujus etiam spe purgare se debet.* Similes fere sunt 13ª. et 14ª. Cameracensis vero sunt, 1ª. : *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura sine ulla admixtione proprii interesse : neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem : non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam;* et 2ª. : *In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris et spei;* quibus correspondent 4ª. et octo continua serie subjectæ.

273. *Dico.* Non datur perfectionis status, in quo actus spei theologicæ locum non habeat, aut non necessarius sit.

Prob. 1ª. *p.* Scriptura describens perfectionis statum, et requisita ad hominem perfectum proponens, desiderium ac spem salutis huic descriptioni ac

requisitis inscrit; ad Rom. 12. 9. *Odientes malum, adhærentes bono : charitate fraternitatis invicem diligentes : honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri : spiritu ferventes : Domino servientes : spe gaudentes* etc. 1. ad Cor. 13. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc;* ad Philipp. 3. 14. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus;* ad Coloss. 1. 22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso : si tamen permanetis in fide fundati et stabiles et immobiles a spe Evangelii;* 1. ad Thess. 5. 8. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis;* ad Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, erudiens nos, ut abnegantes secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem* etc.; ad Hebr. 3. 6. *Christus fidelis erat tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, et fiduciam et gloriam spei usque in finem firmam retineamus :* et ibid. 10. 22; ergo in hac vita non datur christianæ perfectionis status, in quo actus spei theologicæ locum non habeat.

Conf. 1. Viri in Scriptura a perfectione et amore in Deum celebratissimi foverunt actus spei theologicæ proprie talis, quales fuerunt in V. T. Abraham, de quo ad Hebr. 11. 10. *Exspectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus;* Moyses, de quo ibid. v. 26. *Aspiciebat in remunerationem;* David, qui de se ipso Psal. 118. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem;* in N. T. Petrus, qui 1. ep. 1. 3. scribit : *Benedictus Deus et Pater D. N. J. C., qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis;* Paulus, qui ad Rom. 8. 25. inquit : *Sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri : spe enim salvi facti sumus;* Joannes, qui 1. ep. 3. 2. dicit : *Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus : scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est;* ergo ratio status perfecti non impedit actum spei theologicæ : nec datur perfectionis status in hac vita, ubi spes theologica locum non habeat.

Conf. 2. Si quis perfectionis status foret, qui spei non permitteret locum, ergo id oriretur vel ex spei imperfectione, vel ex charitatis puritate, vel ex indifferentiæ circa propriam salutem necessitate; sed nihil ex his assignatis dici potest : non *primum;* quia licet actus spei theologicæ sit minus perfectus actu charitatis, est tamen honestus, supernaturalis et vere theologicus : non *secundum;* tum quia actus spei cum actu charitatis potest in eodem subjecto conjungi, et homo, cui tanquam subjecto beatitudo desideratur, seipsum potest referre ad Deum tanquam finem suum ultimum : tum quia, tametsi actus charitatis tendat in Deum propter bonitatem ejus absolutam, non vero respectivam et nostri perfectivam, tamen neque in statu perfectionis omnis voluntatis actus debet esse ex charitate elicitus; neque præsentis vitæ status, in quo amor concupiscentiæ licitus partem nullam habeat, S. Bernardo videtur possibilis, qui L. de dilig. Deo c. 15. n. 39. sic scribit : *Nescio si a quoquam hominum quartus* (gradus) *in hac vita perfecte*

apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui : denique non *tertium*; tum quia hujusmodi indifferentia nec est ad perfectionem necessaria; cum nullum de ea præceptum aut naturale aut positivum exstet, et fatente Cameracensi in prop. 22. nihil de ea *a Pastoribus antiquis sit propositum passim multitudini fidelium*; imo hæc doctrina tum Scripturæ tum Traditioni, præceptum spei et curam salutis omnibus universim inculcanti, sit contraria : tum quia est *perniciosa*; utpote quæ omne laboris salutaris studium extinguit, inertiam fovet, et ad præsumptionem ac præcipitium ducit : tum quia est *fanatica*; cum singularis deceptio sit, animam puro amore affectam etiam desperando ac se reprobatam invincibili persuasione credendo, superiori parte sponso adhærere, inferiore autem exspirare cum Christo, ut prop. 9. et 10. exponit Cameracensis.

Prob. 2ª. *p.* Spes est necessaria tum necessitate medii, tum necessitate præcepti tam naturalis quam divini, quod ut affirmativum aliquando et per se et per accidens obligat ; ergo nequit dari perfectionis status, ubi spes simpliciter necessaria non sit.

Conf. 1. Jubentur omnes ad beatitudinem aspirare, juxta illud Matth. 6. 9. *Sic ergo vos orabitis..... Adveniat regnum tuum* ; eamdem quærere, ibid. v. 33. : *Quærite ergo primum regnum Dei* ; pro eadem operari, juxta illud 2. Petr. 1. 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis* : sed hæc sine spe ac desiderio non fiunt; ergo.

Conf. 2. Mandatum charitatis divinæ præcipit ut quisque diligat proximum sicut seipsum; de quo Aug. serm. 43. de verb. Dom. (al. serm. 128. c. 3. n. 5.) ait : *Prius vide si jam nosti diligere teipsum* ; *et committo tibi proximum, quem diligas sicut teipsum. Si autem nondum nosti diligere te; timeo ne decipias proximum tuum sicut te*; ergo sicut ex mandato charitatis nobis præceptum est desiderare salutem proximi, pro eodem orare ac laborare; sic et idem præceptum est respectu nostri, nostramque nobis salutem desiderare et curare debemus; ergo spei theologicæ actus nobis necessarius est. Unde Aug. in Psal. 122. n. 1. scribit : *Non præter spem esse debemus* ; et serm. 16. de verb. Apost. (al. serm. 158. c. 8. n. 8.) *Ipsa spes peregrinationi necessaria est....., Et spes quæ hic est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostræ.*

Si ais 1°. Juxta Apost. 1. ad Cor. 13. 5. *Charitas non quærit quæ sua sunt* : sed si quæreret proprium interesse, quæreret quæ sua sunt; ergo. 2°. S. Bern. loc. cit. ait, peccatorem, cujus voluntatem gratia prævenit, a timore incipere, tum in spem erigi; ac tandem subdit : *Inde transit ad tertium gradum, ut diligat Deum; non jam propter se, sed propter ipsum : sane in hoc gradu diu statur* ; ergo datur in hac vita status habitualis amoris puri. 3°. Moyses Exod. 32. 31. precatur : *Obsecro, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Paulus vero ad Rom. 9. 3. ait : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* ; ergo perfecta charitas etiam propriam reprobationem amori postponit.

Ad 1ᵘᵐ. R. *D. M.* Charitas modo inordinato non quærit quæ sua sunt *C.* nullo modo quærit *subd.* charitas ipsa seu qui ex charitate agit, solo Dei

intuitu in hoc suo actu movetur *C*. Qui habet charitatem, quandocumque et quodcumque agit, ex hoc motivo operatur *N*.

Ad 2um. R. *D. Cons.* In hac vita datur status habitualis amori puri, h. e. excludens ab amore Dei aliquo motivum proprii interesse *C*. excludens ab ipso amante et ab actibus ejus omnibus motivum propriæ utilitatis *N*. *Primum* cum Bern., et omnibus Catholicis asserimus : *secundum* vero cum eodem Doctore et cum Catholica Ecclesia, damnationem propositionum *Molinosi* et *Cameracensis* reverenter amplexa, reprobamus.

Ad 3um. R. *N. Cons.* Ex neutro enim textu *Quietistarum* error patrocinium capit. Nam sensus *primi* vel idem est cum altera Moysis locutione Num. 11. 15. *Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, ne tantis afficiar malis*; et hinc Moyses solum deleri se ex libro *viventium* in præsenti vita, morteque immatura abstrahi cupit; quem sensum usurpant Hier. in ep. 121. ad Algas. c. 8., S. Greg. L. 9. Mor. c. 7. (al. 16. n. 23.) et alii : vel si cum quibusdam intelligatur liber *vitæ æternæ*, de quo loquatur Moyses, et postularit suam reprobationem; aut hoc votum prolatum fuit ex passionis impetu, non vero ex deliberatione rationis, ut censet Hugo Vict. : aut erat hyperbolica quædam maximi affectus expressio ei similis, qua mater ad placandum maritum filio iratum diceret : occide me, si huic proli ignoscere nolis, quamvis certa sit, se non occidendam; quem sensum Aug. q. 147. supra Exod. videtur adoptasse, dum ait : *Securus hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur : id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.*

Utraque responsio aptari potest verbis Pauli; juxta Orig. quidem in ep. ad Rom. L. 7. n. 13. (opp. t. 4. part. 1. p. 611. B. C.) ac Hier. l. c. *vult Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur* : juxta S. Chrys. autem in ep. ad Rom. hom. 16. n. 1. et alios Patres ac Interpretes votum istud respicit separationem, non quidem a charitate Christi, sed ab ejus fruitione et gloria æterna; iidem tamen observant, in græco non extare *optabam*, sed *optarim* vel *optarem*, ἠυχόμην, nec votum intelligi posse absolute, sed hypothetice, si nempe fieri posset et liceret; unde *sensus* est : optarem pro Christi gloria ab eo separari, siquidem id per legem Dei et justitiam liceret : quibus in verbis non invenitur desiderium reprobationis aut actualis acceptatio ejusdem, sed amantium duntaxat emphasis atque hyperbolica affectus expressio, adeoque *Quietistis* minime prodest, qui votum ejusmodi absolutum ad probandam amoris puritatem, et habituale ad statum perfectionis et viæ internæ exigunt.

Quæ de *subjecto* et *effectibus* spei, *vitiisque* illi sive per excessum sive per defectum oppositis et variis contra eadem *remediis* hic solent ab aliis addita commentatione tractari; ea nos partim in superioribus attigimus, partim Theologiæ Morali persequenda relinquimus.

DISPUTATIO V.

DE CHARITATE.

CAPUT I.

DE NATURA ET OBJECTO CHARITATIS.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT NOTIO ET NATURA CHARITATIS THEOLOGICÆ?

274. *Nota I.* Amor, nisi pro mera complacentia sumatur, est affectus quo quis alicui bene seu bonum vult. Juxta S. Th. 2. 2. q. 23. a. 1. in θ., triplex est, scilicet amor *concupiscentiæ,* quo quis alicui bene vult sui gratia, seu in gratiam amantis : amor *benevolentiæ,* quo quis alicui bene vult ipsius gratia, seu in gratiam amati : amor *amicitiæ,* qui est idem cum amore benevolentiæ, sed præterea respicit etiam amicum seu amati erga se benevolentiam. Amicitia a Tullio, quem citat. S. Aug. L. 3. cont. Acad. c. 6. et in ep. 155. ad Martian. (al. 258. n. 1.) definitur, *rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensio* ; describitur amicitia per conditiones : 1ª. est mutua benevolentia ; 2ª mutuæ hujus benevolentiæ notitia ; 3ª. communio seu mutua bonorum communicatio. *Familiaritas* et *consuetudo* videntur tantum exigi ad *certius* habendam benevolentiæ mutuæ notitiam ; unde illa non impedita etiam inter absentes et dissitos a se invicem amicitia colitur : *singularitas* desideratur ob bonorum communionem non diminuendam ; ideoque subjectum utrinque limitatum supponit, nec universalis est : *æqualitas* vel tantum postulatur ad amicitiam quæ sit inter omnino pares, vel exigit æqualitatem duntaxat imperfectam et proportionalem.

275. *Nota II.* Dari amicitiam proportionis Deum inter et hominem justum, facile ostenditur tum ex Sap. 7. 14., ubi de Sapientia dicitur : *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei* ; tum ex effectu formali gratiæ habitualis in Tr. de Gr. Præterea dari amorem amicitiæ in Deo ad hominem justum, et hominis justi ad Deum ; constat etiam ex conditionibus ad amicitiam requisitis. Nam 1°. Deus quidem vult homini justo bonum non propter suam, sed propter illius bonitatem ; quia affectus ad proprium commodum locum non habet in Deo, utpote cui, proprie

loquendo, utilis non est, nec quem beatiorem facit illa gloria extrinseca; justus vero, qui ex charitate Deum diligit, vult bonum Dei, quia ejus bonum est, absque ullo respectu ad propriam utilitatem. 2°. Hæc mutua benevolentia Deo quidem constat certo et infallibiliter; homini vero benevolentia Dei erga se reciproca constat tantum *probabiliter,* quod sufficit; gratuita autem etiam certo et infallibiliter. 3°. Deus homini communicat bona tum naturalia tum supernaturalia: justus vero tum refundit in Deum omnia, quæ ab illo acceperat, juxta illud 1. Paral. 29. 14. *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*; tum pro bonis illis reddit Deo gratiarum actionem, laudem, honorem et obsequia. Neque, si quis cæteras conditiones exigat, deest huic amicitiæ æqualitas geometrica seu proportionis; cum justus sit filius Dei adoptivus et naturæ divinæ particeps: neque familiaritas et consuetudo; cum justorum ex ep. ad Philip. 3. 20. *conversatio in cœlis est,* et Joan. 14. 23. Christus dixerit: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*: neque amicitia Dei pluribus communicata aliquid singularitati detrahit; cum Deus sicut mare, dum tribuit, non deficit, sed abundat: porro charitatem hominis necdum justificati esse posse amorem amicitiæ ad Deum, ex præmissis inferre licet; quia licet ejusmodi amans necdum redametur a Deo amore *reciproco,* nec jam sit Dei amicus, tamen præventus est amore Dei *gratuito,* et per hunc ipsum amorem meretur gratiam sanctificantem, qua formaliter constituitur amicus Dei.

276. *Dico I.* Charitas *actualis* est amor, quo Deum propter se et cætera propter Deum diligimus.

Explic. Dicitur 1°. *amor, quo diligimus*; quia charitas secundum D. Thom. hic q. 27. a. 2. in θ. *importat unionem affectus, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unum sibi vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum.* 2°. *Deum et cætera*; quia Deus est objectum materiale charitatis primarium, et summo amore dignum: præter illum tamen sunt etiam alia, quæ diligere possumus et debemus. 3°. *Propter se, propter ipsum,* h. e. propter bonitatem Dei absolutam, nulla prorsus habita ratione proprii nostri commodi; quia per hoc tum attingit immediate Deum tanquam objectum formale quod, et acquirit rationem actus theologici; tum discernit se ab amore *spei,* quæ a bonitate Dei respectiva movetur, et rationem proprii commodi habet.

277. *Dico II.* Charitas actualis *perfecta* non est amor simplicis benevolentiæ, sed amicitiæ. Ita D. Thom. q. 23. cit. a. 1. in θ. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est ad Deum.

Prob. Non est perfectior vitæ hujus charitas, quam qua justi diligunt Deum: sed charitas justorum est amor amicitiæ; ergo. *Conf.* Charitas perfecta est, quæ nititur fide ad salutem necessaria, et est justificativa: sed hujusmodi charitas est amor amicitiæ; ergo.

278. *Dico III.* Charitas *habitualis* est virtus per se infusa, disponens et elevans voluntatem ad actus charitatis proxime descriptos eliciendos.

Explic. Dicitur 1°. *virtus*; tum quia non est ipse Spiritus sanctus, qui fuit error Magistri sent., sed donum aliquod creatum; tum quia habentem

se facit simpliciter bonum, cum aliæ virtutes faciant bonum duntaxat ex parte, juxta illud Aug. Tr. 7. in 1. Joan. n. 6. *Habere nomen Christi, et malus potest... habere autem charitatem, et malus esse, non potest*: tum quia charitas est virtutum theologicarum præstantissima, secundum illud 1. ad Cor. 13. 13.: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* 2°. *Per se infusa*; tum quia charitas est virtus theologica, theologica est supernaturalis, supernaturalis autem virtus est per se infusa: tum quia Paulus ad Rom. 5. 5. ait: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; et Trid. Sess. 6. cap. 7. cum Apostoli testimonium recitasset, subjungit: *Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem et charitatem.* 3°. *Elevans voluntatem*; quia, cum charitas nos maxime conjungat cum Deo, secundum illud 1. Joan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* per eamdem voluntas elevatur. 4°. *Disponens ad actus charitatis eliciendos*; tum quia ex 1. Joan. 5. 8. *Hæc est charitas, ut mandata ejus custodiamus*; tum quia sicut reliquæ virtutes theologicæ disponunt ad actus suos, sic et charitas idem præstat respectu amoris, quo Deum propter ipsum diligimus.

279. *Observa.* Cum ad perfectionem virtutis theologicæ *universim* requiratur, ut quælibet sit appretiative perfecta, et adhæreat Deo super omnia; multo id magis intelligendum est de *charitate* tanquam inter reliquas præstantissima, et quæ nos nostraque omnia ad Deum refert. Est autem triplex in hac perfectione gradus. *Primus,* cum Deus propter se diligitur super alia bona, quæ obtineri aut retineri nequeunt sine gravi Dei offensa; ita ut homo diligens Deum malit bonis illis carere, quam contra voluntatem aut legem Dei graviter obligantem obtinere vel retinere: hic gradus, cum excludat omnem affectum ad peccatum mortale, *sufficit* et *necessarius* est ad salutem. *Secundus,* cum Deus propter se diligitur super omnia, non solum graviter sed et leviter displicentia, ita ut homo paratus sit potius carere quolibet bono, vel pati quodlibet malum, quam Deum leviter offendere: hic gradus, quamvis necessarius sit ad *perfectionem christianam,* necessarius tamen non est ad *salutem*; cum non cadat sub præceptum sub mortali nos obligans suo tempore, et venialia peccata etiam vitare possimus ex motivo aliarum virtutum. *Tertius,* cum Deus propter se diligitur super omnia, non solum illi vel graviter vel leviter displicentia, sed etiam Deo minus grata et accepta; ita ut homo sic Deum diligens semper eligat id, quod judicat esse gratius et acceptius Deo: hic charitatis gradus est etiam *gradus perfectionis summus*; non tamen cadit sub præceptum, sed duntaxat sub consilium. Primum etiam et infimum charitatis appretiative perfectæ habere aliquos intensionis gradus, plerisque persuasum est, cum is sine aliquo voluntatis conatu sibi proportionato esse non posse, merito videatur.

ARTICULUS II.

QUODNAM SIT OBJECTUM MATERIALE CHARITATIS THEOLOGICÆ?

280. *Nota.* Juxta S. Th. hic q. 25. a. 2. in 0. *Per amicitiam aliquid amatur dupliciter; uno modo sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, et cui bona volumus : alio modo sicut bonum, quod amico volumus.* Ex hoc sequitur, duplex etiam statui objectum *materiale* charitatis; *primum* est id, cui bonum volumus; quod etiam vocatur *directum,* quia secundum se diligitur : *secundum* est id, quod alicui volumus; quod etiam vocatur *indirectum,* quia secundum esse relativum, quod ad aliud habet, diligitur. Prius continet duntaxat personas et entia intellectu seu ratione prædita, utpote ad quæ sola potest terminari amicitia; et de hoc unice in præsens agimus : posterius complectitur res quascumque sive supernaturales sive naturales, excepto solo *peccato;* quia præter hoc reliqua omnia possunt pertinere ad bonum amici, et in gloriam divinam referri.

281. *Dico I.* Objectum *materiale* charitatis theologicæ est Deus et proximus : ille quidem primarium; iste vero secundarium.

Prob. 1ª. *p.* Christus Matth. 22. 37. ait : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum : secundum autem simile est huic : diliges proximum tuum sicut teipsum* ergo uterque non tantum est objectum materiale, sed et ille primarium, iste secundarium.

Conf. Objectum *materiale* charitatis theologicæ est id, quod diligi potest ac debet amore amicitiæ; quia actus charitatis primarius est amor amicitiæ : sed Deus et proximus potest ac debet diligi amore amicitiæ, ut liquet ex Scriptura sacra; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Charitas theologica simpliciter dicitur charitas Dei, ad Rom. 5. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis :* sed talis dicitur non tam a Deo velut principio, quam ab eo ut objecto charitatis, juxta illud Aug. L. de Spiritu et lit. c. 32. n. 56. *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris; non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos;* ergo.

Conf. Ut quis simpliciter diligatur ex charitate theologica tanquam amicus, necesse est, ut in eo relucceat divina bonitas, utpote objectum charitatis formale, et ut sit capax beatitudinis, in cujus scilicet communicatione præcipue fundatur amor charitatis; adeoque *objectum materiale principalius* est, in quo præstantiore modo divina bonitas elucet et habetur beatitudinis participatio : sed utrumque præstantissimo modo convenit Deo, qui per essentiam est bonitas divina, et per se beatissimus; ergo.

Prob. 3ª. *p.* 1. Joan. 4. 12. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est;* adeoque et proximus est objectum materiale charitatis theologicæ : sed Deus, non vero proximus, ex dictis, est objectum primarium; ergo proximus erit saltem secundarium objectum charitatis.

Conf. Objectum charitatis *secundarium* partim dicitur illud, in quo tan-

tum minus principaliter et per participationem divina bonitas relucet, et beatitudinis ratio habetur; partim illud quod est quid pertinens ad illum, quocum primario et per se amicitia contrahitur : sed proximus per participationem est consors bonitatis ac beatitudinis divinæ, et spectat multiplici titulo ad Deum; ergo.

282. *Dico II.* Nomine *proximi* hic intelligitur omnis creatura rationalis re aut spe beata, h. e. quæ æternam beatitudinem vel actu est consecuta, vel saltem consequi potest, ac est in via ad ipsam.

Prob. Quia hujusmodi creatura rationalis pertinet ad Deum, qui primario diligitur ut amicus; et in communicatione beatitudinis præcipue fundatur amicitia Deum inter et hominem intercedens. Inter proximos autem diligendos præter Christum ut hominem connumerantur 1°. Angeli boni, qui, juxta S. Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 30. n. 33. quia nobis multa et magna beneficia præstant, proximi nostri, secundum Christi expositionem Luc. 10. datam, habendi sunt : 2°. Animæ beatorum in cœlo : 3°. Animæ defunctorum in purgatorio detentæ : 4°. Quilibet homo viator, etiam peccator et reprobus : e contra vero excluduntur angeli mali et homines damnati; utpote quorum *priores* vel reipsa beatitudinem obtinent, quam illis favere, et secundum externam gloriam etiam augere possumus; vel spem beatitudinis certam habent, aut eam necdum omnem amiserunt; aut saltem absolute capaces sunt : cum e contra *posteriores* prorsus incapaces sint beatitudinis, et quorumvis bonorum supernaturalium.

283. *Dico III.* Homo quilibet etiam relate ad seipsum pertinet ad objectum secundarium charitatis.

Prob. Verbis Christi, *diliges proximum sicut teipsum*, jubemur nosmetipsos propter Deum amare, ut Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 26. ait : *Cum dictum est, diliges proximum tuum tanquam teipsum, simul et tui abs te dilectio non prætermissa est :* et mensura amandi proximum statuitur charitas sui ipsius; ergo quilibet relate etiam ad seipsum est objectum materiale charitatis : non primarium; ergo secundarium : unde idem L. 3. de Doct. Christ. c. 10. n. 16. ait : *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum.* Idem cum S. Th. q. 25. a. 4. Theologi omnes docent.

Conf. Etiam in nobis relucet bonitas divina, et beatitudinis divinæ capaces sumus : præterea quilibet sibi ipsi proximus dici potest, juxta illud : *Proximus egomet mihi :* denique quamvis charitas non sit amor amicitiæ, nisi quando est amor alterius; tamen nec homini deest amor amicitiæ quidam erga se, quantum ad hominem interiorem, ut S. Th. 2. 2. q. 25. a. 5. in 0. explicat : nec stricta ejus significatio deest ex defectu, sed ex excessu; cum, loco unionis animarum ad amicitiam requisitæ, sit ipsa unitas, quæ, sicut in numeris, ita in amore est radix et principium, ut ibid. a. 4. S. Doctor declarat.

284. *Observa.* Ordinem charitatis exhibet S. Aug. L. 1. de Doctr. Christ. c. 27. *Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est : ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet; ne aut diligat quod non est diligen-*

dum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Porro duplex considerandus est charitatis ordo; alter *subjectivus* respiciens personas, quibus bonum volumus : alter *objectivus* respiciens bona, quæ personis illis volumus. In priore ordine primum locum obtinet Deus, alterum cæteris paribus nos ipsi, postremum proximus : in posteriore bona spiritualia præponenda sunt corporalibus. Quoniam vero et inter proximos et inter utraque bona multiplex datur varietas, et non una comparatio institui potest, multiplicem etiam ordinem Theol. Mor. designat.

ARTICULUS III.

QUODNAM SIT OBJECTUM FORMALE CHARITATIS THEOLOGICÆ?

285. *Nota.* Sicut *bonitas* est qua quid redditur amabile, sic eadem est motivum amoris : bonitatis vero nomine intelligitur perfectio; quia quo res est perfecta, eo etiam est bona; et quo est perfectior aut perfectissima, eo etiam melior et optima est. Porro bonitas, maxime Dei, considerari potest vel *absolute,* quatenus perficit ipsum subjectum illam possidens, v. g. Deum : vel *respective,* quatenus potest perficere alium, v. g. hominem amantem. Item vel *collectim* pro cumulo omnium perfectionum divinarum; quando singularis perfectio divina, v. g. misericordia, justitia etc. etiam seorsim per rationem ab aliis accipitur.

286. *Dico I.* Objectum formale charitatis theologicæ est bonitas Dei absoluta.

Prob. Objectum formale charitatis theologicæ quatuor conditiones præsertim exigit, 1°. ut sit ratio formalis amandi Deum super omnia : 2°. ut etiam sit ratio formalis amandi proximum sicut nos ipsos : 3°. ut constituat charitatem in specie virtutis theologicæ : 4°. ut distinguat charitatem ab alia virtute theologica. Conditiones hæ omnes conveniunt bonitati Dei absolutæ; nam 1°. Deus per eam est summe et super omnia bonus, propter eamdem quoque est summe et super omnia amabilis : 2°. licet bonitas Dei absoluta sit nobi set proximo extrinseca, tamen sicut credimus ob auctoritatem Dei loquentis objecto materiali extrinsecam, sic et ob extrinsecam bonitatem amarep ossumus; et proximum quidem ut filium, amicum, domesticum Dei, aut tanquam aliquid ad illum pertinens diligimus, ob Deum propter suam bonitatem dilectum : 3°. bonitas absoluta etiam constituit amorem in ratione virtutis theologicæ, cum sit aliquid intrinsece divinum ac ipse Deus : 4°. bonitas specificat actum voluntatis, atque hinc amorem a *fide,* utpote actu intellectus, distinguit; generat amorem benevolentiæ, cum bonitas respectiva terminet amorem concupiscentiæ, qui *spei* est proprius.

287. *Dico II.* Etiam bonitas absoluta *singillatim* sumpta, seu quælibet perfectio divina seorsim accepta, est sufficiens objectum formale charitatis theologicæ.

Prob. Quælibet perfectio divina habet memoratas conditiones ad objectum formale; nam perfectio divina, propter quam Deus est amabilis et propter se et super omnia quæ non sunt Deus, est ratio formalis amandi Deum super omnia : sed propter quamlibet perfectionem divinam, etiam *seorsim* sumptam, Deus imprimis est amabilis propter se; quia quælibet perfectio ejusmodi supponitur Deo intrinseca et realiter identificata, ac ipse Deus : deinde etiam est amabilis super omnia quæ non sunt Deus; quia, cum quælibet perfectio divina rursus supponatur essentialiter infinita in suo genere, et Deum summe bonum formaliter constituens, etiam propter eamdem Deus est infinite et super omnia amabilis.

Conf. Potest amari homo jam qua sapiens, jam qua misericors, jam qua virtute alia insignis; et amor ad hujusmodi motivum terminatus est verus amor benevolentiæ et amicitiæ; ergo et Deus amari potest propter quaslibet perfectiones, præsertim cum tanquam infinitæ majorem vim movendi habeant: et amor ejusmodi erit perfecta charitas theologica.

288. *Obj. cont.* 1um. Juxta S. Aug. L. 1. Soliloq. c. 6. n. 13. *Charitas* (est) *qua videre perfruique* (Deo) *desideremus*; et juxta D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 4. in 0. *Charitas versatur circa bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum*; ergo charitas pro motivo habet bonitatem respectivam. *Conf.* 1. Amor charitatis continetur sub genere amoris ut sic latissime accepti : sed de ratione amoris, ut sic, est ferri in proprium bonum amantis. *Conf.* 2. Si sola bonitas Dei absoluta foret objectum formale, non possemus charitate theologica Deum diligere propter beneficia nobis collata, et se diligentibus promissa; ad quam tamen Deus ipse nos per beneficia sæpius excitat; ergo.

R. *N. Cons.* S. Aug. charitatem ibi vel *latius* sumit pro quolibet amore theologico sive benevolentiæ; vel si charitatem stricte ac proprie accipiat, solum vult per charitatem desiderari a nobis Dei conspectum, tanquam medium ad ardorem et constantiam in amore Dei propter se dilecti, præsertim quia ibidem virtutem in constantia seu permanentia fidei, spei et charitatis collocat. D. Th. per illud, *in quantum,* non intendit significare rationem formalem amandi, sed conditionem, sine qua Deus non posset amari amore amicitiæ, et sic amore perfectæ charitatis. Cæterum beatitudo etiam nostra amari potest ut aliquid Deo bonum et redundans in gloriam Dei, ad quam tanquam ad *finem cui* ultimum nos ipsos referimus.

Ad Conf. 1am. *D. m.* De ratione amoris, *ut sic,* est ferri in bonum amantis proprium proprietate quadam dominii, seu ita ut ipsum amantem faciat formaliter bonum *N.* proprietate quadam proportionis et habitudinis, seu ita ut amans ipsum honeste amare et velle possit vel sibi vel alteri *C.*

Ad Conf. 2am. *D. seq. M.* Non possumus charitate theologica Deum diligere propter beneficia, tanquam propter motivum immediatum et intrinsecum charitatis *qua talis C.* tanquam propter motivum mediatum et extrinsecum *N.* Sicut motiva credibilitatis sunt tantum ratio remota et extrinseca actus fidei divinæ, auctoritas vero Dei revelantis est ratio motiva proxima et intrinseca, sic et beneficia divina, quibus inducimur ad bonitatem Dei cognoscendam et amandam, sunt remota et extrinseca duntaxat motiva ratio

actus charitatis, qui proxime et intrinsece ad bonitatem Dei absolutam terminatur.

Inst. Bonitas Dei non facit nos aut proximum bonum; ergo non potest esse ratio sufficiens nos aut proximum amandi, cum nihil diligatur nisi bonum.

R. *N. Cons.* Licet enim bonitas Dei non faciat proximum *formaliter* ac *intrinsece* bonum, dicit tamen quamdam ad illum habitudinem, ut ipse actu vel potentia consors est naturæ divinæ ac beatitudinis; atque secundum hanc habitudinem charitas theologica invenit in bonitate Dei rationem sufficientem amandi proximum, quamvis ille nullam in se bonitatem, sed maximam potius malitiam habeat, ut in peccatoribus accidit.

Ad Rat. D. Nihil diligitur ut finis vel medium ad finem, nisi bonum *C.* nihil diligitur ut amicus *subd.* si diligitur ut amicus primarius *C.* ut amicus secundarius *N.* Qui ut amicus *primarius* diligitur, ut per charitatem diligitur Deus, non potest propter alienam bonitatem diligi; cum sicut bonitas proprium subjectum facit primario bonum, ita et primario amabile : qui vero ut amicus *secundarius* diligitur, ut per charitatem diligitur proximus, non habet necesse, ut sit bonus *in se,* sed sufficit quod ita terminet habitudinem bonitatis alienæ, quæ propria est amico primario, ut eam vel actu participet, vel participare possit; quia ratio amici secundarii stat in eo, quod ametur ut conjunctus vel conjungibilis cum amico primario per participationem bonorum primario amico propriorum.

289. *Obj. cont.* 2um. Objectum formale charitatis est ipse Deus ut summum ac perfectissimum bonum, et juxta D. Th. ut objectum visionis beatificæ dicit cumulum omnium perfectionum; ergo. *Conf.* Omnis actus charitatis est actus perfectissimus; ergo debet procedere ex motivo perfectissimo : sed motivum perfectissimum sunt perfectiones Dei *simul* sumptæ; ergo.

R. *Ad Arg.* quoad 1um. *D. M.* Objectum formale charitatis quoad habitum *C.* quoad actum *subd.* est ipse Deus et summum ac perfectissimum bonum formaliter in omni genere boni et perfectionis *N.* saltem formaliter in aliquo perfectionis et bonitatis genere *C.* Habitus charitatis infusus habet se per modum *potentiæ,* adeoque debet se extendere ad omnem perfectionem, propter quam Deus potest diligi : actus autem charitatis dependet a libera determinatione voluntatis in eligendo ac præfigendo sibi motivo ad amorem Dei propter se super omnia sufficiente, quod, ex dictis, potest esse quælibet perfectio divina formaliter in uno tantum genere infinita. Quoad 2um. *D. M.* Objectum charitatis est Deus ut objectum visionis beatificæ hoc sensu, quod omnes perfectiones, quæ sunt objectum visionis, per actum charitatis quemvis attingantur *N.* hoc sensu, quod omnis illa perfectio, quæ videtur, possit esse objectum formale, et singulæ sufficienter movere possint ad amandum Deum super omnia *C. Disparitas* inter visionem intuitivam et cognitionem abstractivam charitati prælucentem aliunde nota ostendit, fieri non posse adæquatam comparationem inter utriusque objectum.

Ad Conf. R. *D. M.* Est actus perfectissimus ex suo genere et modo tendendi generico *C.* in suo genere et sua specie *N.* Quatenus quilibet actus charitatis diligit Deum propter se seu bonitatem absolutam sine respectu ad propriam amantis cupiditatem, et super omnia ac referendo ipsum etiam

amantem ad Deum, habet genus ac modum tendendi perfectissimum : inter actus tamen sic ex suo genere perfectissimos sicut alius alio intensive est perfectior, ita etiam potest esse perfectior extensive, quatenus scilicet ad plures vel pauciores perfectiones Dei unus præ altero extenditur.

CAPUT II.

DE NECESSITATE CHARITATIS.

—

ARTICULUS I.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE PECCATUM SIT, DEBEAT ESSE EX CHARITATE ELICITUS ?

290. *Nota I.* Inter charitatem et vitiosam cupiditatem non dari *medium*, ideoque actum a charitate non elicitum oriri ex prava cupiditate, præter Lutherum et Calvinum statuunt *Baius*, cujus hæc est propositio inter illas a Pio V., Greg. XIII. et Urbano VIII. damnatas 38. : *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur*; *Jansenius* qui L. 5. de Gr. Chr. c. 6., ubi rationem universalem ex principiis S. Augustini reddere conatur, cur omnes virtutes quidam sint affectus dilectionis Dei, ita inquit : *Non agnoscit sanctissimus Doctor in universis operibus suis nisi duos amores Creatoris et creaturæ, ex quorum alterutro necesse est, ut quæcumque actio voluntatis oriatur : ille charitas est, iste cupiditas ; quarum illa de cœlo est Deo plantante, ista ex mundo diabolo seminante* ; quocum consonat *Jansenianorum* propositio inter 31. ab Alex. VIII. damnatas 7. : *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi : si Dei, charitas Patris est ; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est* ; *Quesnellus* cujus propositio 44. inter centum et unam a Clem. XI. damnatas ita enuntiat : *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur ; et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.*

291. *Nota II.* Circa principium hoc a *Novatoribus* statutum movetur quæstio prima juris, an nempe verum sit ; et altera facti, in quonam sensu illud fuerit ab istis assertum. Ratione *prioris* observandum est, charitatem non tantum accipi stricte et proprie ac pro amore Dei benevolo et mere gratuito hactenus a nobis exposito, sed maxime a S. Aug. etiam frequenter usurpari minus stricte ac minus proprie, pro amore quocumque recto, bona voluntate vel amore boni ; ut patet ex Comment. in Psal. 9. n. 15. ad illa

verba, *Comprehensus est pes eorum : Pes animæ recte intelligitur amor : qui cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido ; cum autem rectus, dilectio vel charitas* : ex L. de Gr. Chr., ubi postquam c. 21. dixisset : *Quasi vero aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam* ; deinde c. 24. declarat Assueri conversionem ab indignatione in lenitatem fuisse *bonam voluntatem* a Deo profectam, nullo tamen modo charitatem proprie dictam, seu animi affectionem, *qua quis se a Deo regi cupiat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspendat, et ei jugiter adhærendo unus cum illo spiritus fiat* ; et L. 8. de Trinit. c. 10. *Quid est autem dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni ?* Ratione *posterioris* advertendum est, charitatem proprie dictam et theologicam aliam esse imperfectam, aliam perfectam; quarum illa Deum quidem propter se et sic benevole ac mere gratuito, non tamen super omnia diligit, ideoque voluntatem non penitus a peccato avertit, neque per se suficiens est dispositio ad justificationem; ista vero Deum et propter se et super omnia diligit, adeoque et opposite ad priorem imperfectam, et ob rationem sufficientis ad justificationem extra sacramentum dispositionis satis perfecta est. Præterea charitas stricte dicta non minus a Scriptura et Patribus usurpatur proprie pro *actu* sive justificationem præveniente sive consequente, quam pro *habitu,* qui vel ipsa gratia sanctificans est, vel saltem inseparabiliter conjuncta cum hujusmodi dono.

292. *Dico I.* Amor Dei, ex quo necessario ortum volunt *Novatores* omnem actum humanum, ne peccaminosus sit, secundum *Jansenium* videtur quidem intelligi charitas proprie dicta, non tamen perfecta; secundum *Baium* perfecta sed non habitualis; secundum *Quesnellum* autem perfecta simul et habitualis vel dominans et plene justificans.

Prob. 1ª. *p.* Quoad 1ᵘᵐ. *Jansenius* charitatem, quæ pro objecto habet Deum propter se dilectum, L. 5. de Gr. Chr. c. 3. 4. 5. 6. et 9. statuit esse radicem virtutum cardinalium, religionis et theologicarum, imo harum virtutum actus formaliter esse actus charitatis, et virtutem nihil aliud quam Dei amorem esse decernit. Quoad 2ᵘᵐ. Idem ibid. c. 7. et 8. probandum assumit, dilectionem illam, ex qua fides et spes nascitur, esse imperfectam : *Sed ne quis in hac doctrina fallatur, sciendum est, non semper ita sumi ab Augustino charitatem, quemadmodum hoc tempore passim et fere semper in scholis usurpari solet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus; quo sane sensu certum est, ex mente Augustini fidem et spem non supponere charitatem, ex qua nascantur; sed e contrario fidem et spem charitati isti perfectæ, sicut et remissioni peccatorum, viam sternere..... Augustinus igitur charitatem accipere plerumque solet pro dilectione, qua vere, sincere et gratis ex animo propter seipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu, diligitur Deus; sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur, sive in simpliciori et inferiori affectu hæc hæreat. Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides christiana.... De tali imperfecto charitatis seu dilectionis actu, qui non sufficiat, ut justificetur homo, quia nondum supra omnia diligitur Deus, loquitur Augustinus diversis in locis* etc. Similia jam præ-

miserat L. 3. de Statu naturæ lapsæ c. 19. rursus sub initium cap., quo statuit non dari medium inter charitatem et culpabilem cupiditatem.

Prob. 2ª. *p.* Quoad 1ᵘᵐ. tum ex perspicuis verbis propp. 31. 70. 71. ubi *charitatis perfectæ* mentio fit : tum ex datis charitati attributis, qualia habentur propp. 16. et 32., ubi charitas *vera legis obedientia et plenitudo legis* vocatur : tum ex effectu, quia operibus ex charitate factis propp. 42. 43. 44. et 69. formaliter tribuitur *justificatio*. Quoad 2ᵘᵐ. patet 1°. quia *Baius* in opusculo de charitate unde propositio 38. et aliæ de charitate excerptæ sunt, diserte rejicit habitum charitatis et *habitualem atque accidentalem qualitatem*, testaturque a se charitatis nomine intelligi duntaxat cum Aug. *animi motum ad fruendum Deo propter seipsum ac proximo propter Deum.* 2°. Quia idem protestatur in sua apologia ad Pium V. data, se de *solo charitatis actu* esse locutum. 3°. Quia ipsa propositionis 38. verba amorem potius actualem quam habitualem significant, cum habeatur : *qua mundus diligitur, vel qua Deus amatur.* 4°. Quia in prop. 31. sermo est de charitate, *quæ est ex corde puro*; prop. 33. *per quam catechumenus juste, recte et sancte vivit, mandata Dei observat, ac legem implet*; quæ rursus actum designant; præsertim cum juxta prop. 42. *justitia, qua justificatur per fidem impius, consistat formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ consors naturæ efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit;* cui propp. 62. 63. et 69. addere licet.

Prob. 3ª. *p.* quoad 1ᵘᵐ. Tum quia propositio loquitur de amore, qui *omnia*, nullo excepto, *agit propter Deum;* sive ut prop. 47. habet, propter *Dei gloriam*, excluso omni amore, *quo nos ipsos ac mundum diligimus;* adeoque de amore benevolo super omnia, seu qui Deum omnibus præfert : tum quia *Quesnellus* ad præceptum charitatis Matth. 22. 27. hanc observationem subjungit : *Nullæ cogitationes aut consilia in intellectu; nulla desideria aut motus in voluntate; nullæ actiones aut negotia in vita, quæ non debeant habere pro principio amorem Dei et pro fine ejus gloriam;* cui similem ad 1. Cor. 16. 14. explicationem adnectit : tum quia ad ep. ad Coloss. 3. 14. sic observat : *Sola charitas facit actiones christiano modo per relationem ad Deum et Jesum Christum, uniendo et conformando nos Capiti nostro ut vera membra... Charitas solum vinculum perfectum est, quod cor quietat Deoque affigit.* Quæ et alia similia, unde et propositiones de charitate ejusque effectu scilicet justificatione desumptæ sunt, ostendunt sermonem esse de charitate perfecta.

Quoad 2ᵘᵐ. *prob.* 1°. de charitate *habituali.* Omnis actio, ut bona sit, debet procedere ex amore Dei, juxta prop. 44. : omnis amor Dei bonus prærequirit gratiam juxta prop. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem :* omnis gratia prærequisita vel formaliter præstat vel supponit remissionem peccatorum juxta prop. 28. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est remissio peccatorum :* omnis peccatorum remissio in præsenti providentia fit per justitiam et charitatem habitualem, ut ex Trid. Sess. 6. cap. 7. constat; ergo juxta Quesnellum omnis actio, ut bona sit, debet procedere ex charitate habituali.

Prob. 2°. De charitate *dominante,* tum ex sensu prop. 44.; quia amor Dei, *qui omnia agit propter Deum,* est amor formaliter dominans : tum ex verbis

prop. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat :* tum ex ejus observationibus ad Matth. 12. et 30. et ad Luc. 10. 27. ; ubi in priori notat: *Oportet ut nobis dominetur charitas vel cupiditas*, in posteriori : *Nisi amor Dei dominetur ut principium et motivum in usu etc., desumus huic præcepto.* Denique

Prob. 3°. de charitate *plene justificante.* Plene justificat, quod excludit peccatum mortale, habet rationem justificandi, et vim merendi de condigno : sed hæc omnia juxta Quesnellum conveniunt omni charitati simpliciter dictæ ; quia 1°. in observatione ad 1. Joan. 3. 9. dogmatice sic pronuntiat : *Charitas nullum patitur secum peccatum mortale.* 2°. Quia prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem,* æquivalet huic : fides justificat, quandocumque operatur per charitatem; ubi et ratio justificandi tribuitur charitati, et quælibet charitas simpliciter dicta intelligitur, cum certum sit fidem operari per charitatem simpliciter dictam. 3°. Quia in prop. 44. exigitur amor Dei, *quem Deus remuneratur ;* in sequentibus autem soli charitati corona et remuneratio tribuitur, quales sunt prop. 55. *Deus non coronat nisi charitatem ;* prop. 56. *Deus non remunerat nisi charitatem* etc.

Conf. Propositionem Quesnelli de charitate habituali aut dominante aut justificante intelligendam esse, tradunt 1°. Episcopi Gallicani tum in Instructione Pastorali an. 1714., tum in explicationibus supra Constit. *Unigenitus,* an. 1720. communi nomine editis, ubi docent, Quesnello non esse veram charitatem *nisi habitualem aut dominantem.* 2°. Auctores anonymi opusculorum, quorum primum anno 1714. sub titulo : *Venenum* 101. *propositionum,* alterum an. 1718. Bruxellis cum epigraphe : 101. *propositiones singillatim qualificatæ,* tertium 1724. Gandavi sic inscriptum : *Veritas et æquitas Constitutionis Unigenitus theologice demonstrata,* prodierunt : hi, inquam, intelligunt Novatoris axioma de *amore perfecto et dominante.* 3°. P. Paulus de Lugduno Capuc. in Antihexaplis seu analysi 101. propp. ad prop. 44. ostendit, eamdem loqui de *charitate vera et proprie dicta, quam Jansenius amorem Dei dominantem appellat.* 4°. Demum idem uberrime probavit P. Jacobus Fontaine S. J. in *Constitutione Unigenitus theologice propugnata* an. 1719. Romæ impressa, ubi tum per tres quæstiones speciatim propositas demonstravit, assertam hic loci a Quesnello fuisse charitatem *justificantem seu cum justificatione infallibiliter connexam, dominantem et habitualem;* tum in appendice, propositionibus de charitate post prop. 59. adjecta, confutavit protestationem, qua Quesnellus admissam a se charitatem imperfectam et non justificantem contendebat.

293. *Dico II.* Ne actus humanus sit peccaminosus, non requiritur ut procedat ex charitate proprie dicta quamvis *imperfecta,* multo autem minus ex *perfecta* sive actuali sive habituali.

Prob. 1ª. *p.* Datur actus humanus moraliter bonus, qui non oriatur ex gratia, ex Tr. de Gr. et datur actus supernaturaliter bonus, qui sit tantum spei aut timoris, ex supra dictis; ergo non omnis actus est peccaminosus, qui ex charitate non oritur; ergo ne sit peccaminosus, ex charitate necessario procedere non debet.

Conf. 1. Damnata est ab Alex. VIII. prop. 7. ex Joan. Sinnichii, Macarii

Havermans et nonnullorum Lovaniensium Jansenii sectatorum thesibus excerpta; ergo inter cupiditatem et charitatem imperfectam in sensu Jansenii datur *medium*, nec omnis actio, quæ ne quidem est charitas imperfecta aut exinde orta, est peccatum.

Conf. 2. Ex sententia *Jansenii* sequitur *primo*, in magnis peccatoribus, ubi deficit omnis amor, etiam deficere fidem supernaturalem, cum desit bonitatis et supernaturalitatis principium, nempe charitas saltem imperfecta : *secundo*, peccatum esse, quidquid non est ex fide christiana supernaturali et per charitatem operante : *tertio*, necesse esse fidelem in omni opere peccare : sed hæ sequelæ non tantum damnatæ fuerunt in propp. 8. 11. et 12. ab Alex. VIII., sed et repugnant Scripturæ, Patribus et Rationi; ergo.

Prob. 2ª. *p.* Datur amor Dei naturalis, ex Tr. de Gr. datur amor concupiscentiæ supernaturalis; datur denique charitas inchoata et imperfecta, et hi omnes actus sunt honesti ac liciti; ergo non omnem actionem humanam, ne peccaminosa sit, ex charitate perfecta actuali procedere est necesse.

Conf. 1. Damnata a tribus Pontificibus præter prop. 38. plura ejus consectaria : *primo*, vanam esse distinctionem amoris Dei in naturalem et supernaturalem, ut ex prop. 35., item operis boni in meritorium et non meritorium, ut ex propp. 62. et 63. constat : *secundo*, nullum esse opus moraliter bonum etiam naturale solis naturæ viribus possibile, ut in propp. 28. 29. 30. 31. 37. et 66. asseritur : *tertio*, omnia opera infidelium esse peccata, et virtutes Philosophorum vitia; ut prop. 28. enuntiatur : *quarto*, Deum posse suis præceptis ad impossibilia obligare, ut in prop. 55. docetur.

Conf. 2. Principium Baianum est surculus Lutherani et Calviniani erroris a Trid. damnati, et radix *Quietismi* ab Innoc. XII. proscripti, cujus hanc etiam propositionem ex Cameracensi extractam recenset in suo Quietismo redivivo Bossuetius : *Quidquid non provenit ex principio charitatis, ut S. Augustinus docet, ex cupiditate provenit*; ergo.

Prob. 3ª. *p.* Datur amor bene ordinatus tum Dei ut auctoris naturæ, tum sui et proximi ex solius naturæ viribus possibilis, ut ex serm. 52. de temp. (al. 349. c. 2.) S. Aug., et ex 2. 2. q. 19. a. 6. D. Th. constat: dantur virtutes morales, maxime cardinales, supernaturales ex Tr. de Justif. : dantur plures præter charitatem virtutes theologicæ, ex supra dictis: sed hæc omnia mediant inter charitatem habitualem et concupiscentiam; ergo.

Conf. 1. Ab ipso *Jansenio* L. 4. de Stat. nat. laps. c. 27. falsum et Augustino contrarium declaratur assertum de nullo medio actu inter charitatem perfectam habitualem et justificantem, ac inter vitiosam cupiditatem : damnatum est a Clem. XI. oppositum, tam quoad se in prop. 44., tam quoad consectaria in propp. seq. : damnatum denique est a Trid. Sess. 6. cap. 6. et can. 7. definiente, opera bona, ante justificationem et hinc absque charitate habituali dominanti vel justificante facta, non esse peccata.

Conf. 2. Tum ex Tr. de Gr., tum ex eo quod ex Quesnelliano dogmate consequatur universæ religionis interitus. Nam si omnis actio et volitio aliunde exorta, quam *a charitate habituali et justificante*, est peccaminosus; ergo primus actus fidei, utpote qui in adultis præcedere charitatis actum debet, adeoque ex ea nasci nequit, erit malus ; item malus erit credulitatis affectus, malum erit voluntatis imperium, quæ fidei præeunt; ergo fides charitati prævia nequit esse theologica ; ergo nec humanæ salutis initium,

fundamentum et radix omnis justificationis esse potest, ut tamen Trid. definit; ergo hoc fundamento ruente, non tantum ruit charitas, sed etiam succiditur spes christiana, interit timor salutaris, abolentur sacramenta, Ecclesiæ compago laxatur, et totum, quantum est, virtutum ac religionis ædificium dissipatur.

294. *Obj. cont.* 1um. *I. Jansenii* liber, cui titulus est: *Augustinus,* ab Urban. VIII. Bulla, *In Eminenti,* proscriptus est tanquam continens ac renovans Baianas propositiones: *Quesnellus* vero utpote Jansenio penitus devotus, eadem cum illo principia sicut in reliquis omnibus, ita in præsenti materia certo videtur secutus; ergo si Baius et Quesnellus dicuntur requisivisse pro actionum principio charitatem perfectam, idem dicendum est de Jansenio. *Conf.* Etiam *Jansenius* exigit, ut omnia agantur propter Deum, et charitas in nobis dominetur; ergo si ex iisdem causis Quesnellus censetur requirere charitatem perfectam, hoc ipsum de Jansenio statuere oportet.

R. *N. A. et Cons.* Quoad priorem antec. partem, vera quidem est assertio, falsa autem illatio, cum nec Urbanus edixerit, quasnam Baii propositiones Jansenius renovarit, nec Innoc. X. quinque famosas propositiones postea damnans de renovatione propositionis 38. Baianæ intelligi queat. De posteriore autem parte falsitas patet tum ex manifesto Jansenii dogmate superius allato, tum ex testimonio Auctorum inter quos P. Fontaine ostendit discrimen inter Quesnellum ac Jansenium, et hujus sententiam de charitate probat esse mitiorem.

Ad Conf. D. A. Etiam Jansenius exigit charitatem imperfectam dominantem et omnium radicem *C.* perfectam *N.* Præterea non ex his duntaxat prædicatis sed et ex aliis in probatione prolatis et additis ostendimus a Quesnello charitatem perfectam fuisse admissam.

295. *Obj. II. Baius* loquitur de charitate, prout illa tum temporis usurpatur in scholis, et ab Apostolo dicitur per Spiritum sanctum diffusa in cordibus nostris: sed charitas sic usurpata est habitualis; ergo. *Conf.* Charitas, quæ justificat et sanctificat hominem, facitque opus ex illa procedens meritorium vitæ æternæ, est habitualis: sed *Baius* loquitur in suis propositionibus damnatis de charitate justificante et præstante meritum vitæ æternæ; ergo.

R. *N. m.* Observavimus jam supra, charitatem non minus proprie pro *actu* ac pro *habitu* usurpari. Quamvis vero Apostolus, dum charitatem in cordibus diffusam appellat, intellexerit habitualem; *Baius* tamen hoc prædicatum in opusc. de Char. c. 2. et seqq. attribuit *actui* charitatis; unde et exceptio ejusdem, quod in c. 6. illius attributi mentionem nullam fecerit, refutata fuit, propterea quod in posteriore cap. de eadem charitate, de qua in prioribus loquebatur, sermonem continuarit, et hinc illud prædicatum damnato articulo juste insertum fuerit, tametsi eo loci, unde excerptus erat, aperte additum non reperiatur.

Ad Conf. R. *D. M.* Charitas, effective seu proprie justificans et præstans meritum vitæ æternæ absolutum, est habitualis *C.* Charitas denominative tantum ac improprie justificans et præstans meritum vitæ æternæ duntaxat conditionatum *N.* Posterioris autem generis charitatem a Baio solam admitti, liquet ex universo ejus systemate et propositionibus ejus damnatis.

Non enim aliam quam operum justitiam ab eo statui prop. 42. manifeste loquitur : ab hac justitia separatam esse peccatorum remissionem propp. 31. 32. et 33. clare edocent; neque remissionem illam per justitiam operum, sed a solo Deo per sacramenta tribui propp. 57. et 58. designant; ex quo, cum vita æterna obtineri non possit nisi sublato reatu et obligatione ad pœnam, in quo manere peccatum prop. 56. enuntiat, sequitur profecto, meritum vitæ æternæ in sententia *Baii* esse tantummodo conditionatum. Quin nec ipsam charitatem quamcumque a Deo infusam esse veram et proprie dictam gratiam constat ex Baiano circa statum naturæ innocentis systemate : ad meritorium autem opus non requiri gratiæ donum ex eodem circa statum naturæ reparatæ systemate liquet.

296. *Obj. III. Quesnellus* pluribus in notis ad N. T. admittit in peccatoribus charitatem inchoatam et imperfectam, et quæ præparet animum ad charitatem inhabitantem; ergo juxta eum non omnis charitas est habitualis. *Conf.* Idem in libello post damnationem edito protestatur, minime a se requisitam charitatem *justificantem,* sibique in hoc dogmate afflicto injuriam factam queritur; ergo.

R. 1°. *N. Cons.* Nec enim, quod aliis hæreticis solemne fuit, alienum est a *Quesnello,* quod sibi contradixerit : nec nobis incumbit, antilogias ejusdem benigniore quadam interpretatione conciliare; cum id beneficium Catholicis duntaxat auctoribus debeatur.

R. 2°. *D. Cons.* Juxta eum non omnis charitas determinate est habitualis *C.* indeterminate ac disjunctive, scilicet vel habitualis vel dominans et plene justificans *N.*

Ad Conf. R. *N. Cons.* Falsitas et impudentia protestationis hujus sufficienter demonstratur ex dictis. Qui plura exigit, adeat P. Fontaine, subjuncta ad propp. 59 appendice, querimonias illas accurate excutientem.

297. *Obj. cont.* 2um. SS. Patres non agnoscunt *medium* inter charitatem theologicam et cupiditatem; ergo ne actio humana sit peccaminosa, debet ex charitate theologica sive imperfecta prodire. *Prob.* S. Aug. L. 14. de Civ. c. 28. scribit : *Fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; cœlestem vero amor Dei usque ad contemptum sui* : S. Prosper. L. sentent. num. 221. (al. 222.) primam civitatem nomine *Babylonis,* alteram *Hierosolymæ* nomine insignit.

R. *N. A.* Testimonia subjecta nec accipiuntur de amore benovolo, nec excludunt medium supernaturale, multo minus naturale inter charitatem et cupiditatem. *Ad* 1um. R. Utrumque S. Doctorem loqui non de *actionibus,* sed de statu animorum, quorum alter sit gratiæ seu justitiæ et salutis, alter peccati et damnationis; quod patet, tum quia *civitatis* nomen non apte rem fluxam et transeuntem, qualis est quælibet singularis actio, sed stabilem durantemque, ut per se intelligitur status gratiæ vel peccati, significat : tum quia alias non tantum actus supernaturales fidei, spei, timoris etc., contra alibi asserta horum Patrum, pertinerent ad *Babylonem;* sed etiam peccatum veniale, quod non est amor sui usque ad contemptum Dei, vel ad nullam civitatem, vel ad cœlestem ac Hierosolymam foret referendum. Itaque ad statum quidem gratiæ vel peccati universum hominum

genus revocatur; quin tamen illa discretio eorumdem in alterutram civitatem vel statum obstet, quominus tam *Babylonii* quam *Hierosolymitæ* ex neutro amore, quo in sua civitate sunt translati, scaturientes volitiones eliciant, et actiones exerceant.

Inst. 1. Aug. L. de Gr. Chr. c. 20. ait : *Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium.* S. Leo. serm. 90. (al. 88.) de jejunio septimi mensis 5. c. 3. *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitatibus, sicut dividuntur Auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia* etc. Consentit S. Fulgent. L. 1. ad Mon. c. 18.

R. Charitatem ab Aug. hic non sumi *stricte* ac proprie, sed *late* ac minus proprie pro quacumque voluntate bona, ostendunt finis cap. 18. et initium c. 19. *Si duæ arbores, bona et mala, duo sunt homines, bonus et malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, h. e. arbor radicis bonæ? et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, h. e. arbor radicis malæ? fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, et mala de mala. Facit autem homo arborem bonam, quando Dei accipit gratiam* etc. Idem responsum etiam applicant Galliæ Episcopi, in doc. pastorali Card. de Rohan, textui S. Leonis, cum hic serm. 45. (al. 44.) de Quadrag. 7. c. 3. opus moraliter honestum, et serm. 48. (al. 47.) de Quadrag. 10. c. 3. etiam supernaturalem actum sine charitate admittat. Præterea vero in allato textu amor Dei ac mundi potest rite intelligi *habitualis,* quorum ille justis, hic peccatoribus proprius est, et facit habitualiter quiescere in æternis aut terrenis tanquam fine ultimo; voluntas autem accipi, non pro *actu,* sed *potentia* : in qua explicatione nullum quidem inter utrumque amorem, sicut nec inter statum justitiæ aut peccati, admittitur *medium*; non tamen omnis actio ex habituali amore Dei vel mundi procedere debet, sicut nec justi actio omnis bona est, nec peccatoris mala. Atque hæc ultima explicatio maxime convenit textui S. Fulgentii.

Inst. 2. S. Aug. L. 9. de Trin. c. 7. et 8. inquit : *Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur sive creaturæ sive Creatoris..... ergo aut cupiditate, aut charitate, non quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit : tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Simile quid S. Greg. L. 18. Mor. c. 8. (al. c. 9. n. 16.) enuntiat :

R. Charitatem rursus improprie ab Aug. hic sumi, patet ex amore creatoris tanquam termino cum eadem æquipollente ibidem usurpato : nec omnem amorem creaturæ propter se culpari, sed tantum eum, qui corrumpit fruentem, ex ipsis verbis liquet. Quidnam vero proprie sit frui, docet S. Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 33. n. 27. *Cum adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat : per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, retuleris; uteris ea, et abusive, non proprie diceris frui; si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es.* S. Greg. si sumatur de *actuali* delectatione,

intelligendus est de eo, quod passim ac plerumque, non autem absolute semper contingit : si autem, quod contextui sequenti conformius est, loquatur de *habituali* delectatione duplici, pro duplici etiam justorum et peccatorum classe, ex sup. dictis constat inde actionem humanam mediam non excludi. Cæterum ab eodem S. Patre non condemnari omnes actus, qui ex amore benevolo non procedunt, ex ejus Comment. in L. 1. Reg. c. 12. v. 13.-20. (al. in 1. Reg. L. 5. c. 2. n. 7. c. 10. n. 11. 12.), L. 5. Mor. c. 13. (al. 16. n. 33.) et hom. 27. in Evang. n. 1. liquet.

Inst. 3. Concilium Araus. II. Can. 17. (Labb. t. 4. p. 1670. A.) statuit : *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris* etc; ergo.

R. Testimonium hoc esse plane impertinens; tum quia ex particulari virtute non valet argumentum ad omnes : tum quia Concilium definitionem hanc ex Aug. L. 1. Op. imperf. mutuatum est, ubi refutatur Julianus fortitudinem patientiæ tam in Christianis quam gentilibus virtuti naturæ tribuens; cum tamen fortitudo Christianorum, nempe *Martyrum,* ex charitate Dei excellentissima proficiscatur, gentilium vero fortitudo in adversis plerumque ex vanæ gloriæ cupiditate ortum duxerit, quamvis id de aliis virtutibus populari auræ minus expositis non adeo universim evenisse dicendum sit.

ARTICULUS II.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE SIT MALUS, DEBEAT SALTEM ESSE A CHARITATE IMPERATUS?

298. *Nota 1.* Supponimus hic 1°. dari præceptum divinum charitatis erga Deum, quod Christus Matth. 22. 38. tanquam *maximum et primum mandatum* commendat. 2°. Præceptum hoc, prout *negativum* est, ac præter odium omnem Dei offensam prohibet, obligare semper : prout *affirmativum* autem est, et actum amoris erga Deum præcipit, non quidem pro semper, sed tamen plus vice simplici per se obligare; ut ex propositione inter duas 1. ab Alex. VIII., et ex propp. 5. 6. et 7. ab Innoc. XI. damnatis constat; ex quibus et aliis principiis Moralistæ tempora quædam determinata pro actu amoris eliciendo, partim certo, partim probabiliter definiunt, quos vide. 3°. Præceptum charitatis *affirmativum* obligare etiam hominem, ut seipsum omnesque vitæ suæ actiones referat ad Deum; quia juxta D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* 4°. Relationis hujus species quatuor assignari. Earum *prima* dicitur *formalis,* consistens in actu voluntatis tam expresso et sensibili, ut homo ipse percipiat seu reflexe cognoscat se referre sua opera ad Deum : *secunda habitualis,* quæ stat in relatione formali præterita et non revocata, ideoque moraliter saltem negative perseverante, eo quod nihil illi contrarium fiat : *tertia* est *virtualis ex parte operantis,* quæ rursus supponit relationem formalem; consistit autem vel in actibus hujus relationis tenuibus ac remissis, vel in quopiam actu alio inde relicto opera relationem formalem

sequentia comitante et ita afficiente, ut verum sit dicere hæc opera in virtute actus formalis præcedentis fieri, quantumvis ad illum non reflectamus: *quarta* est *virtualis ex parte operis,* quæ in intrinseco ordine actus honesti et virtutis ad Deum consistit; quatenus omnis actus, hoc ipso quod sit honestus, ex natura sua non minus ordinatur ad Deum, quam Deus est omnis honestatis fons et origo. 5°. Concedi a nobis hominem teneri, ut omnia et singula opera in Deum referat relatione tum habituali tum virtuali ex parte operis : *primum* quidem; quia homo, ex dictis, tenetur aliquoties in vita omnia referre formaliter in Deum, nunquam vero licet aliquid illi contrarium facere, eamque sic retractare: *secundum* autem; quia quoties homo deliberate operatur, tenetur operari honestis et debitis cum circumstantiis. 6°. Male a nonnullis confundi nostram quæstionem cum hac : Utrum actus humanus, ut sit ex omni parte bonus, debeat referri ad Deum? quia tametsi id concederetur, non inde sequitur, debere id fieri ex *imperio* aut *motivo charitatis*; cum præter charitatem etiam actus spei ex proprio motivo Deum attingat, et virtutes morales referre ad Deum sua opera queant. Proin quæstio sic instituenda est: an omnis actus humanus, ne malus sit, sed omni ex parte bonus, debeat referri ad Deum propter se dilectum, seu ex motivo *amoris benevoli?*

299. *Nota II.* Catholici non pauci, præsertim *Scholæ Augustinianæ* addicti, tametsi nobiscum negent omnem actionem humanam ex charitate sive habituali sive actuali necessario esse eliciendam; exigunt tamen ut saltem imperetur a charitate, sive ut ex motivo amoris benevoli fiat, et referatur ad Deum propter se dilectum. Iidem vero, ut se a *Novatoribus* distinctos probent, monent 1°. non exigi a se imperium aut motivum charitatis perfectæ, seu demum habitualis seu actualis dominans et justificans intelligatur; sed volunt sufficere etiam imperium aut motivum charitatis propriæ quidem, sed imperfectæ aut *initialis*; adeoque sufficere relationem ad Deum propter se præcise, licet non super omnia dilectum : 2°. hanc relationem sæpius quidem esse oportere formalem et actualem; satis tamen etiam esse virtualem *simpliciter* dictam, h. e. ex parte operantis talem : 3°. actionem, nec actualiter nec virtualiter ad Deum propter se dilectum relatam, non semper procedere ex cupiditate, nec intrinsecus in se et officio esse malam; cum spectato fine proximo et principio elicitivo, possit sæpius esse honesta et laudabilis : spectata tamen finis ultimi ratione, qua caret, volunt aliquid ei deesse, cujus causa nequeat simpliciter et ex omni parte dici bona; atque hinc hominem sine hujusmodi relatione deliberate operantem *venialiter* saltem delinquere, et peccati omissionis fieri reum.

Sed enim licet *primum* eos forsitan discernere queat a Baii et Quesnelli partibus, minime tamen eos inter et Jansenium distinguere videtur, cujus sententiam æque mitigatam supra exposuimus. Neque vero *secundum* pro discriminis ratione hic afferri potest; cum documento nullo probari queat, a *Novatoribus* illis actualem relationem necessario esse postulatam. Quin *Jansenius* L. 2. de Stat. nat. lap. c. 20. ita enuntiat : *Hoc autem certissimum est in Augustini sententia....., vel actuali vel virtuali intentione id esse præstandum; virtualis enim intentio in actibus humanis idem facit, quod actualis.* Itaque circa *tertium* duntaxat restat controversia : ubi examinare

juvat, 1°. quidem, an detur præceptum et obligatio agendi semper ex imperio vel motivo charitatis propriæ, et hinc referendi omnes omnino actiones humanas ad Deum propter se dilectum? 2°. an Adversarii id asserentes satis distinguantur a *Novatoribus* damnatis, per discrimen ab iisdem adductum.

300. *Dico I.* Ne actus humanus sit malus, non requiritur ut a charitate saltem imperetur.

Prob. Nec datur præceptum, quo homo, saltem *sub veniali* omissionis peccato, teneatur singulas totius vitæ suæ actiones deliberatas in singulis, queis fiunt, instantibus saltem virtualiter ex parte operantis referre in Deum propter se dilectum. Nec omnes et singulæ actiones, ut ex omni parte bonæ sint, debent respicere motivum saltem extrinsecum *charitatis propriæ*; ergo.

Prob. 1ª. *p.* Præceptum referendi omnes et singulas actiones ad Deum propter se dilectum continetur duntaxat in præcepto *affirmativo* amandi Deum super omnia; quia præter hoc maximum et primum mandatum nullum aliud hanc relationem magis urgens assignari potest : sed præceptum amandi Deum *affirmativum* per se non obligat semper et pro semper; ergo.

Conf. Non datur præceptum referendi, actu charitatis theologicæ formali, suas actiones ad Deum propter se dilectum vel singulis diebus semel, vel quovis die sæpius, vel alternis fere ejusdem dici instantibus; quia universim talis præcepti mentio nulla habetur sive in Scriptura sive in Traditione; ergo nec datur præceptum de *virtuali* singularum actionum in singulis instantibus relatione ad Deum propter se dilectum; cum juxta Adversarios relatio virtualis ex parte operantis essentialiter præsupponat relationem formalem in aliquo instante præcedente factam.

Prob. 2ª. *p.* Dantur actus, nempe *spei* et *timoris,* qui ex solo suo motivo vel imperio charitatis sunt liciti, boni et supernaturales; ergo non omnes actus, ne ex aliqua parte mali sint, debent respicere motivum saltem *extrinsecum charitatis.*

Conf. Sicut actus charitatis est perfectissimus, nobilissimus et præstantissimus, sic actus *timoris* et *spei* est perfectus, præstans et nobilis; ergo sicut actus charitatis suam præcellentiam habet ex motivo sibi proprio, sic et actus timoris et spei ex motivis suis suam perfectionem positivam obtinent, adeoque ut sint boni simpliciter et perfecti, non exigunt motivum extrinsecum charitatis. *Antecedens* patet ex S. Scriptura cit. et ex infinitis Patrum testimoniis, quorum quædam brevitatis gratia duntaxat hic recitamus.

S. Greg. Naz. or. 40. n. 13. inquit : *Tres enim eorum, qui salutem consequuntur, classes esse scio, servorum videlicet, mercenariorum et filiorum : si servus es, plagas metue : si mercenarius, mercedem duntaxat specta : sin autem supra hos assurgis ac filius es, ut patrem reverere.*

S. Greg. Nyss. hom. 1. in Cant. (opp. t. 1. p. 475. A.) ait : *Qui vult omnes esse salvos, et venire ad agnitionem veritatis, ostendit hic perfectissimum et beatum modum salutis, eum dico qui fit per charitatem : nam nonnullis fit etiam salus per timorem, quando intuentes ad minas supplicii gehennæ, separamur a malo : sunt etiam aliqui, qui propter spem mercedis repositam eis*

qui pie vixerint, se recte et ex virtute gerunt, non charitate bonum possidentes, sed exspectatione remunerationis.

S. Basilius Proœm. in regul. fusius tract. n. 3. (opp. t. 2. p. 329. E.) ita loquitur : *In summa autem tria hæc ego video animi discrimina, quibus, ex inevitabili quadam necessitate, ad obediendum compellimur. Aut enim supplicii metu a malo declinamus, versamurque in affectu servili; aut mercedis fructus requirentes, ob nostram ipsorum utilitatem mandata explemus, et hoc pacto mercenariis efficimur similes; aut ob ipsum honestum; charitatemque erga Legislatorem nostrum..... et ita demum ut filii afficimur. Neque igitur is qui timore perficit mandata, semperque desidiæ pœnam suspectam habet, alia quidem quæ sibi præcepta fuerint, exsequetur, alia vero negliget; sed omnis inobedientiæ vindictam sibi ex æquo metuendam suspicabitur. Et idcirco beatus prædicatur qui veretur omnia ob metum..... qui scilicet nihil eorum quæ ad officium pertineant, prætermittere velit..... Imo ne mercenarius quidem quidquam eorum quæ præscripta sint, violare volet. Quomodo enim præmium feret ob vineæ culturam, si pacta omnia non servaverit? Etenim si vel unum ex iis quæ necessaria exstiterint, defuerit, inutilem ipsam possessori reddiderit.*

S. Maximus L. de Mystag. c. 24. (opp. t. 2. p. 523.) hæc de Dion. Areop. : *Fideles virtuti deditos ac scientiam colentes vocabat..... servos, mercenarios, filios, tres nempe ordines eorum, qui salute donantur. Servi enim sunt fideles, qui minarum metu Domini mandata implent..... Mercenarii autem, qui bonorum promissorum cupiditate illecti, cum patientia pondus diei et æstum portant..... Filii denique, qui neque minarum metu neque promissorum cupiditate, sed modo illo ac habitu, quo in bonum honestumque propensa animi voluntate tendant, a Deo nunquam separantur, velut filius ille, ad quem dictum est : Fili! tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt.*

Prob. utr. p. Ex contraria assertione sequuntur oppido falsa et alias jam damnata.

1um. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet; quia sine gratiæ adjutorio, juxta Adversarios, non habetur imperium vel motivum charitatis; sine imperio vel motivo charitatis autem nulla actio a peccato saltem veniali et omissione immunis : sed illud in prop. 27. Baii est damnatum.

2um. Necesse est infidelem in omni opere peccare; quia infidelis sicut Deum verum non cognoscit, sic nec amare eum aut sua opera ad illum referre potest, adeoque ex defectu hujus relationis necessario peccat : sed hæc est prop. 8. ab Alex. VIII. damnata.

3um. Eum non carere vitio, quisquis et quoties æternæ mercedis aut beatitudinis intuitu operatur, si charitate caruerit : sed hoc rursus ab eodem Summo Pontifice in prop. 13. est damnatum.

4um. Peccare eum, et si peccator fuerit, fieri magis peccatorem, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem sine ullo ad Deum offensum respectu; quandoquidem jam ex solo defectu legitimi finis per charitatem intenti timor est venialiter peccaminosus : sed prius in prop. 9. Alex. VIII., posterius Trid. Sess. 14. cap. 4. et Sess. 6. can. 8. damnavit; ergo.

Conf. Non minus ex opposito dogmate sequuntur contradictoria. Nam juxta Adversarios 1. sufficit imperium charitatis duntaxat imperfectæ, et

tamen juxta eosdem requiritur etiam charitas perfecta, quia requiritur charitas talis, quæ omnes omnino actiones semper referat in Deum propter se dilectum : sed charitas hujusmodi est amor Dei super omnia, hic autem est charitas perfecta; ergo. 2. Defectus relationis ad Deum propter se dilectum est peccatum duntaxat veniale omissionis, juxta Adversarios; et etiam est peccatum mortale, ut probatur; nam omissio amoris Dei, ubi præceptum obligat, v. g. in articulo mortis, juxta omnes est mortale crimen : sed omissio relationis est omissio amoris Dei, ubi præceptum obligat; quia sub amoris præcepto continetur præceptum relationis, et hoc semper obligat; ergo. 3. Sequitur sufficere relationem virtualem, ut supponitur; et non sufficere, quia actualis requiritur; cum partim alternis fere instantibus actualem relationem de die innovari oporteat; partim præceptum, in quo actualis relatio ab Adversariis fundatur, actualem relationem exigit, sicut actum charitatis formalem imperat.

301. *Dico II.* Auctores Catholici, imperium charitatis ad quemlibet actum deliberatum a peccato immunem postulantes, non satis a Novatoribus se distinguere videntur.

Prob. rejiciendo discrimina ab illis reddi solita.

1um. *Discrimen* est, quod Novatores statuant actionem a charitate nec ortam nec imperatam esse reipsa peccatum et nominari peccatum; Catholici autem concedant quidem hominem ea actione peccare, ipsam tamen actionem in se peccatum non esse. Sed hoc 1°. est *vanum;* tum quia parum refert utrum aliqua actio per se dicatur, aut non dicatur peccatum, si conveniatur in eo quod actione hujusmodi homo reddatur culpabilis et pœna dignus : tum quia non minus damnati sunt ab Alex. VIII., qui dixerunt, *infidelem in omni opere peccare,* vel *revera peccare eum, qui odio habet peccatum, mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura rationali, sine ulla ad Deum offensum respectu;* quam illi qui dixerunt, *omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, esse peccatum,* vel *intentionem qua quis detestatur malum, et prosequitur bonum, mere ut cœlestem gloriam obtineat, non esse rectam nec Deo placentem.*

2°. Hoc etiam *falsum* est; tum ex Adversariorum principiis, qui nullam actionem deliberatam in individuo indifferentem admittunt, ejusmodi tamen actionem ad Deum non relatam nolunt fateri bonam : tum ex eo quod, sicut vitiosa est actio quæ in turpem finem refertur, quia repugnat præcepto negativo; sic etiam peccaminosa fit actio quæ non refertur ad Deum, siquidem detur præceptum affirmativum illuc omnes actiones referendi; propterea quod opus tam vitietur ex defectu finis præcepti quem habere debet, quam ex fine prohibito quem debet non habere, cum utrobique divinum violetur præceptum.

2um. *Discrimen* est, quod Novatores dicant opera honesta defectu relationis *intrinsece* vitiari; Catholici autem id negent. Sed enim 1°. si per opera honesta *intrinsece* vitiata intelligatur, actionem quoad speciem seu officium esse malam, affingitur Novatoribus falsum; cum hi contrarium aperte doceant. *Lutherus* enim in resol. contr. Conclus. Eckianas sic ait : *Quis enim dubitat, quin meretrix tam bonum aurum gestet, quam pudica matrona, et tam formosa etiam membra habeat? sed non tam bene gestat et utitur. Eodem modo bona*

illa opera sapientiæ, virtutum, donorum, cum sint gratuita dona Dei, bona sunt valde; sed quia non in finem debitum referuntur, bona faciunt, sed non bene. Calvin. L. 3. Inst. c. 14. §. 2. et 3. : *Non inficior esse dona Dei, quæcumque in incredulis apparent egregiæ dotes... sed quia scopum non respiciunt, quem Dei sapientia præscribit : tametsi officio bonum videtur quod agunt, fine tamen perverso peccatum est. Baius* L. 2. de Virt. impior. postquam cap. 2. sic inscripserat : *Quod aliud sit disserere de virtutibus quam de virtutum officiis,* in ipso autem cap. asseruerat : *Non itaque de officiis mihi quæstio est, quæ aliqua ex parte post lapsum in natura humana remanserunt integra, sed de virtutibus, quæ etiam finibus distinguuntur a vitiis ;* tandem, cur omnia impiorum opera sint vera peccata, rationem dat in cap. 4. cujus ista est epigraphe : *Quod honestatis officia, cum in Deum non referuntur, non sint virtutes sed vitia. Jansenius* tandem L. 4. de Stat. nat. laps. c. 5. ita scribit : *Bona ergo fuit ista continentia, sicut et non occidere, non adulterari, misereri pauperis, mutuum dare, et hujusmodi sine fine officia bona sunt, etiam tunc quando non bene fiunt ab hominibus malis : recti enim finis absentia non facit, ut ipsum officium in se spectatum non sit bonum.*

2°. Si per opera honesta *intrinsece* non vitiata intelligatur, actionem in individuo non esse malam, Adversarii ipsi assumunt sibi aliquod falsum. Quamvis enim actio quoad speciem sit bona, si tamen careat fine suo debito, hoc ipso est mala in individuo, ut, præter dicta in superiore discrimine, patet tum ex auctoritate S. Aug., qui L. 4. cont Julian. c. 3. n. 24. ait : *Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est;* et S. Thomæ, qui 1. 2. q. 18. a. 9. in 0. ait : *Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, et habet rationem mali :* tum ex ratione, quæ instar axiomatis recepta est in scholis, quod sicut bonum est ex integra causa, ita malum ex quolibet defectu.

3um. *Discrimen* est, quod Novatores asserant, actionem in Deum non relatam oriri *ex vitiosa cupiditate ;* Catholici autem id negent : sed Catholici vel negant hoc sine fundamento, vel illud negando nihil amplius aut minus docent quam Novatores. Prius sic ostenditur. 1°. Actus in individuo malus non oritur nisi ex principio malo ; cum effectus causam et actus principium ex sua qualitate prodat : sed actio in Deum non relata est actus in individuo malus, ut nuper probatum est; ergo oritur a principio malo seu *ex vitiosa cupiditate.*

2°. Omnis actus deliberatus in individuo habet finem individualiter vel bonum vel malum, quia sine fine aliquo determinato actio determinata non fit; et sicut non datur, juxta Adversarios, actus individualis indifferens, sic nec finis individualis : sed actus ad Deum non relatus non habet finem individualem bonum, quia ab Adversariis incusatur defectus et absentia finis debiti ; ergo habet finem individualem malum. Atqui actus respiciens finem malum non a virtute sed *a cupiditate vitiosa* tantum oriri potest, cum virtutes a vitiis non semper officiis, sed finibus discernantur ; ergo.

3°. Ex Adversariorum sententia actus a charitate nec elicitus nec imperatus

inhæret creaturæ ut fini ultimo; cum homo sistendo aut in honestate creata aut in amore proprio, nec ad Deum positive pergendo, dicatur peccare: sed actus inhærens creaturæ ut fini ultimo aliunde ortum non habet quam *a cupiditate vitiosa*; ergo.

Posterius sequitur ex hactenus dictis: vel enim Catholici negant actum ad Deum non relatum oriri ex vitiosa cupiditate, quia quoad substantiam seu speciem et officium manet adhuc honestus; sed hoc ipsum asserunt Novatores: vel quia absentia finis extrinseci est tantum defectus operantis, non autem operis; sed præterquam quod hæc exceptio sit falsa, ipsi etiam Novatores hac phrasi usi sunt. *Luther.* enim l. c. ait: *Quia non in finem debitum referuntur, bona faciunt, sed non bene. Calvin.* autem §. 3. cit. addit: *Constituit igitur Augustinus omnes Fabricios, Scipiones et Catones in illis suis præclaris facinoribus hoc peccasse, quod, cum fidei luce carerent, non ad eum finem retulerunt, ad quem referre debuerunt; Baius* vero in Libris de Virtut. impior., et *Jansen.* in L. 4. de Statu nat. lapsæ, tametsi contendant opera impiorum et infidelium esse vera et propria peccata; tamen id non aliunde conantur evincere, quam quod homines illi peccent omittendo finem debitum, ad quem omnes actiones referre oportet. Vel denique quia inter cupiditatem malam et charitatem agnoscunt principium actionum medium; sed enim si hoc intelligatur tum de charitate sive eliciente sive imperante, tum de actionibus individualibus, falsum esse apparet ex hactenus probatis: si autem accipiatur de charitate præcise eliciente, et de actione secundum speciem spectata, verum quidem est, non autem a Novatorum sententia alienum; siquidem et juxta hos sufficiat actionem ex officio honestam fieri ex motivo vel imperio charitatis, aut referri in Deum propter se dilectum, quin ubique aut actualis charitas aut relatio formalis exigatur.

302. *Obj. I. cont.* 1um. Præceptum charitatis Deut. 6. et Matth. 22. est generale, juxta S. Aug. L. de Perf. just. c. 5. *Generalis prohibitio est, Non concupisces; et generalis jussio, Diliges:* juxta S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2. *Charitas se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii extendit;* et quia ex dictis continet præceptum omnes omnino vitæ actiones referendi ad Deum dilectum propter se; ergo reliqua omnia præcepta implenda sunt ex motivo charitatis.

R. 1°. Id etiam contra Adversarios probat nimium. Nam certum est quod præceptum charitatis in Scriptura propositum exigat amorem *formalem* Dei et quidem super omnia dilecti: si vero esset generale et obligaret pro semper, non sufficeret *initialis* amor et charitas Dei præcise propter se dilecti; nec relatio virtualis duntaxat.

R. 2°. *N. A.* S. Thom. enim 2. 2. q. 23. a. 4. charitatem statuit esse specialem virtutem: sed charitas nequit esse virtus specialis, quin ejus præceptum etiam sit speciale et particulare.

R. 3°. *D. A.* Præceptum charitatis negativum est generale *C.* præceptum charitatis affirmativum *N.* vel *subd.* est generale quoad obligationem pro semper urgentem *N.* quoad finem et perfectionem omnium præceptorum *C.* Præceptum charitatis, quatenus *negativum,* non tantum Dei odium sed omne charitati divinæ contrarium prohibet; et quia transgressio cujuscumque præcepti contraria est charitati, utpote quam destruit vel imminuit, omnem

quoque prohibet transgressionem : unde sequitur præceptum charitatis negativum esse *generale*, et ad observationem præceptorum omnium pertinere. Quatenus *affirmativum* est, dici etiam potest generale imprimis ratione *finis*; quia, cum, teste Apostolo 1. ad Tim. 1. 5. *finis præcepti sit charitas*, reliqua omnia præcepta ex se referuntur ad charitatem, et diversi virtutum actus ab illis imperati totidem sunt dispositiones et media quæ ad charitatem nos conducunt : deinde etiam ratione *perfectionis* tum ipsius charitatis, quæ haberi nequit sine impletione omnium præceptorum; tum præceptorum, quorum actus formantur et quoad vim meritoriam perficiuntur a charitate. Hoc vero sensu charitatis præceptum affirmativum non esse generale, quod omni tempore sit eliciendus actus charitatis aut referenda sit actio ad Deum propter se dilectum, liquet ex dictis.

Ad prob. 1am. R. *D.* Generalis jussio est : *diliges*, sumendo dilectionem minus proprie et pro quocumque actu bono *C.* sumendo dilectionem proprie *subd.* est jussio generalis ratione finis vel perfectionis *C.* ratione obligationis *N.* In duplici duntaxat sensu concesso assertam a S. Aug. sententiam patet ex contextu; *primus* enim apparet in verbis proxime subjectis : *Unde breviter Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio enim est : Nolite conformari huic seculo; jussio autem : Sed renovamini in novitate mentis vestræ : illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad justitiam; illud ad declinandum a malo, hoc ad faciendum bonum. Secundus* autem in verbis immediate præmissis : *Dominus, qui verbum consummans et brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit Legem Prophetasque pendere; ut intelligeremus, quidquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, et ad hæc duo esse referendum : Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo* etc. *et Diliges proximum tuum tanquam teipsum..... Quidquid ergo Dei lege prohibemur et quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur et jubemur ut duo ista compleamus.*

Ad prob. 2am. R. *D.* Charitas ad actus totius vitæ humanæ extendit se per modum imperii habitualis *C.* per modum imperii actualis *subd.* ex necessitate finis proprii, et quando agit ipsa charitas *C.* ex necessitate finis alieni, et quando agunt virtutes aliæ *N.* D. Thom. ibid. ait : *Et ideo, quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam, extendit se ad actus totius vitæ humanæ* etc.

Ad prob. 3am. R. *D.* Præceptum charitatis continet præceptum referendi semper et omni momento actiones omnes ad Deum propter se dilectum *N.* referendi aliquando et certis temporibus, quando scilicet præceptum charitatis affirmativum urget amorem Dei super omnia elicere *C.*

Inst. 1. Eccli. 13. 18. dicitur : *Omni vita tua dilige Deum;* et 1. ad Cor. 16. 14. : *Omnia vestra in charitate fiant;* ergo omnia vel ex ipso amore vel ex ejus motivo profluere debent; præsertim quia S. Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 22. n. 21. docet, *nullam vitæ nostræ partem relinqui, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re velit frui,* præterquam Deo.

R. *N. Cons.* Hanc enim non evincit textus *prior;* tum quia in eodem additur : *et invoca illum in salute tua;* quin tamen ex monito erui possit, nihil agendum, nisi orandum, et omnem actionem præter orationem esse peccatum : tum quia hic amor Dei et invocatio præscribuntur tanquam media contra sollicitationem a Principibus factam; quæ sicut non semper

et quemlibet infestat, sic nec medium illi oppositum semper in usu esse necesse est. Deinde nec textus *posterior;* tum quia sensus est : Non in contentione, non cum ambitione et schismate, quod alias Apostolus in eadem ep. monuerat, sed cum charitate Christiana vel mansuetudine facite : tum quia, si charitas etiam *proprie* accipiatur, monet in charitate habituali seu statu gratiæ esse faciendum, cum similiter habitum virtutis intellexerit, ubi v. 13. dixerat : *state in fide* : tum quia, si de charitate actuali etiam accipiatur, consilium hoc monito continetur, non autem præceptum. Denique Aug. agit de fruitione creaturæ, et prohibet duntaxat finem ultimum in creaturis ponendum, non autem earum usum.

Inst. 2. Apost. 1. ad Cor. 10. 31. inquit : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*; et ad Coloss. 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi* etc.; ergo datur præceptum, omnia et singula etiam omni tempore saltem virtualiter referendi ad Dei gloriam ; quia S. Bern. serm. 3. de divers. ad prius ait : *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei,* et D. Thom. exponens testimonium posterius scribit : *Quidam dicunt quod hoc est consilium; sed hoc non est verum.*

R. *N. Cons.* Admisso etiam *præcepto* in utroque textu, 1°. *negativus* textus prioris sensus hic est : Cavete omnino, ne quid faciatis divinæ gloriæ adversum, aut scandalum comestione idolothytorum vel alia re detis, quo Deus vituperetur; qui sensus ex contextu colligitur v. 28. *Si quis autem dixerit : hoc immolatum est idolis ; nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam ;* et v. 32. *Sine offensione estote Judæis et Gentibus et Ecclesiæ Dei.* Unde S. Chrys. hom. 25. in 1. ad Cor. 10. v. 31. 32. ait : *Deus per omnia glorificetur. Sine offensione estote Judæis et Gentibus..... hoc est, non detis alicui ansam : frater enim offenditur, et Judæus te magis odio habebit, et te condemnabit, et Græcus similiter te tanquam helluonem irridebit,* etc., S. Aug. in Psal. 34. serm. 2. n. 16. inquit : *Tota die Deum laudare quis durat ? suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis... Discedis ut reficiaris ? noli inebriari et laudasti Deum : discedis ut dormias ? noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum : negotium agis ? noli fraudem facere, et laudasti Deum.*

2°. *Affirmativus* ejusdem primi textus sensus est iste : Omnia fiant ordinate et sint talia, unde Deus laudari valeat et ejus gloria promoveri ; quem insinuat S. Aug. in enarr. in Psal. 146. n. 2. *Cum manducas et bibis, psalle, non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando ac bibendo ; quia hoc dicit Apostolus : Sive manducatis, sive bibitis etc.* Unde S. Thom. cum priora Aug. verba retulisset Lect. 7. in 1. ad Cor., sibi objicit : *Contra ; ergo nullus actus est indifferens : Respondeo,* inquit, *Relatio hæc in gloriam Dei intelligitur vel in actu vel in aptitudine referendi ; quæ non solum est in bonis, sed etiam in indifferentibus.*

Simili modo sensus textus secundi 1°. *negativus* est : Non propter Simonem, non propter Moysen, non propter angelos Novantium, sed propter Christum ejusque gloriam facite, ut Theod. et Theophyl. apud Corn. a Lapide exponunt. Hinc S. Thom. Lect. 3. in hunc locum ait : *Dicendum est quod non est necessarium, quod omnia referantur in Deum actu, sed habitu. Qui*

enim facit contra gloriam Dei et præcepta ejus, facit contra hoc præceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc præceptum simpliciter.

2°. *Affirmativus* sensus est: Omnia vestra opera talia sint, quæ cedere possint in gloriam Christi; Christusque sit vitæ vestræ et actionum finis ultimus, licet is singulis actionibus non attingatur, ut D. Franc. Sales. D. Thomæ sententiam exponit. L. 12. de Amore Dei c. 8. *Hæc verba Apostoli, ut dicit Doctor Angelicus ea explicans, sunt in sufficienti usu et praxi, quando nos possidemus habitum sanctissimæ charitatis; per quem, licet non habeamus expressam et activam intentionem faciendi quidquid facimus, propter Deum, habemus tamen implicite contentam in unione et communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est divinæ bonitati.* Cæterum actualem vel virtualem relationem suaderi hic duntaxat, patet luculentius ex textu posteriori, cum juxta omnes sufficiat opera referri ad Deum, sine respectu ad Christum.

303. *Obj. II.* SS. Patres efficaciter pro necessitate relationis rejectæ pugnant. Nam 1°. solis operibus ex charitate factis concedunt bonitatem; sic Aug. in Ps. 67. n. 41. ait: *Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei;* et Bern. serm. 1. in Octav. Pasch. n. 7. *Ambitionis vanitatem virtus charitatis excludet, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem.* 2°. Negant bonitatem operibus sine charitate factis; ut Aug. L. de Gr. et lib. Arb. c. 18. *Quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fit bene;* et L. de Gr. Chr. c. 26. *Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus?* Item Chrys. hom. 19. in ep. ad Hebr. n. 2. *Nullum est bonum, quod non per charitatem fiat. Eam igitur inter nos confirmemus.* 3°. Præceptum de relatione operum ad Deum enuntiant; ita Aug. L. 1. de Doct. Chr. c. 22. n. 21. *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges Deum ex toto corde etc., ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers;* et Cælestin. in ep. ad Gall. Episcop. c. 5. (Labb. t. 2. p. 1615.): *Omnia studia, et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sunt.* 4°. Opera relatione hujusmodi carentia declarant virtutes falsas et peccata; sic enim Aug. L. 5. de Civ. c. 12. n. 4. *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit ubi est bonum hominis, quo melius non est;* et L. 4. cont. Jul. c. 3. sup. cit. *Quidquid boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est;* hunc autem finem esse *bonum æternum, creatorem* vel *gloriam Dei,* tum ibidem tum alibi exponitur.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. *D.* Solis operibus ex charitate factis tribuunt bonitatem excellentem et summam *C.* qualemcumque sive naturalem sive supernaturalem *N.* Ratio cur sancti Patres sola charitatis opera appellent per excellentiam bona, petitur ex 1. ad Cor. 13. 3. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest;* scilicet *quantum ad meritum vitæ æternæ.* Hunc vero sensum esse ostendunt de *primo textu* verba præmissa: *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam, ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari; ea quippe sola opera bona* etc.: de *secundo* autem ipsa ratio; cum castificari vel purgari non modo dicatur quod ex malo fit bonum; sed etiam quod ex bono melius efficitur.

Ad prob. 2^{am}. *D.* Operibus sine charitate tam proprie quam improprie accepta factis *C.* operibus sine charitate proprie tantum accepta factis *subd.* negant bonitatem *perfectam secundum quam actus est meritorius,* ut D. Th. in 2um. Dist. 41. q. 1. a. 2. ad 2. ait *T.* simpliciter omnem *N.* Priorem sensum convenire *textui primo* Aug., satis declarant verba ibid. c. 17. n. 34. præmissa : *Ad Corinthios autem cum dicit, Omnia vestra cum charitate fiant; satis ostendit, etiam ipsas corruptiones, quas asperas et amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas :* posteriorem autem *secundo* textui prodit subjecta sententia : *Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando non a diligentibus, sed a timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur.* Utrumque sensum applicari posse verbis Chrys. tum ratio, tum alia ejus testimonia, hom. 67. ad pop. Antioch. (al. in 2. ad Timoth. hom. 1. n. 4. et in epist. ad Philipp. hom. 11. n. 2.), probant. Præterea illud *sine charitate* a Patribus nonnunquam usurpatur *contrarie,* aut *emphatice,* quo etiam modo Greg. hom. 13. in Evang. n. 1. dixit : *Nec opus bonum est aliquod sine castitate,* aut alii de humilitate locuti sunt.

Ad prob. 3^{am}. *D.* Enuntiant bona omnia opera esse referenda ad Deum, h. e. Deo tanquam auctori tribuenda et adscribenda *C.* h. e. ad Deum tanquam finem dirigenda *subd.* formaliter vel virtualiter ex parte operantis et quidem ex charitatis motivo *N.* habitualiter vel virtualiter ex parte operis *C.* Priori sensu accipienda Cælestini verba docent tum quæ statim subjiciuntur : *Quia nemo ei aliunde placet, nisi ex eo quod ipse donaverit* ; tum usurpatio aliorum etiam Patrum, qualis est illa Prosperi, in Resp. ad Capit. Gall. ad obj. 15. : *Bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sunt.* Posteriori autem sensu quamvis Augustinum accipiendum dicamus, tamen imprimis nihil decernit de modo referendi : deinde nec motivum charitatis proprium exigit, cum toto illo capite commendans dilectionem loquatur de dilectione concupiscentiæ, amore spei et eo quo *frui Deo* cupimus : denique nec illam præscribit *regulam,* qua homo simpliciter bonus aut non malus fiat, sed qua optimus ; unde ait : *Tunc quippe est optimus homo, cum tota sua vita pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi.*

Ad prob. 4^{am}. R. *D.* Opera relatione hujusmodi contrarie carentia declarat peccata et virtutes falsas *C.* opera relatione hujusmodi mere negative carentia declarat peccata *N.* Declarat falsas virtutes *subd.* quatenus non sunt veræ virtutes in sensu theologico et more Christiano nec utiles ad veram felicitatem consequendam seu meritoriæ *T.* quatenus ne quidem intra latitudinem virtutum acquisitarum sunt virtutes veræ *N.* Distinctio prior insinuatur a D. Thoma 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. *Actus alicujus charitate carentis, cum facit aliquid in ordine ad id per quod charitate caret, semper est malus : sicut Augustinus dicit in quarto contra Julianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum; etiamsi nudum operiat vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis.* Ostenditur vero etiam ex ipso Aug. ; tum quia ibid. n. 22. subjungit : *Bonum est ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit : absit enim ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis vel in seipsa, non in Domino*

gloriatur. Posterior rursus insinuatur a D. Th. 1. 2. q. 65. a. 2. ubi distinguit inter virtutes morales acquisitas et infusas, et has vocat *perfectas et simpliciter dicendas, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter*; illas vero *secundum quid virtutes, non autem simpliciter, cum ordinent hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter*, h. e. ut ibidem explicat, *in ordine ad finem supernaturalem*. Item declaratur a S. Aug. L. 4. cont. Julian. c. 3. n. 19. ubi dicit : *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes;* qui paulo supra referens ex Ciceronis L. 2. de Invent. definitionem virtutis, *virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus*, subjungit : *sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt*. Cæterum præcipue negamus, peccatum esse actionem virtutis infusæ sive moralis sive theologicæ a charitate non imperatam; tum quia Aug. loquitur de actionibus infidelium *naturaliter* tantum honestis : tum quia mentionem non facit charitatis in *sensu proprio* acceptæ.

Inst. 1. S. Thomas aperte docet, dari præceptum referendi omnia opera ad Deum ex motivo vel imperio charitatis : sed hoc male exponitur sive de relatione *habituali*, sive de præcepto *affirmativo* speciali et a charitatis obligatione indistincto : 1um. quidem; quia D. Thom. q. 1. de charit. a. 11. ad 2. ait : *Omnia actu referre in Deum non est possibile in hac vita; sed quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur;* et ibid. ad 3. respondet : *Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto, sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto charitatis; cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem* : 2um. vero; tum quia S. Doctor loquitur de præcepto charitatis et præcepto referendi omnia ad Deum tanquam de præceptis duobus : tum quia licet præcepta charitatis et relationis dicantur ab eodem affirmativa, posterius tamen ob universalitatem actionum æquivalet negativo et sic pro semper obligat : tum quia, cum 1. 2. q. 100. a. 10. in 0. dixisset : *In hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex charitate;* subjungit : *Qui honorat patrem, licet non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis; propter quam transgressionem meretur pœnam;* ergo.

R. *N. m. Ad prob.* 1ae. *p.* R. 1o. *D.* S. Th. loco cit. rejicit relationem habitualem improprie acceptam *C.* acceptam proprie *N.* Quid hic loci per habitualem relationem S. Doctor intelligat, exponit ibid. his verbis : *Habitualiter enim refert in Deum, et qui nihil, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens;* quæ utique sub præcepto non cadit, sed impropria est ac diversa ab ea de qua est quæstio : cum ista, quatenus relationem formalem præteritam connotat, afficiatur præcepto affirmativo, quatenus perseverantiam negativam dicit, negativo charitatis præcepto subjacere possit.

R. 2o. *D.* Idem exigit relationem virtualem pro semper eamque subjicit præcepto charitatis negativo *N.* exigit aliquando et subjicit præcepto charitatis affirmativo *C.* Quandoquidem D. Th. in Resp. ad 3. dicit, *referre virtualiter omnia in Deum nihil aliud esse quam habere Deum ultimum finem*, alibi satis declarat præceptum hujus relationis non obligare pro semper, cum

in 2um. dist. 41. q. 1. a. 2. ad 4. scribat : *Non oportet ut actus infidelium, qui in finem illum non est ordinatus, semper sit peccatum; sed solum pro tempore illo, in quo tenentur actum suum in finem ultimum referre.*

Ad prob. 1am. 2ae. *p. N. Ass.* Contrarium D. Th. in 2um. Dist. 40. a. 5. ad 6. aperte docet : *Si quæratur quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil aliud est, quam quærere quando oporteat habitum charitatis exire in actum : quia quandocumque habitus charitatis in actum exit, fit ordinatio totius hominis in finem ultimum, et per consequens omnium eorum quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi.*

Ad prob. 2am. *N. Ass.*; quia cum sit idem charitatis præceptum, quo Deum tenemur diligere super omnia, et quo tenemur omnia in ipsum tanquam in ultimum finem referre; sicut præceptum charitatis obligat tantum certis temporibus et non semper ad diligendum super omnia Deum, sic et certis duntaxat temporibus nec semper ad referendum omnia in Deum obligat.

Ad prob. 3am. R. τὸ *etsi* non est affirmantis, eum qui patrem honorat, semper et in omni casu, dum id sine relatione in Deum facit, esse transgressorem præcepti de actu charitatis; sed solum concedentis eum aliquando hujus præcepti esse transgressorem, si nempe tempore eodem obligat præceptum de amando Deo, quo obligat aliud de honorando parente : tum quia S. Thomas seipsum diserte explicat ibid. ad 2 : *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum : et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est honora parentes; sed ex vi hujus præcepti : diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo : et cum ista sunt duo præcepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; et ita potest contingere quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgreditur præceptum omissione modi charitatis.*

Inst. 2. Homini nunquam licet in bono aliquo creato constituere finem ultimum : sed nisi virtualiter saltem referat actionem ad Dei gloriam, in bono creato constituit finem ultimum : cum juxta Aug. L. 4. cont. Jul. c. 3. n. 33. *Sine amore Creatoris nullis quisquam bene utitur creaturis*; ergo.

R. *N. min.* Hujus falsitas 1°. patet in actibus supernaturalibus spei et amoris propriæ salutis, qui Deum tanquam finem ultimum attingunt, quamvis ex charitate proprie tali non imperentur : 2°. in actibus etiam moraliter tantum honestis, utpote qui, virtualiter saltem ex parte operis, referuntur ad Deum; quod expositiones Patrum et Angelici Doctoris allatæ satis convincunt : quin 3°. vel in ipsis actibus *venialiter* peccaminosis patet, utpote qui ne quidem fruitionem creaturæ aut creaturam pro fine ultimo habere dicendi sunt. Sic enim S. Bonav. in 2um. Dist. 42. a. 2. q. 1. loquitur : *Ad illud quod objicitur, quod amor venialis peccati est amor fruitionis, dicendum quod falsum est, secundum quod frui accipitur proprie, videlicet quiescere in aliquo tanquam in fine ultimo.* S. Th. autem, ubi in 4um. Dist. 31. q. 2. a. 3. ad 3. asseruerat, quod utens matrimonio propter delectationem peccet venialiter, subjungit : *Dicendum, quod quamvis delectationem non referat actu in Deum, tamen non ponit in ea ultimum finem : et ideo non oportet quod creatura fruatur; sed utitur creatura propter se, se autem habitua-*

liter propter Deum. Unde patet utrumque convenire in eo quod negent peccatum *veniale* esse fruitionem creaturæ aut ejus pro fine ultimo usurpationem; quamvis differant in hoc quod prior peccatum istud nolit dici fruitionem nec usum, sed abusum; posterior autem usum dici posse contendat.

Ad prob. R. S. Aug. loqui hic de bonitate meritoria et utili ad salutem; unde subjungit : *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit*; et paulo ante præmiserat : *Quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere, scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per unum mediatorem Dei et hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci.*

304. *Obj. cont.* 2um. Relatio eleemosynæ in gloriam Dei, non est præceptum ipsius operis, sed tantum operantis; relatio ejusdem autem in gloriam vanam est finis prohibitus non solius operantis, sed ipsius operis; ergo.

R. Quod eleemosyna per se minus tendit in vanam, quam divinam gloriam; adeoque vana gloria multo minus est finis hujus operis ex se boni, quam sit gloria Dei; ergo si nihilominus in uno casu non solum operans sed et opus vitiatur per excessum finis prohibiti, etiam in altero casu ipsum opus vitiabitur per defectum finis præcepti.

Inst. 1. Eleemosyna, quando refertur in finem honestum, habet totum id quod requiritur ad actum intrinsece moraliter bonum, licet ulterius non referatur in gloriam Dei, quæ tantum est finis extrinsecus eleemosynæ; ergo.

R. Quod pariter eleemosyna ad finem honestum relata habeat omne quod ad actum intrinsece honestum requiritur, licet simul referatur ad finem vanæ gloriæ, qui finis magis extrinsecus est eleemosynæ quam gloria divina, utpote ad quam illa ex intrinseca sua honestate est referibilis.

Inst. 2. Vana gloria est causa eleemosynæ : omissio autem relationis in Deum non est illius causa; ergo.

R. Quod, juxta Adversarios, relatio in Deum sub obligatione peccati venialis debeat esse causa eleemosynæ, sicut vana gloria sub obligatione peccati debet non esse illius causa; cur ergo vitiatur eleemosyna ex fine prohibito, in quem refertur per excessum, et non vitiatur ex privatione finis præcepti, in quem per defectum non refertur? Quamvis autem non sit eleemosynæ præceptum, ut seipsam referat in Deum, sed operanti; neque eleemosynæ est prohibitum, ut seipsam referat ad finem vanæ gloriæ, sed tantum operanti, utpote qui solus subjectum legis esse potest. Præterea cum, juxta Adversarios, non referens actionem ad Deum sistat in creatura tanquam fine proximo, amor creaturæ erit etiam causa corrumpens ipsam actionem, sicut amor Dei est causa dignificans actionem ad Deum relatam.

Inst. 3. Quod mancipium pingat imaginem elegantem, eamque domino inscio et invito vendat, peccat quidem : sed pictura ipsa non vitiatur; ergo similiter si quis eleemosynam faciat, eamque non referat in Deum, eleemosyna in se manebit bona, quamvis homo illam in Deum non referendo peccet.

R. Si mancipio præcipiatur sub peccato ut actum pingendi in utilitatem

domini referat, actus pingendi est peccaminosus, non per seipsum, sed quatenus non refertur in finem sub peccato præceptum : si vero id mancipio non præcipiatur, exemplum ad rem non spectat, cum mancipium etiam tunc non peccet pingendo aut picturam vendendo inscio domino. Adhæc apertum est discrimen, pictura ab arte naturam imitante, honestas ab objecto, circumstantiis, ac fine regulis morum conformi, desumenda est.

ARTICULUS III.

AN ACTUS HUMANUS UT SIT MERITORIUS, DEBEAT ESSE VEL ELICITUS VEL IMPERATUS A CHARITATE?

305. *Nota.* Damnatæ sunt propp. 55. et 56. Quesnelli enuntiantis, *Deum non coronare nec remunerari nisi charitatem.* Convenit autem inter plerosque Catholicos 1°. quod actus etiam infidelium naturaliter tantum honesti sæpius in hac vita obtineant a Deo retributionem temporalem : 2°. quod actus quicumque peccatorum supernaturales etiam ante justificationem eliciti de congruo mereantur gratiam : 3°. quod actus justorum ex virtutibus sive infusis, sive acquisitis, et gratiæ auxilio profecti, licet a charitate nec eliciti nec imperati, de condigno mereantur gloriam saltem accidentalem ac etiam aureolas. Dissentiunt tamen circa meritum condignum gloriæ essentialis ac præmii substantialis; quia alii hoc tribuunt aut solis actibus a charitate *elicitis,* aut actibus quidem aliarum virtutum, sed saltem a charitate *imperatis* : alii vero ad ejusmodi meritum nec physicum charitatis influxum nec imperium aut motivum exigunt.

306. *Dico I.* Ut actus supernaturalis hominis justi sit condigne meritorius præmii substantialis gloriæ, non requiritur ut sit a charitate *elicitus.*

Prob. I. Ex Scriptura, quæ non solum actibus a charitate elicitis, sed aliarum virtutum actibus proponit, promittit et designat præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ad Hebr. 13. 16. *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.* Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me* etc. Matth. 19. 16. interroganti : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Christus respondet : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et mox subjungendo enumerat mandata moralia. 1. ad Tim. 6. 17. *Divitibus hujus seculi præcipe..... bene agere ; divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Sed hic referuntur actus aliarum virtutum, et designatur, proponitur ac promittitur præmium, quo substantia et essentia gloriæ intelligitur; ut patet ex similibus Scripturæ locis : Gen. 15. ubi v. 1. dicit Deus : *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis;* Joan. 3. 3. ubi Christus ait : *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei....., Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei ;* aliisque innumeris V. et N. T. textibus vel *vitam* simpliciter vel cum addito *æternam* pro gloria essentiali usurpantibus.

Conf. Deus Ps. 61. 13., Eccli. 16. 13., Matth. 16. 27., ad Rom. 2. 6., 1. ad Cor. 3. 8. dicitur *judicaturus, redditurus, et daturus mercedem propriam secundum laborem et opera hominum,* nempe bonum bonis, malum malis: sed merces quæ redditur malis, est substantialis; ergo et quæ reddenda dicitur operibus bonis quibuscumque, erit substantialis.

Prob. II. Ex Traditione. SS. Patres ad sermonem Christi *de Beatitudinibus* communius virtutum illarum exercitio tribuunt substantiale meritum: Aug. Tr. 51. in Joan. n. 12. et Bern. L. de Gr. et lib. Arb. extollunt singulariter meritum ministerii, quod exhibetur Christo in proximorum obsequiis: Hier. aliique Patres contra Jovinianum docent, pro meritorum multitudine majus præmium essentiale retribui; ergo.

Conf. Ex Trid. Sess. 6. cap. 16. et can. 32.; ubi non de solis charitatis actibus, sed et de aliarum virtutum operationibus sermo est; tum quia generatim ac indefinite de bonis operibus ubique loquitur, ac præterea eod. cap. laudat textum Apost. ad Cor. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino,* et illum 2. ad Tim. 4., ubi *ob fidem servatam et cursum consummatum reddenda* dicitur *corona justitiæ*: tum quia de operibus bonis loquitur, quibus *divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfacimus,* quos inter non solus charitatis actus, sed alii etiam virtutum aliarum actus a præceptis divinis imperati necessario venire debent. Deinde vero agi de præmio *essentiali* constat ex terminis *gratiæ filiis promissæ, mercedis ex Dei promissione meritis reddendæ, coronæ justitiæ, vitæ æternæ et gloriæ augmenti*; ergo.

Prob. III. Ex Ratione. Hæc conditio, quod actus necessario sit eliciendus a charitate ut sit condigne meritorius beatitudinis *essentialis*, nec probatur ex aliqua *lege Dei,* cum talis nullibi reperiatur, imo contraria in Scripturis allegatis habeatur: nec ex *natura rei,* cum omnes aliarum virtutum operationes supponantur habere reliquas ad meritum hoc necessarias conditiones: præterea vero earum aliquæ, ut fides et spes, immediate attingunt Deum; aliæ, ut religio et obedientia, habent Deum saltem pro objecto cui; reliquæ vero, quamvis Deum neutro modo attingant, cedunt tamen in gloriam Dei, et sunt media ultimo fini consequendo proportionata.

Conf. Si soli charitatis actus essent meritorii gloriæ substantialis; ergo actus aliarum virtutum, etiam perfectiores aut intensiores, *per se loquendo,* nihil conferrent ad majus meritum vitæ æternæ præ minus perfectis et intensis; cum hi omnes fieri possint ex æquali amore Dei; item conducentius ad salutem foret contemplando diligere Deum, quam munus suum implere evangelizando et pro salute proximorum laborando: sed hoc nimium averteret voluntates fidelium ab usu et exercitio bonorum operum, repugnatque sensui Patrum ac Ecclesiæ; ergo.

307. *Dico II.* Neque requiritur ut ejusmodi actus sit a charitate *imperatus,* seu actuali aut virtuali relatione ad Deum propter se dilectum directus.

Prob. Iisdem argumentis, nam sicut ex Scriptura ostenditur non requiri ad meritum condignum gloriæ essentialis actum a charitate *elicitum,* eo quod hoc meritum ab ea asseratur actibus aliarum virtutum; sic et evincitur, nec actum a charitate *imperatum* requiri; cum imperium charitatis non intelligatur in actibus virtutum simpliciter appellatis, neque ad illorum sub-

stantiam vel essentiale complementum exigatur. Deinde TRID. locis cit. nec minimam imperii aut motivi charitatis mentionem facit; et aperte declarat, *operibus bonis nihil amplius deesse ad verum meritum vitæ æternæ*, si fiant *a membro vivo Jesu Christi*, h. e. ab homine justo et in gratia sanctificante constituto, et *per virtutem et gratiam Dei antecedentem ac comitantem*. h. e. ex gratiæ actualis auxilio et influxu. Demum quia neque ex natura rei neque ex aliqua Dei lege ad meritum requiritur etiam charitatis duntaxat imperium; et rursus ex hoc priora absurda sequerentur.

Conf. 1. Charitatis *imperium* non est necessarium ad meritum condignum essentialis gloriæ; vel enim illa necessitas fundatur in eo quod tale meritum debeat esse proportionatum præmio; vel in eo quod debeat esse factum in Deo; vel in eo quod debeat esse factum in obsequium Dei: sed nullum ex his asseri potest. Non 1um.; tum quia *proportio* hæc, ex dictis de Merito, potissimum repetitur ex gratia sanctificante, qua informari virtutum aliarum actus hic supponitur: tum quia sicut ad meritum non requiritur summa actus perfectio, sic nec maxima proportio; aliqua autem et satis congrua proportio inter supernaturales virtutum moralium actus et beatitudinem supernaturalem est admittenda, sicut similes actus naturales dicendi forent satis proportionati ad beatitudinem naturalem, si homo conderetur in statu naturæ puræ: tum quia saltem in actibus *fidei* et *spei* habetur illa proportio; cum fidei visio, spei fruitio beatifica correspondeat. Non 2um. quia satis *in Deo* fieri dicendum est, quod in gratia fit, ad quod Deus specialiter movet et adjuvat, quod natura sua in Deum ordinatur ac tendit. Non 3um. tum quia rationem *obsequii* sufficientem generatim omnia bona opera sortiuntur a conformitate intellectus et voluntatis agentis cum prima veritate et lege æterna, et operum aptitudine ac usu ad laudem et gloriam Dei: tum quia captivatio intellectus in obsequium Christi et obedientia speciatim etiam rationem formalem obsequii contineant.

Conf. 2. Modus operandi per *imperium* et *relationem charitatis* etiam tantum virtualem est valde perfectus, nec communis justorum sed satis rarus, saltem in exercitio virtutum frequenti; ergo cum Deus non solum perfectis et perfecte operantibus, sed omnibus mandata servantibus promiserit vitam æternam, hic modus non videtur ad meritum requisitus; præsertim quia etiam ex praxi fidelium sua bona opera ex aliis motivis referentium est minus cognitus, nec sufficienter promulgatus.

308. *Obj. cont.* 1um. In Scriptura 1°. soli charitati promittitur et proponitur merces, 1. ad Cor. 2. 9.: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*; et Jac. 1. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.* 2°. Ratio meriti in virtutibus tribuitur charitati; ad Gal. 5. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur*; ubi vox ἐνεργουμένη commodius passive accipitur, et intelligitur *fides per charitatem facta*, vel saltem *imperata*; et ad Rom. 5. 5. *Spes non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* etc. 3°. Virtutibus sine charitate meritum negatur; 1. ad Cor. 13. 3. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: et si distribuero in*

cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest; ergo.

R. *Quoad* 1um. *N. Ass.* Uterque textus asserit quidem *diligentibus* promissam beatitudinem, neuter vero excludit promissionem aliis etiam esse factam; quin et posterior implicite hoc negat, cum idem præmium *patientiæ* designet, quod est charitati promissum. Ratio cur promissio beatitudinis sæpius et communius charitati sit facta, habetur tum ex eo quod sine charitate saltem habituali non habetur meritum condignum: tum quia virtutum actus sunt materia imperantis et exercentis se charitatis: tum quia charitas est perfectior aliis virtutibus; et hinc ad eam primario, ad alias virtutes secundario pertinet substantiale meritum.

Quoad 2um. *D. Ass.* Ratio meriti in virtutibus tribuitur charitati habituali, prout scilicet hæc est ipsa gratia seu cum hac inseparabiliter conjuncta *C.* charitati actuali *N.* Oppositio, in priori textu facta, plus non requirit quam fidem charitatis habitu seu gratia formatam, quo sensus græci verbi passivus melius exprimitur; et non otiosam ac inanem, sed activam et operativam virtutum bonorumque operum: in posteriori indicari habitum charitatis alibi jam indicatum est.

Quoad 3um. *D.* Virtutibus sine charitate negatur meritum, τό *sine* sumendo contrarie *C.* sumendo mere negative *subd.* sine charitate habituali *C.* actuali *N.* Paulum hic agere de charitate fraterna, nullumque virtutis meritum condignum illis concedere qui proximum odio habeant, probabile fit ex eo quod ibidem redarguat Corinthios factionibus et dissensionibus inter se divisos. Si vero accipiatur textus de charitate, de habitu charitatis et statu gratiæ eum intelligere oportet; tum quia eadem est acceptio charitatis in versu ult. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc:* tum quia charitas habitualis seu potius gratia sanctificans facit ut homo aliquid sit, et ei prosit ad vitam æternam. *Nec obstat,* quod statim subjungatur: *Charitas patiens est, benigna est* etc.; quia hæc prædicata radicaliter et principiative obtinet charitas habitualis.

Inst. 1. S. Aug. dicit L. 15. de Trinit. c. 18., *Charitatem solam esse illud donum, quod dividit inter filios regni æterni, et filios perditionis æternæ*; ergo et solam agnoscit in ea meriti rationem: solam charitatem appellat justitiam; adeoque et solam meritoriam præmii justitiæ respondentis, L. de Nat. et Gr. c. 90. *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est; sed charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta:* charitatem ad meritum condignum aperte exigit, L. 4. cont. Jul. c. 3. n. 33. *Hoc ergo amore opus est, ut bonum beatificum sit;* ergo.

R. *Quoad* 1um. Rursus explico de charitate habituali; quia hic Aug. de dono *permanenter* distinctivo inter filios regni æterni et perditionis loquitur, ubi et pleraque hactenus a Scripturis deprompta et exposita adducit.

Quoad 2um. *N. Ass.* Cum omnis quidem charitas sit justitia, non vero vicissim.

Quoad 3um. *N. Ass.* Nec id probat textus allatus, qui non loquitur de charitate stricte sumpta, sed de amore *quocumque* supernaturali a Dei gratia profecto, vel de amore ad Deum tanquam finem honestatis quacumque ratione directo; hoc enim sufficiebat ad controversiam cum Juliano hic agita-

tam ; unde et præmiserat: *Scito... nos dicere... illud opus bonum sine Dei gratia... nemini posse conferri; per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci;* et subjecerat: *Hoc amore opus est, ut pudicitia sit conjugalis, ut sit ejus intentio quando utitur conjugis carne, non in voluptate libidinis, sed in voluntate propaginis.* Vid. sup.

Inst. 2. In omnibus hujus vitæ operibus etiam bonis invenitur imperfectio et inæqualitas ad præmium beatitudinis ; ergo hæc videtur statuenda proportio, ut perfectissimo vitæ actui, scilicet charitati, respondeat præmium optimum, scilicet essentiale; inferioribus actibus *præmium accidentale.* Dein amor in via est quasi substantialis vita animæ et regina; reliquæ virtutes sunt quasi accidentia et familia; ergo et amori in patria respondebit substantia præmii seu fruitio, in qua amor includitur, virtutibus autem reliquis *gloria accidentalis* : præsertim cum idem præmium dare reginæ et ancillis non videatur æquum. Demum augmentum præmii essentialis correspondet gratiæ augmento, seu charitatis : sed charitas non augetur, nisi actibus propriis ; ergo etiam præmium essentiale non respondet nisi actibus charitatis.

R. *Quoad* 1um. *T. A.* Quod valet tantum de imperfectione negativa vel comparativa, non autem de privativa vel positiva : *N. Cons.* Quia pro ista æqualitate perfectionis inter meritum et præmium statuenda fundamentum ex dictis est nullum.

Quoad 2um. *T. A. N. Cons.* Imprimis enim proprie loquendo omnes virtutes operativæ, etiam charitas in via, comparantur ad gratiam sanctificantem tanquam accidentia intrinseca et proprietates ad essentiam ; adeoque omnes habent cum gratia proportionem, ut illæ ad consequendam gloriam deserviant : deinde *fruitio,* ex dictis, potius respondet spei, quam charitati : denique quamvis in politicis forma dignificans ad præmium non sit in ancillis, quæ est in regina; tamen eadem, nempe gratia sanctificans, in aliis virtutibus æque est ac in charitate.

Quoad 3um. *N. supp. M. et min.* Nec enim gratia sanctificans realiter est identificata habituali charitati, nec gratia aut virtutes supernaturales augentur per actus causalitate physica, sed morali et meritoria.

309. *Obj. cont.* 2um. Scriptura ad meritum condignum beatitudinis substantialis requirit saltem charitatis imperium. Nam 1°. exigit ad meritum, ut fiat in nomine Dei aut Christi, Matth. 19. 29. *Qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores etc. propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit;* Luc. 9. 48. *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit :* sed opus non fit in nomine Dei vel Christi, nisi per charitatem ; cum per hanc solam tendamus in Deum; ergo. 2°. Distinguit inter meritum factum in nomine Christi vel Prophetæ aut justi, Matth. 10. 40. *Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit: qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet : et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam :* atqui hæc distinctio stat in eo quod opus factum in nomine Christi seu ex charitate sit meritorium præmii essentialis, factum in nomine alio sit prœmii tantum accidentalis; ergo.

R. *N. Ass. Ad prob.* 1am. R. *T. M.* Quia textus allati sunt *simpliciter affirmativi*, non autem exclusivi; cum relinquentibus omnia propter nomen Christi, et opera misericordiæ in Christi nomine exercentibus vitam æternam promittant, non tamen negent aliis ex alio fine ista facientibus. *N. min.* tum quia præter charitatem dantur virtutes, quæ Deum habeant pro objecto quod vel cui, ut dictum supra; ac proinde propter Deum, et Dei nomen agunt: tum quia ad agendum nomine Christi sufficit agere bonum ex fine bono, ut indicat Aug. Tr. 51. in Joan. n. 12. *Debet, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia; non aliud ibi quærere quam opus bonum..... qui sic ministrat, Christo ministrat, recteque illi dicetur: Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*: tum quia sicut operatio miraculorum in nomine Christi designat virtutem operandi natura superiorem, sic operatio virtutum in eodem nomine præcise significat finem actionum supernaturalem.

Ad prob. 2am. *N. min.* Vel enim distinctio fit inter ordinem meriti et præmii, ita ut opus misericordiæ factum homini, quia homo est, sit meriti duntaxat et præmii naturalis, et factum homini, quia justus, civis sanctorum, et domesticus Dei est, sit meriti et præmii supernaturalis: vel inter gradus et quantitatem meriti ac præmii; ita ut majus præmium merito majori, minus merito minori respondeat, servata utrinque substantia et ordine.

Inst. 1. Trid. Sess. 6. cap. 15. requirit ad meritum condignum, ut opus fiat in Deo; veritas autem aliunde constans exigit, ut hoc meritum fundetur in amicitia supernaturali Deum inter et hominem: sed ne dicantur verba illa Tridentini esse superflua, debent significare charitatis imperium vel relationem ad Deum; cum jam antea expresserit meritum esse faciendum in gratia et ex gratia: et opera moralia non possunt dici actus illius amicitiæ, nisi ab ipso amore supernaturali aliquo modo procedant; ergo.

R. *N. min. Quoad* 1um. Hæc duo, *fieri in Deo et fieri in gratia ac ex gratia*, æquivalere patet, ex eo quod can. 26. nulla gratiæ mentione facta dicatur: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus quæ in Deo fuerint facta, exspectare et sperare æternam retributionem..... anathema sit*: qui canon cum respondeat cap. 16°. horum verborum compendio exprimit, quod, phrasi magis diducta, illo in cap. propositum fuerat. Quominus vero *superflua* dici possit repetitio esse facta, siquidem hæc duo æquivaleant, desumitur ex ratione satis manifesta et necessario repetitionem illam exigente. Cum enim Theologi non pauci tenerent omnem prorsus actionem etiam naturalem justi esse meritoriam, hoc ipso quod a justo eliciatur; ne Concilium aut hanc sententiam videretur approbare, aut huic controversiæ se immisceret, declarat tantum quod certum erat, restringitque suam assertionem ad opera ex gratia facta, dicendo justificatis nihil amplius deesse, quominus *illis quidem operibus*, quæ in Deo sunt facta, divinæ legi plene satisfecisse et æternam vitam vere promeruisse censeantur.

Quoad 2um. Quamvis illa opera a proprio et elicito amoris actu non imperentur; ratione motivi tamen supernaturalis, et vi modi quo fiunt illa, nempe in gratia et ex gratia, sunt opera amicitiæ in actu exercito; sicut qui inter homines confert beneficium amici filio, solum quia ejus filius est, verum amicitiæ opus exercet, licet tunc non eliciat internum amoris actum circa

amicum, nec talis amoris actus præcesserit aut ad beneficium conferendum moverit.

Inst. 2. S. Aug. L. 1. de mor. Eccles. c. 15. affirmat omnem virtutem, qua vitam æternam meremur, esse charitatem : *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur,* etc. Sed hoc S. Doctor non asserit, quasi unicum virtutum objectum esse, nempe objectum formale charitatis, existimaret; cum cap. sequente proprium cuilibet motivum assignet : sed quia censuit actus aliarum virtutum, motivum proprium et intrinsecum habentium, non esse æternæ gloriæ meritorios, sine motivo extrinseco seu imperio charitatis; ergo.

R. 1°. Si verba Aug. in sensu obvio et rigoroso accipere oporteat, inde profluent sequelæ intolerabiles Catholicis, quibuscum nobis controversiam hic unice intercedere contestabamur. Sequitur enim *primo,* virtutem omnem meritoriam non tantum imperari, sed necessario elici a charitate etiam perfecta et intensa, ut ipsa verba textus allati ostendunt : *secundo,* virtutem omnem non solum in ratione meriti, sed et in ratione virtutis exigere charitatis effectionem; cum etiam ep. 29. (al. 167. n. 15.) dicat : *Ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, virtus est charitas, qua id quod diligendum est, diligitur;* quibus verbis postremis similia cum retulisset, ep. 52. (al. 105. n. 13.) ita subjungit : *Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? hoc est Deus.* Sequitur *tertio* etiam prudentiam esse amorem et voluntatis actum, cum tamen S. Doctor eam L. 1. de lib. Arb. c. 13. n. 27. *scientiam,* L. de mor. Eccl. c. 24. n. 45. *dignoscentiam,* L. 6. Music. c. 13. n. 37. *intelligentiam* appellet, et practicam notitiam actionum prosequendarum et fugiendarum esse certo constet. Quare, si etiam ab Adversariis mitiori et latiori sensu testimonium sit accipiendum.

R. 2°. *D. M.* Aug. affirmat omnem virtutem formaliter acceptam esse charitatem *N.* materialiter acceptam, *subd.* esse charitatem h. e. posse tam elici quam imperari a charitate *C.* reipsa et actu semper elici aut imperari a charitate *N.* Virtus *materialiter* accepta est ipsum virtutis officium et actus externus : *formaliter* accepta est officium virtutis ad suum finem proprium et peculiarem honestatem relatum, et catenus etiam actus internus : *primo* modo accepta potest etiam elici a charitate; *secundo* modo accepta imperari tantum potest. Quamvis autem inde sequatur, virtutem *formaliter* acceptam etiam cadere sub imperium charitatis, negavimus tamen eam esse charitatem ; tum quia charitas *simpliciter* pronuntiata actum elicitum, non vero tantum imperatum, designat : tum quia Aug. hic loci de virtute primo modo accepta aperte loquitur, quando etiam prudentiam dicit *amorem Dei, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ.*

310. *Observa.* Quamvis nonnulli sint, qui, quod D. Thomam aperte nobis contrarium putent, eumdem facile omitti posse censeant, propterea quod nec ejus auctoritas contra Tridentinum quid valeat, nec ejus venerationi

quidpiam decedat, quod ille ante hujus Concilii definitionem aliter senserit : nihilominus aliorum agendi ratio, tanquam honestior, videtur præhabenda, qui benigna explicatione conciliare D. Th. cum Concilio laborant.

Dum itaque 1°. S. Doctor 1. 2. q. 114. a. 4. in 0. dicit, *meritum æternæ vitæ primo pertinere ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur*; juxta illos non facit sensum *absolute* exclusivum, quasi meritum nunquam aut nullo modo pertineat ad actus virtutum aliarum, nisi quando et in quantum a charitate imperatur; sed exclusivum *secundum quid* et pro aliquo casu, ita ut, quando actus virtutum imperantur a charitate, vitæ æternæ meritum ad eos ut imperatos non pertineat primo et per se, sed solum secundario. Atque hujus dicti ratio ex S. Thomæ principiis illa est; quod actus ut imperatus non habeat meritum distinctum ab actu imperante, sed unum idemque meritum cum illo constituat, ita tamen ut ratio meriti primario et intrinsece actui imperanti, secundario autem et denominative actui imperato obveniat : cum quo nihilominus cohæret, quod actus virtutum non imperati a charitate, aut imperati quidem sed specificative sumpti, per se ac ratione sui contineant meritum vitæ æternæ.

2°. Dum de Verit. q. 26. a. 6. ad 8. docet, quantitatem meriti pensandam partim *ex radice operis seu charitate,* partim *ex genere operis seu actu virtutis,* ac præterea *quantitati meriti ex radice respondere præmium essentiale, quantitati meriti ex genere respondere accidentale præmium*; imprimis per meritum *ex radice operis* non intelligit actum charitatis vel a charitate imperatum, sed quodlibet opus bonum hominis justi, ut est gratia et charitate habituali informatum seu dignificatum; neque per meritum *ex genere operis* intelligit quodcumque opus bonum in gratia factum et a charitatis actu distinctum; sed opus ejusmodi, quod propter specialem arduitatem meretur singularem honoris prærogativam seu aureolam. Unde deinceps, dum dicit, quantitati meriti ex radice respondere quantitatem *præmii essentialis,* sensus non est, quod solus charitatis actus essentiale præmium mereatur; sed quod quantitati gratiæ sanctificantis velut radicis primæ per modum naturæ, et quantitati habitualis charitatis tanquam radicis proximæ per modum proprietatis præcipuæ, commensuretur quantitas præmii essentialis : similiter ubi dicit quantitati meriti ex genere operis respondere quantitatem *præmii accidentalis,* sensus non est, quod opus bonum a charitatis actu distinctum mereatur solum præmium accidentale; sed quod quantitas præmii accidentalis, certis quibusdam operibus ob specialem arduitatem vel nobilitatem debiti, commensuretur eorum operum quantitati; ut in Doctoribus, Virginibus et Martyribus patet.

3°. Dum q. 6. de Potent. a. 9. dicit, *omnes virtutes habere merendi efficaciam* a charitate, quod idem aliis verbis q. 2. de Verit. a. 2. ad 9., et in 3. dist. 30. a. 5. ad 1. alibique repetit, aut dum 1. 2. q. 65. a. 2. in 0. omnes *virtutes infusas conjunctas cum charitate* statuit; charitatem duntaxat *habitualem* intelligit, quæ vel ipsa gratia sanctificans vel ejus primaria proprietas est, unde dignitas operis ad præmium essentiale habetur : minime vero *actum* charitatis aut *imperium* designat.

Alia, quæ a nonnullis coacervantur, testimonia vel ad unam ex tribus memoratis textuum classem pertinent, atque hinc eamdem explicationem patiuntur : vel spectant ad excellentiam charitatis ex præmii ubertate commendandam, quam adeo non negamus, ut potius illam D. Pauli 1. ad Cor. 12. adhortationem coronidis loco addamus : *Æmulamini charismata meliora.*

APPENDIX

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS

EX OPERE DE JUSTITIA ET JURE

R. P. LEONARDI LESSII S. J.

PROOEMIUM.

BREVIS EXPLICATIO ET DIVISIO VIRTUTUM.

1. Suppono *primo, Virtutem* proprie tantum esse ponendam in supremis animæ potentiis, intellectu et voluntate; et ad supremas ejus operationes (quæ sunt intelligere et velle) perficiendas. Est enim *Virtus* propria perfectio naturæ rationalis, qua rationalis est. Rationalis autem est, quatenus est principium intellectionis et volitionis. Itaque tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediate ordinatur. Hæc autem perfectio consistit in attingendo *vero* et *bono*. Honestum bonum intelligo : hoc enim est proprium naturæ rationalis. Tunc enim intelligentia perfecta est, quando in qualibet re veritatem clare et certo, quantum fas est, assequitur; et voluntas, quando bono honesto firmiter inhæret : sic enim suum finem et veluti formam, ad quam instituta est, utraque potentia, et utriusque potentiæ operatio consequitur.

2. Porro ab horum perfectione pendet perfectio operationis facultatis imaginatricis, et appetitus inferioris, et potentiæ executivæ. Et quamvis in imaginatrice et appetitu inferiori sint aliqui habitus, quibus perficiantur ad suas functiones; (assuescunt enim ab intrinseco obedire rationi et voluntati, et ad hoc faciles promptique redduntur et determinantur) tamen probabilius est hos habitus non esse virtutes, sed tantum virtutum adumbrationes, et veluti ἀπηχήματα quædam, ut Dionysii verbo utar, quæ ita virtutes intellectus et voluntatis imitentur, eisque subserviant, sicut vis imaginatrix et appetitus inferior deserviunt intellectui et voluntati, eosque in suis functionibus imitantur. Quod ex eo confirmari potest, quod in illis potentiis inferioribus non sit libertas; unde earum opus nec per se liberum est, nec laude dignum, sed solum ut subest motioni rationis et voluntatis : atqui opus, cui per se competit ratio virtutis, per se quoque maxime est laude dignum.

Hoc enim est propria virtutis nota, præsertim ejus, quæ est in parte appetente. Ratio a priori est, quia sicut vis imaginatrix non potest attingere rationem veri, solido judicio discernendo verum a falso, honestum a turpi; ita nec appetitus inferior rationem honesti, amando præcise quia honestum, rationique consentaneum, et odiendo quia turpe, ac rationi dissonum. Non enim potest ferri extra proprium objectum, quod est esse delectabile sensibus, vel commodum naturæ, præscindendo ab ordine ad rectam rationem. Verum exactior de his disputatio pertinet ad 1. 2. q. 56. Vide D. Bonavent. in. 3. d. 33. q. 3. et ibidem Scotum. Recte igitur Aristoteles 7. phys. c. 3. dicit *Virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum;* quia perficit intellectum et voluntatem ad optimam operationem circa sua objecta et propriam materiam.

3. Hinc sequitur esse duplex *virtutum genus;* alterum intellectus, alterum voluntatis : quia duæ sunt supremæ potentiæ, et supremæ operationes immanentes, quibus optimo modo natura rationalis *vero* et *bono* conjungitur et informatur.

Virtus intellectus est dispositio perficiens illum ad cognitionem veri ; facit enim infallibili modo verum cognosci. *Virtus* autem *voluntatis* est dispositio perficiens voluntatem ad affectum honesti. *Honestum* voco, quod Græci τὸ πρέπον dicunt, id est, decens, decorum. *Decorum* est quod congruit cuique juxta præscriptum rectæ rationis, seu quod congruit naturæ rationali, qua rationalis est, vel absolute, vel supposito tali statu, aut conditione rerum: idque vel per modum operationis, vel per modum objecti, circa quod versetur. Aliud enim decet virum, aliud feminam ; aliud regem, aliud subditum; aliud hominem, aliud angelum, aliud Deum. Virtus igitur voluntatis in unoquoque est affectus erga id, quod cuique congruens et decens agere vel appetere.

4. Suppono *secundo,* ex his virtutibus quasdam absolute et simpliciter dicendas esse virtutes, quasdam solum ex parte ; ut D. Thomas ex Aristotele docet 1. 2. q. 61. art. 3. *Absolute dicuntur virtutes,* quæ non solum præbent facultatem boni operis, sed etiam bonum usum sui, id est, quæ ita voluntatem movent et afficiunt, ut non possit illis male uti tanquam principio operationis. Tales sunt omnes illæ, quæ vel inhærent voluntati, vel ad sui usum postulant rectam voluntatem, ut prudentia, et fides catholica. *Ex parte,* seu *secundum quid virtutes* dicuntur, quæ solum præbent facultatem boni operis, (id est, ut opus in suo genere perfectum fiat) non autem bonum sui usum : ut sunt virtutes intellectuales hujus vitæ, præter prudentiam et fidem. *Sapientia* enim, *intellectus, scientia, et ars,* etsi mentem perficiant ut cognitionem veritatis assequatur, et ars etiam dirigat potentiam executricem, ut opus artificiale perfectum reddat ; tamen non faciunt ut voluntas ipsis bene, honeste, et laudabiliter utatur: (possunt enim ad pravum finem adhiberi :) et ideo tantum ex parte sunt virtutes, non absolute et simpliciter; quatenus tantum præstant ut rei cognitio, vel opus externum in suo genere sit perfectum; non autem ut proveniat ex bono affectu, et ad finem honestum tendat.

5. Suppono *tertio*, inter eas, quæ absolute dicuntur virtutes, alias esse *Theologicas*, alias *Morales*. *Theologicæ* vocantur, quæ immediate circa Deum, seu divinam aliquam perfectionem tanquam objectum formale versantur, ut *Fides, Spes, Charitas*. *Morales* autem, quæ in cæteris rebus mores hominum secundum præscriptum rectæ rationis componunt. Inter has, quatuor sunt quæ dicuntur *Cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia*; quibus cæteræ omnes sunt annexæ, tanquam partes quædam potestativæ, juxta D. Thomam. Vocantur autem *cardinales et principales*, non solum a Doctoribus scholasticis, sed etiam a Patribus. Ambrosius in illud Luc. 6. *Beati pauperes*, dicit B. Lucam in quatuor beatitudinibus amplexum esse *quatuor virtutes veluti cardinales*. Et infra: *Scimus virtutes esse quatuor cardinales, Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem*. L. 1. Offic. c. 14. vocat eas *principales*. Eodem nomine vocat eas Prosper L. 3. de vita contemplativa c. 18. et Gregorius L. 2. Moral. c. 36. (al. c. 49. n. 77.) et alii passim.

6. Ut autem intelligatur ratio hujus appellationis, notandum est, nomine prudentiæ, justitiæ, fortitudinis et temperantiæ interdum intelligi generales quasdam rectitudines, quæ in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ne erret per inconsiderationem, vel negligentiam: *justa*, ut præstet quod debet Deo, proximo, vel sibi ipsi, et ut neminem lædat: *fortis*, ut fortiter in bono persistat, non sinendo se ob ullas difficultates a recto dimoveri: *temperans*, ut modum a ratione præscriptum non excedat. Hoc modo recte dicuntur virtutes *cardinales*; quia sunt generales, et principales quædam rectitudines, quibus tota vita nostra dirigi, et in quibus veluti quibusdam cardinibus formari et verti debet. Secundo, significantur illis nominibus speciales quædam virtutes, quæ etiam recte dicuntur *cardinales*. *Prudentia* quidem, quia est cæterarum virtutum fundamentum, et veluti cardo. *Justitia particularis*, non quod excellentior sit cæteris, quæ alteri debitum reddunt; (sic enim potius *Religio* esset dicenda virtus cardinalis) sed quia perfectissime ea, quæ justitiæ sunt propria, (nempe *respicere alterum, et reddere debitum ad æqualitatem*) in *justitia particulari*, quæ est hominum inter se, reperiuntur. *Fortitudo*, quia versatur in maximis et difficillimis vel superandis, vel tolerandis. *Temperantia*, quia versatur in maximis voluptatibus moderandis. Itaque hæ tres sunt *principales*, tum quia singulæ sibi vindicant aliquam principalem conditionem et rectitudinem ex prædictis, quæ peculiariter in ipsis resplendeat; tum quia versantur in materia principali, quæ potissimum illam rectitudinem postulat: de quibus infra suis locis plura dicentur.

7. Commendantur hæ virtutes Sapientiæ 8. *Sobrietatem et prudentiam docet* (Sapientia) *et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus*. Ubi nomine *sobrietatis* intelligitur Temperantia; *virtutis*, Fortitudo; ut docet D. August. L. 1. Retract. c. 7. et patet clare ex textu Græco, ubi ponuntur nomina harum virtutum philosophis usitata; σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐκδιδάσκει, δικαιωσύνην, καὶ ἀνδρίαν. Vide Ambros. L. de Paradiso c. 3. et August. L. de Genesi contra Manichæos cap. 10. ubi tropologice has virtutes volunt significari per quatuor flumina paradisi.

De istis igitur quatuor virtutibus, oppositisque vitiis et peccatis, nobis hoc

opere quatuor libris distincto tractandum est. De quibus agit D. Thomas 2. 2. a q. 47. usque ad 171. cum antea virtutes theologicas explicasset. Libro primo dicendum breviter de prudentia. Secundo, de justitia (1). Tertio, de fortitudine. Quarto, de temperantia.

(1) Librum hunc secundum in præsenti appendice haud edendum censuimus; cum de eodem argumento specialem Tractatum Theol. Wirceb. t. 3. p. 2ª. complectatur.

LIBER PRIMUS.

DE PRUDENTIA.

CAPUT I.

DE PRUDENTIA IN SE SPECTATA.

—

DUBITATIO I.

QUID SIT PRUDENTIA.

D. Thom. quæst. 47.

8. Prudentiæ nomen dictum videtur a porro videndo, teste Isidoro L. 10. Etymol. cap. 15. *Prudens,* inquit, *dicitur quasi porro videns. Perspicax enim est, et incertorum videt casus.* Græci vocant φρόνησιν, παρὰ τοῦ φρονεῖν, quod sapere, intelligere, cogitare significat, cum affectu quodam ad rem cogitatam. Hoc autem ἀπὸ τῆς φρενός, quod mentem denotat, derivatur. Accipitur autem dupliciter. *Primo* generatim, pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad recte vivendum pertinet. Hoc modo Ambrosius L. 1. de Officiis cap. 24. dixit : *Prudentiam in veri investigatione versari, et scientiæ plenioris infundere cupiditatem,* ut notavit D. Thomas, quæst. 47. art. 2. ad 2. Sic accepta comprehendit etiam fidem, et universam Theologiam, et sæpe in Scripturis vocatur *Sapientia*, ut Ecclesiastici 3. et 33. Proverb. 3. et 8. Sapient. 6. et alibi. *Secundo*, speciatim et proprie, pro virtute intellectus proxime morum directrice. Hoc modo est virtus cardinalis, de qua hic tractamus. Hanc D. Antonius, teste Cassiano collat. 2. cap. 2., omnibus aliis virtutibus præferebat, tanquam directricem cæterarum, quæ non sinat eas a recto ad dextram vel sinistram deflectere. Cæteras enim virtutes, si discretio absit, necessario impingere, vel nimio fervore, vel torpore, et remissione; hanc solam efficere ut regia via incedant. Item hanc esse, quæ in Evangelio vocetur oculus, et lucerna corporis nostri ; a qua totum virtutum veluti corpus sit illustrandum, etc. D. Ambrosius L. 1. de Officiis cap. 27. dicit prudentiam esse *primum officii* (id est, boni operis) *fontem.* Sine hac nec justitiam, nec aliam virtutem esse posse. Idem docet D. Augustinus L. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 24. Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, quantoque studio comparanda. Variis modis definiri potest.

St. Albert's College Library

9. D. Augustinus L. 1. de lib. Arb. cap. 13. definit *Prudentiam esse rerum appetendarum et fugiendarum scientiam.* L. 83. qq. q. 30. *Esse rerum bonarum, et malarum, et neutrarum scientiam.* Aristoles L. 6. Ethic. cap. 5. *Prudentia est habitus cum ratione vera circa bona humana activus.* Ubi quidam legunt, est *habitus verus.* Alii ex eodem Aristotele sic : *Prudentia est recta ratio agendorum.* Hæ omnes definitiones bonæ sunt : clarius tamen sic definiri potest : *Prudentia est virtus intellectus, qua in quovis negotio occurrente novimus quid honestum sit, quid turpe.* Hæc definitio habet quatuor partes.

Prima pars. *Virtus intellectus.* Ad intellectum pertinere per se notum est, et indicat ipsum nomen, ut dictum est. Deinde functiones quæ ipsi tribuuntur, ut consultare, judicare, et imperare, quæ sunt rationis. Esse *virtutem* docet Aristot. loco citato, et omnes Philosophi atque Theologi, et colligitur innumeris sacræ Scripturæ locis, quibus prudentia commendatur, imprudentia reprehenditur et damnatur.

Probatur ratione, *primo,* quia est mensura et regula virtutum, quæ sunt in voluntate; a qua ratio virtutis in ipsas descendit : unde ipsa non potest non esse virtus. *Secundo,* quia est certa notitia honesti et turpis; ita enim prudentia fertur in suum objectum, ut ex modo judicandi falli non possit circa proprium objectum; quia evidenter cognoscit esse honestum vel turpe. Cujus signum est, quod is qui judicat sibi aliquid esse honestum, vel licitum, de quo dubitat vel formidat an in eo non peccet, sit imprudens et imprudenter judicet : nempe quia judicium prudentiæ debet esse evidens et certum, excludens omnem rationabilem formidinem. Dico rationabilem; quia non semper excludit scrupulum. Hic enim sæpe perseverat cum judicio prudentiæ; tamen ut tunc judicium sit prudens, debet reputari scrupulus : et sic etiam scrupulum quodammodo excludit prudentia. Etsi enim imaginatio peccati perseveret cum quadam anxietate, tamen per prudentiam reputatur umbra, non veritas.

Ex his sequitur, opinionem honesti non esse judicium prudentiæ, quia non ita fertur in suum objectum ut non possit esse falsa : quam ob causam non est virtus, ut recte Aristot. L. 6. Ethic. cap. 3.

Nec obstat quod interdum opinio sit vera; quia id non habet ex intrinseco modo tendendi in suum objectum, sed per accidens et fortuito. Nam sicut est vera, ita poterat esse falsa, nulla facta in ipsa variatione.

10. *Dices primo.* Etiam prudentia falli potest, ut patet in Jacob, qui judicabat honestum accedere ad hanc mulierem Liam; cum tamen non esset honestum; quia Lia non erat ejus uxor : de quo Genesis 29.

Respondeo. Prudentiam in proprio suo judicio falli non posse. Ratio est, quia judicium prudentiæ supponit diligentem, et juxta capacitatem humanam sufficientem rei considerationem : qua posita, etiamsi opus fortasse in se non sit absolute honestum, tamen respectu hujus hominis sic affecti est honestum, et ita judicatur cum his circumstantiis prudenter et absque errore esse honestum. Sicut enim potest aliquid esse jucundum alicui in certa dispositione et affectione, ut potus aquæ sitienti, quod extra talem dispositionem esset molestum : ita etiam potest aliquid cuipiam in certa dispositione esse honestum, quod extra eam non esset. Sic ergo Jacob per pruden-

tiam non judicabat hanc esse suam uxorem; vel accedere ad hanc esse absolute honestum; (hæc enim judicia non erant judicia prudentiæ, neque imprudentiæ, sed inculpati erroris in homine prudente) sed judicabat hoc esse sibi honestum, spectatis circumstantiis, quæ tunc se offerebant. Hoc enim judicium immediate erat directivum operationis. Erat etiam hoc judicium verum; quia spectato illo errore inculpato, et cæteris circumstantiis, erat illi vere honestum ad hanc accedere, ut fusius ostensum est 1. 2. quæst. 19. artic. 6.

Dices secundo. Prudentia versatur circa operationes singulas, de quibus ob summam mutabilitatem nulla potest esse certitudo; possunt enim secundum innumeras circumstantias variari : unde Philosophi dicunt de rebus singularibus non esse scientiam; ergo prudentiæ judicium non potest esse certum.

Respond. Etsi demonstrationes non fiant de singularibus immediate, sed de universalibus, sub quibus multa singularia continentur, et hac ratione dicatur de singularibus non esse scientia : tamen de singularibus certa notitia haberi potest, qualia sint, vel esse debeant; ut hanc domum esse recte factam vel non recte; et, ut recte fiat, hæc et illa requiri : hoc enim judicium ex regulis universalibus et notitia universalium pendet. Sic potest esse certa notitia de actionibus singulis, sintne honestæ, nec ne, et quid requiratur ut honestæ fiant. Judicium enim semper fit ex certis et determinatis circumstantiis, cum quibus singulæ actiones faciendæ occurrunt, et ex determinatis principiis, quæ in rebus singulis sunt consideranda.

Dices tertio. Multi prudenter agunt, et tamen postea dubitant, vel formidant se male fecisse : aiunt enim, si male feci, Deus ignoscat; ergo prudentiæ judicium non est certum.

Respond. Si ante actionem, vel actione jam inchoata, dubites vel formides te peccare, non potes prudenter judicare id esse agendum; quia teneris abstinere, ne pecces. Nisi forte in abstinendo videretur tibi esse majus, vel certe non minus peccatum. Tunc enim prudenter et certo potes judicare esse faciendum, et reipsa facere, absque peccato. Nec refert quod tunc putes te peccare; quia iste error per accidens ex imbecillitate intellectus intervenit : nec impedit quominus illud judicium, quo judicas opus esse faciendum, sit prudens, eo quod nulla suppetat ratio in præsenti negotio melius judicandi. Nec obstat quod videaris agere contra conscientiam, ac proinde imprudenter et culpabiliter; quia revera non agis contra conscientiam : non enim dictat tibi opus esse omittendum; sed solum speculative videtur tibi esse peccatum, cum qua peccati imagine vel opinione stare potest judicium practicum : hoc opus hic et nunc secundum rectam rationem est mihi faciendum; quod judicium est certum, evidens, et prudens, et ex eo sequitur bona actio. Si vero post actionem formides esse peccatum, hæc formido non impedit quo minus judicium præcedens, ex quo secuta est actio, fuerit certum et evidens. Nam facile fit, ut actio, quæ antea se offerebat ut honesta, postea ob considerationem novæ circumstantiæ, vel oblivionem alicujus quæ adfuit, se offerat ut ambigua : quo modo nasci sæpe solent infiniti bonarum mentium scrupuli.

11. Secunda pars. *Qua novimus in quovis negotio occurrente;* quia prudentia versatur circa actiones singulas. Non enim est prudens, qui novit in genere quidnam ad quamque virtutem requiratur, et in singulis actionibus obeundis non novit determinare circumstantias necessarias ad honestatem; v. g. locum, tempus, modum, etc. quod scire debet non in uno tantum genere actionum, sed in omni : alioquin non est absolute prudens, sed solum in certa materia et secundum quid. Itaque prudentia in iis, qui perfectum rationis usum habent, extendit se ad omnes actiones liberas totius vitæ, eas considerans et dirigens.

12. Tertia pars. *Quid honestum sit*, id est, quid deceat agere. Hic explicatur objectum, et effectus, et finis prudentiæ. Agere enim honeste est objectum prudentiæ, sicut ædificare domum est objectum artis, quod objectum prius natura quam existat consideratur a prudentia per modum objecti. Est etiam opus, seu effectus prudentiæ, sicut ædificare est effectus artis, quatenus prudentia dirigit voluntatem in eligendo, et potentias executrices in exequendo. Denique est etiam finis prudentiæ, quia prudentia non est ob cognitionem honesti, sed ob actionem; vide Arist. L. 6. Ethic. cap. 6.

Nota, prudentiam scire quid honestum et quomodo honeste agendum, quatenus novit in particulari determinare quæ circumstantiæ sint necessariæ ut opus fiat honestum : nempe ut temperate comedas, ut juste judices, ut injuriam patienter feras, et similia.

13. Quarta pars. *Et quid turpe.* Sicut enim virtutis est facere bonum, et vitare malum; ita prudentiæ est nosse bonum ut agatur, et malum ut vitetur. Unde D. Aug. *prudentiam* dicit *esse scientiam rerum appetendarum et vitandarum.* Et Aristot. dicit *prudentiam versari circa ea quæ bona vel mala sunt homini;* nempe judicando in particulari quid homini amplectendum, et quid vitandum in agendo. Ratio est, quia contrariorum eadem est scientia : nemo enim perfecte potest scire quomodo recte vivere debeat, nisi sciat quidnam in moribus sit vitandum.

14. Ex his facile intelligi possunt reliquæ definitiones. Prima enim, quæ est D. Aug., intelligenda est de scientia, seu notitia rerum appetendarum et vitandarum in particulari, seu in singulis actionibus. In secunda vero, quæ Aristotelis est, primo dicitur esse *habitus verus,* id est, qui per se, et natura sua verus est, non autem per accidens duntaxat, ut opinio. Secundo dicitur, *cum ratione activus,* id est per judicium rationis. Judicium enim rationis est proprius actus prudentiæ, per quem actum prudentia operatur actus aliarum virtutum, illas in suis actibus dirigendo. Quod autem illud, *cum ratione,* ita intelligendum sit, ut sit idem quod per rationem, tanquam per proprium actum, probatur; quia alioqui justitia, fortitudo, temperantia dicentur virtutes cum ratione activæ, ut quæ non possint agere sine judicio rationis. Hoc tamen est contra mentem Aristotelis, qui vult illa parte excludere alias virtutes a definitione prudentiæ. Tertio dicitur, *circa ea,* etc. id est, circa honestum et turpe, nempe ut honestum agatur, turpe fugiatur. In tertia dicitur, *est recta ratio agendorum,* id est, notitia recte seu honeste agendi : seu, est notitia, qua recte dirigantur humanæ operationes.

DUBITATIO II.

QUOMODO PRUDENTIA AB ALIIS VIRTUTIBUS DISTINGUATUR.

D. Thom. quæst. 47.

15. *Dico I.* A virtutibus moralibus distinguitur,

1° Quod prudentia sit in intellectu, ejusque actus elicitus sit essentialiter notitia, virtutes autem morales sint in voluntate, earumque actus elicitus sit essentialiter volitio vel nolitio. 2°. Hinc sequitur alia differentia; quod prudentia sit veluti mensura et regula, qua virtutes morales regulentur et dirigantur; quia actus voluntatis diriguntur per intellectum. 3°. Quod prudentia respiciat honestas actiones, sub ratione veri. Nam ejus est considerare quænam vere sint honestæ, quæ autem solum videantur tales, et quæ aperte inhonestæ. Virtutes autem morales respiciunt eas sub ratione boni; quia inclinant in eas, tanquam in proprium bonum naturæ rationalis.

16. *Dices.* D. Th. 2. 2. q. 47. art. 4. in θ. dicit prudentiam respicere bonum non solum materialiter, sed etiam formaliter, id est, inquit, sub ratione boni; ergo non sub ratione veri, quia fieri nequit ut eadem virtus, vel etiam eadem potentia respiciat suum objectum sub duplici ratione formali.

Omissa solutione Cajet. *Respondeo,* prudentiam respicere opus honestum dupliciter. Primo tanquam objectum cognoscibile, et sic respicit illud sub ratione veri. Secundo, ut finem operabilem, et sic respicit illud sub ratione boni. Non enim prudentia considerat quid honestum, ut in illa veritate cognita sistat, sed ut per virtutes morales illud operetur, quia bonum.

Adverte tamen, etiamsi prudentia sit essentialiter virtus intellectus, tamen ratione materiæ et finis, merito ponenda est inter virtutes morales: ut recte docet D. Thom. 1. 2. q. 58. art. 3. ad 1. quia tota versatur in consideratione et directione morum. Dicitur itaque moralis; non quod sit elicitiva morum, sicut justitia, fortitudo, temperantia; sed quia morum directiva.

17. *Dico II.* A virtutibus intellectus distinguitur.

A *sapientia* quidem, quia sapientia est mere speculativa, et versatur circa res divinas, et judicat per causas supremas, nec postulat rectum affectum. Prudentia vero est omnino practica, versatur circa actiones humanas, judicat sæpe per causas inferiores, et postulat affectum ordinatum. Vide Aristotelem L. 6. Ethic. c. 7.

Ab *intellectu,* quia intellectus est tantum habitualis cognitio principiorum, ex quibus aliorum notitia ducitur. Prudentia proprie versatur circa particularia, quæ ex principiis cognoscuntur. Unde supponit tanquam fundamentum, intellectum principiorum moralium, qui dicitur συνδέρησις secundum Theologos.

A *scientia,* quod scientia sit universalium, nec postulet rectum appetitum. Ab *arte,* quod ars sit recta ratio faciendorum (τῶν ποιητῶν); prudentia vero agendorum (τῶν πρακτῶν) juxta Aristotelem L. 6. Ethic. cap. 5. Ubi nota differentiam inter facere et agere (Græci dicunt ποιεῖν et πράττεῖν); *facere,* est

edere operationem transeuntem in externam materiam ut fiat aliquod opus v. g. domus, navis. *Agere,* est edere actionem immanentem unde homo fiat bonus vel malus. Secundo, prudentia imprimit actioni formam honesti : ars vero imprimit non actioni seu praxi, sed operi producto formam artificialem, usibus humanis accommodatam, ut patet non solum in artibus, quæ externam materiam adhibent, sed etiam in iis, quæ opus hominis, ut ars canendi, saltandi : cantus enim et saltus per se non sunt πράξεις, sed opus, ποιητόν. Tertio, hinc sequitur alia differentia, ut prudentia postulet appetitum rectum, ars minime.

A *fide* distinguitur, quod fides versetur immediate circa mysteria divina, et alia quæ non sunt in nostra potestate, sitque magna ex parte speculativa : neque dirigat immediate nostras actiones : neque postulet rectum affectum, nisi circa auctoritatem primæ veritatis. Prudentia tamen Christiana necessario supponit fidem ; sicut scientia cognitionem principiorum, v. g. beatitudinem nostram consistere in visione Dei, hanc operibus bonis promerendam, Sacramentis utendum, etc.

Denique a *Theologia* distinguitur, quod Theologia magna ex parte sit speculativa, et non versetur immediate circa actiones nostras : neque postulet rectum affectum, nisi eo modo, quo fides. Prudentia tamen supernaturalis convenit cum Theologia, quod sicut Theologia supponit expressam fidem mysteriorum, et cognitionem multarum veritatum naturalium : ita prudentia supernaturalis supponit fidem principiorum revelatorum, ad mores pertinentium, et cognitionem naturalem non revelatorum.

DUBITATIO III.

QUÆNAM SINT FUNCTIONES PRUDENTIÆ.

D. Th. quæst. 47. *art.* 6. 7. 8. 9.

Respondeo, generatim ab Aristotele et D. Th. numerari tres, nempe *bene consultare, bene judicare,* et *præcipere executionem.* Debent autem hi actus, ut bene fiant, fieri certo modo ; nempe cum *sollicitudine* et *diligentia:* ut D. Thom. art. 9. docet. Prudentia enim in suis functionibus postulat diligentiam ; scilicet prout conditio personæ, et negotii momentum requirit. Cujus signum est, quod nemo dicatur prudens, qui vel in consultando, vel in judicando, vel in exequendo non adhibet diligentiam debitam. Ratio est, quia prudentiæ est omnes circumstantias considerare, et omnia necessaria ad finem intentum (quantum fert conditio personæ) convenienti modo, loco, tempore, etc. adhibere : quod sine magna diligentia fieri nequit. Dico *quantum fert conditio personæ;* quia si quis adhibuit quod potuit, ut recte judicaret, judicium erit prudens, etiamsi speculative erret, ut supra dictum est.

18. Primum igitur prudentiæ munus est, *bene consultare,* inquirendo quæ media, et quæ circumstantiæ necessariæ sint ut opus fiat honeste, et secundum virtutem. Operari enim secundum virtutem est finis prudentiæ. Ad hunc finem quærit in singulis negotiis idonea media per consultationem.

Unde Aristoteles L. 6. Ethic. cap. 7. *Prudentis maxime opus est, recte consultare.* Plura de consilio diximus 1. 2. q. 14.

19. Secundum munus est, *recte judicare* post consultationem. Hoc autem fit, quando post diligentem inquisitionem et considerationem rei concluditur quid, quove modo, loco, tempore, quibusque aliis circumstantiis sit agendum, ut opus secundum virtutem fiat. Ad hoc judicium maxime expedit in promptu habere sententias Sapientum, et in primis quæ in Proverbiis Salomonis et Ecclesiastico; hæ enim ad omnem prudentiam in omni vita hominem informant: unde consultum esset eas memoria tenere.

Per hosce duos actus prudentia dicitur *invenire,* et *præscribere medium virtutibus moralibus,* id est, quidnam in singulis functionibus mensuræ rationis sit commensum, non exorbitans per excessum aut defectum; v. g. in justitia, quid, quantum, ubi, quando, cui sit restituendum; in temperantia, quantum, quo modo, ubi, quando utendum cibo, vel uxore. Præscribit autem medium, judicando id esse medium, seu honestum, et per hoc judicium ostendendo, seu objiciendo illud voluntati, ut per virtutem moralem amplectatur.

Utrum autem prudentia etiam præscribat finem virtutibus moralibus, disputatur inter Scotum et Thomistas. Scotus enim in 3. d. 36. q. unica, art. 2. affirmat. Cajet. q. 47. art. 6. negat. Sed respondendum cum distinctione. Si enim loquamur de fine universali, et abstracto, quem virtus moralis per se adæquate respicit, sic prudentia per se non præscribit illi finem. Non enim per se dictat prudentia in genere esse temperate vivendum, esse fortiter agendum, et patienter ferendum; qui sunt fines universales adæquati virtutum moralium. Et hoc est quod vult D. Th. art. 6. cum ex mente Aristotelis ait, *prudentiæ non esse præstituere finem virtutibus moralibus, sed solum disponere de his quæ sunt ad finem.*

Dixi *per se,* quia etsi prudentia per se non præscribat in genere fines virtutum; tamen præscribit eos per suum fundamentum, et principium ex quo pendet; nempe per habitum *synderesis* (ut recte D. Th. art. 6. ad 1.) qui est notitia principiorum moralium, ut patet ex 1. p. q. 79. Hic enim dictat esse temperate et juste vivendum, quæ in moralibus sunt principia. Et hoc sensu dici potest prudentia præstituere finem virtutibus moralibus, quia cum ipsa includat habitum συνδερήσεως, tanquam suum fundamentum et radicem; quod per hunc fit, recte dicitur per prudentiam fieri, et hoc probant argumenta Scoti. Nam si virtus moralis secundum suam essentiam consideretur, non supponit necessario aliud dictamen prudentiæ quam dictamen *synderesis;* cognita enim honestate, quæ est in temperate vivendo, potest homo in genere illi affici, et firmiter proponere temperate vivendo: quod propositum permanens habitu, erit essentialiter virtus. Si vero loquamur de fine particulari, quem virtus moralis in singulis actionibus intendit, hunc finem per se ipsam præscribit prudentia, ut expresse docet D. Thom. 1. 2. q. 66. art. 3. ad 3. Quia virtus moralis in singulis actionibus intendit honeste operari, seu attingere medium, ut per se constat; hoc enim est finis intrinsecus in quaque actione virtutis. Quid autem in singulis honestum, seu medium, et quænam ad hoc necessaria, ostendit prudentia. His adde, prudentiam dici etiam præscribere ea quæ sunt ad finem, ut docet D. Th. art. 6.

ex Aristotele L. 6. Ethic. cap. 12 et 13. : tum quia posito affectu generali alicujus finis per virtutem moralem, v. g. per intentionem vivendi temperate, prudentia præscribit quibus, et qualibus actionibus ad eum finem pertingas : tum quia in singulis actionibus, posito affectu recte operandi, præscribit circumstantias ad hoc necessarias.

20. Tertium munus est, *recte imperare*. Hoc imperium multi Thomistæ putant esse actum omnino distinctum a judicio, qui semper sit necessarius, ut voluntas interius, vel exterius libere operetur : etsi enim intellectus judicet bonum esse hoc facere ; tamen voluntatem non posse moveri, nisi intellectus imperet voluntati, interius dicendo : fac hoc; quo imperio posito, voluntatem non posse detrectare, sed necessario obedire. Sed 1. 2. q. 17. art. 1. d. 2. ostensum est tale imperium non esse necessarium, imo evertere libertatem.

Itaque quando ab Aristotele. L. 6. Ethic. cap. 10. et D. Thom. a. 8. dicitur *prudentiæ esse imperare vel præcipere,* non intelligitur imperium proprie dictum, (nisi loquamur de prudentia œconomica, vel politica quæ respicit inferiorem) nemo enim sibi ipsi proprie imperat, dum aliquid facit : sed dicitur *imperare;* quia prudentiæ est præscribere quid et quomodo agendum, et movere voluntatem ad consensum et ad opus. Præcipuus enim effectus, atque adeo finis prudentiæ est ut opus fiat, ut docet Aristoteles cap. 10. distinguens prudentiam a synesi, id est, perspicacia. Perspicaciæ enim solum est judicare : sed prudentia non sistit in judicando; verum ulterius imperat, seu movet voluntatem ut opus faciat. Unde quantumvis aliquis recte judicet, si tamen non ita judicat in particulari ut reipsa voluntatem moveat opusve faciat, non dicitur prudens, sed imprudens, et imprudenter agere. Non quod aliquis actus elicitus prudentiæ illi desit, vel etiam quod interveniat aliquod judicium imprudens : (etsi enim plerumque, et fere semper tale judicium interveniat, quando non sequimur judicium prudentiæ in agendo; tamen absolute non est necessarium : ut patet ex dictis 1. 2. q. 9. a. 1.) sed quia ultimus effectus, et finis prudentiæ deest; et consequenter, quia aliquid fit, vel omittitur contra judicium prudentiæ. Quod autem recte dicatur prudentia imperare, et præcipere ratione hujus motionis, patet : tum quia præscribere quid agendum, et ita movere, est munus imperantis, et superioris : tum quia ideo dicitur ratio imperare appetitui inferiori, et anima corpori; nempe quia aliquo modo movet, (non autem ratione imperii proprie dicti); ergo cum prudentiæ munus sit, instar superioris suo modo movere voluntatem, eamque in executione operis dirigere, recte dicitur ejus esse imperare.

Hinc sequitur, hoc imperium non fieri per aliquem actum distinctum a judicio, sed formaliter per actum judicii, quo prudens judicat hoc opus cum talibus circumstantiis esse faciendum. Nam hoc judicium omnino sufficit ex parte intellectus ad movendam voluntatem : non tamen habet rationem imperii efficacis, nisi reipsa moveat voluntatem. Consistit igitur hoc imperium in causalitate, et veluti efficientia, quam actus judicii habet in actum voluntatis : de quo plura diximus 1. 2. q. 9. a. 1.

Ex his facile intelligi potest quomodo prudentia præcipiat virtuti morali, non præstituendo illi finem, sed disponendo de his quæ sunt ad finem, ut ait

D. Thom. a. 6. et obscure explicat Cajet. Nempe quia prudentia per se movet virtutem moralem, non quidem ad affectum honesti in genere; (ad hoc enim movet *synderesis*, ut dictum est) sed ad affectum honesti in singulis actionibus, ostendendo cum quibus circumstantiis debeat operari, ut honeste operetur.

21. *Dices.* Virtus moralis potius debet præcipere prudentiæ, quam prudentia ipsi; quia virtus moralis versatur circa finem, prudentia autem circa ea quæ sunt ad finem, ut dictum est: atqui virtus, quæ versatur circa finem, imperat virtutibus quæ circa media; ars enim militaris imperat artibus quæ conficiunt arma; ergo.

Respondet Cajet. virtutem moralem non versari circa finem auctoritative, et ideo non posse imperare prudentiæ. Quod non versetur auctoritative, probat, quia virtus moralis non perficit primo intentionem finis, sed electionem mediorum. Sed hæc solutio non videtur vera. *Primo,* quia virtus moralis per se primo est affectus habitualis honesti, v. g. temperate vivendi; quia est affectus boni per se amabilis; ergo primo perficiet intentionem finis. Antecedens probatur ex D. August. L. de moribus Ecclesiæ c. 15. ubi docet *omnem virtutem esse amorem boni:* amor autem per se primo tendit in finem, non in media. *Secundo,* quia propositum seu intentio temperate vivendi est actus virtutis, cum sit difficilis, rectæ rationi consentaneus et laude dignus: atqui non potest esse actus secundarius virtutis; tum quia est adæquatus virtuti temperantiæ: tum quia non supponit ullum alium actum seu affectum, unde sequatur; est ergo primarius actus virtutis temperantiæ. *Tertio* voluntas primo et immediate inclinatur in affectum boni in genere; ergo virtus moralis inclinatur primo et immediate in affectum honesti sui generis sibi adæquati; quia omnis potentia et habitus primo et per se respicit objectum sibi adæquatum. *Quarto,* si virtus moralis, v. g. temperantia, non facit per se primo intentionem rectam circa finem, id est, circa vitam temperatam, quid est, quod illam rectam facit? Non enim natura sua est recta; debet ergo fieri recta ab aliquo habitu accessorio: qui habitus sine dubio est virtus, neque alia quam temperantiæ. Et quamvis valde probabile sit alium esse habitum circa finem abstracte consideratum, alium circa media; sicut in scientiis alius ponitur habitus circa principia, alius circa conclusiones; (nulla enim est ratio, quæ contrarium convincat, et proportio quæ est inter finem et principia, inter conclusiones et media id videtur postulare) tamen habitus circa finem, non est ponendus distincta virtus ab habitu circa media: sed uterque junctus, est una integra et completa virtus moralis, tendens in unum finem adæquatum, qui est honesta vita in tali materia. Sicut etiam habitus principiorum et conclusionum sunt una integra et completa virtus intellectus, tendens ad unum finem, qui est perfecta veritatis intelligentia. Dicuntur autem duo habitus et duæ virtutes intellectuales, sed partiales, et essentialiter incompletæ.

Omissa ergo sententia Cajet. Respondeo, virtutes morales etiam quodam modo præcipere seu imperare prudentiæ, sed aliter quam prudentia præcipiat ipsis. Ratio est, quia intellectus movet voluntatem, et vicissim voluntas intellectum. Prudentia igitur præcipit virtutibus moralibus, ostendendo, et præscribendo quomodo, et in quid ferri debeant; et ita movendo ex parte

objecti ad speciem actus. Virtus moralis præcipit prudentiæ, volendo ut prudentia hoc vel illud consideret, et ita applicando ex parte subjecti ad exercitium actus. Hoc tamen non potest facere, nisi ante mota sit a prudentia, vel certe a synderesi. Itaque potius prudentia dicitur præcipere virtutibus moralibus, quam hæ virtutes prudentiæ : tum quia omnis motio incipit a prudentia; non enim voluntas potest movere, nisi ante mota per intellectum : tum quia motio prudentiæ est sublimior. Movet enim per modum finis et specificantis actum voluntatis; voluntas solum per modum applicantis extrinsecus : unde ejus motio sæpe non est necessaria.

DUBITATIO IV.

UTRUM PRUDENTIA PENDEAT A VIRTUTIBUS MORALIBUS ET QUOMODO.

22. *Respondeo*, prudentiam in suis functionibus pendere *ordinarie* a virtutibus moralibus.

Colligitur ex Aristot. L. 6. Ethic. c. 5. et 13. Probatur, quia prudentiæ est, id quod in singulis actionibus est honestum apprehendere, seu judicare tanquam hic et nunc conveniens : atqui virtus moralis in voluntate existens, facit ut id quod est honestum videatur intellectui conveniens, et hic et nunc acceptandum. Quisque enim judicat prout est affectus : iracundus enim apprehendit intellectu vindictam tanquam convenientem , et intemperans voluptatem, avarus habere copiam pecuniarum : servare autem in his modum rationis, non apprehendunt ut conveniens sibi hic et nunc, sed ad summum, ut conveniens in genere, vel pro alio tempore et statu rerum. Sicut enim in animalibus, varii instinctus et propensiones naturæ faciunt ut phantasia apprehendat varias res tanquam convenientes vel repugnantes: ita in hominibus, varii affectus sive voluntatis sive appetitus inferioris, sive habitu sint, sive actu, sunt causa cur phantasia et intellectus aliquid apprehendant ut conveniens vel disconveniens. Morales itaque virtutes in voluntate latentes, faciunt ut intellectus bonum honestum in actionibus judicet esse conveniens hic et nunc fieri : idque præstant, partim quia comprimunt passiones, quæ rationem perturbant in consideratione honesti, et bonum delectabile ostentant : partim quia subjectum ita disponunt, ut opus honestum sit ei quam maxime congruum, sicut sitienti potus, esurienti cibus: unde mirum non est intellectui statim ita videri. Consensio enim illa, quæ est inter objectum et affectum, causa est ex parte objecti, ut apprehendatur per modum convenientis ; sicut e contra dissonantia est causa cur intellectus apprehendat ut dissentaneum.

Unde apparet quantam vim habeat affectus in omnibus judiciis practicis nostrarum actionum directivis. Idque experientia quotidiana comprobat. Vide 1. 2. q. 9. a. 2. et 5. Dixi, *ordinarie,* quia aliquando, etsi rarius, fit ut aliquis de honesto hic et nunc prudenter judicet, quamvis voluntas sit prave ad illud affecta; ebriosus enim interdum judicat bonum esse, ut hoc tempore et loco, in hoc convivio rationis mensuram servet; etsi affectus ad hoc non inclinet : et mœchus, ut se hic et nunc contineat ; quamvis affectus in contrarium tendat. Ratio est, quia ut intellectus possit comprehendere honestum sub ratione convenientis hic et nunc, sufficit consensio, quam illud habet

cum natura rationali, in qua veluti in radice omnes virtutes morales continentur; pravi enim affectus non possunt illam consensionem et congruentiam tollere, quamvis eam multum obscurent, et obvolvant. Unde moraliter fieri nequit, ut quis crebro prudenter judicet in particulari, sine virtute morali.

23. *Dices.* Virtutes morales supponunt prudentiam, quia sunt habitus electivi secundum dictamen prudentiæ; ergo prudentia non supponit virtutes morales; essent enim seipsis priores ac posteriores, et sibi ipsis causæ et effectus.

Respondeo, virtutes morales completas supponere prudentiam completam tanquam magistram, et directricem, quæ in singulis functionibus ostendat quid, et quomodo agendum. Inchoatas vero (nempe ut solum sunt affectus honesti in genere, v. g. temperate vivendi, cuique quod suum est reddendi) supponere prudentiam inchoatam, per *synderesin,* quæ est rudimentum quoddam, inchoatio, et principium prudentiæ; sicut affectus ille honesti est inchoatio virtutis moralis. At prudentia secundum illam suam inchoationem non supponit ullo modo virtutem moralem, sed est causa virtutis moralis inchoatæ: secundum vero suum complementum, quod habet ut se extendat ad actiones singulas, supponit virtutem moralem, saltem inchoatam.

24. Adverte tamen prudentiam posse dici dupliciter completam; *primo* essentialiter, cum se non tantum extendit ad principia moralia, et conclusiones generales, sed etiam ad plerasque actiones individuas alicujus virtutis: *secundo* extensive, cum potest facile in omni casu occurrente judicare. Simili modo virtus moralis potest dupliciter dici completa, essentialiter et extensive; essentialiter, cum extendit se ad aliquas functiones suæ materiæ prompte obeundas; extensive, cum ad omnes. Priori modo prudentia non supponit virtutes morales, nisi inchoatas; neque omnes, sed eas tantum, in quarum materia versatur. Altero modo supponit omnes virtutes morales etiam completas; quia nemo potest in omni casu prudenter judicare, v. g. in materia temperantiæ, nisi aliis quoque virtutibus sit instructus: si enim careat fortitudine, non recte judicabit de honesto temperantiæ, mortem intentante tyranno; si justitia, non recte judicabit quando jus alterius per temperantiam violaretur, negando debitum conjugi. Itaque perfecta prudentia requirit omnes virtutes morales: singulæ quoque virtutes morales, si perfectæ sint, supponunt prudentiam; ita tamen ut prudentia prius se extendat ad quamvis actionem in individuo, quam virtus moralis se ad illam proferat. Nam judicium prudentiæ semper præit affectum virtutis moralis circa unum eumdemque actum individuum. Sed de his plura 1. 2. q. 58.

Ex his intelligi potest in quibus sit prudentia, de quo D. Thom. a. 13. perfecta enim prudentia non potest esse nisi in viris probis, qui affectum in omni materia virtutis recte dispositum habent. Hi enim soli recte judicare in omni negotio occurrente possunt. In hominibus improbis, vel alicui vitio deditis, non potest esse nisi imperfecta prudentia; quia pravus affectus, quo laborant, non sinit eos prudenter in materia virtutis oppositæ judicare.

CAPUT II.

DE PARTIBUS PRUDENTIÆ ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUÆ SINT PARTES SUBJECTÆ PRUDENTIÆ, ID EST, IN QUAS SPECIES DIVIDATUR.

D. Thom. quæst. 48. *et* 50.

25. Notandum est, D. Thom. q. 78. constituere triplices partes prudentiæ; nempe subjectivas, potentiales, et integrales. *Subjectivas* vocat species seu inferiora; quo modo homo et brutum dicuntur partes animalis. *Potentiales* vocat virtutes quasdam adjunctas, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias; ita ut non habeant totam vim principalis virtutis, quo modo potentiæ animæ dicuntur animæ partes apud Philosophos. *Integrantes* vel quasi integrantes vocat ea, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis. Hic quærimus de partibus subjectivis, in quas tanquam in inferiora dividitur.

26. Respondeo igitur prudentiam posse recte dividi, *primo* in naturalem et supernaturalem, sive in acquisitam et infusam. *Naturalem* voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc solam Philosophi agnoverunt. Pendet ex *synderesi*, quæ est notitia principiorum practicorum, ut Decalogi et similium; et ex virtutibus moralibus sui ordinis; comparaturque usu: nascitur enim ex actibus. *Supernaturalis* est, quæ limites notitiæ naturalis excedit; pendet ex fide et ex virtutibus moralibus sui ordinis. Sicut enim sunt aliquæ virtutes morales commensæ prudentiæ naturali, et tendentes ad honestum naturale, quod est consentaneum naturæ rationali qua talis est: ita etiam videntur esse quædam virtutes morales commensæ dictamini prudentiæ infusæ, tendentes in honestum supernaturale, quod est consentaneum statui hominis supernaturali: nimirum hominis Christiani filii adoptivi Dei, etc. de quo plura 1. 2. q. 58.

27. *Secundo* dividitur immediate in prudentiam *personalem*, seu *solitariam* et in *gubernatricem*. *Gubernatrix* dividitur in quatuor species; *œconomicam*, *civilem*, *legislatricem* et *militarem*. Itaque in universum ponuntur quinque species prudentiæ. Ex quibus quatuor priores proponit Aristoteles L. 6. Eth. c. 8. et vocat partes prudentiæ; quintam addit D. Th. quæst. 50. art. 4. *Solitaria* seu *personalis* est, qua quis in singulis actionibus spectat, quid agere deceat, proprium intendens bonum. *Œconomica*, qua quis recte gubernat familiam, ejus bonum solum spectans. *Civilis* seu *politica* est, qua quis recte administrat civitatem, legesque servari curat. *Legislatrix* seu

nomothetica est, qua quis idoneas leges condit. *Militaris*, qua militia rite administratur.

Ratio harum specierum est, quia prudentia generatim accepta est procurare bonum hominis operationum directione : hoc autem procuratur vel directe, vel indirecte, scilicet amoliendo mala, quæ bonum hominis impediunt. Si indirecte, hoc fit per prudentiam militarem, qua hostes bonum publicum et privatum perturbantes avertuntur. Si directe, vel procuratur bonum proprium, vel communitatis : si proprium, erit prudentia personalis : si vero communitatis, tum vel familiæ, vel reipublicæ : si familiæ bonum intendatur, erit *œconomica* : si reipublicæ, id fiet vel ferendo leges, quod proprium est supremi Principis, et sic erit *legislatrix;* vel curando proxime ut mandentur executioni, quod fit per magistratus immediatos, et sic erit prudentia *civilis*. Per *civilem* enim non intelligit Aristoteles virtutem subditorum, qua legibus parent, ut D. Th. videtur accipere ; sed magistratuum, qua curant leges servari, et totam rempublicam gubernant, ut recte Eustratius exponit. Nam Aristoteles ponit duas hujus partes, consultricem et judicatricem : illa præbet in dubiis consilium, hæc exercet judicia in tribunalibus; quorum utrumque pertinet ad personam publicam. Adde non esse opus peculiari prudentia in cive, ut legibus communibus pareat, sicut nec in domesticis, ut præceptis patrisfamilias.

28. Hic tamen notandum est 1°. solam *prudentiam personalem* absolute dici prudentiam, et hominem facere absolute et simpliciter prudentem, ut docet Aristoteles c. 8. Quia is solus absolute prudens est dicendus, qui sua præ cæteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornans. Prudentia enim per se primo curat bonum suum, id est, sui subjecti. Cæteræ vero prudentiæ species non vocantur absolute nomine prudentiæ ; sed secundum quid, seu cum adjuncto, ut prudentia œconomica, vel civilis, vel legislatrix, vel militaris; quia non spectant bonum suum, sed alienum : unde neque necessario postulant, neque faciunt affectum habentis rectum; sed potius affectum alienum, præsertim œconomica, civilis et legislatrix; quia intendunt bonum communitatis; nempe ut familia vel respublica secundum virtutem degat. Nam *militaris* potius videtur esse ars quædam disponendi exercitum ad prælium, quam species prudentiæ; sicut ars nautica, ars negotiandi, et similes : unde quidam de arte militari scripserunt. Potest tamen poni species prudentiæ, quatenus disponit et curat ut milites fortiter et cum virtute militares functiones obeant; hoc enim videtur proprie officium prudentiæ militaris : unde supponit artem militarem, eique addit rationem dirigendi milites secundum virtutem.

2°. Singulas species dictas posse rursus in multas alias vel species, vel potius partes veluti integrantes dividi. Probabile enim est prudentiam personalem tot habere partes specie distinctas, quot sunt species virtutum. Non enim qui prudens est in functionibus justitiæ, statim est prudens in functionibus temperantiæ, vel fortitudinis; quamvis ut absolute dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis passim occurrente prudens esse. Item dicendum de prudentia civili, œconomica, legislatrice et militari. Varia enim sunt genera militiæ, et gubernationis civilis et domesticæ, ratione variarum circumstantiarum, tum loci, tum personarum, tum finium adjun-

ctorum, ut commodorum vel incommodorum, quæ diversissimam rationem agendi postulant, ut bonum exitum habeant.

3°. Prudentiam personalem quodammodo complecti omnes alias prudentiæ species; quia potest se extendere ad omnes illarum functiones, dictando de eisdem actionibus de quibus ipsæ, sed sub alia ratione. Quidquid enim ordinat vel jubet paterfamilias per prudentiam œconomicam, spectans bonum familiæ, potest ordinare et jubere per prudentiam personalem, spectando bonum honestum suæ actionis; nempe ut officio suo satisfaciat. Quatenus enim in agendo spectat ut familia recte sit disposita, dirigit suam actionem prudentia œconomica; ut vero intendit satisfacere suo officio, vel agere id quod decet suam personam, dirigit eam prudentia personali. Idem dicendum de civili, militari et legislatrice.

Itaque prudentia personalis omnino completa, qua quis in omni statu, seu officio potest se gerere ut decet, includit illas prudentias tanquam partes, superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honeste agere. Neque enim Rex potest habere prudentiam suæ personæ necessariam, et facere omne id quod se decet, nisi norit leges utiles ferre; et ita requirit prudentiam legislatricem. Neque Magistratus officio suo satisfacit, qui non novit Rempublicam administrare, judicia exercere, bono civium consulere; et ita requirit civilem. Et hoc est quod vult Aristoteles c. 8. in principio, cum ait : *Prudentiam et civilem* (πολιτικὴν) *esse eumdem habitum, sed non habere eamdem rationem seu idem esse.* Prudentia enim completa includit civilem et reliquas tanquam sui partes : refert tamen illarum materiam ad suum finem; et ita distinguitur ratione formali. Vide Giraldum in L. Ethic. q. 14. Si tamen prudentia personalis accipiatur ut dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas; sed est species omnino distincta a cæteris.

DUBITATIO II.

QUÆNAM SINT PARTES INTEGRANTES PRUDENTIÆ.

D. Thom. quæst. 49.

29. Notandum est partes integrantes prudentiæ posse dupliciter poni. *Primo,* ut partes integrantes dicantur illæ, ex quibus veluti membris prudentia tota proprie constat. Non enim prudentia est simplex aliquis habitus, sicut neque scientiæ speculativæ; sed constat multis partibus instar totius heterogenei, respicientibus diversam rationem honesti, quæ est in diversis virtutibus. Aliis enim regulis et notionibus diriguntur functiones justitiæ, aliis temperantiæ, aliis fortitudinis et patientiæ : quæ tamen omnes necessariæ sunt ad integram et absolutam prudentiam. Dicitur autem prudentia una virtus, sicut Theologia et Physica dicitur una scientia : nempe quia respicit unum objectum generale, quod est vivere secundum virtutem; idque sub uno eodemque modo tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circumstantiis, de quo plura 1. 2. q. 57. Verum D. Th. non loquitur hoc modo de partibus prudentiæ; quia non videtur tales ponere. *Secundo,* ut partes integrantes prudentiæ dicantur quædam functiones, sine quibus non habetur perfectus usus prudentiæ. Hoc modo D. Th. ponit octo partes pru-

dentiæ, *memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, providentiam, rationem, circumspectionem, cautionem,* e quibus *solertia* et *docilitas* maxime juvant ad acquirendam prudentiam; *memoria, intelligentia, providentia, ratio* potissimum adjuvant usum prudentiæ in consultando et judicando; *cautio* et *circumspectio* ad executionem operis, quæ dicitur fieri imperio prudentiæ.

Memoriam vocat recordationem eorum, quæ legimus, audivimus, vidimus, aut aliter experti sumus. Ex his enim sæpe numero facile colligimus quid in præsenti negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad prudentiam.

Intelligentiam vocat notitiam præsentium : ut enim prudenter judices, necesse est præsentem statum rei tibi esse probe perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium.

Providentia dicitur consideratio futurorum eventuum, qui possent sequi ex opere.

Ratio dicitur promptitudo quædam ratiocinandi, et aliud ex alio colligendi.

Docilitas accipitur pro affectu et promptitudine ad discendum.

Solertia (quam Arist. vocat ἀγχίνοιαν et melius latine diceretur sagacitas) est species bonæ conjectationis (quæ ipsi dicitur εὐστοχία); est enim solertia seu sagacitas, medii, id est rationis alicujus cur res sit probanda vel improbanda inventio tempore brevissimo, ut idem Aristoteles docet L. 2. prior. Analyt.

Circumspectio est consideratio circumstantiarum, ne qua desit in opere.

Cautio est cura ut vitentur incommoda, quibus res est exposita, v. g. ne proximus offendatur, ne incidas in adversam valetudinem: poterat hæc sub circumspectione comprehendi.

Notandum est, non omnes hos actus a diversis habitibus proficisci. Cautio enim, circumspectio, providentia et intelligentia sunt actus prudentiæ; quia intrinsece includuntur in prudenti judicio, et executione. Memoria, ratio, solertia, et docilitas tantum requiruntur ad acquirendam prudentiam, vel ad acquisitæ perfectiorem usum.

DUBITATIO III.

QUÆ SUNT PARTES POTENTIALES PRUDENTIÆ.

D. Thom. quæst. 51.

30. *Respondeo,* valde ingeniose a D. Th. poni tres partes potentiales prudentiæ; *eubuliam, synesin,* et *gnomen.* Per *eubuliam* intelligit habitum quemdam, qui præbet facultatem recte consultandi, id est, inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis. Per *synesin,* habitum recte judicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practicorum, scilicet legum naturalium et positivarum, et finium illarum, quos fines legislator spectavit. Per *gnomen,* habitum recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, juxta tamen mentem legislatoris; vide Cajet. q. 120. art. 5. et 2. Vocat autem has partes potentiales prudentiæ; quia prudentia his utitur ad suum finem, veluti membris qui-

busdam suis; vel ut anima utitur suis potentiis ad suum finem. Sicut enim in singulis animæ potentiis elucet vis, et conditio animæ, etsi non plene: ita in istis facultatibus, earumque functionibus elucet natura et conditio prudentiæ, etsi non adæquate.

Utrum sint habitus distincti ab habitu prudentiæ, dubitari potest. Probabilius est non esse ab illa distinctos realiter, sed esse ipsam prudentiam inadæquate consideratam; nempe ut se ad hanc vel illam functionem extendit, ut probat Giraldus L. 6. q. 15. *Probatur,* quia prudentiæ proprium est inquirere media ad finem idonea: atqui hoc fit bona consultatione; ergo bona consultatio est actus proprius prudentiæ. Unde recte Aristoteles ait c. 7. L. 6. *Prudentiæ maxime opus esse dicimus, recte consultare.* Neque satisfacit, si dicatur: prudentiæ proprium est bene consultare, quod imperet illam; nam consultatio de mediis non imperatur proprie a prudentia, sed a cognitione et amore finis. In qua cognitione finis non tam cernitur prudentia quam synderesis. Cernitur autem primo in consultatione, si bene fiat; ergo bona consultatio est prima functio in qua prudentia elucet. Quod etiam recte judicare sive ex ipsis legibus, et earum finibus, quod facit *synesis,* sive ex altiori consideratione, quod facit *gnome,* sit actus prudentiæ elicitus, patet; quia per hunc actum prudentia imperat voluntati, eamque et potentias inferiores in executione dirigit, ut supra ostensum est.

31. *Dices,* Aristotelem per synesin non videri significare partem aliquam prudentiæ, seu judicium prudentiæ præcedens executionem; sed perspicaciam quamdam ingenii in alio, qui de judicio et facto prudentis acute judicat, ut exponit Eustratius in c. 10. L. 6.; dicitur enim σύνετος καὶ εὐσύνετος, teste Aristotele ibidem, qui altero aliquid dicente vel faciente statim potest percipere, rectene an secus dictum factumve sit: sicut discipulus dicitur ξυνιέναι et εὐσύνετος, qui statim percipit quod magister docet. Unde apud Græcos ξυνιέναί sæpe usurpatur pro μανθάνειν, quod est percipere quod alius dicit.

Respondeo, verum esse Aristotelem quidem hoc pacto synesin ibi accipere: non tamen negat quin similis facultas in prudente requiratur circa inventa per consultationem. Unde recte D. Th. posuit partem prudentiæ. Imo ipsemet Aristoteles L. 1. Magnor. moral. c. 35. expresse docet synesin esse prudentiæ partem; quamvis interdum esse possit in eo qui non est prudens. Per γνώμην idem intelligit Aristoteles, quod D. Thom.; nam L. 6. Ethic. c. 11. dicit gnomen esse rectum judicium æqui et boni. Æquum et bonum, quod Græcis dicitur τὸ ἐπιεικές, est, quod cum sit contra verba legis, etsi non contra mentem Legislatoris, judicio prudentis definitur; vel ut Aristot. L. 5. c. 10. definit, est *correctio legis, quatenus deficit ob universalem locutionem.* Eodem pertinet sententia D. Thomæ, cum ait gnomen judicare ex principiis extraordinariis contra verba legis; idem enim valent corrigere legem ubi deficit ob universalem locutionem, quod proprie ad gnomen pertinet, ac judicare ex altiori principio contra verba legis. Ratio autem cur interdum opus sit hac correctione legis, et consideratione altioris principii, quam sit finis proximus legis, est quia leges universaliter latæ sunt, ut legislator finem proximum, quem per illam intendit, ut plurimum assequatur; quo fit ut multi casus occurrant, in quibus non expedit eas servari, quia

aliquid fieret contra aliam legislatoris intentionem, et contra bonum publicum vel privatum. Universales enim regulæ in rebus practicis patiuntur multas exceptiones; hæ exceptiones quia verbis legum comprehendi non poterant, relictæ sunt judicio prudentum, et vocantur τὸ ἐπιεικές, id est, æquum et bonum. Judicium vero quo de illis judicatur, vocatur gnome, quod latine benignam sententiam possumus nominare : hoc autem peti debet ex altiori consideratione, ob quam verba legis non sunt servanda. In legibus pœnalibus dicitur συγγνώμη, id est, venia, vel pœnæ mitigatio. Exempli gratia, lex universe præcipit : qui occidit, occidatur. Tu tamen invasus ab alio, occidisti : vir æquus, per γνώμην judicat verba legis hic non esse servanda, teque non esse morte puniendum : quod judicium pendet ex alia consideratione, quam præceptum legis illius. Virtus vero quæ in voluntate respondet huic judicio, dicitur ἐπιείκεια. Unde sicut ἐπιείκεια se habet ad justitiam, ita γνώμη se habet ad prudentiam. Est igitur pars potentialis prudentiæ, sive prudentia ipsa, ut versatur circa æquum et bonum : sicut ἐπιείκεια est pars justitiæ, et justitia quædam, ut recte Aristoteles c. illo 10. docet; quod quomodo verum sit dicetur infra c. 47. dub. 9.

DUBITATIO IV.

QUOT ET QUIBUS MODIS PECCETUR CONTRA PRUDENTIAM.

D. Thom. quæst. 53. 54. 55.

32. *Dico I.* Generatim loquendo, omne peccatum est contra prudentiam.

Patet, quia omne peccatum est contra judicium prudentiæ, sicut omne opus bonum est secundum judicium prudentiæ. Adverte tamen non esse necessarium, ut sicut omne opus bonum sequitur ex judicio prudenti, ita omne opus malum sequatur ex judicio imprudenti; potest enim sequi ex judicio indifferenti, quo aliquid judicatur non quidem esse honestum, vel turpe, sed esse delectabile, vel molestum. Hoc enim judicium sufficit, ut voluntas possit illud opus velle, aut nolle, ut ostensum est 1. 2. q. 9. a. 1. dub. 4. et 5.

33. *Dices.* Omnis peccans est imprudens, imo et ignorans, teste Aristotele; ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia.

Resp. Negandam consequentiam. Dicitur imprudens, non quod semper imprudenter judicet; sed quia imprudenter, id est, contra prudentiæ dictamen, operatur. Dicitur ignorans, non quod necesse sit ut ignoret rem esse turpem, vel noxiam saluti; sed quia vel ignorat, vel non satis considerat illam turpitudinem, quam si consideraret, ut par est, non faceret. Et quamvis fieri possit ut aliquis plenissime rei turpitudinem considerans, eam nihilominus faciat, propter voluntatis libertatem, quæ sicut bonum honestum etiam clare propositum non necessario amplectitur, sed potest repudiare, ob molestiam annexam; ita objectum turpe clare propositum non necessario repudiat, sed potest amplecti ob voluptatem annexam : tamen hoc rarissime fit. Unde universe dici potest, omnem peccantem esse ignorantem.

34. *Dico II.* Si magis speciatim loquamur, dupliciter contra prudentiam peccatur, juxta D. Thom., per excessum, et per defectum.

Probatur, quia sicut objecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam objectum prudentiæ : idem enim est objectum circa quod versatur prudentia consultando, et judicando, ac aliæ virtutes inclinando; ergo sicut contra alias virtutes potest peccari per excessum et defectum, ita contra prudentiam.

35. *Dico III.* Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *præcipitatione, inconsideratione, inconstantia* et *negligentia.*

Probatur, quia ea peccata sunt proprie contra prudentiam, quæ sunt contra regulas prudentiæ, quas ipsa in suis functionibus servare debet; item quæ sunt contra functiones proprias prudentiæ: atqui hæc peccata sunt talia; ergo. Minor patet : Prima enim regula prudentiæ est, ut priusquam opus aggrediaris, vel judicium feras, deliberes de mediis, de modo, et ordine exequendi, de cavendis impedimentis, etc. ; contra hanc regulam est *præcipitatio*, quæ proposito aliquo fine statim opus aggreditur, vel certe judicat de mediis, et modo exequendi, omissa deliberatione. Secunda est, ut rem de qua judicandum est, ejusque circumstantias diligenter inspicias ; contra hanc est *inconsideratio*, quæ judicat, omissa diligenti inspectione. Tertia est, ut rebus deliberatis, et recte judicatis inhæreas, neque te sinas ob leves ratiunculas divelli; contra hanc est *inconstantia,* qua sine ulla, vel certe sine justa causa mutas sententiam. Quarta est, ut rem deliberatam et judicatam, opportuno tempore mandes executioni ; contra hanc est *negligentia.* Hæc tamen dupliciter potest considerari : *primo,* ut est omissio diligentiæ requisitæ in ipso opere externo, et sic non est directe contra prudentiam, sed contra virtutem, in cujus materia versatur; ut negligentia in orando, est contra religionem ; in solvendo debito, contra justitiam. *Secundo,* ut est omissio diligentiæ requisitæ in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem et vires externas ad executionem; et sic est contra prudentiam. *Præcipitatio* igitur est directe contra *consilium*: *inconsideratio* contra *judicium* : *inconstantia* contra *judicii firmitatem* : *negligentia* contra *rationis vigilantiam* in exequendo. Est enim omissio actuum rationis, qui necessarii sunt, ut opus suo tempore fiat.

36. Notandum est 1°., *præcipitationem* et *inconsiderationem* non esse peccatum mortale, nisi ratione periculi alicujus peccati mortiferi, cui se homo exponit, præcipitanter vel inconsiderate judicando vel agendo : quia sicuti in actibus prudentiæ non quæritur rectitudo propter ipsos actus, sed propter opus quod illis actibus est dirigendum : (quia in regula non quæritur rectitudo propter ipsam regulam, sed propter id, quod regulæ est conformandum) ita pravitas imprudentiæ æstimanda est ex opere, quod inde sequitur. *Inconstantia* nunquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecam, ut ad vitandum scandalum, etc. Idem dico de *negligentia*; hæc enim non est peccatum mortale, nisi negligas id, ad quod sub peccato mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea quæ salutis sunt, ut evidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

2°. Ad prædicta peccata reduci alia quædam, quæ non sunt tam directe contra prudentiam, ut *obliviositatem, indocilitatem* et *defectum ratiocinandi*, ad *præcipitationem : defectum intelligentiæ, cautelæ* et *circumspectionis*, ad *inconsiderationem*; ad eamdem referri potest *improvidentia*, et *defectus solertiæ*; etsi D. Th. referat ad *inconstantiam*, et *negligentiam*; sed res est parvi momenti.

37. *Dico IV*. Per excessum, vel potius quadam specie et imagine prudentiæ, peccatur contra prudentiam sex modis, juxta D. Th. *Prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, et sollicitudine futurorum.*

Prudentia carnis dicitur, qua quis vivit secundum carnem : ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. ubi opponit prudentiam carnis prudentiæ spiritus; et sapere secundum carnem, ei quod est sapere secundum spiritum. Nam finis prudentiæ carnis est vivere secundum carnem, sicut finis prudentiæ spiritus est vivere secundum spiritum. *Vivere* autem *secundum carnem* est sequi instinctus et motus naturæ corruptæ; seu, est facere opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, et cætera, quæ Apostolus recenset c. 5. ad Galat. Itaque *prudentia carnis* est, quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda : sicut *prudentia spiritus* est, quæ excogitat idonea media ad opera, seu fructus spiritus; de quibus Apostolus agit eodem capite. Sicut enim omnis virtus habet suam prudentiam, qua tanquam regula in suis functionibus dirigatur, ut opus suum honestum reddat, quod est ejus finis intrinsecus; ita omne vitium habet suam quamdam falsam prudentiam, qua dirigatur ad obtinendum bonum delectabile, quod est ejus finis; hæc dicitur prudentia carnis.

38. Notandum autem est 1°. Sicut prudentia vera supponit, et includit appetitum honesti, sine quo appetitu nuda illa notitia intellectus non habet rationem prudentiæ : ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, et includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicetur prudentia carnis. Supponit quidem; quia judicium omnis prudentiæ sive veræ, sive falsæ plurimum pendet ex affectu ; *qualis enim quisque est, ita judicat,* ut Aristoteles ait, id est, quisque judicat convenienter suis affectibus. Includit vero; quia prudentia non significat qualemcumque notitiam mediorum, sed directam et ordinatam ad opus : itaque includit affectum operis. Unde Apostolus nomen prudentiæ seu φρονήσεως vel φρονήματος passim usurpat pro affectu alicujus boni honesti, aut delectabilis, movente intellectum ad excogitationem mediorum quibus illud obtineatur : vel pro cogitatione intellectus, quæ ab affectu seu intentione ad illud bonum ordinatur. Sic c. 8. ad Rom. *Sapere secundum carnem mors est :* φρονεῖν κατὰ σάρκα, id est, habere affectum et cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait : *Prudentia spiritus vita, et pax.* Et ad Philipp. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu,* græce, τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

2°. Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc quærit, et invenit media vere idonea ad finem honestum ; ita illa quærit, et invenit media vere idonea ad finem delectabilem, ad honores, etc. Unde non est

necessarium in judicio hujus prudentiæ esse errorem, seu falsitatem; quia non est necesse ut media non sint idonea ad finem, vel ut judicet illa esse absolute bona : sed satis est si judicet esse convenientia ad finem propositum, ad quem vere idonea sunt. Potest tamen tale judicium dici practice falsum, quia est causa pravæ electionis; sive quia non est consentaneum appetitui recto.

3°. Prudentiam carnis non esse peccatum, nisi ratione affectus pravi, cui subest. Unde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale, ut patet ex dictis 1. 2. q. 17. a. ult. Consilium enim et judicium sunt actus imperati ab intentione. Unde accipiunt suam bonitatem vel pravitatem ab intentione.

39. *Astutia* generatim, est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur enim astuti in contractibus et negotiis, qui norunt modos agendi non passim obvios, quibus vel alios decipiunt, vel cavent ne decipiantur. Videtur ab Aristotele vocari δεινότης (*solertiam* quidam interpretantur), quam ipse etiam in malis ponit, ut patet L. 1. Magnorum moralium c. ult. ubi dicit *omnem prudentem esse* δεινὸν, id est, *astutum vel solertem, sed non contra; quia malus etiam,* δεινὸς, *solers est, sicut Mentitor qui videbatur quidem* δεινὸς (*solers*), *non tamen erat prudens.* Itaque astutia generatim accepta, est quid communius quam prudentia. Verum hic accipitur magis speciatim; nempe pro notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi conjuncta. Hoc modo accipit D. Augustinus L. 4. contra Julianum c. 3. n. 20. cum ait, *omnibus virtutibus quædam vitia esse similia; sicut astutia prudentiæ similis est, quæ tamen est vitium.* Et Apostolus 2. ad Corinth. 4. *Non ambulantes in astutia,* græce ἐν πανουργία, quo nomine proprie significatur hæc vitiosa *astutia* : quia astuti omnia tentant, in omnem partem se vertunt, ut rem conficiant. Continet artem simulandi et dissimulandi. Habet locum in iis functionibus quæ proximum respiciunt : nemo enim sibi ipsi aliquid occultat, vel in modo agendi sibi aliquid occultum optat; sed tantum proximo. Videtur hæc astutia species quædam prudentiæ carnis. Hi enim maxime videntur prudentes secundum carnem, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

Est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione affectus cui subest, et nocumenti quod proximo sequitur : si enim expresse vel implicite grave nocumentum intendas, erit peccatum mortiferum : sicut mendacium perniciosum. Item si grave malum sequatur, idque adverteris vel facile advertere potueris : tunc enim est intentio tacita, seu interpretativa. Si autem nullum sit nocumentum vel modicum, erit veniale : sicut mendacium officiosum, et jocosum. Vide Cajetanum in Summa, verbo *Astutia.*

40. *Dolus* est astutiæ executio, sive verbis, sive factis : est enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, et potissimum in materia justitiæ, ut in contractibus et distributionibus. Duobus modis, secundum jurisperitos, dolus venit in contractum. Primo, dando causam contractui. Dicitur autem *dare causam contractui,* quando si dolus abfuisset, alter nullo modo voluisset contrahere. Secundo, non dando causam; sed solum incidendo in contractum : ut quando contractus fuisset quidem initus, sed non

eo pretio, verum majori aut minori. Utrum autem et quando dolus contractum vel aliam dispositionem irritam reddat, et quando non, dicemus L. 2. c. 17. dubit. 5. Porro ignorantia juris, etsi crassa sit, semper excusat a dolo, et consequenter a pœna legis, quando ad eam incurrendam lex requirit dolum seu præsumptionem; quia ignorantia crassa dolus non est.

Nec obstat quod culpa lata dicatur æquiparari dolo : hoc enim solum est verum quando lex non requirit dolum, præsumptionem, aut scientiam; sed simpliciter loquitur : et in actionibus descendentibus ex contractu, vel quasi contractu, ut notat Sylvester verbo *Culpa* q. 3. et 11. ex Bartolo, Cyno, et aliis.

41. *Fraus* est executio astutiæ per facta, ut cum mensura est minor justo; cum moneta est adulterina : unde est quid contractius et minus commune quam dolus. Itaque dolus et fraus se habent ad astutiam, sicut pactiones et actiones justæ ad prudentiam. Sicut enim hæc diriguntur judicio et regulis prudentiæ; ita illa judicio et regulis astutiæ. Quare hi modi agendi contra prudentiam non sunt distincti ab astutia, sed executiones tantum, seu actus externi astutiæ. De his duobus dici solet : *Fraus et dolus nemini debet patrocinari*. Habetur c. Ex tenore. 16. de Rescriptis. Item : *Fraudem non fieri ei, qui scit et consentit*. L. Nemo π. de regulis juris.

Dicitur etiam fraus fieri, vel contra legem, vel ipsi legi. *Contra legem*, quando fit contra id quod lege præcipitur vel vetatur, absque colore et artificio, quo violatio illa tegatur. *Legi* vero, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, ut videamur illi non repugnare; hoc autem fit potissimum tribus modis, vel juxta Sylv. v. *Fraus*, quatuor. *Primo*, supponendo personam pro persona; ut si conjux volens donationem facere conjugi, quod non potest per leges, supponat aliam personam cui donet, cum onere transferendi in conjugem. Si tutor volens emere rem pupilli, quod per leges non potest, interponat aliam personam quæ emat. *Secundo*, supponendo rem pro re; ut si filio familias volens dare mutuum, loco mutui des triticum vendendum, ut pretio fruatur; nimirum ut hac arte eludas vim L. 1. π. de senatusconsul. Macedon. ubi statuitur, ut filius familias ex mutuo non teneatur. *Tertio*, supponendo contractum pro contractu; ut si uxor in speciem vendat viro, quod intendit donare : si beneficiarius specie mutui accepti vel etiam gratitudinis, solvat centum aureos ei a quo beneficium accepit : si mulier, quæ fidejubere non potest (per L. 2. π. ad SC. Velleianum), faciat se principalem debitricem. Qui his et similibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi, vel in fraudem legis, et non excusantur coram Deo a prævaricatione legis, etsi coram hominibus videantur legem servare.

42. *Sollicitudo temporalium* est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conservandis, proveniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Itaque tria in hoc vitio includuntur : primum est, nimius affectus ad bona temporalia : secundum, timor et anxietas quædam, ne vel conatus nostri in iis corradendis non satis bene succedant, vel damnum aliquod interveniat : tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis et tractandis.

Sollicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futura, maxime ut vitæ necessaria habeantur, conjuncta cum anxietate et parva fiducia divinæ

providentiæ; ut cum quis plus quam par est sollicitus est de victu, vestitu, aliisque rebus necessariis, in futurum annum, mensem, vel diem; est species sollicitudinis temporalium.

43. Hæ sollicitudines, si modum justum excedant, maxime sunt noxiæ saluti. *Primo,* quia includunt cupiditatem rerum temporalium, quam Apostolus 1. ad Timoth. 6. vocat *radicem omnium malorum. Radix,* inquit, *omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis;* de qua infra L. 2. c. 47. *Secundo,* quia impediunt animum a seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium: quo nihil potest esse magis perniciosum; bona enim spiritalia nisi attente et crebro cogitentur, non cognoscitur eorum dignitas et pulchritudo; quod autem non cognoscitur, non æstimatur; quod non æstimatur, non amatur, non quæritur, facile negligitur et contemnitur. Pari modo, peccatorum malignitas et damna immensa, nisi attenta consideratione, non cognoscuntur; quo fit ut etiam non horrentur, nec vitentur ut par est. Et sane, si quis diligenter advertat animum, deprehendet omnes fere lapsus et peccata hominum ex defectu considerationis provenire; ut merito dixerit Aristoteles *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem.* Nam omnes, vel fere omnes ideo peccant, quod malitiam peccati, et pœnam ipsi debitam, vel non considerent, vel non satis considerent; quantum videlicet in tali articulo conveniret.

44. Hinc Scriptura vocat peccatores stultos, fatuos, insensatos, insipientes; non tamen hinc inferas omne peccatum esse ex ignorantia: hoc enim postulat ut nesciatur esse peccatum. *Tertio,* quia bonas inspirationes impediunt ne fructum pariant. Unde Matth. 13. dicitur, sollicitudines seculi, tanquam spinas quasdam, semen verbi divini suffocare. Itaque cum hujus in considerando defectus causa sit, maxima ex parte, temporalium sollicitudo, perspicuum est illam esse valde perniciosam, et vitandam. Unde Dominus multis rationibus conatur eam nobis eximere, Matth. 6. *Ideo,* inquit, *dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Idque confirmat primo, quia qui animam dedit, quæ longe est præstantior quam esca, dabit etiam escam: et qui corpus dedit, dabit vestimentum. Secundo, si Deus, qui est pater vester, pascit aves cœli, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; quanto magis pascet vos suos filios? Tertio, si pulcherrime vestit lilia et fœnum agri, quomodo patietur vobis vestes necessarias deesse? Ex his concludit, rursus repetens quod ante dixerat: *Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Deinde addit novas rationes. Prima est, quod Gentium sit divinam providentiam et paternam Dei curam ignorantium, hæc anxie inquirere. Secunda, quod Pater noster cœlestis sciat nos his omnibus indigere: ac proinde, si ante omnia quæramus regnum Dei, et justitiam ejus, quod ipse a nobis requirit, hæc omnia tanquam vilia et parvi momenti nobis adjicienda; sicut in emptione rerum pretiosarum, vilia quædam mantissæ loco adjici solent. Tertia, quod crastinus dies, cum præsens fuerit, sollicitus erit sibi ipsi; sufficere enim diei suam malitiam, id est afflictionem et sollicitudinem ipsi congruentem; nec oportere eam ex futuris diebus accersere et præcipere.

Ex his colligas quanti hæc res sit momenti; vide Chrysost. hom. 22. in Matth. Eamdem vetat Lucæ 21. *Attendite ne forte graventur corpora vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa.* Omitto alia Scripturæ loca plurima.

45. *Petes,* An ergo sit peccatum mortiferum?

Respond. Non semper esse peccatum mortiferum; sed tunc solum, quando quis propter temporalia reipsa violat, vel paratus est violare aliquod præceptum in re gravi, omittendo, vel committendo: alias solum est veniale; tamen ob causam supradictam summopere cavenda; vide D. Thomam a. 6. q. 55.

Adverte tamen moderatam sollicitudinem temporalium et futurorum non vetari, sed commendari. Proverb. 6. *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat.* Proverb. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis.*

Ratio est, quia non vult Dominus, ut omnia vitæ huic necessaria homini sponte, absque ulla cura ipsius et sollicitudine, proveniant; id enim ipsi esset occasio otii et desidiæ, quæ maximorum malorum est origo, et merito pulvinar diaboli esse dicitur: sed vult ab eo laborem et sollicitudinem adhiberi; ut hoc exercitio occupatus avocetur a libidinibus, aliisque peccatis quæ otium parit. Verum hæc sollicitudo debet esse moderata, et commensa rebus quibus impenditur; ut non sit nimis anxia, quasi Deo non essemus curæ: nec major tribuatur corpori quam spiritui, rebus temporalibus quam æternis, humanis quam divinis, vel saltem ne hæc præ illis negligantur.

LIBER SECUNDUS.

DE FORTITUDINE.

CAPUT I.

DE FORTITUDINE SECUNDUM SE ET EJUS FUNCTIONIBUS.

—

DUBITATIO I.

QUID FORTITUDO, ET QUÆ ILLIUS OFFICIA.

D. Thom. quæst. 123.

46. Notandum, hoc nomen dupliciter accipi, ut docet D. Thom. art. 2. 1°. Pro firmitate animi in bono honesto; hoc modo vel est virtus generalis, nimirum objecto et extensione materiæ, quamvis specialis essentia et habitu, sicut amor honesti in genere; ut enim possum habere firmum propositum sequendi in omni negotio bonum honestum, quod recta ratio dictabit; ita etiam perstandi in eo firme, nec sinendi ab eo ullis incommodis me avelli: quod propositum habitu permanens, videtur esse virtus quædam. Hoc modo accipit Ambros. L. 1. de Officiis c. 36. cum ait: *In duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primo, ut externa corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis, quam expetenda ducat. Secundo, ut ea, quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas et illud* πρέπον *cernitur, præclara animi intentione usque ad effectum persequatur.* Itaque fortitudo, juxta Ambrosium, complectitur contemptum divitiarum, honorum, et voluptatum, et firmum propositum inhærendi bono honesto, sic ut nullis malis te sinas ab eo divelli, ut idem fusius prosequitur. Vel certe est conditio omnis virtutis: nam omnis virtus facit nos firmiter inhærere suo objecto, si tamen perfecta sit; qui enim perfecte temperans est, ita amat bonum temperantiæ in opere suo, ut nullis malis impelli possit ad illud violandum.

Dixi, *si perfecta sit*, seu *in gradu heroico;* quia etsi omnis virtus, qua habitus, aliquam firmitatem tribuat, juxta Aristotelem; hæc tamen facile expugnabitur, nisi alia perfectio accedat, qua bonum suum omnibus commodis et incommodis anteponat, idque firmo et inexpugnabili proposito, quo cum pervenerit, dicitur esse in gradu heroico.

47. 2°. Pro firmitate animi in sustinendis et repellendis, in quibus difficillimum est animum regere, et statum rationis retinere; ut sunt pericula mortis. Ubi enim est peculiaris difficultas in retinendo rationis præscripto, quod rationis bonum dicitur, ibi necesse est nos peculiari virtute dirigi et juvari : atqui in periculis mortis est peculiaris difficultas ut quis decore et ex rationis norma interius et exterius se gerat : in his enim vel excitatur ingens timor ad mali fugam, quem difficillimum est ita coercere, ut non perturbet, et ad aliquid indecori compellat : vel excitatur motus audaciæ, ad mali repulsam, qui etiam moderandus est, ne temere in periculum præcipitet : vel utraque affectio, alternantibus animi motibus, et veluti inter se confligentibus, quod sæpissime fit, exoritur; et tunc utramque simul ad rationis præscriptum temperare oportet. Itaque opus est peculiari virtute, quæ has difficultates superet, et motus illos secundum rationis regulam moderetur. Hanc vocamus *fortitudinem,* ex analogia ad robur corporis; sicut enim magno robore corporis opus est, ut immotus sustineas vel etiam repellas id quod corpus tuum valide impellit; ita magno animi robore opus est ut pericula mortis, quæ animum mediante apprehensione vehementer concutiunt, sustineas, aut repellas, immotus in honesto permanens.

48. *Dices* : Virtutes singulæ ad hoc in sua materia sufficiunt, præsertim in gradu heroico; ergo hæc non est necessaria.

Respondeo primo, negando consequentiam; quia pauci eas habent in illo gradu : itaque saltem cæteris est necessaria. Deinde aliæ virtutes non moderantur timores et audaciam, quia id per se bonum et congruum homini; sed quia necessarium ad finem ipsarum; unde potius dicuntur id facere imperando quam eliciendo; ergo debet esse aliqua virtus, quæ id faciat ex affectu illius per se boni, et eliciendo.

49. Ut autem penitius intelligatur quod sit officium hujus virtutis,

Notandum 1°. Quod sicut *justitia* versatur circa actiones quæ alium respiciunt, modum et mensuram rationis, quam in se habet, illis imponendo, ut congruant habitui, et deceant virum justum; ita *fortitudo* immediate versatur circa passionem timoris et audaciæ in periculis mortis, debitam rationis mensuram sibi insitam illis imprimendo, ut respondeant fortitudinis virtuti, et deceant virum fortem; omnis enim virtutis habitualis finis est, imprimere similitudinem sui in actionem vel passionem animi, tanquam in propriam et proximam materiam, ut colligitur ex D. Thoma q. 123. art. 7. modus enim rationis primo et essentialiter existit in virtute prudentiæ, et ab habitu transit in actum prudentiæ. Ab actu autem prudentiæ transit et veluti imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin ut a voluntate procedens, erat indifferens, capax illius et contrarii. Ab actu voluntatis interno transit in habitum, qui per actum in voluntate generatur; habitus vero genitus hanc rectitudinem intendit immediate imprimere vel actioni externæ, si circa eam immediate versetur, ut in justitia; vel passioni, si hæc ejus proxima sit materia : mediate tamen etiam actioni externæ; nam hujus moderatio est finis principalis virtutis illius.

Unde patet *primo,* quomodo bonum prudentiæ, et rectitudo quæ est in

prudentia veluti in regula, descendat in vim appetitivam, et ibi habeat rationem virtutis, et a vi appetitiva in actiones et passiones.

Patet *secundo*, actiones externas et passiones animi internas ad virtutem se habere instar materiæ, sicut lignum et æs ad artem statuariam : sicut enim statuaria intendit æri vel ligno sui quamdam similitudinem imprimere; ita virtus moralis actionibus externis et affectionibus animi intendit sui speciem juxta materiæ capacitatem inserere. Rursus, sicut proprium opus artis statuariæ non est lignum vel æs, sed forma statuæ impressa illi materiæ, et ipsum compositum ex forma et materia, quod etiam est proprium objectum et proprius finis illius artis; ita proprium opus fortitudinis non est timere absolute, vel audere, vel aggredi periculum; sed quando timendum vel audendum est, ponere in his rectitudinem rationis; et consequenter opus ejus est compositum ex passione et illa rectitudine, quod est timere et audere moderate, sicut fortem decet. Insinuat hæc Aristoteles L. 3. Ethicorum c. 7. cum ait : *Consentanee enim habitui* (græce καθ' ἕξιν, non κατ' ἀξίαν, ut Lambinus et alii quidam interpretes non recte legunt) *et ut ratio præscribit, patitur et agit fortis : finis autem operationis omnis est congruere habitui*, etc. Porro sicut moderatur *timorem* et *audaciam*, antequam malum evenerit, vel quando superari potest; ita postquam evenit, et superari nequit, moderatur passionem *tristitiæ*, ne quis nimium se affligat, aut aliquid indecori ex mœrore agat.

Patet *tertio*, proximam fortitudinis materiam esse *timorem*, *audaciam* et *tristitiam* in periculis mortis; his enim moderationem et rationis mensuram imprimere ante omnia conatur. Remotiorem, *externam actionem* et *compositionem*, ut fugam, permansionem, aggressionem, totumque corporis motum, et gestum : nam conatur hæc omnia moderari, ut consentanee viro forti fiant; non enim solam aggressionem fortitudo temperat; sed etiam fugam, quando ratio fugiendum esse dictat, et totam externam constitutionem. Remotissimam, *ipsa pericula*.

Notandum 2°. Hæc pericula debere esse talia, ut honeste suscipi vel sustineri possint; ut sunt ea quæ pro salute reipublicæ vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defensione suscipiuntur; unde Aristoteles L. 3. c. 7. ait : *Qui ea quæ oportet, et cujus causa oportet, et ut oportet, et quando, perfert et timet, similiter et confidit, fortis est.* Ratio est, nam materia virtutis non potest esse inhonesta; alioquin rationi virtutis repugnaret, et ejus capax non esset; sicut materia, quæ repugnat figurationi, non est capax figuræ statuæ. Unde latrones, grassatores, duella ineuntes, et iniqua bella gerentes, non sunt dicendi fortes, sed temerarii, feroces, crudeles : quia eorum audacia et aggressio est iniqua, plenaque temeritatis vel belluinæ immanitatis, ac proinde incapax honesti et decori fortitudinis. Unde talis actus erit temeritatis et projectæ audaciæ, non fortitudinis. Quare ut affectus interni vel actus externi sint materia fortitudinis, requiritur ut per se tales sint, ut accedente moderatione fortitudinis sint absolute honesti, et rationi consentanei.

Notandum 3°. Fortitudinem potissimum spectari in periculis bellicis, ut docet Aristoteles L. 3. Ethic. c. 6. Hæc enim honestissima et maxima censentur, et humanam conditionem non superant. Huc pertinent non solum illa communia, quæ ad patriæ defensionem suscipiuntur in bello publico,

sed etiam privata, quæ ab iniquis hominibus, privata impugnatione, propter justitiam inferuntur; ut recte D. Thomas art. 5. Secundario spectatur in aliis periculis sive mortis, sive aliorum malorum, et gravium calamitatum: qui enim bene ad illa bellica comparatus est, etiam alia, præsertim minora, facile sustinebit. Itaque se ad omnia gravia et honesta, sive pericula, sive mala, ut mortis, mutilationis, flagellorum, exilii, morborum, vinculorum, sustinenda extendit; quamvis ex eo quod quis in periculo minoris mali confidenter agat, non sit absolute fortis dicendus; ut si quis flagellis cædendus confidat, ut ait Aristoteles supra c. 6., quia virtus ex perfectioribus actibus suis metienda est.

Notandum 4°. Hanc moderationem fieri imperio virtutis fortitudinis, mediante consideratione rationis et imaginatione phantasiæ: non enim aliter appetitus inferior a superiore moveri potest; ut ostensum est 1. 2. q. 17. a. 7. Considerandum igitur est, primo, mortem non esse tantum malum, quantum vulgo putatur, ut quæ tot malis hominem liberet, et maxima bona, si recte obita fuerit, conciliet. Secundo, melius esse gloriose mori, quam ignominiose vivere. Tertio, proponenda exempla Sanctorum et Domini nostri etc., talibus enim cogitationibus minuitur timor, excitatur fiducia; audacia, si nimia sit, comprimitur consideratione periculi, et quod vita non sit sine causa projicienda.

50. Ex dictis perspicuum est quid sit *fortitudo*: est enim virtus, quæ motus animi in rebus terribilibus, præsertim periculis mortis sustinendis vel repellendis, moderatur. D. Augustinus L. 83. quæst. q. 31. ex Cicerone illam definit *consideratam periculorum susceptionem et laborum perpessionem*: ubi per *consideratam* intellige *prudentem, congruam viro forti, et eo nomine amatam.* Si enim suscipias periculum amore patriæ, erit actus justitiæ legalis, vel pietatis: si amore rectæ fidei, erit confessio fidei: si amore commodi, vel honoris, non erit opus virtutis, sed amoris sui commodi: si ex audacia et timoris vacuitate, erit temeritatis. Itaque ut sit formaliter opus fortitudinis, debes adire periculum amore boni fortitudinis, quod in illo opere objective relucet, nimirum ut illud effective in eo ponas; quod bonum situm est in congruentia illius operis cum statu et conditione viri fortis, qua fortis, id est, cum virtute, unde dicitur fortis. Passim tamen in Scripturis et Patribus non tam stricte hoc nomen usurpatur; sed fortes dicuntur, qui ex quavis causa honesta opus fortitudinis præstant, ut infra dicetur.

DUBITATIO II.

UTRUM MARTYRIUM SIT OPUS FORTITUDINIS.

D. Thom. quæst. 124. *art.* 2.

51. *Martyrium* in genere idem est quod testimonium. Verum hoc loco et passim apud scriptores Ecclesiasticos accipitur pro testimonio veritatis fidei vel alicujus virtutis per mortis tolerantiam; nimirum cum quis pro veritate fidei, vel opere virtutis mortem subit. Hoc autem dupliciter fieri potest.

Primo, cum aliquo actu, quo mors ipsa propter illum finem acceptetur, quo modo agitur in adultis ratione utentibus; et hoc est martyrium perfectum et formale; quia sequitur ex intentione testificandi. *Secundo,* absque ullo actu, sicut in parvulis propter Christum occisis; *quos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia,* ut ait D. August. L. 3. de libero arbitrio, cap. 23. et Origenes hom. 3. in varios Evang. locos, ubi etiam dicit eos esse *primos martyres pro Domino occisos*, et *primitias martyrum :* sed hoc erat solum *martyrium materiale;* nam intelligentia rei testificandæ et voluntas aberat; quia tamen illa mors propter Christum inferebatur et tolerabatur, *testimonium, quod nondum poterant sermone, perhibebant passione, et sufficit causa testimonio, licet non eloquio distinguatur;* ut pulchre ait auctor sermonis de stella et Magis apud Cyprianum. Idem significat Ecclesia in Collecta, *Deus, cujus præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt,* etc. Unde Deus acceptat illam mortem instar formalis martyrii; nimirum ut sicut voluntas et peccatum Adam illis obfuit, ut nascendo ex ipso contraherent peccatum; ita voluntas et meritum Christi illis prodesset, ut renascendo per ipsum consequerentur justitiam.

Supplet igitur Christi meritum defectum propriæ voluntatis; quia dum pro ipso patiuntur, singulari modo ipsi conformantur, et ad ipsum, tanquam membra ad caput pertinent; et ita voluntas Christi, qui est caput, ipsis veluti membris tribuitur, cum ipsa aliam habere nequeant.

52. Verum hac specie martyrii omissa, cum constet non esse opus virtutis in parvulis, quæstio est de martyrio adultorum; de quo Martinus apud Cajetanum art. 2. contendit non esse opus fortitudinis, sed virtutis, quæ impugnatur, in gradu heroico constitutæ; quod sic probari potest. Nam quælibet virtus in eo gradu est sufficiens ut amore sui honesti mortem contemnat : in eo enim gradus heroicus virtutis magna ex parte consistit, quod voluntatem ita firme honesto faciat inhærere, ut illud vitæ anteponat. Itaque cum quis solo amore Dei eligit mortis tolerantiam, erit actus charitatis; cum amore fidei, erit actus fidei; cum amore castitatis, erit actus temperantiæ.

Confirmatur *primo.* Quia ejusdem virtutis est amare finem, et medium ad finem necessarium: atqui amare castitatem est virtutis temperantiæ; ergo et amare mortem, eamque subire, quando hæc ad castitatem conservandam est necessarium medium, est opus virtutis temperantiæ.

Ad hoc respondet Cajetanus, Majorem non esse veram, quando medium et finis sunt diversi generis : tunc enim amorem finis et medii non pertinere ad eamdem virtutem; quare cum perpessio mortis sit bonum alterius generis, quam castitas; amorem illius, et amorem castitatis non esse virtutis unius, sed diversarum. Sed hæc solutio solum probat, ipsam secundum se perpessionem mortis esse actum materialem alterius virtutis, et posse formaliter ab illa procedere, si fiat amore propriæ honestatis, non autem si fiat amore castitatis : si enim illam perpessionem solum consideres ut hic et nunc est medium servandæ castitatis, eamque sic eligas, haud dubie hæc electio est virtutis temperantiæ, quia immediate ex vi amoris castitatis procedit; et consequenter ipsa perpessio externa sequens illam electionem formaliter temperantiæ opus erit; intentio enim finis, electio medii, et executio ex vi

electionis secuta, ad eumdem habitum pertinent; ut constat ex 1. 2. q. 12. a. 4. Nec refert utrum medium per se sit ejusdem generis ac ipse finis, an diversi; quia non consideratur per se et secundum propriam honestatem; sed solum ut medium utile ad finem, et propter illum expetendum.

Confirmatur *secundo*. Si possum moderari timorem mortis, eamque velle sustinere affectu boni fortitudinis, quod satis obscure se ostendit, cur non etiam affectu castitatis, religionis et aliarum virtutum, quando evidens est id esse medium ad earum bonum tuendum necessarium? non enim minus efficaces sunt affectus boni illarum virtutum, quam boni fortitudinis; nec minus perpessio mortis illo casu est necessaria ad bonum illarum, quam ad bonum hujus.

53. Hæ rationes convincunt, perpessionem mortis posse procedere ab aliis virtutibus, absque formali actu specialis virtutis fortitudinis; non est tamen negandum, quin aliquando et plerumque ipsa virtus fortitudinis se immisceat, ita ut martyrium etiam ex proprio illius affectu procedat: quia raro virtutes eum gradum perfectionis habent, ut solæ ad hoc sufficiant; unde aliarum adminiculo opus habent: et tunc idem actus externus a diversis virtutibus internis, prout in actu illo externo per se, vel in ordine ad diversos fines, diversæ rationes honesti possunt considerari, procedit: quod ut intelligatur in re proposita,

54. Notandum est, in martyrio tria considerari posse. *Primum* est, irrogatio mortis, odio fidei vel virtutis. *Secundum*, acceptatio. *Tertium*, perpessio. *Primum* non est opus virtutis, sed impietatis, et injustitiæ: semper enim est contra justitiam, quia fit gravis injuria proximo, dum sine causa occiditur; est etiam contra eam virtutem quæ impugnatur, et cujus odio supplicium infligitur.

Nec obstat quod aliquæ mulieres seipsas amore virtutis occiderint, quæ tamen ut martyres coluntur; de quibus Eusebius L. 8. hist. c. 12. et 17. et Ambrosius L. 3. de Virginibus, ante medium: quia etiam hæ a tyrannis occisæ censentur; cum ad hoc quodammodo ab illis compulsæ fuerint, stupri timore incusso, cui impulsioni merito potuerunt cedere, seipsas interficiendo, Deo id illis suo instinctu permittente; non enim minus testimonium perhibet virtuti, qui ejus retinendæ causa, alio moliente auferre, seipsum occidit, si id ei licitum sit, quam si ab alio se patiatur occidi; quod in primis locum habere potest in castitate, quæ et vi nobis invitis eripi potest, qua parte ad corpus pertinet, et in cujus ereptione est magnum discrimen salutis, ob voluptatem.

Secundum et *tertium* ad varias virtutes pertinere potest; si enim acceptatio et perpessio mortis consideretur quatenus fit ad testandam fidei veritatem in seipsa, vel in opere virtutis elucentem (quo modo semper a martyribus mors acceptari et sustineri solet; hinc enim martyrium dicitur); sic est confessio fidei, procedens a virtute fidei; ejusdem enim virtutis est, aliquid interius credere, et exterius profiteri. Si spectetur ut fit ad placendum Deo, est actus charitatis: si ut præcepto divino obedias, est obedientiæ: si ut sit conformitas inter signa externa et judicium internum, est actus veritatis. Denique si fiat quia in tali rerum peristasi decet virum fortem acce-

ptare et sustinere mortem, sic proprie procedit a virtute fortitudinis : hæc enim operatur ex affectu proprii boni, quod est similitudo seu conformitas cum habitu a quo fortis dicitur, ut supra ex Aristotele ostensum est. Similiter moderatio timoris et tristitiæ, quæ etiam necessaria est ut mors fortiter sustineatur, et cohibitio animi intra limites patientiæ, potest fieri affectu variæ virtutis: nec procedit a virtute fortitudinis, nisi fiat affectu proprii boni; nempe quia hoc per se honestum est, et congruum viro forti. In praxi autem, omnes supradictæ rationes et aliæ similes considerandæ sunt, et mors propter omnes et singulas acceptanda et sustinenda, passioque timoris et tristitiæ moderanda; sicque formaliter hi actus ad varias virtutes pertinebunt.

55. Advertendum tamen, sive hi actus, scilicet acceptatio et perpessio mortis causa fidei, itemque timoris et tristitiæ in illis malis moderatio, procedant ab affectu specialis virtutis fortitudinis, sive alterius virtutis; semper tamen secundum communem modum loquendi Patrum, esse dicendos actus fortitudinis ; idque ob duas causas. Prior est, quia in his potissimum actibus robur et firmitas animi in bono elucet; unde etiam sunt propria fortitudinis materia. Altera est, quia reipsa procedunt ex summa animi in bono honesto firmitate: atqui ea firmitas, qua quis ita alicui bono honesto inhæret, ut paratus sit pro eo retinendo mortem oppetere, passim a Patribus vocatur fortitudo, ut constat ex Ambrosio L. 1. de Officiis c. 36., Augustino L. 1. de moribus Ecclesiæ c. 22. et 23. et aliis; nullus enim Patrum, fortitudinem ad eas angustias restringit, ut solum id, quod decet virum fortem, respiciat, ejusque solius intuitu operetur.

56. Ex quibus perspicuum est, martyrium vere et proprie esse actum fortitudinis, etiamsi solius charitatis et fidei affectu subeatur; non simplicem et vulgarem, sed excellentissimum, quia in nobilissima fortitudinis materia (ut etiam ex Aristotele L. 3. Ethic. cap. 6. colligitur), nimirum in periculis bellicis, iisque pulcherrimis versatur. In martyrio enim est bellum contra tyrannum pro defensione fidei et religionis (juxta illud Apostoli ad Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello*, ut divus Thomas interpretatur), quod non invadendo, sed tolerando conficiendum est: at multo difficilius tolerare quam invadere, ut docet Aristoteles supra, idque ob tres causas. 1°. Quia qui tolerat, veluti a fortiore invaditur et opprimitur: qui invadit, aggreditur tanquam fortior; difficilius autem est cum fortiore pugnare quam cum debiliore. 2°. Qui tolerat, jam sentit malum præsens: qui invadit, æstimat tanquam futurum. 3°. Tolerantia diu durat: invasio fit motu repentino: unde Proverb. 16. *Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium;* et D. Ambr. L. 1. Offic. c. 41. fuse ostendit, fortitudinem plus in tolerando quam in vincendo constare. Idem eleganter prosequitur Chrysostomus hom. 85. (al. 84.) in Matth.

DUBITATIO III.

QUÆNAM AD MARTYRIUM REQUIRANTUR.

57. Respondendum cum distinctione martyrii parvulorum et adultorum : nam ad martyrium parvulorum non requiritur aliud, quam ut in odium Christi, aut religionis Christianæ occidantur. Est communis sententia Doctorum et sensus Ecclesiæ, quæ Innocentes pueros pro martyribus colit, eo quod occisi sint propter Christum, de quo supra num. 51. Si enim hi censendi sunt martyres ob hanc causam, cum tamen nullam aliam relationem ad Christum haberent, quam quod Christus putaretur inter eos esse, et posse eorum indiscreta cæde involvi ; non minori jure etiam censendi, qui majorem conjunctionem cum illo habent ; ut sunt illi, qui occiduntur quia Christiani, quia baptizati, quia filii Christianorum, etc. Hi enim occiduntur quia inest illis certa cum Christo conjunctio, vel ad illum respectus ; et ita ipsa mortis perpessione dant testimonium Christo et religioni ejus.

58. Ad martyrium adultorum, ut sit quale oportet ad salutem, requiruntur quinque : primo, mortis irrogatio : secundo, acceptatio ejusdem ex pia causa : tertio, ut non resistat tyranno : quarto, ut fide teneat veritatem pro qua patitur : quinto, status gratiæ.

1°. Requiritur ut mors inferatur odio Christi, vel religionis Christianæ, vel alicujus veritatis fidei, vel propter opus virtutis. Martyrium enim est testimonium externum, quod Christo vel doctrinæ ejus præbetur, per hoc quod mortem pro ea subimus. Hoc autem fieri non potest, nisi aliquis mortem inferat, ut Christum vel ejus doctrinam nobis auferat. Hinc hæretici, etiamsi putent se pro doctrina Christi occidi, non sunt martyres, quia mors illa non infertur illis odio doctrinæ Christi, sed hæreseos, quæ Christi doctrinæ repugnat. Unde recte D. Augustinus serm. 2. in Psalm. 34. n. 13. ait : *Martyres non facit pœna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur.* Nec refert, quod ipsi putent se justam causam habere ; tum quia est errore culpabilis ; tum quia supplicium non irrogatur odio veritatis, et ita moriendo non dant testimonium veritati.

Sed dubium est, utrum necesse sit reipsa mortem sequi. Martinus contendit id non esse necessarium, imo propositum sustinendæ mortis sufficere ; quia martyrium est actus virtutis, hic autem a nostra libertate pendet : reipsa autem mortem subire, non est in nostra potestate, sed pendet ab arbitrio tyranni.

Verum hoc bene refutat Cajetanus art. 4. Inde enim sequeretur, omnes illos, qui tale habent propositum, esse martyres : quod est contra communem sensum Ecclesiæ. Neque mirum est, fieri martyrem non esse in sola nostra potestate ; quia est opus externum, supponens tyrannum in nos sævientem. Simili modo sæpe fit, ut non sit in potestate hominis baptizari, confiteri, ordinari, dare eleemosynam, etc.

Dicendum igitur est, quatuor gradus martyrii distingui posse. *Primus* et supremus est martyrium omnino completum : hoc requirit ut mors reipsa

sequatur; per hanc enim fit extrema et summa testificatio veritatis. Quamdiu enim vita superest, semper restat aliquid, per quod ulterius testari possimus.

Secundus est, cum martyrium completum est ex parte causæ proximæ et intrinsecus penetrantis; ut quando inflicta sunt vulnera lethalia, quæ nulla vi naturali prohiberi possunt a morte inferenda: hoc enim censendum verum martyrium, etiamsi contingat mortem divinitus impediri; quia est proxima et necessaria ad mortem dispositio.

Tertius est, cum est completum ex parte tantum causæ extrinsecus applicatæ, etiamsi martyr nihil inde incommodi sentiat; tale fuit S. Joannis, cum in dolio ferventis olei positus fuit: hoc enim est subire mortem in causa per se efficaci, et naturaliter impediri nescia; unde non est minus efficax testimonium veritatis apud homines quam si revera mors secuta fuisset: quinimo quod mors divinitus impediatur, auget vim testimonii; nam per hoc omnibus fit manifestum, Deum illius causam approbare.

Quartus est, quando martyrium seu perpessio mortis solum est inchoata per tormenta; ut quando quis propter confessionem fidei coram tyranno, tormentis non lethalibus afflictus est; nam et tales passim a Cypriano, Tertulliano, et aliis martyres vocantur, et distinguuntur a confessoribus qui etsi Christum confessi essent, nondum fuerant tormentis subjecti, quamvis in carcerem conclusi, vel in exilium ejecti essent. Vide Cyprianum ep. 9. (al. 8.) quæ inscribitur *Martyribus et confessoribus*, et 10. (al. 9.) *Honorem martyrum, et confessorum pudorem turbare conatur*. Et infra: *Hi sublato honore, quem nobis beati martyres cum confessoribus servant, contempta Dei lege, quam iidem martyres et confessores tuendam mandant*, etc. Idem aperte colligitur ex epistola 15. 30. 37. 81. et aliis. Tertullianus scripsit librum ad martyres, quos etiam vocat c. 1. *designatos martyres*: et paulo post, *martyres*; cum ait: *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt*. Et L. adversus Praxeam, dicit c. 1. *Praxeam de jactatione martyrii fuisse inflatum, ob breve carceris tædium*. Interdum iidem vocantur etiam *confessores*, ut patet ex epistola 17. (al. 16. inter *Cyprian.*) quæ est Luciani, et 18. (al. 17.) Cyprian., etc. Nam martyrium etiam est confessio: quia tamen est eximia et qualificata, ordinarie distinguitur a nuda confessione.

Ex his patet, martyrium omnino perfectum requirere mortem, reliqua non. Posteriore tamen ævo non vocantur martyres, nisi qui mortem per tormenta, vel afflictiones pro Christo inflictas obierunt.

59. 2°. Requiritur mortis acceptatio ob causam honestam et piam. De acceptatione probatur, quia sicut adultus non potest absque suo consensu contaminari peccato, ita neque consequi justitiam. Unde nec baptismus quidem adulto prodest, nisi in illum consentiat, eumque acceptet. Non tamen est necessarius consensus præsens; sufficit præcessisse, nec esse revocatum mutatione propositi. Unde si quis ob fidem conjectus in vincula, statueret apud se, perpeti potius mortem, quam fidem negare; et ille postea in somnis odio fidei interficeretur, esset vere martyr, et haberet martyrii coronam, sicut patet in simili de baptismo: nam illam mortem acceptavit; ejusque perpessio est ei voluntaria, quatenus pendet a voluntate præcedente, et in habitu perseverante. Si tamen nihil de morte antea cogitarat, verisimilius est non esse proprie martyrem: sicut cum quis baptizatur in

somnis, vel amentia, qui nihil de baptismo cogitavit, hic non est vere baptizatus; quia defuit consensus.

60. *Dices :* Datur Eucharistia et extrema Unctio in periculo mortis ei, qui repente privatus est usu rationis, etiamsi antea hæc non petierit; et hæc sacramenta in illo vim habent, quia ille bona vita sua et modo vivendi christiane, censetur petiisse ; ergo similiter martyrium vim habebit si homo justus in somnis interficiatur : nam hoc ipso quod juste vixit, videtur satis acceptasse mortem pro Christo sustinendam, si articulus necessitatis urgeret. Hæc ratio facit hanc sententiam non improbabilem, eamque insinuat Cajetanus 3. p. q. 87. a. 1. et tenent aliqui recentiores. Contraria tamen videtur verior, ob rationem allatam, unde

R. Esse magnum discrimen : nam illa sacramenta sunt remedia salutis ordinaria quæ omnes Christiani in extremis petere solent, si ratione utantur ; et antequam incidant in morbum, habent propositum illis utendi in eo articulo : quod propositum manet etiam dum ratione non utuntur; quia nunquam fuit revocatum. Ipso etiam usu sacramentorum per vitam, satis declarant quid sibi fieri velint in morte. At perpessio mortis pro fide non est remedium ordinarium, nec omnes ita sunt comparati ut id desiderent : neque ipso modo vivendi satis declarant se id cupere. Deinde etiamsi quis sæpe optaret mori pro Christo extra periculum positus, hoc tamen non sufficeret; tum quia qui extra periculum id optant, sæpe in mediis periculis animum mutant; tum quia de hac morte, quæ ei inopinato infertur in somnis, nihil cogitavit, nec eam acceptavit. Hæc enim acceptatio in eo consistit, quod quis proposita morte et fidei negatione, vel alia impietate, eligat mortem tanquam minus malum : hoc autem ille non fecit, cum id ei propositum non fuerit.

61. Debet etiam hæc acceptatio fieri ob *causam honestam,* alioquin ipsa perpessio mortis non erit opus virtutis, nec grata Deo. Ut si quis statueret mortem pro fide subire ad vanam gloriam, v. g. ad famam patientiæ aut sanctitatis, vel ad nobilitandam familiam. Et quamvis per se non sit peccatum mortale, hujusmodi finem intendere in mortis discrimine subeundo, si alias causa sit justa, (quia quando opus per se licitum est, non est peccatum mortale, si quis ad illud ob finem indifferentem aut venialem se applicet, et per illud hujusmodi finem quærat; ut patet in milite bello justo operam dante); tamen in proposito vix sine peccato mortali fieri potest : nam in hujusmodi negotio tenetur se ad Deum convertere, et robur ab eo flagitare, ut susceptum agonem decore decertet, quod quomodo faciet, nisi opus illud tanquam Deo gratum præstare velit? Deinde in hujusmodi negotio occurrunt homini multæ rationes ob quas mors sit acceptanda; ut præceptum divinum, præmium vitæ æternæ, evitatio damnationis, exemplum Christi et Sanctorum, dignitas religionis Christianæ, et similia; atqui moraliter fieri vix potest, ut quis omnibus istis prætermissis, sola vana gloria moveatur in illo necessitatis articulo, nisi illas causas contemnat, et hanc unam tanti faciat, ut ob eam paratus sit mori, quamvis alia causa non subesset. Loquor enim in eo eventu, in quo vana gloria vel similis finis est integrum motivum hominis.

62. Denique debet esse *causa pia*, id est, quæ cum vera religione et fide conjuncta sit, verbi gratia, ut placeat Deo, ne Deum offendat, ne a Christi doctrina recedat, ne a vita æterna excidat, etc. Unde 1. Petri 4. dicitur : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis; quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor : si autem ut Christianus, non erubescat : glorificet autem Deum in isto nomine.* Quibus verbis satis explicatur, causam patiendi debere esse piam. Ratio est, quia alioquin non erit martyr Christi, sed seculi vel philosophiæ : martyr enim Christi dicitur, qui dat testimonium doctrinæ Christi; quæ doctrina omnia quæ ad pie vivendum pertinent complectitur. Itaque si quis pro aliqua assertione philosophica mortem sustineat, non erit vere martyr, quia Christus eam non tradidit : secus si pro vitando in ea re mendacio, quatenus id est contra doctrinam Christi, qui docuit omne mendacium esse vitandum; vel quatenus id displicet Deo. Simili modo si quis pateretur pro aliqua virtute absque ullo respectu ad Christum vel Deum, non esset martyr Christi; quia non pateretur ut Christianus, ut cultor Dei, sed ut philosophus, more Stoico : ut si quis nollet mentiri, vel pejerare, quia id dedecet philosophum, sectatorem Epicteti aut Zenonis : secus si quia indecens Christiano seu cultori Christi. Idem dicendum de cæteris virtutibus, ubi

Advertendum est, hoc ipso, quo quis patitur pro opere virtutis, cum respectu ad Christum vel religionem Christianam, pati etiam pro veritate fidei, quæ tale opus approbat ut Deo gratum, et contrarium improbat ut ei displicens. Itaque martyr semper dat testimonium doctrinæ fidei, et patitur pro illa : nimirum in seipsa nude, vel in opere virtutis (cujus ipsa est regula) spectata, ut recte D. Thomas art. 5. q. 124.

63. *Dices* : Quid si mors inferatur propter opus bonum jam factum; sicut sancto Joanni Baptistæ accidit?

R. Tunc eam ita acceptari debere, ut malis eam subire, quam factum tuum improbare : improbare enim opus bonum, est contra doctrinam fidei, quæ habet, tale opus esse laudabile et Deo gratum : unde nolendo improbare, pro fide pateris, eique testimonium tua morte præbes. Nec est contra rationem martyrii, etiamsi doleas te id fecisse, si ex præcepto non tenebaris, ob incommoda quæ idcirco perfers, (quamvis id gloriam operis nonnihil obscuret) modo in eo perstes esse opus bonum, et malis mortem oppetere, quam id negare; quia in hoc testimonium veritatis situm est.

64. *Petes* 1°. Utrum actus acceptandi debeat esse supernaturalis ?

R. Haud dubie debere esse aliquo modo supernaturalem, seu ex motione Spiritus sancti; quia solis naturæ viribus non potest quis subire martyrium sicut oportet ad salutem, sicut nec alia pietatis opera facere : estque in martyrio peculiaris ratio ob summam difficultatem; et quia fidei Christianæ professionem continet, quam nemo sine auxilio Dei profiteri potest; ut ex Scripturis constat : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem;* actus autem quo quis salutem consequitur, sine gratia fieri nequit.

65. *Petes* 2°. Utrum hæc acceptatio debeat procedere ex dilectione Dei super omnia? Ita videtur sentire Cajetan. art. 2. ubi contra Martinum conatur ostendere, martyrium ex genere suo esse actum charitatis imperatum : ratio ipsius est, *Quia,* inquit, *qui ponit vitam pro Christo, ipso facto præponit Christum vitæ suæ, ac per hoc omnibus bonis vita minoribus;* et consequenter omnibus bonis exterioribus, opibus, honoribus, gloriæ, famæ.

Sed contrarium est verius. *Primo,* quia multæ sunt aliæ causæ piæ, ob quas mors illa acceptari potest; ut præceptum divinum, dignitas fidei, exemplum Christi, ædificatio proximi, promissio vitæ æternæ, comminatio damnationis : multi enim Martyres elegerunt mortem pro fide Christi, ne vita æterna exciderent, et æternam mortem pro momentanea incurrerent; ut ex gestis Martyrum constat. Sic Eleazarus L. 2. Machab. c. 6. *Etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.* Et hæc est præcipua ratio, quam Dominus ipse nobis ob oculos ponit, cum ait Marci 8. : *Qui voluerit animam salvam facere, perdet eam; et qui perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam.* Quibus verbis efficacissime nos deterret, ne in tormentis, vitæ salvandæ causa, fidem negemus, proposito æterno exitio; et animat ad constanter vitam temporalem profundendam, proposito vitæ æternæ præmio. Igitur qui hæc sibi in martyrio proponit, et ex his se firmat in confessione contra tormenta, facit ex mente Christi. Idem patet ex multis aliis Scripturæ locis, quibus excitamur ad patientiam in tribulationibus, per remunerationem, Lucæ 21. ad Hebræos 10. Jacobi 5. etc.

Secundo. Quia quando aliquid per se pium et religiosum est, nulla est necessitas ut id ex affectu charitatis fiat, ut patet in actu fidei, spei, religionis; quia satis per se placet Deo : atqui eligere mortem pro fide Christi est per se pium, est enim opus fidei et fortitudinis Christianæ; ergo.

Tertio. Matth. 10. Dominus ait : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Ubi non requirit ut hæc confessio procedat ex dilectione Dei super omnia.

66. Fateor tamen, ordinarie hanc acceptationem etiam ex charitate procedere, quia fit affectu placendi Deo, eique gratum obsequium exhibendi, qui affectus est charitatis : quo modo intellige D. Thomam art. 2. ad 2. *Martyrium esse actum charitatis ut imperantis :* imperari enim a charitate nihil est aliud, quam procedere ex affectu charitatis.

Hic tamen affectus non est idcirco dilectio Dei super omnia, quia non omnis affectus charitatis in Deum est dilectio super omnia : hæc enim includit propositum servandi omnia mandata propter Deum, quod propositum non includitur in simplici affectu illi placendi per martyrium : aliud enim est velle placere Deo in illo opere, aliud velle placere in omnibus præceptis observandis. Unde etiam velle ponere vitam pro fide Christi non est dilectio Christi super omnia, ut vult Cajetanus. *Primo,* nam ex vi hujus solius voluntatis non est paratus servare omnia præcepta : multi enim mallent mori, quam fidem Christi negare; non tamen idcirco deserunt fornicationem, ebrietatem et similia peccata, quæ ipsi minoris æstimant, quam Christi negationem : quod signum est, illam voluntatem non includere propositum servandi omnia mandata; ac proinde non esse dilectionem Dei

super omnia. Confirmatur, quia qui horret majora peccata, non statim hoc ipso etiam horret minora : et qui ita detestatur abnegationem Christi ut præoptet mortem, simul potest habere propositum fornicandi. *Secundo*, si iste actus esset dilectio Dei super omnia, statim per eum homo consequeretur remissionem peccatorum, nec opus ei esset contritione ; quia dilectio illa justificat hominem, conformans eum perfecte legi divinæ, et delet omnia peccata mortifera : atqui non est probabile, eo ipso peccatorem justificari, quo statuit secum potius mortem subire, quam fidem negare; quia cum illo proposito potest consistere voluntas minoris peccati ; ergo hoc propositum non est dilectio Dei super omnia. *Tertio*, esse paratum mori pro aliquo, non est illum diligere supra omnia ; tum quia vita corporalis non est maximum hominis bonum, (multi enim pluris faciunt honorem, famam, posteritatis splendorem) ; tum quia qui pro amico vitam ponit, non diligit eum supra omnia ; non enim habet illum pro ultimo fine suo.

67. *Dices* : Qui paratus est vitam fundere pro Christo, paratus etiam est cætera omnia, etiam voluptates suas, quibus fruitur in vita, propter ipsum deserere, atque adeo reipsa deserit illas, mortem acceptando ; ergo acceptatio illa est dilectio Christi supra omnia.

R. Inde ut summum sequi, illum malle omnia deserere quam Christum negare; non autem velle absolute omnia deserere ut Christo placeat : unde non est dilectio super omnia ; cujus signum est, quod possit quis velle mori, ne fidem datam amico violet : hic tamen non ideo diliget amicum super omnia. Simili modo possum affici in Christum absque dilectione super omnia. Nec obstat illud Domini, Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ; quia hoc est intelligendum, quando absque intuitu proprii commodi, sola dilectio amici, ut eum a malis liberes, vel bonis cumules, te ad ponendum animam impellit : tunc enim ponere animam pro amicis, est signum maximæ dilectionis, non simpliciter, (non enim ideo diligit amicum super omnia) sed quæ honeste ipsi impendi possit; quod si proprium commodum ad hoc incitet, ne talis quidem maximæ dilectionis signum erit.

Hinc patet, ponere animam pro Christo, non esse per se infallibile signum dilectionis Christi super omnia : quanquam fatendum sit, inter signa dilectionis divinæ, quæ homines exterius dare possunt, martyrium esse vel maximum ; quia etsi per se illa mortis acceptatio non sit dilectio super omnia, hæc tamen illi ordinarie est conjuncta ; tum quia Deus singulari modo hominem in illo articulo constitutum ad eam excitat ; tum etiam quia homo se quantum potest disponit, et omnium virtutum præsidia ad illum agonem accersit.

Similiter non obstat illud Apostoli 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*; quia solum vult docere, cætera omnia nihil prodesse, nisi charitas adsit in eodem homine ; non autem omnia ex charitate debere procedere. Itaque hinc solum colligitur, martyrium non prodesse, nisi saltem circa finem, dum adhuc durat, charitas adsit; simili modo dicere potuisset, baptismum sine charitate non prodesse.

68. 3°. Requiritur ut non resistat tyranno; hinc milites, quamvis pro fide pugnent et multum mereantur, si pura intentione id faciant, non tamen sunt martyres, cum in bello occumbunt; nec Ecclesia unquam tales pro martyribus coluit. Ratio est, quia martyr Christi debet in patiendo imitari Christum cujus passio est exemplar martyrii; unde sicut ille dedit testimonium veritati patiendo, non repugnando; *cum enim pateretur, non comminabatur,* sed *tanquam ovis coram tondente se, sine voce;* ita omnes, qui volunt esse martyres Christi, non debent persecutori armis repugnare, sed sinere se tranquille occidi. Confirmatur, quia qui pugnans moritur non eligit pro fide mortem perpeti, sed inferre; unde revera non acceptat mortem, nisi indirecte, quatenus se periculo exponit. Deinde moriendo non dat testimonium veritatis fidei; quia non videtur mori ut Christianus, sed ut miles victus ab hoste: nec mortem eligit voluntarie, sed patitur necessitate, eo quod non potuit illam hosti inferre: erit tamen martyr, si jam victus, odio religionis occidatur, et ille ob eam causam mortem acceptet.

69. 4°. Requiritur ut fide supernaturali veritatem illam credat, pro qua potissimum tuenda mortem eligit. Primo, quia si proprio judicio illam teneat, sicut hæretici, non tam tuetur doctrinam et auctoritatem Christi, quam suam: non enim quia Christus ita docuit, sic sentit; sed quia ipsi ratione aliqua infirma ita videtur. Confirmatur, quia eadem ratione, qua illam veritatem credit, etiam suas hæreses credit, et pro illis paratus est mori: quod est signum, illum revera non moveri auctoritate Christi, aut alia pia ratione ad ita firmiter credendum, et mortem pro sua fide acceptandam sufficiente, licet exterius ita videatur.

70. *Dices:* Fieri potest ut patiatur mortem pro aliqua veritate fidei, quam ratione naturali novit esse veram; ut pro confessione unius Dei, vel detestatione idolorum, etc. quæ notitia et sufficiens est ad firmiter credendum, et ad mortem subeundam.

R. Etsi hæc notitia sit sufficiens, tamen non ideo proprie erit martyr Christi, quia non credit propter auctoritatem Christi, vel Dei, sed propter rei perspicuitatem.

Secundo probatur, quia Patres docent, hæreticos, etiamsi pro nomine Christi mortem subeant, non esse veros Christi martyres; et extra Ecclesiam martyrium nihil prodesse: idque tum quia Christo per veram fidem non sunt conjuncti; tum quia charitate, quæ sine vera fide esse non potest, et sine qua mors pro Christo, juxta Apostolum, nihil prodest, sunt destituti. Cyprianus epist. 73. ad Jubaianum: *Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et sanguine suo baptizetur? Et tamen neque hoc baptisma hæretico prodest, quamvis Christum confessus, et extra Ecclesiam fuerit occisus; nisi si hæreticorum patroni et advocati hæreticos in falsa confessione Christi interfectos, martyres prædicant,* etc. vocat *falsam confessionem,* quia non procedit ex vera fide, sed simulata et falsa. Idem docet epist. 52. ad Antonianum, et alibi sæpe. Idem tradunt D. Augustinus epist. 61. et 167., L. 3. contra Crescon. Grammat. c. 47., L. 4. contra Donatistas cap. 17., Hieronym. in c. 1. ad Galatas, Chrysostomus Oratione prima contra Judæos.

71. 5°. Requiritur status gratiæ, vel saltem legitima ad gratiam dispositio: nam ut ex Apostolo 1. Cor. 13. et Patribus citatis constat, martyrium sine charitate nihil prodest. Nec refert quod absque statu gratiæ possit esse actus martyrii, si solam operis substantiam spectes; quia cum hic nihil prosit, nec Christus tales pro suis agnoscat, merito non habentur pro veris martyribus.

Sed difficultas est, quænam sit illa dispositio; de qua sit

DUBITATIO IV.

QUÆNAM DISPOSITIO IN PECCATORE SIT NECESSARIA, UT MARTYRIUM EI PROSIT AD SALUTEM.

72. Sunt tres sententiæ: 1ª. Est, necessariam esse veram contritionem, ex dilectione Dei super omnia profectam. Ratio est, quia putant auctores hujus sententiæ, martyrium non conferre gratiam per se et vi sua, sed solum ex opere et affectu patientis; quare sicut peccator extra martyrium non potest justificari sine vera contritione, nisi sacramentum pœnitentiæ suppleat, ita nec in martyrio. Ita sentit Paludanus in 4. d. 4. q. 3. a. 1. ubi dicit: *Ad baptismum sanguinis non sufficit attritio, sed requiritur contritio. Ad baptismum aquæ sufficit attritio; et causa est, quia ille justificat ex opere operato, iste ex opere operante.*

Nec obstat quod paulo post dicat, *martyrium æquipollere baptismo aquæ in duobus effectibus privativis, qui sunt amotio omnis culpæ, et remissio omnis pœnæ;* quia tribuit illi hos effectus ratione charitatis ex qua procedit. Bonaventura eadem dist. p. 2. quæst. 2. *Baptismus sanguinis solum a veniali liberat, a mortali non; quia præsupponit charitatem; aliter nihil valeret ad salutem.* Et infra: *Gratiam non tribuit, sed consummat.* Alex. Halensis 4. p. quæst. 22. memb. 5. art. 1. *Virtute martyrii non confertur gratia, sed collata confirmatur,* etc. eamdem sententiam sequitur Canus relect. de pœnit. part. 3. Probatur primo, quia non est sacramentum; ergo non habet vim ex opere operato, sed solum ex interno motu animi. Secundo, quia Apostolus 1. Corinth. 13. ait: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

2ª. Est, sufficere voluntatem patiendi pro Christo, nec opus esse alia pœnitentia, etiamsi homo recordetur suorum peccatorum. Ratio est, tum quia hæc voluntas est virtualis quædam dilectio Dei super omnia, et peccatorum detestatio; tum quia non expedit, hominem tunc occupari circa peccata sua, sed totum intentum esse martyrio sustinendo. Ita Vega L. 6. in Conc. Tridentinum cap. 36. sub finem; ubi addit hanc rationem: Quando duo sunt remedia salutis per se sufficientia, possumus eligere utrumlibet: sed martyrium per se est sufficiens; ergo possumus illud amplecti, omissa formali pœnitentia.

3ª. Est, requiri saltem attritionem, si homo sit conscius peccati.

Pro solutione notandum est, contritionem posse dupliciter requiri ad fructum martyrii; primo directe, tanquam necessariam dispositionem: secundo indirecte, tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum. His positis,

73. *Dico I.* Si is, cui martyrium imminet, sit in peccato mortifero, necessaria est illi ad fructum martyrii contritio indirecte, vel saltem attritio, quæ putetur esse contritio, tanquam opus necessarium ad vitandum novum peccatum, quod fructum illius impediret.

Prob. 1°. Quia si unquam obligat præceptum contritionis, maxime in periculo mortis : atqui is, qui subiturus est martyrium, est in periculo mortis; ergo ratione illius præcepti tenetur tunc contritionem concipere : quare si id voluntarie omittat, peccat mortifere, et continenter manet in actuali peccato, quamdiu omittit : unde martyrium ei prodesse non potest, impossibile enim est hominem justificari, quamdiu manet in affectu peccati. Unde patet, contritionem requiri, si non per se ut dispositionem, saltem ut opus necessarium ad vitandum novum peccatum contra præceptum contritionis; quod tunc obligat, non propter fidei confessionem, sed generatim ob periculum mortis, ex quacumque causa id impendeat. Deinde attritionem, si putetur esse attritio, non sufficere, quia per eam non satisfit præcepto contritionis; secus vero si bona fide putetur legitima contritio, quia ita ei satisfit ut contra illud non peccetur.

74. *Dices :* Contritio non requiritur in periculo mortis, nisi propter justificationem : atqui probabile est, attritionem cum martyrio sufficere ad justificationem, sicut sufficit cum baptismo et pœnitentia, ut statim dicemus; ergo sufficit attritio, etiam cognita pro tali. Confirmatur : ille error non potest juvare ad justificationem; ergo est impertinens.

R. Etsi sit probabile, attritionem sufficere cum martyrio ad justificationem, tamen non est certum, quia multi Doctores tenent contrarium; in illo tamen extremo æternæ salutis discrimine homo non potest sequi vias dubias, relictis certis, sed tenetur eligere certam quantum fieri potest : alioquin sine causa exponit se periculo damnationis : nam si illa opinio non sit vera, ejus probabilitas non supplebit defectum necessariæ dispositionis, et ita martyr ille non salvabitur. Secus est in baptismo et pœnitentia ; tum quia certius est attritionem ibi sufficere : tum quia non subest periculum præsens damnationis; loquimur enim extra casum mortis. Satis tamen probabile est, in simili discrimine, etiam in his opus esse contritione.

Ad confirmationem : ille error juvat ad justificationem per accidens; quia excusat a violatione præcepti contritionis. Itaque cum non peccet contra præceptum, si alias attritio est legitima dispositio, homo per martyrium justificabitur.

75. *Prob.* 2°. Martyrium non est institutum ut remedium delendi peccati, sicut baptismus et pœnitentia, sed est opus heroicum, supponens hominem bene constitutum ad mortem subeundam ; est enim voluntaria mortis perpessio; ergo non tollit obligationem remediorum ordinariorum, sed potius ex se requirit, ut homo quantum in se est, faciat omnia quæ Deus præscripsit ad gratiam ante mortem consequendam; unde si non est baptizatus, tenetur quatenus ei facultas suppeditat, procurare baptismum; si non suppeditat, tenetur converti in Deum per dilectionem super omnia, et concipere contritionem. Pari modo, si baptizatus est conscius peccati mortiferi, tenetur confiteri : si non potest, tenetur concipere contritionem : hæc enim

omni tempore fuit medium necessarium ad remissionem peccati, præsertim quando sacramentum externum ad hunc effectum institutum, quod contritionis vicem suppleat, adhiberi nequivit.

76. *Dico II.* Contritio non est necessaria per se et directe ut dispositio ad fructum martyrii, sed sufficit attritio. Est sententia D. Thomæ 3. p. q. 78. a. 1. ad 2. *Passio,* inquit, *pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, et ideo purgat ab omni culpa veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem.* Idem docet Cajetanus ibidem, et passim Thomistæ sequuntur.

Prob. 1ª. *p.* Quia fundamentum contrariæ sententiæ, scilicet martyrium per se nullam vim habere ad remissionem culpæ mortiferæ, sed solum ex interno affectu patientis, videtur omnino falsum.

1°. Quia alioquin etiam in parvulis sanctificandis nullam vim haberet; quod etsi Alexander Halensis loco citato concedat, et Adrianus in 4. q. ultima de baptismo ad 3. probabile putet; est tamen contra sensum Ecclesiæ, quæ Innocentes pro Christo occisos semper tanquam martyres sanctos coluit: et contra communem Doctorum et Patrum sententiam, qui docent, illos, dum pro Christo occiduntur, esse factos martyres Christi, consecutos statum melioris vitæ, regnum cœlorum, gloriam martyrii, esse factos consortes Agni etc., ut supra ostensum est.

Neque dici potest, parvulis esse factum particulare privilegium præ adultis: quia privilegium annexum martyrio non est concessum intuitu personæ, sed causæ; id est, non quia erat martyrium parvulorum, sed quia erat passio pro Christo, et conformatio cum Christo patiente; quæ causa perfectius cernitur in adultis, quam in parvulis.

2°. Quia illud fundamentum non est consentaneum doctrinæ Patrum, qui martyrium adultorum, in vi delendi peccati, æquant baptismo. Clemens L. 5. Constitutionum Apostolicarum c. 5. *Qui martyrio habitus est dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quod tantam coronam adeptus sit, et quod propter confessionem ex hac vita exeat, et si catechumenus sit, recedat ad Deum lætus; cruciatus, quo propter Deum afficitur, erit ei verior baptismus; quod is quidem experientia ipsa mortis commoritur Christo, reliqui vero mystica repræsentatione:* ubi non actum internum, sed ipsam mortem externam pro Christo obitam præfert baptismo quoad efficaciam, quia est realis configuratio cum Christo. Tertullianus in Scorpiaco c. 6. *Martyribus nil jam reputari potest; quibus in lavacro vita ipsa deponitur,* et in Apologet. sub finem: *Quis non pati exoptat ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim huic operi delicta donantur:* quibus locis causam remissionis peccatorum et justificationis tribuit passioni et morti. Cyprianus epistola 73. *Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur, et suo sanguine baptizetur?* Sane si passio pro Christo non haberet vim nisi ex opere operantis, longe major esset vis baptismi, qui per se ad salutem valet. D. Augustinus L. 13. de Civit. c. 7. *Quicumque, etiam non percepto regenerationis lavacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum iis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis:* quod sic probat: *Qui enim dixit, Si quis*

non renatus fuerit ex aqua etc., etiam *dixit : Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo :..... et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Addit : *Hinc est quod scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur?* Denique toto eo capite morti tribuit hoc privilegium et c. 6. *Si pro pietate justitiaque pendatur,* (mors) *fit gloria renascentis, et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.* Idem docent alii Patres.

Ubi notandum est, ipsam mortis perpessionem secundum se comparari cum baptismo, eique non minorem vim tribui in peccatis abluendis, quam baptismo; neque hanc vim tribui internæ contritioni, sed operi externo; ergo sicut baptismus non requirit contritionem ut gratiam conferat, ita nec martyrium.

3°. Si contritio esset necessaria, nunquam martyrium posset conferre primam gratiam justificationis; nam hæc haberetur jam per ipsam dispositionem; hoc tamen est contra sententiam Patrum, qui non minus omnem culpam per martyrium deleri volunt, quam per baptismum.

4°. Si solum haberet vim ex opere operantis, non magis deleret peccatum quam exilium pro Christo, carcer, direptio bonorum, eleemosyna Christi amore data : quod est contra Patres supradictos, et communem sensum Ecclesiæ.

5°. Non esset certum, martyrio defunctos regnare cum Christo, imo posset merito sæpe de eo dubitari; quia si quis multa commiserit peccata, opus est longa satisfactione, vel ferventissimis actibus internis, ut ex opere operantis omne debitum pœnæ tollatur. Sæpe autem fit ut martyr parum patiatur, et actus internos parum ferventes habeat. Itaque temere faciet Ecclesia, quod illos statim pro martyribus sine ullo discrimine habeat et pro illis orari nolit. Neque recte dixerit Innocentius III. c. Cum Marthæ, de celebrat. Missarum, §. finali, ex D. Augustino, *Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre.*

77. *Dices,* Martyrium in adultis habere id privilegii, ut per se tollat omnem pœnam, quia adimit tempus necessarium ad satisfactionem, non autem ut per se tollat omnem culpam; hanc enim momento temporis tolli posse per actum proprium hominis, dilectionem vel contritionem : unde non fuisse opus ut ipsi martyrio per se hoc privilegium daretur; ut enim martyrium deleat omnem culpam et pœnam, statimque cœlo inferat sicut facit baptismus, satis esse, si ratione actus interni qui ordinarie adest, deleat culpam; et ratione passionis externæ, reatum pœnæ. In parvulis autem habere privilegium delendæ culpæ originalis; tum quia hæc aliena voluntate contracta est; tum quia illi non sunt capaces actus proprii : unde ut aliquem fructum possent ex martyrio reportare, necessarium fuit ut id ei concederetur.

R. Hic modus dicendi non videtur improbabilis, et juxta illum defendi posset sententia D. Bonaventuræ, Paludani, et aliorum, qui requirunt actum charitatis vel contritionis.

Verum Patres citati amplius velle videntur, dum ipsam perpessionem

mortis non minorem vim ad salutem habere volunt, quam baptismum : quod verum proprie non esset, nisi etiam per se haberet vim sanctificandi. Deinde non distinguunt de culpa et pœna, et generatim docent, omnem culpam etiam originalem, per illam passionem veluti per baptismum sanguineum deleri; idque quia est realis configuratio Christi. Si enim baptismus aquæ, qui est tantum configuratio mystica, tantam vim habet; quomodo martyrium, quod est configuratio realis, non habebit?

Denique, alioquin sæpe valde incertum esset an martyr esset salvus ; quia sæpe fit ut non tam perfectos actus internos habeat, ut per eos omnia peccata deleri queant.

78. *Prob.* 2ª. *p.* Ex his facile probari potest altera pars, nimirum sufficere attritionem. Si enim non est necessaria contritio ut peccatori prosit martyrium ad salutem, ergo sufficit attritio ; nam post contritionem et dilectionem Dei super omnia, non potest esse melior dispositio quam attritio.

Quod confirmatur *primo*, quia attritio sufficit ut baptismus prosit; ergo etiam ut martyrium ; cum hoc non minorem vim habeat, ut patet ex dictis. *Secundo*, nisi attritio sufficeret, nunquam martyrium deleret peccata mortifera; hoc autem non est consentaneum sententiis Patrum ; ergo. *Tertio*, martyrium per se habet vim augendæ gratiæ; ergo conferet primam justificationis gratiam peccatori non ponenti obicem. Consequentia patet a simili in Sacramentis omnibus, quæ conferunt primam gratiam non ponenti obicem, ut communiter Doctores tradunt; idque ideo, quia per se et vi sua gratiam conferunt : atqui non ponitur obex, sed tollitur per attritionem ; quia per hanc affectus absolute recedit a peccato, et convertitur ad justitiam; ergo sufficit attritio ad fructum martyrii. Confirmatur, quia attritio est ultima dispositio ad gratiam, inter eas, quæ per se gratiam non includunt vel adducunt; ergo est sufficiens, ut martyrium, quod per se gratiæ est efficax, superveniens primam justificationis gratiam conferat. *Quarto*, multi acceptant martyrium timore damnationis æternæ, et ex eadem causa dolorem peccatorum concipiunt : hi tamen coluntur pro sanctis martyribus, cum solum habuerint attritionem.

Neque dici potest, Ecclesiam præsumere omnes, qui patiuntur pro Christo, si in peccatis sint, concipere perfectam contritionem; quia satis constat experientia, plurimos perstare metu damnationis, idque sufficere ad fructum supra ostensum ex verbis Domini, *Qui amat animam suam*, etc.

Notandum tamen, si martyr advertat suum dolorem esse imperfectum, ob metum gehennæ, debere conari ad excitandum perfectiorem, quo certiori modo se disponat, ut ante dictum est. Si autem non advertit, excusatur, et attritio per se sufficit.

79. *Dico III.* Etsi voluntas patiendi pro Christo, per se sufficiens sit ad fructum martyrii in justis : non tamen videtur satis esse in peccatore; et primum, si est sibi conscius peccati mortiferi, videtur certum; quia tenetur excitare in se dolorem, et petere veniam, ut Deo reconcilietur : pœnitentia enim est medium per se necessarium ad reconciliationem, quando homo advertit se esse in peccato : cujus ratio est, quia qui cupit reconciliari, debet factum suum, quo offendit, quantum in se est, abolere et reddere infectum;

quod non fit, nisi illud detestando, et de eo dolendo, cum proposito emendationis : atqui martyrium non tollit obligationem adhibendi remedia salutis ordinaria, si adhiberi possunt; sed potius facit ut illa obligatio hic et nunc vigorem habeat, cum hominem in periculo mortis et extremi certaminis constituat. Neque ille dolor distrahet animum, aut debiliorem reddet circa martyrium ; sed magis excitabit et confirmabit. Consideratio enim et dolor peccatorum efficiet, ut libentius mortem pro Christo feras ; tum ut ingratitudinem præteritam corrigas ; tum ut pro peccatis satisfacias, ut patet exemplo Bonifacii martyris, et aliorum. Neque enim martyr ita debet esse intentus cogitationi mortis pro fide subeundæ, ut non cogitet varias rationes et motiva cur eam subire et amplecti debeat.

Quod si non advertat se esse in peccato, est major difficultas. Sed utendum distinctione : si enim voluntas patiendi pro Christo talis sit, ut ex vi illius necessario sequeretur contritio vel attritio, occurrente peccato ; sufficiet cum martyrio : quia est contritio vel attritio virtualis. Si autem non sit talis per se, credibile est non sufficere. Exemplum hoc esse poterit. Sit Catholicus aliquis fervens pro religione, sed vitio carnis vehementer deditus : hic ab hæreticis interceptus, repente jubeatur abnegare fidem Ecclesiæ Romanæ, et jurare in sectam Calvini ; et ille amore fidei orthodoxæ et odio hæresis eligat potius mori, et priusquam alia cogitet, occidatur ; non enim illa voluntas moriendi pro fide videtur esse talis, ut ex ea necessario secuturus sit dolor de peccatis carnis, si illa memoriæ occurrerent.

80. Contra objici potest 1°. Dominus generaliter dixit Matth. 10. 32. : *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Et Marc. 8. 35. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam* : atqui hic confitetur Christum, et perdidit animam suam propter illum ; ergo. 2°. Quia D. Thomas 3. p. q. 87. a. 1. ad 2. dicit : *Passio pro Christo suscepta, purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem* : atqui hinc non invenit voluntatem actualiter peccato inhærentem ; ergo. 3°. Nisi talis sit salvus, merito poterit Ecclesia de multis martyribus dubitare ; ac proinde etiam pro illis orare, quod est contra dictum Innocentii supra allatum. 4°. Decet divinam bonitatem, ut illam voluntatem acceptet pro dispositione ad hoc sufficiente ut per realem conformationem cum Christo patiente gratiam consequatur. Nec refert quod ad baptismum requiratur attritio formalis vel virtualis, nec sufficiat illa voluntas ; tum quia hæc voluntas non sufficit, nisi conjuncta cum opere externo, cui annexum est illud privilegium : tum quia Patres majorem vim tribuunt martyrio quam baptismo : tum denique quia illa acceptatio mortis pro Christo in illis terroribus et doloribus, censeri potest virtualis quædam dilectio Dei opere ipso exhibita ; ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret.

R. Ob has rationes est satis probabile, hanc voluntatem sufficere in casu proposito, et quotiescumque non advertit quis se esse in peccato : et sane ea videtur esse mens D. Thomæ, et Cajet. supra, et Soti in 4. dist. 4. q. unica a. 11. ubi dicit, martyrium in eo solum differre a baptismo flaminis, quod sola contritione vel dilectione supra omnia cum voto baptismi constat, *quod illud non requirat formalem detestationem, sed solum hunc actum :*

Volo mortem pro Christo perpeti : hunc enim actum cum opere exteriori sufficere ad plenissimam indulgentiam omnium peccatorum quoad culpam et pœnam, si non opponatur obex complacentiæ ullius criminis. Hic tamen in duobus falli videtur. *Primo,* quod videatur existimare cum Vega martyrium non requirere formalem detestationem, etiamsi peccata memoriæ occurrerent ; quod sine dubio falsum est. *Secundo,* quod putet illud solum operari per modum meriti, ut patet ex verbis Soti, quæ paulo ante habet eodem art. Inde enim sequeretur, peccatorem, dum vult pati pro Christo, mereri remissionem peccati mortalis ; quod sane falsum est ; nisi quis improprie et large de merito loquatur, ut se extendit etiam ad dispositionem non ultimam et aptitudinem, cum qua consistere possit peccatum. Eamdem probabilem censet noster Suarez disput. 39. sect. 3. de Sacramentis. Facile tamen argumenta proposita solvi possunt. Unde

Ad 1um. Dicendum est : Generales hujusmodi sententias habere tacitam conditionem vel limitationem, si necessaria dispositio, et alia requisita adsint, ut multis exemplis ostendi potest. Simili modo dicitur de baptismo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit :* et tamen requiritur saltem attritio.

Ad 2um. D. Thomas ibi non plus tribuit martyrio quam baptismo, ait enim : *Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi : unde purgat ab omni culpa,* etc. Itaque supponit aliquam formalem vel virtualem pœnitentiam præcessisse ; sicut in baptismo est necessarium.

Ad 3um. Ecclesia non statim habet aliquem pro sancto martyre, nisi constet illi quomodo in confessione et passione se gesserit. Adde, rarissimum esse ut non adsit saltem virtualis attritio, quia Deus singulari modo tunc opitulatur, juxta illud Matth. 10. *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini ; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

DUBITATIO V.

QUAM VIM HABEAT MARTYRIUM, ET QUANDO CONFERAT SUUM EFFECTUM.

81. In martyrio duo sunt consideranda, actus interni, et externa perpessio. Actus interni, sunt affectus varii, ex quibus passio acceptatur ; potest enim hæc acceptari ex affectu charitatis, vel obedientiæ, vel religionis, vel fidei, vel spei, vel fortitudinis Christianæ ; quo posito

Dico I. Hi affectus et acceptatio ex vi illorum proveniens in justis, sunt meritorii vitæ æternæ.

Prob. Sunt enim opera pietatis Christianæ, et delent omnes culpas veniales, quarum continent virtualem detestationem ; debitum pœnarum per se non tollunt integre, sed non nihil minuunt, sicut omnia bona opera, præsertim laboriosa et pœnalia. In peccatoribus vero solum disponunt ad gratiam justificationis, idque vel proxime, ut affectus dilectionis super omnia ; vel remote, ut cæteri.

82. *Dico II.* Externa perpessio pro fide suscepta, per se et quasi ex opere operato habet vim delendi omnem culpam, et conferendi gratiam justificationis subjecto debite disposito, et tollendi omnem reatum pœnæ, ut

colligitur ex testimoniis Patrum et D. Thomæ supra. Idem docet Durandus in 4. d. 4. q. 8. n. 6. et 14., Richard. eadem dist. art. 2. q. 3. in fine, Major ibidem q. 3., Suarez disp. 39. et plerique alii recentiores.

Ratio est, quia si vis delendæ omnis culpæ et pœnæ collata est baptismo, eo quod sit mystica quædam configuratio mortis Domini, ut ex Apostolo ad Rom. 6. constat, multo magis conveniebat hanc vim tribui martyrio, quæ est talis conformatio cum Christo moriente. Hanc rationem aperte habet Clemens L. 5. c. 5. et reliqui Patres, qui martyrium vocant *baptismum sanguinis*. Unde recte Durandus supra, num. 6. *Non minus,* inquit, *operatur passio Christi ad salutem in eo, qui ei conformatur secundum realem susceptionem, quam in eo, qui conformatur ei solum secundum figuralem repræsentationem.* Et in fine : *Martyrium non solum habet efficaciam a charitate patientis, licet illa requiratur secundum Apostolum; sed ex causa patiendi, et ex conformitate ad passionem Christi : propter quæ virtus passionis Christi æque plene vel plenius communicatur martyrio quam baptismo :* ubi nota, Durandum requirere charitatem, non ex qua martyrium procedat, sed quæ adsit una cum martyrio, saltem in fine; quam ipsum martyrium adducere potest : quænam autem ad hoc dispositio requiratur in peccatore, patet ex dubit. 4.

83. Hinc sequitur, martyrium in homine justo habere vim augendæ gratiæ, et tollendæ omnis pœnæ : si enim habet vim delendi peccati, et conferendæ gratiæ instar baptismi, ubi non invenit impedimentum ; maxime eam confert justis, qui nihil habent gratiæ infusioni repugnans : ac proinde in ipsis gratia augebitur. Confirmatur, quia justitia est melior dispositio ad suscipiendum incrementum sanctitatis, quam attritio, quæ simul consistit cum peccato, ad primam sanctificationem ; ergo si homini attrito confert gratiam, multo magis justo confert. Denique ipsum significant Patres supra citati.

84. *Petes,* Utrum deleat etiam culpam omnem venialem?

R. Si affectus nullo modo ei inhæret, valde probabile est deleri ; quia tunc voluntas patiendi pro Christo potest censeri sufficiens dispositio, ut accedente ipsa passione, illa peccata deleantur : quod sane multo credibilius est de venialibus, quam de mortiferis.

Si vero affectus illi actu inhæret, quidam putant adhuc deleri, non quidem eo ipso tempore quo inhæret, hoc enim contradictionem implicat ; sed postea, vel saltem post mortem ; ut si affectus ille peccati venialis duret toto tempore martyrii. Ita Gregorius a Valentia disp. 8. quæst. 2. p. 2. Idem videtur sentire Cajetanus 3. p. quæst. 87. a. 1. ubi dicit : *Si quis ivisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, et interim dormiens occideretur pro Christo : crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi ; quamvis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter actualitate virtuali inhærentem.*

Sed hæc sententia non videtur consentanea D. Thomæ, qui eodem loco ad 2. satis insinuat, martyrium non habere majorem vim delendi peccati, quam baptismum; nec delere peccatum veniale, si voluntatem invenerit ei

actualiter inhærentem, sicut hic invenit, saltem actu virtuali, ut Cajetanus fatetur. Neque etiam veritati, quia ad remissionem peccati actualis, cessante jam actuali vel virtuali inhæsione, semper requiritur aliquis motus animi, quo peccatum illud actu vel virtute displiceat; ut aperte docet D. Thomas supra. q. 87. a. 2. ad 2. qualis est contritio, attritio, displicentia peccati, dilectio Dei supra omnia, voluntaria susceptio ejus quod peccati est remedium, v. g. susceptio baptismi, pœnitentiæ, extremæ unctionis, et aliorum Sacramentorum, juxta D. Thomam eadem q. a. 3., denique acceptatio martyrii; sed de hoc plura alibi.

Quod attinet ad momentum temporis, quo martyrium suum effectum confert, Cajetanus 2. 2. q. 124. a. 4. ad 2um. argumentum Martini, insinuat conferri in instanti vitæ terminativo. Ratio ipsius est, quia in eo instanti martyrium terminatur, et adhuc existit veluti in termino, et homo tunc adhuc meretur veluti in termino; ergo tunc effectum suum confert. Confirmari potest hæc sententia; quia sicut Sacramenta conferunt gratiam in instanti terminativo, quo perficiuntur, ita etiam martyrium : atqui hoc in martyrio est instans mortis; ergo, etc.

Sed hæc sententia non videtur probabilis, si illud momentum ponatur vitæ extrinsecum, sicut Cajetanus ponit. *Primo,* quia posset anima mereri et accipere gratiæ augmentum, jam separata a corpore. *Secundo,* fieri posset ut ipsa toto tempore, quo unita est corpori, fuerit in peccato, et caruerit fide, spe, charitate, et primo momento, quo desinit esse in corpore, consequatur fidem, gratiam et remissionem, et immediate post illud momentum videat Deum; ut patet in parvulis ante baptismum pro Christo occisis. *Tertio,* non omnes essent judicandi secundum statum, quem habuerunt in corpore; quod non est consentaneum illi sententiæ Apostoli 2. ad Cor. 5. *quemque relaturum propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum;* nam id, quod ille in corpore gessit vel passus est, non est tale ut possit delere peccatum, aut efficere dignum vita æterna : nisi accedat aliquid post unionem corporis, quod jam non est in ipso homine, sed in partibus ejus, anima et corpore, nimirum privatio unionis.

85. *Dices,* Hanc ipsam privationem tribui homini, quia illam in vita acceptavit, et supplicia ad illam necessario ducentia sustinuit.

Sed 1°. Hoc non habet locum in parvulis. 2°. Si ideo hoc dicitur gessisse in corpore, quia illud adhuc vivens acceptaverit; ergo acceptatio illa et passio quam sustinuit in vita, erat digna vita æterna et gratia, ante separationem animæ; ergo tunc data fuit gratia : Deus enim ne momento quidem temporis differt condignum præmium ad quod satis dispositi sumus. 3°. Quia juxta hanc sententiam dabitur aliquod momentum in quo anima poterit consequi gratiam et remissionem peccatorum, non tamen peccare; et ita status merendi et demerendi non erunt pares: quæ omnia sunt parum consentanea Scripturis et sensui Ecclesiæ et SS. Patrum.

Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinsecum, ita ut homo desinat per ultimum sui esse, quæ sententia non est improbabilis; sic valde probabiliter dici potest, martyrium conferre gratiam in illo instanti; quia idem instans est terminus intrinsecus martyrii : consentaneum est autem ut effectum suum conferat in termino, sicut Sacramenta, quæ non in termino extrinseco

sed intrinseco complentur, et gratiam conferunt. Si vero illud instans, quo vita terminatur, ponatur esse extrinsecum, ita ut homo desinat per primum non esse sui, sicut communior sententia habet; dicendum est gratiam conferri non in illo instanti, tum ob rationes dictas, tum quia illud instans non est intrinsecum passioni hominis et vitæ; sed vel in aliquo instanti, quod imperceptibiliter mortem antecedit, vel certe quando homo ex passione ita est constitutus, ut sine miraculo mors impediri nequeat. Ita docet Vega L. 6. in Conc. Trident. c. 37. in fine, Suarez 3. p. disputat. 29. sect. 3. et passim recentiores; ratio est, quia tunc martyrium censetur consummatum, mors enim extat in causa proxima et necessaria.

Dices : Tunc adhuc potest peccare et consequenter damnari.

R. Moraliter non posse peccare, quia credibile est corpus ita esse perturbatum, ut homo non possit uti ratione, vel si potest uti, adest magna gratiæ copia, quæ illum custodiat, ita non ut peccet. Accedit, quod confecto jam pene certamine, et præsente æterno præmio, vix aliquid possit occurrere, quod hominem ad peccandum moveat; quod si miraculo curetur et supervivat, verisimile est singulari gratia custodiri, ne qui jam erat velut in januis cœli, et præmium pene manibus tenebat, occasione miraculi excidat. Idem probabile est de justis a mortuis excitatis; alioquin si in eodem incerto versaturi essent, magnum incommodum ex illo beneficio reportarent: nec quisquam est, qui non summopere illud deprecaretur.

DUBITATIO VI.

QUÆ VITIA OPPONANTUR FORTITUDINI, ET QUALE IN HIS PECCATUM.

D. Thom. quæst. 125. 126. 127.

86. *Respondeo,* Tria censeri a D. Thoma, et Aristotele L. 3. Ethicorum c. 7. *timiditatem,* quam Aristoteles vocat δειλίαν, id est, ignaviam: *intimiditatem,* quam ille ἀφοβίαν, id est, timoris vacuitatem; et *audaciam.*

Timiditas seu *ignavia* est vitium excedens in timendo, timet enim quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquam oportet; et deficiens in audendo, ut recte Aristoteles supra, non enim audet aggredi quando ratio dictat, aut sicut dictat: et hac consideratione apud Latinos vocatur *ignavia,* priore vero *timiditas.* Hoc vitium si in seipso sistat, nec ad alium pravum affectum vel consensum impellat, est solum peccatum veniale, sicut excessus aliarum passionum, qui nullam aliam noxam infert, nisi quod mentem perturbet, et curis cogitationibusque inutilibus impleat. Si vero impellat ad alterius peccati consensum, erit peccatum mortiferum, vel veniale, pro conditione illius ad quod impellit: ut si timore mortis, id est, ut mortem quam times evadas, paratus sis aliquid facere vel omittere, cujus commissio vel omissio est peccatum mortiferum, erit peccatum mortiferum: si veniale, erit veniale. Et hoc est quod vult D. Thomas art. 2. quæst. 125. Hunc timorem vetuit Dominus, Luc. 12. cum ait: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.*

87. Notandum est, non omnem inordinatum timorem opponi virtuti speciali fortitudinis, sed eum tantum, qui est circa pericula mortis, vel

gravium calamitatum : in his enim solis fortitudo versatur, ut supra dubit. 1. ostensum est; ac proinde etiam vitia fortitudini adversa. Itaque alii timores mali ad alia vitia pertinent : sicut enim in omni virtute est inordinatus amor, et consequenter etiam inordinatus timor; omnis enim timor nascitur ex amore boni amati et omnis amor parit timorem, si bonum amatum potest amitti; ut ex 1. 2. q. 25. a. 1. et 2. constat; ita in omni vitio habituali est inordinatus amor alicujus boni creati, et consequenter inordinatus timor; unde intemperans timet amittere suas voluptates, avarus pecunias, ambitiosus honores : solus autem timor inordinatus amittendæ vitæ in periculis mortis adversatur fortitudini.

88. *Intimiditas,* vel potius vacuitas justi timoris est alterum vitium fortitudini oppositum, deficiens in timendo : non enim timet quando timendum aut quæ timenda. Fortitudo enim non solum reprimit timorem, ne excedat, sed interdum etiam excitat, ut malum declinetur; ut quando illud vires superat, nec est justa ratio cur sustineatur : tale est terræ motus, fulmen, naufragium, vis hostilis longe superior, denique omnia manifesta pericula mortis, quando deest causa subeundi. In hujusmodi ergo non timere, vitiosum est, quia est causa cur malum non declinetur : timere autem, laudabile, quia est causa declinandi. Huc pertinet securitas perniciosa eorum, qui se manifestis periculis mortis, cum in peccato mortifero sunt, exponunt, nec æternam mortem timent.

Provenit autem hoc vitium ex triplici causa. 1°. Ex eo quod vitam suam minoris faciat, quam oportet; qui enim aliquid parvi æstimat, non multum timet illud amittere, etiamsi periculo sit expositum : sicut autem vitiosum est, pluris facere vitam quam oportet, ut cum anteponitur virtuti; ita etiam vitiosum est, eam minoris facere quam oportet, ut cum vanæ gloriæ vel rerum temporalium causa manifesto periculo objicitur : est enim bonis temporalibus longe præstantior; tum quia res temporales sunt propter vitam humanam, ad eam fovendam, solandam, ornandam; tum quia vita ista temporalis facultatem justitiæ et meritorum vitæ æternæ suppeditat.

2°. Ex superbia; hæc enim facit ut homo sibi præfidat et alios contemnat, quasi ab illis lædi non possit; et ita non timet, juxta illud Job. 41. *Factus est ut nullum timeret : omne sublime videt.*

3°. Ex animi stoliditate; unde Aristoteles L. 3. Ethic. c. 7. ait *furiosos nihil timere :* sic quidam milites nihil timent; quia per vecordiam non concipiunt animo quid sit mors, et quæ mortem sequantur. Hoc vitium est peccatum mortale vel veniale, pro ratione mali et periculi, cui se defectu timoris exponit : si enim sit magnum malum, v. g. mors, cui sine justa causa se objicit, erit peccatum mortale, nisi forte per stuporem animi excusetur; si autem malum sit parvum, vel periculum non sit notabile, erit veniale; vide Cajetanum in Summa verb. *Intimiditas.* Hæc tamen timoris vacuitas non est distinctum peccatum ab eo, quo quis se periculo exponit; solum enim est peccatum quatenus est causa illius, continens tacitum in illud periculum consensum.

89. *Audacia* seu temeritas hic accipitur pro excessu in audendo, et aggrediendo; cum quis, ut malum imminens repellat, aggreditur aliquid quod

non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quæ est maxima dispositio ad temeritatem; plerumque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ sicut et *jactantia,* cui ut plurimum hoc vitium est connexum : nam audaces fere sunt jactabundi, et volunt videri fortes, cum non sint; hinc fit ut plerique talium etiam sint timidi; quos Aristoteles θρασυδείλους vocat, quasi dicas *audacitimidos;* quia audaciam cum timiditate conjunctam habent. *Initio enim,* ut idem Aristoteles ait, *sunt præproperi, et antequam res urgeat, adire pericula volunt; in ipsis autem periculis cedunt et absistunt; at viri fortes, in factis ipsis sunt acres et celeres, ante facta sedati et quieti.* Quando vero cupiditati vanæ gloriæ simul conjunctus est vitæ contemptus, vel stoliditas animi mortem non apprehendentis, tunc se in pericula cæco quodam impetu projiciunt, et persistunt, etiamsi parva sit spes victoriæ; hos Aristoteles vocat ῥιψοκινδύνους, id est, projectæ audaciæ homines, qui mortis pericula lusum faciunt et jocum, et instar belluarum depugnant: hoc vitium est peccatum pro ratione mali et periculi, cui se exponunt; sicut dictum est de timoris vacuitate.

90. Circa prædicta adverte, etsi solum tria vitia *fortitudini* opposita numerentur, revera tamen esse quatuor : sicut enim fortitudo moderatur timorem, ita etiam audaciam; unde sicuti peccatur contra fortitudinem excessu et defectu timoris, ita etiam excessu et defectu audendi. Verum defectus audendi continetur sub *timiditate,* qua parte hæc consistit in eo, quod quis refugit aggredi quando oportet; et vocatur proprie *ignavia* : sed sicut inter *timoris vacuitatem* et *temeritatem* est magna affinitas, ita etiam inter *excessum timendi* et *defectum audendi.* Hinc apud Aristotelem eodem nomine continentur : utrumque enim δειλίαν vocat. Latini habent nomina distincta; illud vocant *timiditatem,* hoc *ignaviam.*

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS FORTITUDINI CONNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

—

DUBITATIO I.

QUÆ SINT PARTES FORTITUDINIS.

D. Thom. quæst. 128.

91. Notandum ex D. Thoma, virtuti triplices partes assignari posse, subjectivas, integrantes, et potentiales. *Subjectivas* fortitudo proprie, juxta D. Thomam, non habet; quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt ejusdem generis, etsi alia aliis majora. Hoc tamen intellige de fortitudine unius ordinis : nam si diversos virtutum

ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus : alia enim est ordinis *naturalis,* qualis esse potest sine fide; hæc timorem mortis temperat, pericula et acerbitates sustinet, hac tantum consideratione, quia decet hominem ratione præditum, vel Philosophiæ præceptis imbutum, vel illustri familia clarisque majoribus ortum. Alia *supernaturalis,* quæ fidem et affectum supernaturalem supponit; et prudentia supernaturali ut regula utitur. Hæc eadem sustinet, quia decet Christianum, crucis Christi cultorem, immortalitatis candidatum, etc., etsi enim istæ fortitudines circa eadem pericula et circa easdem passiones moderandas, ac proinde circa eadem objecta versentur; tamen non eamdem prorsus rationem formalem in illis spectant: unde nec ob eamdem causam ad suas functiones moventur, sed ob diversam, et affectibus plane diversis; qua ratione etiam in fortitudine naturali discrimen specificum fortasse inveniri posset.

92. *Partes integrantes* vocat, non ex quibus ipse habitus intrinsece coalescat, sed quæ necessariæ ad integrum fortitudinis officium. *Potentiales* vero, quæ virtutem fortitudinis in materia minus difficili imitantur. Porro hujusmodi partes quatuor numerantur a D. Augustino L. 83. qq. q. 31. ex Cicerone : *Fortitudo,* inquit, *est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia*; quod D. Thomas optime declarat q. 128. art. unico in 0. et ad 5.

Officium enim *fortitudinis* in duobus situm est; *in aggrediendo* et *in sustinendo.* Ad *aggrediendum* autem duo requiruntur. *Primo*, promptitudo animi ad periculum suscipiendum : hanc præstat *fidentia*; qui enim confidit se malum imminens superaturum, facile periculum suscipit. *Secundo,* strenuitas in executione; hanc tribuit *magnificentia,* quæ teste D. Augustino, ex Cicerone, *est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, cogitatio et administratio.* Itaque hæ duæ virtutes, quatenus versantur in periculis mortis, sunt partes integrantes fortitudinis, concurrentes ad actum aggressionis.

Similiter ad *sustinendum*, qui est alter fortitudinis actus, duo requiruntur. Primum est, ne animus difficultate et asperitate malorum frangatur; ad hoc valet *patientia,* quæ tristitias et dolores moderatur, animumque continet ne hisce passionibus victus, a recto et decoro decidat. Alterum est, ne diuturnitate malorum fatiscens, cœpta bona abrumpat et desinat; et ad hoc est *perseverantia* : quo nomine hic intelligimus non eam, quæ est justitiæ usque ad finem continuatio, sed propositum durantibus malis in cœpto perseverandi.

Ex his patet, qua ratione hæ quatuor virtutes dicantur partes *integrantes* fortitudinis; nimirum si considerentur ut versantur in propria fortitudinis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad integrum illius officium concurrunt, suntque veluti quædam illius membra.

Si vero spectentur in aliis quibusdam materiis minus difficilibus, dicentur partes fortitudinis *potentiales*, quia fortitudinem imitantur, licet ejus perfectionem non assequantur; vide supra c. 46. dubit. 1. Sic *fidentia* est virtus, quæ in aliis rebus difficilibus extra pericula mortis, promptum animum præstat; *magnificentia,* quæ talia splendide exequitur; *patientia,* quæ tales difficultates tolerat; *perseverantia,* quæ in finem in illis perdurat.

93. Notandum est 1°. Prædictis partibus fortitudinis tres alias adjici a Macrobio L. 1. in somnium Scipionis; *magnanimitatem, securitatem,* et *constantiam.* Verum magnanimitas et securitas sub *fidentia* possunt comprehendi; *fidentia* enim continet credulitatem mali superandi vel boni consequendi, et spem conficiendi: utrumque parit *magnanimitas*; facit enim ut id, quod arduum est, videatur confici posse, et simul ejus desiderium injicit. *Securitas* est perfectio quædam *fidentiæ,* excludens timorem et anxiam curam; tunc enim securus est animus, quando ita confidit ut non amplius timeat vinci a malo, vel excidere a bono; item quando malum est superatum. *Constantia* ad *perseverantiam* pertinet; quid enim est aliud *perseverantia* quam *constantia* usque in finem? eodem pertinet *longanimitas,* quæ ob mali diuturnitatem non sinit animum a recto desciscere.

Notandum 2°. Non omnes prædictas partes esse virtutes distinctas, sed satis esse ut sint actus distincti: ejusdem enim habitus est præbere se magnanimum et confidentem in periculis, et securum absque anxietate. Item ejusdem virtutis est efficere patientem, constantem, longanimem et perseverantem.

Cætera vide apud D. Thomam in respons. ad 6. ubi corrupte in multis exemplaribus legitur *lenia* pro *lema,* græce λῆμα; quod non patientiam aut tolerantiam, sed animi confidentiam et promptam audaciam significat. Plerumque accipitur in bonum; aliquando etiam in malum, ut ex Græcis auctoribus constat; hinc ληματίας, vir strenuus et animo confidenti, quod est virtutis; vel etiam præfidenti, quod est vitii.

DUBITATIO II.

QUID SIT MAGNANIMITAS, ET QUI EJUS ACTUS.

D. Thom. quæst. 129.

94. *Magnanimitas,* seu magnitudo animi, græce μεγαλοψυχία, est virtus ad opera magna et heroica in omni virtutum genere inclinans. Magnus enim dicitur animus, qui ad magna adspirat, eaque sola æstimat et cogitat, parva negligit vel despicit: ex affectu enim et studio rerum magnarum vel parvarum, animus magnus vel parvus dicitur; nihil autem vere magnum in rebus humanis, præter virtutem, quæ sola est hominis bonum, et ornamentum qua homo est, animum perficiens, et æternum permanens, æternamque vitam concilians: cætera omnia, ut divitiæ, voluptates, honores hujus mundi, parvi sunt momenti, utpote ad vitam istam corporalem duntaxat et temporalem pertinentia. Et quamvis omnia virtutum opera ad res temporales collata magna sint bona; tamen non omnia in suo genere sunt magna vel ardua: sunt enim minora et majora, facilia et difficilia; proprie autem dicuntur *magna,* quæ in singulis virtutum generibus magna seu ardua censentur, magnoque honore sunt digna; ut sunt magnæ abstinentiæ, magna vitæ austeritas, magni labores pro salute animarum, eximia patientia in magnis calamitatibus, eximium orationis studium, etc. Itaque virtus illa, quæ magnitudo animi dicitur, ad hæc inclinat.

Nec obstat, quod omnis virtus, si perfecta sit, ad opera magna sui generis

incitet; magna enim virtus abstinentiæ, ad magna jejunia; magna religio, ad magna in Deum pietatis officia impellit : quia aliam rationem formalem, seu aliud motivum intrinsecum aliæ virtutes in suis objectis spectant, aliud magnitudo animi. Hæc enim inclinat ad opera magna virtutum, non quia in illis elucet honestas peculiaris illius vel illius virtutis, v. g. bonum abstinentiæ, vel religionis; sed quia magna sunt et ardua, id est, quia consentanea animo magno et generoso, magnis gratiæ præsidiis adjuto, magna rerum cœlestium cognitione instructo, magnis præmiis illecto, magnis exemplis provocato; qui enim hæc perpendit, facile videt, magna virtutum officia sibi congruere, et decorum esse nonnisi magna cogitare, æstimare, affectare, moliri. Itaque esse *magnum* seu *arduum* in operibus virtutum aliarum, est ratio formalis objectiva hujus virtutis, ob quam ad illa inclinat, et quam in illis efficere et veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquæ vero virtutes, si perfectæ sint, seu in gradu heroico, inclinant ad opera magna sui generis; non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quæ honestas in magnis operibus est illustrior. Itaque magnitudo operum non se habet tanquam motivum principale seu formale illarum virtutum, sed ut circumstantia objecti, ratione cujus honestas objecti magis elucet; et ut circumstantia operis, in executione respondens circumstantiæ quæ est in causa; sicut enim magnus ignis magnum calorem generat, ita magna virtus justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magna opera sui generis.

95. Hinc patet, virtutem hanc, etsi ad opera illustriora aliarum virtutum inclinet; tamen ab illis distingui specie, et esse virtutem specialem : habet enim distinctum objectum formale, a quo suam speciem accipit; et illa opera solum se habent instar materiæ, cui suam formam inserat, quæ est esse magnum et arduum.

Hanc doctrinam expresse tradit Cajetanus q. 129. a. 1. et 4. et est D. Thomæ ibid.; sed clarius in 3. c. L. 4. Ethicorum, exponens illa verba Aristotelis : *Etiam viri magnanimi esse videatur quod in quaque virtute magnum est;* ubi dicit : *Per hoc magnitudo est specialis virtus distincta ab aliis, quia tendit ad rationem magni in cujuslibet virtutis opere; v. g. fortitudo intendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo,* et sic de aliis. Idem docet q. 134. a. 1. ad 2. Eadem est mens Aristotelis in verbis allatis; et infra cum ait : *Videtur animi magnitudo quasi quoddam virtutum omnium ornamentum; nam et majores eas amplioresque facit, et sine illis constare nullo modo potest.*

96. *Dices* : Aristoteles c. illo 3. et D. Thomas q. 129. a. 2. 3. et 4. docent *magnanimitatem* versari circa *magnos honores,* ideoque esse virtutem specialem; ergo non extendit se ad actus eximios aliarum virtutum.

R. Negando consequentiam : aliter enim versatur circa honores, aliter circa actus virtutum. Circa honores enim versatur, non quidem eos propter se expetendo, hoc enim laudabile non esset; sed tanquam circa materiam remotam, moderando appetitum honorum, ut eis recte utamur, nec pluris, quam par est æstimemus : sicut liberalitas versatur circa divitias, et fortitudo circa pericula mortis; circa vero actus virtutum versatur

tanquam circa objectum materiale, seu materiam propinquam, magnitudinem et excellentiam quamdam in illis appetendo, procurando et efficiendo. Sicut enim fortitudo moderatur timorem et audaciam in periculis, ut fortiter agat; et liberalitas amorem pecuniæ, ut ea recte uti possit, et facile donare ubi ratio dictat : ita magnitudo animi temperat appetitum magnorum honorum, ut opera magna sincero affectu designet, ne vel si honor absit, desistat; vel si adsit, ejus affectu potissimum moveatur. Qui enim magna præstare in aliquo virtutum genere student, potissimum infestantur appetitu honoris, qui illustria facta comitari solet, et vehementer affectum ad se trahit; itaque eget moderatione, quam efficit hæc virtus; ejusdem enim virtutis est bonum opus operari, et intrinseca ejus impedimenta, quæ ratione materiæ proveniunt, tollere : tale autem impedimentum est honoris immodicus appetitus. Neque solum in honoribus moderationem animi parit hæc virtus, sed etiam in contumeliis et omni fortunæ conditione; ut Aristoteles loco citato docet : *Maxime*, inquit, *in honoribus versatur vir magnanimus; verumtamen in divitiis quoque et principatu, in omni denique secunda et adversa fortuna quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit : neque in rebus secundis lætitia efferetur, neque in adversis mœrore contrahetur; nam ne in honorem quidem sic animatus est, qui tamen quam maxima res est.*

97. Ex his perspicuum est 1°. Quodnam hujus virtutis sit officium : principale enim munus ejus, quod ipsa potissimum intendit, est opera magna, seu quæ magno honore sint digna efficere, non propter honorem hujus mundi (non enim est vera virtus, quæ honorem humanum sibi propositum habet, ut docet D. Augustinus L. 5. de Civit. c. 12. n. 4. quia est res caduca, fragilis, fallax, bonis et malis communis) sed propter ipsorum operum excellentiam, ratione cujus honore sunt digna. Secundum munus ejus est, appetitum honorum moderari, ita ut eos neque multum appetat, neque plus quam par est refugiat : si deferantur, iis non extolli, non exultare lætitia, sed moderate se gerere; unde Aristoteles ait : *Magnis honoribus et iis qui a viris bonis deferentur, modice delectabitur, tanquam sibi accommodatis : qui autem a vulgo et ob res parvas tribuentur, prorsus contemnet.* Tertium, in omni prospera et adversa fortuna moderate agere; cum enim nihil magni æstimet, nisi quod vere magnum est, fit ut omnia temporalia parvi pendat, ac proinde non multum curet illorum secundos vel contrarios successus. Quamvis autem magnanimus honorem hujus mundi parvi æstimet, neque propter illum operetur; maximi tamen facit honorem cœlestem, ut apud Deum et angelos magnus habeatur et sit : hic enim honor est pars nostræ felicitatis, et præmium virtutis; et inter bona nostra externa maximum. Itaque propter illum honeste operari potest, et ad ardua virtutum conniti : unde 2. Corinth. 10. dicitur : *Qui gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*; et Joan. 5. v. 44. aperte indicatur, *gloriam, quæ a solo Deo est*, esse quærendam.

Patet 2°. Hanc virtutem maxime reperiri in iis, qui spretis omnibus quæ in mundo sunt, Christi consilia sunt secuti, et ad ejus imitationem vitam componunt : magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est; in con-

temptu earum rerum, quæ maximi vulgo æstimantur, et quæruntur, ut sunt divitiæ, voluptates, et honores; et in conatu, nisuque ad ea, quæ sunt maxime ardua et honore cœlesti digna; ut sunt consilia Domini, perfectio vitæ Christianæ.

Patet 3°. Ad hanc virtutem pertinere *fidentiam* et *securitatem*. *Fidentiam* quidem, quia non potest quis ardua generose aggredi, nisi multum confidat se posse conficere. Deinde *fidentia* oritur ex eo quod quis advertat sibi suppetere vires et auxilia ad res arduas peragendas, et quod earum perficiendarum desiderio teneatur; quorum utrumque est in hac virtute. *Securitatem* vero, quia qui res humanas non multum curat, et solis æternis est intentus, ad quas satis opis et præsidii a Deo se habere sentit, multis curis est solutus, et magna animi securitate fruitur; magna quoque confidentia securitatem parit.

DUBITATIO III.

QUÆ VITIA MAGNANIMITATI ADVERSENTUR.

D. Thom. quæst. 130. 131.

98. Opponuntur magnanimitati tria vitia per excessum, *præsumptio, ambitio,* et *inanis gloria*. *Præsumptio* respicit proprie opus aliquod, *ambitio* honorem, *inanis gloria* opinionem et famam. Unum per defectum, *pusillanimitas*, quæ tamen illis tribus respondet.

Præsumptio, quam etiam *præfidentiam* Latini vocant, est nimia suarum virium confidentia, qua fit ut quis aggrediatur aliquid, vel paratus sit aggredi, quod est supra ipsius vires. *Vires ipsius* intellige quas vel in seipso, vel in aliis paratas habet; quod enim per amicos possumus, nos ipsi posse dicimur: consistunt autem vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infusa, aut acquisita, vel in arte aliqua, vel in gratia gratis data, vel in potestate ordinis, vel in potestate jurisdictionis: nam ratione horum omnium si quis aliquid supra suam facultatem tentet, erit vitium præsumptionis; ut patet ex Cajetano v. *Præsumptio,* in Summa.

Hoc vitium in intellectu supponit opinionem falsam de suis viribus, ex culpabili ignorantia vel inconsideratione ortam: si enim hæc non esset culpabilis, neque opinio inde nascens, neque affectus voluntatis consequens culpabilis esset; ut cum quis bona fide ignorans rei conditionem, aliquid supra suam facultatem tentat. In voluntate vero requirit affectum vel absolute exequendi tale opus; vel sub conditione, si nimirum res ad se pertineret, si tempus et locus posceret, etc.

Hoc modo præsumptuosi et præfidentes censendi: hæretici, qui Scripturas audent exponere non prævio longo studio, vel sanctorum Patrum lectione: qui tentant miracula vel futurorum prædictionem, absque dono miraculorum vel prophetiæ: qui solis naturæ viribus putant se posse bene vivere et legem implere. Item qui absque debita peritia suscipiunt officium medici, advocati, parochi, confessoris, etc.: qui usurpant sibi potestatem, quam non habent, vel majorem quam habent; ut si diaconus vellet offerre sacrificium, absolvere, baptizare coram sacerdote; si judex secularis cognoscere de causis Ecclesiasticis.

Hoc autem peccatum esse probat D. Thomas, quia per illud violatur lex naturæ, orta ex lege æterna, quam omnes res naturales tenent : hæ enim omnes ex divina ordinatione hanc servant legem, ut nihil conentur supra suam facultatem; sed solum inclinent ad opera viribus suis commensa : præsumptio vero impellit ad id, quod est supra facultatem.

Est peccatum mortiferum, quando fit cum periculo vel injuria alterius, sicut præsumptio medici, judicis, confessoris ; vel quando provenit ex errore contra fidem, sicut præsumptio hæreticorum in multis actibus : extra tales eventus fere est peccatum veniale. Ita Cajetanus supra.

Præsumptio de misericordia Dei, quæ dicitur peccatum in Spiritum sanctum, qua quis non curat divinam justitiam, confidens Deum ipsi præstiturum veniam, etiamsi non sit sollicitus de conversione vitæ, potius opponitur spei quam magnanimitati ; excedit enim modum in sperando, indebite confidens de divina bonitate, non de sua virtute; sicut desperatio deficit, non satis de ea confidens : nisi forte hæc præsumptio proveniat quod sibi tale Dei beneficium deberi putet ; tunc enim immediate præsumit et præfidit de sua virtute, per eam volens consequi id, quod longe illam superat; et sic erit contra magnanimitatem.

99. *Ambitio* est inordinatus appetitus honoris : *honor* autem est testimonium excellentiæ ; quod multis modis deferri potest, ut detectione capitis, inclinatione corporis, genuflexione, concessione loci honoratioris, erectione statuæ, delatione officii, magistratus, principatus, etc., ut dictum est supra c. 36. dubit. 3. Hos omnes modos respicit ambitio : qui enim aliquid horum sibi inordinate appetit deferri, est ambitiosus.

Porro honor tripliciter inordinate potest appeti. *Primo,* si appetas honorem ob rem quæ tibi non convenit, vel notabiliter majorem quam par sit; ut si quis velit honorari ob gradum vel doctrinam, quam non habet : si laicus velit præcedere sacerdotem aut Episcopum : si adspires ad officium honorabile, quo es indignus, aut velis præferri multo dignioribus : si ratione divitiarum velis tibi magnum honorem haberi. *Secundo*, si quæras honorem ex re quæ tibi convenit, sed illicita, v. g. ex rebellione, quod audeas resistere tuo Principi; ex arte magica, etc. *Tertio,* si ita ames honorem, ut paratus sis Deum offendere causa illius acquirendi vel conservandi ; ut si episcopatum compares per simoniam, principatum per bella iniqua : si ut officium retineas, iniquum præstes jusjurandum, etc.

In primo est peccatum veniale tantum, nisi appetatur cum injuria alterius. In secundo est peccatum mortale vel veniale pro ratione materiæ, ex qua honorem captat. In tertio similiter, pro ratione mediorum, quibus utitur vel paratus est uti.

Reprehenditur hoc vitium a Domino, Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi : vos autem nolite vocari Rabbi,* etc. Et Ecclesiastici 7. *Noli quærere a domino ducatum, nec a rege cathedram honoris.*

Oritur hoc vitium ex superbia : sicut enim superbia est inordinatus appetitus excellentiæ ; ita ambitio est inordinatus appetitus honoris, qui est testimonium excellentiæ ; unde omnes ambitiosi sunt superbi, et omnes superbi

ambitiosi; habet enim se ad superbiam ut propria passio, vel ut effectus adæquatus.

Si autem honor appetatur moderate ex re bona, nullum erit peccatum, etiamsi nullus alius finis spectetur, ut colligitur ex D. Thoma q. 131. a. 1. ad 3. quia per se est objectum indifferens, proxime accedens ad rationem honesti, cum sit testimonium et imago quædam virtutis.

100. *Inanis gloria,* quâm Græci κενοδοξίαν vocant, hoc loco accipitur pro vanæ gloriæ cupiditate : alioqui propric ipsa non est peccatum, sed peccati objectum in alio existens. *Gloria est clara cum laude notitia,* inquit Cicero : puta de excellentia alicujus. Itaque complectitur *opinionem* et *laudem,* et consequenter *famam,* quia bona fama in laude consistit : supponit autem excellentiam aliquam veram his dignam, tanquam materiam et objectum opinionis et famæ; unde patet, gloriam ab honore distingui, et consequenter ambitionem a cenodoxia seu vanæ gloriæ cupiditate. Gloria enim in notitia excellentiæ alterius, et laude, quæ verbis agitur, sita est. Honor vero in dignitatibus, magistratibus, et aliis testimoniis excellentiæ, quæ signis exhibentur; quando tamen vana gloria statuitur vitium capitale, etiam ambitio hoc nomine intelligenda est.

Potest autem gloria tripliciter esse vana in proposito : 1°. Si de simulata excellentia quæratur opinio vel fama; sicut faciunt hypocritæ, et omnes, qui se fingunt peritos alicujus disciplinæ, cum non sint : 2°. Si major quæratur quam par sit, aut de rebus alias indignis; sicut faciunt jactabundi, et omnes qui de opibus et rebus frivolis gloriantur : 3°. Si apud eos qui de rebus non possunt recte judicare; sicut si quis coram imperitis disputaret, ut sapiens ab eis habeatur : nisi forte id ad ulteriorem finem honestum referret.

Erit autem hæc cupiditas peccatum mortale : 1°. Si hæc vana gloria appetatur ex facto, quod est peccatum mortiferum, ut de magia, de adulterio, de duello, de homicidio; nam talis gloriatio includit facti approbationem : si tamen non de ipso facto, sed de robore corporis, audacia, ingenio, quæ tali facto patefiunt, gloria quæreretur, non esset per se peccatum mortale; quia cum eo stare potest facti pravi detestatio : 2°. Si ob illam acquirendam vel retinendam negligat ea quæ ad salutem sunt necessaria, vel aliter paratus sit mortifere peccare : quales erant multi ex primoribus Judæorum, de quibus Joannis 12. dicitur : *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei;* et Joannis 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Extra hos casus solum est veniale, ut docet Cajetanus verb. *Gloriæ humanæ appetitus :* nam per se veniale est, neque fit mortale, nisi ratione alterius peccati, quod interdum in affectu vanæ gloriæ involvitur.

Numeratur *vana gloria* inter vitia principalia seu capitalia, a D. Gregorio L. 31. Moralium cap. 31. quem sequitur D. Thomas q. 132. art. 4. et 5. et cæteri doctores; quia *vitium capitale* dicitur ex quo tanquam radice virulenta, multa alia vitia veluti propagines venenatæ nascuntur; talia sunt quæ versantur circa objectum valde appetibile, cujus causa plerique mortalium parati sunt multa mala facere et pati; ut circa gloriam, sub qua etiam famam et honorem intellige, divitias, voluptates gustus, voluptates tactus;

hinc vitia capitalia sunt *cupiditas vanæ gloriæ, avaritia, gula* et *luxuria.* Item quæ versantur circa objectum valde molestum, saltem in imaginatione, cujus mali pellendi, vel molestiæ solandæ causa, etiam multa mala facere solent, ut sunt *invidia, ira* et *tristitia.*

Sic igitur vanæ gloriæ cupiditas est vitium capitale; ex qua nascuntur hæ septem filiæ, juxta D. Gregorium, *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ,* et *novitatum præsumptiones.* Ratio est, quia *vana gloria* consistit in manifestatione suæ excellentiæ sive veræ, sive fictæ. Dupliciter autem excellentiam tuam inordinate patefacere potes. Primo, *directe,* idque vel per verba, et sic est *jactantia;* vel per facta: quæ si vera sint, et aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio novitatum;* has enim solent homines magis admirari: si falsa sint, erit *hypocrisis.* Secundo, *indirecte,* quatenus videlicet vis ostendere te non esse altero minorem, idque quadrupliciter. *Primo* ratione intellectus; quod fit *pertinacia,* qua quis nimis inhæret suæ sententiæ, nolens cedere meliori. *Secundo,* ratione voluntatis; quod fit *discordia,* qua quis non vult alteri consentire. *Tertio,* quoad verba; sicque est *contentio. Quarto,* quoad facta; dum quis non vult exequi præceptum superioris, ne videatur minor, quod fit per *inobedientiam;* vide D. Thomam art. 5. q. 132.

101. Quod autem hæc tria vitia magnanimitati adversentur, perspicuum est ex dictis. *Magnanimitas* enim versatur circa tria. *Primo* et principaliter circa magnum opus, ad quod juxta mensuram suarum virium tendit; hac ratione adversatur ei *præsumptio,* quæ ad idem supra vires tendit. *Secundo,* versatur circa honorem, tanquam materiam, cujus appetitum moderatur; sic opponitur ei *ambitio,* quæ immodice in honorem tendit. *Tertio,* circa gloriam, laudem et famam, quorum etiam moderatur affectum; hæc enim ad eamdem virtutem, ad quam honor, pertinent; sic opponitur ei *cupiditas vanæ gloriæ,* quæ ex quibusvis rebus, etiam ex mustaceo, et apud quosvis gloriolam captat. Aristoteles non expressit distincte omnia vitia, quæ magnitudini per excessum opponuntur, sed solum unum, quod ille χαυνότητα vocat, quo is, qui est indignus, seipsum dignum magnis honoribus æstimat, splendoreque vestium et opum ostentatione honores ubique captat. Hos vocat χαῦνους quasi dicat, laxos aut tumidos, vel πρὸς τὰς τιμὰς κεχωότες, honoribus inhiantes; χαῦνον enim a χαίνειν hiare, ductum; eosdem dicit esse stolidos, et seipsos ignorare.

Pusillanimitas, quam Aristoteles μικροψυχίαν vocat, est alterum extremum magnanimitati directe oppositum; hoc vitium supponit apprehensionem, qua quis omnia tanquam nimis magna, et suam facultatem vel dignitatem excedentia concipit: unde fit ut diffidens viribus suis refugiat officia ad quæ probe est idoneus, et detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ facile alioquin posset præstare. Si vocetur a Deo ad religionem, imaginatur rem esse nimis gravem, tristem, intolerabilem; nec audet capessere. Rursus considerans suam conditionem, putat se indignum honore, qui defertur, quasi honor sit magnum quiddam, nec vult illum admittere, etiamsi recta ratio aliud postulet; seque nimium abjicit, non habita ratione officii vel gradus, in quo est constitutus. Eodem modo se habet etiam ad gloriam, laudem et famam, etsi his vere sit dignus; unde perspicuum est,

hoc vitium respondere in altero extremo tribus illis vitiis explicatis, præsumptioni, ambitioni, et vanæ gloriæ; ut enim nimium refugit opera et officia suis viribus commensa, repugnat præsumptioni : ut nimis honorem, ambitioni : ut veram gloriam et famam, vanæ gloriæ.

Hoc vitium est peccatum mortale, si id, quod detrectat, tale sit, ut ad illud suscipiendum sub peccato mortifero teneatur; si autem solum teneatur sub veniali, erit veniale. Idem dicendum etiamsi res sit consilii tantum; nam etsi non tenearis amplecti, tamen ex pusillanimitate animi refugere, quasi vires, quas Deus tibi dedit vel paratus est dare, superet, malum est.

Adversus *pusillanimitatem* facit consideratio divini auxilii, quod in iis, quæ ad salutem aut vocationem nostram pertinent, nobis præsto est, exempla Sanctorum, magnitudo præmiorum, et alia quæ fiduciam augent.

DUBITATIO IV.

QUID MAGNIFICENTIA, ET QUOD VITIUM EI ADVERSETUR.

D. Thom. quæst. 134. 135.

102. Nomen *Magnificentia* dupliciter accipi potest, ut colligitur ex D. Thoma, q. 134. art. 1. *Primo* in genere, pro quavis virtute, quæ facit res magnas; sive illæ sint actiones, quas Græci πράξεις vocant; sive res effectæ, quæ ποιητὰ. *Facere* enim aliquando generatim sumitur, ut actiones et effectiones comprehendat; hoc modo *magnificentia* non est virtus specialis, et convenit etiam Deo et Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis, gubernationis, sanctificationis, glorificationis; hæc enim valde magna sunt, et horum ratione Scriptura tribuit Deo et Christo *magnificentiam,* 1. Paralip. 29., Psal. 8. 110. 144. et alibi. *Secundo,* pro virtute humana, quæ magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit; hoc modo est peculiaris virtus, quam explicat hic D. Thomas, et Aristoteles L. 4. Ethicorum cap. 2. eamque vocat μεγαλοπρέπειαν, scilicet *magnidecentiam.*

Distinguitur a *magnanimitate,* secundum Cajetanum art. 2., quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis; hanc enim vult magnam et splendidam efficere : unde dicit Aristoteles, ipsam esse omnium virtutum ornamentum, nimirum quia earum actiones illustriores facit; illa vero intendit magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis, vel usibus humanis accommodatum, magnos sumptus requirens; ut in exstruendis templis, monasteriis, collegiis, in constituendis piis fundationibus, in epulo publico exhibendo, quando ratio postulat. De hujusmodi intellige definitionem Ciceronis, quam refert D. Augustinus, L. 83. QQ. q. 31. *Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum, cum ampla quadam et splendida propositione, cogitatio atque administratio.* In iisdem tamen versari etiam potest magnanimitas, si spectentur ut sunt magna virtutum opera, ut expresse docet D. Thomas art. 2. ad 2. cum ait : *Ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendo, vel qualitercumque agendo, ut in 4. Ethic. dicitur.* Itaque *magnificentia* videtur vel pars quædam esse magnanimitatis, vel parum ab ea distingui, ut versatur in tali materia.

103. Officium primarium hujus virtutis est, res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere; quando ratio id postulat, vel suadet. Deinde hujus rei causa affectum copiosæ pecuniæ ad id necessariæ moderari, ne per illum, vel opus non audeat suscipere quando oportet, vel susceptum relinquat, vel non decore perficiat; tota enim difficultas in hujusmodi splendidis operibus suscipiendis et perficiendis, provenit ex affectu pecuniæ non mediocris, sed grandis, et ingentis summæ, quæ impendenda; hic enim affectus facit ut homini valde difficile sit tantam copiam profundere, quantum opus postulat. Itaque requiritur aliqua virtus quæ hanc difficultatem vincat; neque ad hoc sufficit *liberalitas,* quia hæc solum moderatur affectum circa mediocres et ordinarias expensas; tollitque difficultatem, quam homo in illis sentire solet, non ex affectu magnitudinis summæ, sed simpliciter ex affectu pecuniæ : at longe alia sentitur dum magnæ expensæ faciendæ; unde oportuit majorem quamdam esse virtutem, quæ id præstet in magnis, quod *liberalitas* in mediocribus : hanc *magnificentiam* vocamus. Simile cernitur in honoribus : affectum enim in magnis honoribus regit *magnanimitas;* in mediocribus virtus ἀνώνυμος, quam φιλοτιμίαν vocare possumus, hoc nomine in bonam partem accepto; vide Aristot. L. 4. Ethic. c. 4. et D. Thomam, quæst. 129. art. 2.

104. *Petes,* Cur non simili modo ponitur duplex virtus circa voluptates corporis, altera circa maximas, altera circa mediocres?

R. Quia illa virtus, quæ affectum moderatur in maximis voluptatibus, sufficiens est ut illum moderetur etiam in mediocribus, v. g. ciborum vel venereorum; cujus ratio est, quia idem motivum, seu objectum formale in utrisque spectatur : sive enim cibi sint multum delicati, sive parum, hoc tantum agitur ut eorum usus externus sit temperatus, et interna affectio sub hac ratione in eorum usum feratur. Itaque solum opus est una virtute abstinentiæ, quæ sicut affectum et usum temperat in magnis ciborum voluptatibus, ita et in parvis. Similiter in rebus venereis moderandis idem motivum spectatur, sive magna in illis sit voluptas, sive parva : unde eadem virtus castitatis utrique moderandæ sufficit. Pari modo fortitudo, quæ maximos timores mortis temperat, etiam ad mediocres pertinet : et mansuetudo, quæ maximas iras domat, etiam mediocres regit. Istæ enim virtutes non spectant nisi unum objectum formale, sive passio magna sit, sive mediocris. Cum enim voluptates maximæ, et timores magni, et iræ magnæ omnibus sint communes; nec in his magnitudo et mediocritas diversum faciant hominis statum, sufficit una ratio honesti in quoque horum genere, quæ principaliter moderetur affectum in magnis, et secundario se extendat ad moderandum in mediocribus.

Secus vero res habet in affectu pecuniæ et honoris : magni enim honores et magnæ divitiæ sunt paucorum; unde diversum efficiunt statum, et consequenter mutant rationem decori et honesti. Hinc fit ut qui magnis honoribus sunt digni, vel magnas expensas facturi sunt, aliam rationem honesti in moderando affectu, et in usu talium honorum vel opum spectent et adhibeant, quam passim solent homines in mediocribus. Itaque alia est virtus circa magnos honores, alia circa mediocres. Confirmatur, quia magni honores pertinent ad eos tantum qui magna cogitant et moliuntur; hi enim

soli magnis honoribus sunt digni : atqui magna moliri est proprium magnanimitatis ; ergo moderatio affectus circa magnos honores, et rectus eorum usus pertinet ad magnanimitatem.

Simili modo expensio magnarum opum secundum rectam rationem non solet fieri nisi ad magnifica opera externa, quæ magnos sumptus requirunt; talia autem pertinent ad magnificentiam : unde etiam ad eamdem pertinet affectum in hujusmodi sumptibus regere. Longe autem aliud spectant homines ut moderentur affectum in mediocribus tum honoribus, tum sumptibus, ut per se satis constat. Non tamen negaverim, quin ex eodem motivo, quo magnæ opes vel magni honores contemnuntur, possint etiam contemni parvi. Verum quia plerumque aliud motivum respicitur, quando de magnis agitur, aliud quando de mediocribus; ideo ad usum humanum et moralem diversa virtute opus fuit. Vide D. Thom. q. 129. art. 2. ubi tamen paulo aliter hæc explicat, etsi in re non sit discrepantia.

105. Opponuntur magnificentiæ duo vitia. Alterum per excessum, quod Aristoteles vocat βαναυσίαν, id est, operariam et indecoram diligentiam in sumptu faciendo ; ut cum quis de industria sumptus auget supra quam res poscat, aut decorum patiatur; sicut faciebat ille, qui in filii epulo natali, omnes cibos cum patinis argenteis, cum referrentur e mensa, projiciebat in Tiberim. Item qui in res parvas sumptus magnos facit, aut inconcinne splendorem et magnificentiam ostentat; sicut ille, qui scenæ præpositus substernebat histrionibus purpuram; et mercator, qui convivis ad cœnam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, etc. Hos etiam ἀπειρόκαλους vocat Aristoteles, id est, decori inexpertos et ignaros.

Alterum per defectum, quod Aristoteles vocat μικροπρέπειαν, D. Thomas *parvidecentiam,* cum quis præ angustia animi, operi magno pares sumptus non exhibet : ut si templo, vel cœnobio, quod extruendum suscepit, vellet facere parietes cratitios, aut tectum stamineum, ut minus expendat. *Hic,* ut Aristoteles ait, *magna pecunia consumpta, in parva honestum omne perdet et extinguet : quidquid facturus est, procrastinans et cunctabundus efficiet, et qua ratione quam minimo sumptu id conficere possit, considerabit ; et in his lamentabitur, et ingemiscet, omniaque se efficere majora quam oportet arbitrabitur.*

Hoc vitium per se non est nisi peccatum veniale; nisi forte ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificum, in quo perficiendo deficit, sit obstrictus.

DUBITATIO V.

QUID PATIENTIA ET LONGANIMITAS, ET DE ILLIUS GRADIBUS.

D. Thom. quæst. 136.

106. *Patientia* dupliciter, juxta D. Thomam, accipitur. 1°. Pro virtute, quæ firmat animum adversus timores, et dolores mortis, et malorum mortem inferentium; quæ enituit maxime in martyribus : hæc est pars fortitudinis integralis, vel ipsa virtus fortitudinis inadæquate concepta; de qua supra c. 1. dub. 1. hujus libri tertii. 2°. Pro virtute, quæ in aliis malis animum

confirmet, moderando mœrores qui ex illis percipi solent; ne videlicet propter hos a præscripto rationis recedat, seu aliquid indecori agat, ut in morte parentum, filiorum, amicorum; in exilio, in damnis, in morbis, in contumeliis, aliisque id genus malis : hæc enim magnos mœrores adferre solent qui hominem sæpe ab arce rationis, et officio virtutis deturbant, et ad malum concitant; hoc modo est virtus annexa fortitudini, ut secundaria principali.

Proxima igitur hujus virtutis materia est tristitia et afflictio animi ob mala prædicta incidere solita : hanc enim vel plane comprimit, vel moderatur, ei quamdam sui similitudinem veluti formam imprimens, et ita eam temperans ut recta ratio præscribit, et virum patientem decet; nimirum, ut rationem plene sui compotem relinquat, nec virtutes alias in suis officiis impediat. *Remota,* sunt actiones, verba, et gestus externi, quæ ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat; ita ut per tristitiam nihil indecori foris agat, sed mala se æquo animo ferre ostendat. *Remotissima* autem, sunt ipsa mala : hæc enim dicuntur materia patientiæ, non quod patientia illis formam, seu modum virtutis imprimat; hanc enim solis affectibus internis, et actionibus externis communicat : sed quia sunt objectum et causa tristitiæ, quæ proxima patientiæ est materia. Simili modo pericula mortis dicuntur materia fortitudinis.

107. Sed notandum est, hanc moderationem posse fieri dupliciter. 1°. Ex affectu solius honestatis, quæ in illa relucet; moderari enim tristitiam, et mentem in quadam æquanimitate conservare, statumque externum corporis huic conformem reddere, per se bonum est et honestum; et hoc modo patientia est virtus specialis, a cæteris distincta. 2°. Ex affectu alicujus peculiaris virtutis, quæ per tristitiam et afflictiones oppugnatur; et hoc modo, quod ad internum affectum actualem vel habitualem attinet, non est virtus distincta a cæteris; nam quævis virtus sicut amat honestum sui generis, ita ex vi hujus amoris resistit iis, quæ illi directe vel indirecte repugnant, animumque adversus ea firmat : hoc modo passim accipitur in Scripturis, et Patrum scriptis, et in sermone vulgari; quicumque enim affectu alicujus virtutis moderate fert afflictiones, patiens dicitur.

Hoc modo definitur a D. Augustino L. 83. QQ. q. 31. ex Cicerone, cum ait: *Patientia est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio;* ubi illud *honestatis,* intellige generatim de omni honesto, quod propter se expetitur; *utilitatis,* de eo, quod ad aliud honestum utile est, ut si patiaris pecuniæ consequendæ causa, quam solvas creditori: nam solius utilitatis causa, si utile ab honesto distinctum sit, pati, non est virtutis patientiæ. *Voluntaria,* non quod semper sit in potestate non pati; sed quia in potestate est malle pati, quam ab officio rationis desciscere, quam improbe vel indecore agere. *Diuturna,* intellige vel in re vel in animi præparatione; debet enim patiens esse animo comparatus ad patiendum longo tempore, si opus sit. Eodem pertinet descriptio D. Augustini, quam habet L. de Patientia, quem ex Indiculo constat esse ipsius, etsi Erasmus reclamet, c. 2. *Patientia hominis est, qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

Ex his perspicuum est, quam patientia sit necessaria; tam enim est necessaria ad salutem, quam est necessarium, hominem per hujus vitæ mala, quæ vel nostra mortalitas invehit, vel ab aliis irrogantur, a bono non abstrahi, aut ad malum non impelli; et quia hujusmodi mala maxime oppugnant Christianos ut rectam religionem deserant, aut juxta ejus præscriptum non vivant; ideo his maxime necessaria est, juxta illud Domini: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; quo significatur, salutem animæ non nisi per patientiam acquiri posse; *possidere* phrasi Hebræa accipitur pro acquirere; sicut ibi, *possedi hominem per Deum*, Genesis 4., et *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Proverb. 8. Parum apte hunc locum explicat Martinus de perfecto animæ dominio per patientiam; non tamen refert utrum hæc tolerantia malorum affectu solius honestatis, quæ proprie ad hanc virtutem pertinet, an illius, quæ oppugnatur, an utriusque fiat; nihil enim horum peculiariter est præceptum: expedit tamen quamplurimas rationes sibi propositas habere, ob quas mala fortiter sint perferenda; efficacius enim multa bona, quam unum movent.

108. *Longanimitas*, quam Græci μακροθυμίαν vocant, potius est pars patientiæ, vel ipsa virtus patientiæ inadæquate concepta, ut ex D. Thoma art. 5. colligitur, quam virtus distincta: nam inter mala, quæ patientia æquanimiter tolerat, unum est molestia, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione; hujus autem mali, seu incommodi tolerantia vocatur longanimitas. Itaque *longanimitas* nihil est aliud, quam patientia, ut circa tale malum versatur, spectata. Sic Deus longanimis dicitur, quatenus dum nos ad pœnitentiam invitat et expectat, moras nostras et tergiversationes tolerat, quæ illi quodammodo molestiam adferunt.

109. Vitia patientiæ adversa, sunt *insensibilitas* et *impatientia*. Illud per defectum: non enim est laudabile, nec naturæ humanæ consentaneum, nullis malis neque tuis, neque proximorum tangi; id enim signum est vel brutæ stoliditatis, vel inhumanæ duritiei: nec congruit amicitiæ et vitæ politicæ. Hoc vero per excessum: ut cum quis nimium dolet, aut etiam ex dolore a recto discedit. Quicumque enim ob dolorem vel mœrorem, ut illum vitet, pellat, aut soletur, animoque suo sic affecto indulgeat, aliquid mali facit, *impatiens* est; justum dolendi modum, quem patientia præscribit, exsuperans. *Impatiens* etiam dici solet, qui ira vel indignatione excedit, præsertim si hunc motum animi sui foris ostendat; nam ira etiam tristitiam et afflictionem includit: e contrario, qui non facile irascitur, patiens; quamvis hic potius mansuetus sit dicendus, alter iracundus.

Est autem hoc vitium per se peccatum veniale tantum; quia solum est excessus in dolore, vel iracundiæ motu, signo externo expressus; potest tamen esse mortiferum vel ratione scandali, vel ratione mali, quod quis ex impatientia facit. *Insensibilitas* seu durities raro est peccatum mortale; certe per se non potest esse nisi veniale.

110. Quod ad gradus patientiæ attinet, variis modis assignari possunt. 1°. Ex parte malorum quæ quis patitur: et sic primus gradus est, cum patientiam retinemus in damnis fortunarum. Secundus, in detrimentis

famæ. Tertius, in detrimentis corporis et vitæ; quo pertinet patientia Job, et sanctorum Martyrum, et in primis Christi Domini.

2°. Ex parte modi perferendi : sic primus gradus est tolerare sine murmuratione. Secundus, sine lamentatione et quærimoniis apud alios. Tertius, cum gaudio; sicut Apostoli, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* Jesu *contumeliam pati*. Ad hunc hortatur Apostolus Jacobus capite 1. suæ epistolæ; *Omne gaudium existimate, fratres,* etc.

3°. Ex parte causæ ipsius mali, quod patimur. Hoc modo primus gradus est, si patienter feramus mala, quæ pro culpis nostris, sive a Deo sive ab hominibus irrogantur. Secundus, si absque nostra culpa ab inimicis, vel aliis, qui nobis obstricti non sunt, illa patiamur. Tertius, si inferantur ab iis, qui multis beneficiis a nobis affecti fuerunt : illa enim ingratitudo maxime auget injuriæ atrocitatem, et provocat iram; unde difficillimum est erga tales retinere patientiam. Quartus est, hujusmodi injurias non solum æquo, sed etiam libenti animo perferre, et etiam desiderare; ut sic aliquo modo Dominum nostrum imitemur, qui omnia injuriarum et afflictionum genera ab iis quos summis beneficiis affecerat, patientissime sustinuit, et pro iisdem etiam Patrem rogavit.

DUBITATIO VI.

DE PERSEVERANTIA, ET CONSTANTIA, VITIISQUE OPPOSITIS.

D. Thom. quæst. 137. 138.

111. *Perseverantia* dupliciter accipitur. 1°. Pro continuatione justitiæ usque ad mortem; et sic non est peculiaris virtus, sed conditio quædam, seu circumstantia virtutis, in eo consistens, quod justitia adhæreat homini usque ad mortem. Hanc perseverantiam nemo habet complete et in actu secundo, nisi in termino vitæ : estque magnum illud donum proprium electorum, de quo D. Augustinus L. de bono Perseverantiæ.

2°. Pro proposito perseverandi in bono opere, quamdiu ratio dictabit; hoc autem dupliciter fieri potest. *Primo,* ex affectu peculiaris honestatis, quæ in illo opere spectari potest; ut cum quis vult perseverare in jejunio Quadragesimæ usque ad finem, vel ut carnem domet, vel ut pro peccatis satisfaciat, vel ut obediat Ecclesiæ, etc. ; aut in aliquo alio pio exercitio, bonaque consuetudine, ob peculiare bonum illius; hac ratione etiam non est una aliqua virtus, sed omnis; nam omnis virtus ex affectu proprii boni potest velle operis sui continuationem et durationem usque ad finem : omnis autem volitio, quæ ex affectu peculiaris boni alicujus virtutis oritur, ad illam virtutem pertinet : electio enim et intentio ejusdem sunt virtutis. *Secundo,* præcise ex affectu ipsius perseverantiæ et continuationis; nam usque ad finem constitutum in bono opere perseverare et continuare, per se honestum est, peculiaremque laudem meretur : hoc modo *perseverantia* est virtus peculiaris, de qua hoc loco D. Thomas; sicut enim *magnanimitas* est peculiaris virtus, quia in opere virtutis peculiarem rationem honesti intendit et efficit, (nimirum ut magnum sit, et animo generoso congruens),

et impedimentum ex honoris immodico affectu proveniens tollit : ita *perseverantia,* cum in opere virtutis intendat, et efficiat peculiarem rationem honesti, nimirum diuturnitatem et continuationem usque in finem ; vincatque tædium et molestiam, quæ ex diuturnitate obrepere solet, est virtus peculiaris.

112. Hujus igitur virtutis principalis materia est opus bonum cujusvis virtutis; forma, quam huic inserere intendit, est illius continuatio usque in finem, quem ratio præscripserit; sive ille sit finis vitæ, sive certi negotii, vel temporis præfiniti. *Continuationem* voco, non qua opus nunquam interpelletur (hæc enim homini ad longum tempus non est possibilis) sed qua suis temporibus repetatur, et non omittatur, dum statæ vices recurrunt.

Secundaria autem materia est molestia animi, quæ ex illa diuturnitate rei laboriosæ et difficilis capitur : hanc enim moderate fert et vincit hæc virtus; sicut patientia vincit molestias aliorum malorum. Dixi, *materiam secundariam,* quia præcipuum officium hujus virtutis cernitur circa opera bona; unde et nomen ab his contraxit, non a molestiis, quas sustinet : secus in patientia, cujus cum præcipuum munus sit mala æquanimiter ferre, ab illorum perpessione etiam nomen sortitur. Quæ tamen hic Martinus apud Cajetanum contra D. Thomam disputat, parvi sunt momenti, sicut et alia pleraque ejusdem auctoris, cum D. Thomam oppugnat : est enim in illis ut plurimum vel mera logomachia, vel aliena intelligentia.

113. *Constantia* parum a perseverantia differre videtur, in eaque includi; quid enim est aliud *perseverare,* quam usque in finem *constantem esse,* sibique in bono constare? nisi forte quis ita velit distinguere, quod *constantia* vincat difficultatem continuandi boni, quæ provenit ex naturali quadam animi mutabilitate, et impedimentis extrinsecis incidentibus : ut sunt blanditiæ, promissiones, displicendi timor, placendi cupiditas, etc. *perseverantia* vero difficultatem, quæ ex diuturnitate rei molestæ et laboriosæ oritur. Sed hæc distinctio neque ab auctoribus, neque vulgo servari solet; estque in re morali satis minuta : nam proprie ille etiam constans dicitur, qui in re ardua usque ad finem perstat ; et perseverans, qui ab externis impedimentis non vincitur. Distinguuntur tamen ratione et conceptibus : ratio enim *constantiæ* in eo sita est, quod homo sibi in bono proposito constet, sibique similis permaneat contra omnes difficultates occurrentes, idque quamdiu ratio dictabit. *Perseverantia* vero in eo, quod in cœptis pergat, eaque usque ad finem continuet.

114. His virtutibus duo extrema adversantur, *pertinacia* et *mollities* animi, vel *inconstantia* : hæc per defectum, illa per excessum; qui enim perseverat et firmus manet in proposito sive sentiendi, sive agendi ubi non oportet, vel plus quam oportet, *pertinax* dicitur : Aristoteli 7. Ethic. c. 9. σ'υρογνώμων, quod fortius æquo suæ sententiæ inhæreat, et ἰδιογνώμων, quia suæ sententiæ amantior : estque hoc veniale vel mortale, pro materiæ gravitate; ut cum quis non vult mutare fidem aut religionem falsam, quam semel suscepit, ne videatur inconstans; cum Princeps non vult revocare legem, quam usus deprehendit perniciosam, etc.

Qui vero facile mutat propositum, vocatur *inconstans;* si id faciat tædio diuturnitatis, vel similis incommodi, *mollis.* Est peccatum mortiferum, si tenebaris ex voto, vel præcepto, et materia sit gravis; ut cum quis deserit Institutum religiosum, etc. : si vero sit levis, veniale. Si nullo modo tenebaris, non erit peccatum mutare propositum, et relinquere primum exercitium : nisi forte id fiat ex inordinata aliqua passione; tunc enim inordinate a bono proposito desistis; ut recte Cajetanus verbo *Inconstantia* : de quo vide Gregorium homilia 3. in Ezechielem, sub finem.

LIBER TERTIUS.

DE TEMPERANTIA.

CAPUT I.

DE TEMPERANTIA, EJUSQUE PARTIBUS IN GENERE.

—

DUBITATIO I.

QUID SIT TEMPERANTIA, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quæst. 141.

115. Temperantia, græce σωφροσύνη, dupliciter accipitur, ut notat D. Thomas art. 2. in 0. 1°. Secundum amplitudinem suæ significationis, pro virtute, quæ refrænat affectum ab his, quæ ipsum contra præscriptum rationis alliciunt. *Temperantia* enim insinuat quamdam *temperiem* et moderationem, quam ratio actionibus et affectibus humanis imponit; quo modo non est virtus specialis; nam omnis virtus moralis id præstat. Justitia enim retrahit affectum a furtis, a rapinis, ab iniquis contractibus, et similibus, quæ ipsum ratione lucri ad se trahunt : fortitudo, a fuga : magnanimitas, a sectandis rebus caducis, et honoribus humanis, etc.

2°. Stricte, et κατ' ἐξοχὴν, pro virtute, quæ refrænat appetitum in his quæ maxime alliciunt : et sic est virtus magis specialis, et cardinalis, de qua hic agendum.

116. Hujus virtutis materia sunt delectationes corporales, non omnes, sed quæ tactu percipiuntur ex esculentis, et poculentis, et rebus venereis. Ubi notandum est ex Aristotele 3. Ethicorum c. 10. quasdam delectationes esse *spiritales,* quasdam *corporales. Spiritales* dicuntur quæ sequuntur operationem mentis, vel phantasiæ, ut sunt omnes, quæ ex contemplatione rerum divinarum, vel naturalium, vel cujusvis veritatis nascuntur : item ex honoribus, et fabularum narratione etc. Circa hujusmodi non est proprie temperantia : nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, quod hujusmodi oblectationes moderate, vel præter modum quærat, sed vel curiosus, vel ambitiosus, vel alio nomine; improprie tamen et metaphorice possunt dici intemperantes, qui in rebus spiritualibus sensibilem quamdam suavitatem nimium sectantur, quasi hæc sit præcipuus illius fructus; non

quod talis delectatio sit mala, vel prohibita; sed quia pluris, quam oportet, æstimatur, et solidæ virtuti præponitur.

Corporales sunt quæ capiuntur per sensus externos; sed neque circa has omnes versatur hæc virtus : quia nemo judicatur temperans, aut intemperans, quod aspectu cœlorum et figurarum, aut cantu, aut odoribus moderate aut immodice delectetur; nisi quatenus hæc incitant ad delectationes gustus, vel tactus. Restant igitur duorum sensuum voluptates, inter quas et illas hæc est differentia, quod hæ sint homini cum reliquis animalibus communes, reliquorum vero sensuum homini propriæ; solus enim homo delectatur coloribus, et vocibus, et odoribus, propter ipsam objectorum suavitatem, et perfectionem, absque ullo respectu ad voluptates tactus aut gustus : cætera vero animalia nequaquam, sed solum ut hæc imaginationem cibi aut commixtionis ingerunt, horumque simul cupiditatem excitant; non enim lupus delectatur figura ovis per se, aut balatu, aut odore; sed esca, et illis per accidens tantum, quatenus apprehensionem escæ vicinæ concitant. Sic aves cantu, non ob dulcedinem et proportionem, sed ut excitat ad conjunctionem : cujus signum est, quod non delectentur nisi voce sui generis; non enim passer cantu lusciniæ, sed suæ speciei gaudet, eique respondet.

Igitur temperantia primario versatur in voluptatibus gustus et tactus moderandis : hæ enim et vehementissimæ sunt, et a ratione longissime abducunt; sunt enim nobis cum bestiis communes, et ea parte, qua cum illis convenimus, percipiuntur : unde etiam maxime turpitudinem, et dedecus conjunctum habent, cum similes brutis faciant; quare maxime necessaria fuit virtus quæ has frænaret, et secundum rationis præscriptum, quæ humanarum actionum est mensura, ut homine sint dignæ, moderaretur. Secundario tamen etiam in oblectatione aliorum sensuum; nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem tactus vel gustatus, mediante imaginatione, incitant : ejusdem enim virtutis est moderari finem, et ea quæ sunt ad finem.

Adverte tamen voluptatem gustatus, si per se et solitarie spectetur, non esse sufficientem materiam temperantiæ; tum quia hæc non magni æstimatur, neque magnam difficultatem affert, ut patet in iis, qui una probandi causa degustant, aut obsonia condiunt; tum quia non dicitur quis intemperans, Græcis ἀκόλαστος, quod in deliciis ciborum, et saporum oblectamentis excedat, si in aliis modum servet; sed delicatus et τρυφερός : tum quia præcipua oblectatio cibi et potius non est in gustando, sed in fruendo; quæ fruitio fit per contactum, maxime dum trajiciuntur per œsophagum. Unde helluo quidam, Philoxenus nomine, optabat sibi collum longius collo gruis, ut qui contactu cibi, quam gustatu magis delectaretur; ut Aristoteles L. 3. Ethic. c. 10. refert. Itaque hæc voluptas non sufficit, nisi accedat ea, quæ est per sensum tangendi. Verum quia etiam ex saporibus per sensum gustatus magna voluptas capitur, et propter hanc multi intemperanter edunt et bibunt, utramque ad materiam temperantiæ dicimus pertinere; maxime cum gustatio fiat per contactum, et Aristoteles dicat gustatum esse quemdam tactum.

117. Ex his patet 1°. quæ sit *proxima* hujus virtutis materia, cui suam formam imprimit : cum enim circa delectabilia tactus, id est, esculenta, poculenta, et venerea versetur, ut in horum appetitione, delectatione et usu externo modum rationis servemus ; sequitur proximam temperantiæ materiam esse horum appetitionem et delectationem : his enim anima affectibus immediate modum rationis imponit, eos frænando et coercendo, ne debitum modum excedant, ne vim menti inferant; sed tales sint, ut animum sui compotem, suæque spontis relinquant. *Remotior,* est ipse externus usus : huic quoque modum imponit, faciendo ut talis sit, qualis temperantem virum decet. *Remotissima* autem, sunt ipsa objecta delectabilia.

Itaque officium temperantiæ est, moderate se habere in illis delectabilibus, non solum usu et actu externo, sed etiam affectibus internis ; nimirum interius appetendo quantum, quale, ubi, quando, et quo modo oportet, et similiter exterius usurpando ; sicut principale officium fortitudinis, fortiter agere, non solum exterius in opere, sed etiam interius in affectibus. Idem docet D. Augustinus L. de morib. Eccles. c. 19. *Munus ejus,* temperantiæ, *est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, et a fructu bonitatis ejus, quod est beata vita.* Fusius et distinctius officium hujus virtutis expressit D Prosper (al. Jul. Pomerius) L. 3. de vita contemplat. c. 19. *Temperantia,* inquit, *temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum; hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit,* etc. ubi quasdam functiones tribuit temperantiæ, ut, cogitationes sanctas inserere, desideria sancta multiplicare, animi teporem accendere, mentem ab omni vitiorum tempestate defendere, non quod ipsa hos actus eliciat, sed quia est optima dispositio, hominem ad eos præparans, et expeditum reddens : facit enim mentem maxime idoneam rerum divinarum meditationi ; ex meditatione autem et ex consideratione omnes reliquæ virtutes procedunt : nam omnia pene vitia et peccata proveniunt ex defectu considerationis, quod bona et mala pro meritis non expendantur ; unde videmus, omnes pene Sanctos per abstinentiam ad virtutum culmen pervenisse, eamque esse cæterarum veluti fundamentum ; unde Philo in libello de supplicum virtutibus : *Continentiam primum tanquam fundamentum in anima collocant, deinde cæteras virtutes superstruunt;* et Menander ipsam ἀρετῆς ταμεῖον, penum virtutis vocat ; quia omnis virtus ex illa facile veluti ex quodam penu depromitur.

Patet 2°. Temperantiam merito dici virtutem *cardinalem* seu principalem ; sicut enim fortitudo est virtus cardinalis, quia confirmat animum adversus ea, quæ inter omnia ardua contra rationem maxime absterrent ; ita temperantia, quia coercet in iis, quæ inter omnia delectabilia maxime contra rationem alliciunt : sicut enim illa versatur in principali arduo et terribili, animum contra illud confirmando ; ita hæc in principali delectabili, appetitum coercendo.

DUBITATIO III.

QUÆ SIT REGULA TEMPERANTIÆ STATUENDA.

D. Thom. quæst. 141. *art.* 6.

118. *Resp.* Hanc a sanctis Patribus et Scriptura sacra statui in ipsa rerum ad hanc vitam et hujus vitæ officia pertinentium necessitate. Ita D. Augustinus L. de moribus Ecclesiæ c. 21. *Habet*, inquit, *vir temperans, in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ regulam, utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu*; ubi nota illud, *vitæ et officiorum necessitatem.* Hieronym. in c. 44. Ezech. explicans illud, *Et dices ad exasperantem : Caro similiter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur ; cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus : quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ, et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus; qui bibit vinum modicum propter stomachum et frequentes infirmitates, et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam,* etc. Idem tradunt alii.

Hic tamen sub *necessitate* intelligunt etiam utilitatem et convenientiam : non enim illud solum dicitur necessarium vitæ humanæ, ejusque officiis, sine quo viveré, aut ea officia obire non potes ; sed etiam sine quo non potes commode et convenienter tuo statui, spectata conditione loci, personarum quibuscum vivis, et negotiorum occurrentium. Eodem pertinent multæ sententiæ Scripturarum, Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem : initium,* id est, caput et summa eorum, quæ vitæ hominis sunt necessaria. Simili phrasi dictum est Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Et Psal. 118. *Principium verborum tuorum veritas.* 1. ad Cor. 7. *Hoc itaque dico, fratres : tempus breve est : reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint..., et qui gaudent, tanquam non gaudentes..., et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi*; et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* ; et similia.

Ut autem clarius quænam sit temperantiæ regula intelligatur,

119. Notandum est, aliam esse ejus regulam ut versatur in esculentis et poculentis ; aliam ut in venereis : nam alius debet esse finis in horum usu, alius in illorum. Ut igitur circa cibum et potum versatur, ejus regula sumenda est ex fine, ob quem illa usurpantur : hic autem est bona corporis valetudo, et mentis ad suas functiones idonea dispositio ; quorum utrumque indicavit D. Augustinus illis verbis, *ad vitæ et officiorum necessitatem* ; ob hanc enim causam, et quatenus ad hunc finem expedit, secundum rectam rationem est edendum et bibendum ; non amplius, nec alio modo, nisi forte in aliquo casu, ubi id necessarium foret ad finem majoris momenti, v. g. ad evadendam mortem, vel aliud grave malum; nec etiam minus,

nisi ob similem causam, vel nisi finis altior intendatur, v. g. satisfactio pro peccatis, etc. Ratio est, quia cibus et potus, et omnis voluptas quæ est in illis, a natura, seu a Deo naturæ conditore ordinata est ad corporis assiduas, quas calor efficit, ruinas sarciendas; illudque quantum ista mortalitas patitur, in sua integritate et vigore conservandum : corporis autem bona constitutio est propter animæ functiones; nam si *corpus corruptibile aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem;* multo magis id faciet si mala affectio accesserit; quare mensura in appetitione, delectatione et usu ciborum servanda, ex hoc fine sumenda est. Itaque qui plus comedit aut bibit, vel sæpius, vel alio modo, vel res alias quam congruit valetudini, aut mentis functionibus, non servat temperantiæ regulam. Idem dicendum de eo, qui solius voluptatis causa; ut ex testimonio D. Augustini colligitur : appetere enim vel facere aliquid solius voluptatis causa, etiamsi ea licita sit, non est opus virtutis, aut ulla laude dignum; quia hoc motivum non est per se honestum, sed inferioris ordinis; quale etiam in brutis locum habeat.

Qua vero parte versatur in re venerea, temperantiæ regula extra conjugium est, ab his penitus abstinere : in conjugio eatenus uti, quatenus expedit prolis causa, non voluptatis; vide D. Augustinum L. de bono conjugali c. 6. et 7.

DUBITATIO III.

QUÆ VITIA TEMPERANTIÆ IN GENERE ADVERSENTUR:

D. Thom. quæst. 142.

120. *Respondeo.* Hæc duo ei adversari, *intemperantiam* et *stuporem :* hoc D. Thomas vocat *insensibilitatem;* id enim sonat ἀναισθησία, quod latine usitatius *stupor* dicitur; *stupidi* enim dicuntur, qui parum sentiunt. Illud opponitur temperantiæ per excessum, hoc per defectum. *Stupor* enim est, cum quis ita aversatur et fugit delectationes tactus et gustus, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet : quod vitium rarum est; pauci enim in voluptatibus ideo peccant, quod parum eas expetant, ut Aristoteles ait L. 2. Ethic. c. 7. Erit peccatum mortiferum, si ex eo prætermittat quis id, ad quod sub peccato mortifero obligatur; quale est reddere debitum conjugi exigenti, sumere cibum ad vitam necessarium: veniale, si ad illud obligetur sub veniali. Vide Cajetanum verbo *Insensibilitas.* Denique peccatum erit, saltem veniale, quamvis non obligetur, si omnem delectationem gustatus fugere velit, tanquam per se malam et peccatum; nisi ignorantia excuset : quia hoc judicium est contra rectam rationem, et ex falso fundamento procedit; est enim delectatio illa per se bonum indifferens; non autem bonum vel malum morale. Secus, si ob aliquam justam causam, v. g. causa castigandi corporis, satisfaciendi pro peccatis, etc. sicut multi Sanctorum fecere.

121. *Intemperantia* (Aristoteli ἀκολασία) est excessus in concupiscendis vel fruendis delectationibus gustus vel tactus : ut cum appetuntur, vel usur-

pantur, quando, vel ubi non oportet, vel plusquam oportet, vel non eo modo quo oportet, vel quas non oportet; estque peccatum mortiferum, aut veniale, pro conditione materiæ in qua versatur.

Notandum autem 1°. hoc vitium inter omnia vitia humana esse maxime probrosum et infame; ut docet Aristoteles L. 3. Ethic. c. 12. Ratio est, tum quia homo vincitur a delectationibus infimis, quas cum brutis habet communes; et ita similis fit brutis, et in eorum ordinem redigitur, humanæ naturæ dignitate, et rationis luce veluti extincta; fit mancipium ventris et gulæ, et rerum vilissimarum servus : *a quo enim quis victus est, hujus et servus efficitur,* Apostolo teste; tum quia in illis voluptatibus fruendis, nihil, sicut in aliis vitiis, elucet ingenii, nihil industriæ, nihil generositatis, nihil quod hominem deceat; sed brutus sine ratione impetus, et cæca sui ad pastum et venerem abjectio. Dixi, *inter vitia humana,* id est, quæ hominis naturæ aliquo modo sunt conformia, quia magis probrosa sunt quæ a natura humana prorsus abhorrent; ut delectari esca carnis humanæ, vel brutorum aut masculorum concubitu: quæ vitia Aristoteli L. 7. Ethic. c. 5. non sunt humana, sed ferina, vel morbosa; quia ex prava dispositione, et corrupta phantasia fit ut videantur delectabilia, a quibus natura alias maxime abhorret; et ideo sunt pejora quam simplex intemperantia : non tamen negat ea ad intemperantiam pertinere; sed potius vult in illis summam intemperantiam esse, ut quæ modum humanum excedat.

Notandum 2°. idem vitium ab Aristotele L. 3. Ethic. c. 12. ad puerilia vitia referri, quia concupiscentia est similis puero; idque ob quatuor causas, quas ibi attingit. *Primo,* quia sicut puer impetu fertur ad ea, quæ oblectant, absque rationis directione; ita concupiscentia. *Secundo,* puer si suo arbitrio permittatur, crescit in propria voluntate, magisque fit in dies rebellis, juxta illud Ecclesiastici 30. *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps* : concupiscentia, si suis motibus sinatur, augetur in dies, magisque fit rationi refractaria. *Tertio,* puer emendatur, si coerceatur : concupiscentia, si coerceatur et comprimatur, ad debitum honestatis modum perducitur. *Quarto,* puer debet vivere ex præscripto pædagogi; concupiscens animæ facultas, ex imperio rationis.

DUBITATIO IV.

QUÆ SINT PARTES TEMPERANTIÆ.

D. Thom. quæst. 143.

122. Divus Thomas partes triplices statuit hujus virtutis, sicut supra fortitudinis; integrantes, subjectivas, et potentiales. *Integrantes* duas, *verecundiam* et *honestatem* : nam integrum officium temperantiæ duabus partibus constat; fuga turpitudinis intemperantiæ, et amore decoris temperantiæ : ad fugam turpitudinis juvat verecundia : ad amorem decoris, honestas.

Ubi adverte, *verecundiam* non esse proprie virtutem, sed passionem; dici tamen late virtutem, quatenus laudabile est fugere turpia et probro digna, quod facit hæc passio; est enim timor probri ex consideratione rei vel facti turpis seu probrosi. Itaque cum probrum fugiat, facit etiam ut vitemus ea

quæ probro sunt digna; qualia maxime sunt peccata intemperantiæ: et hac ratione juvat virtutem temperantiæ, estque aliqualis ad eam dispositio.

Honestum in moralibus dupliciter accipitur: 1°. Generatim, et sic convenit omni operi virtutis: nam ratio honesti moralis consistit in conformitate cum judicio rectæ rationis, tanquam regula operationis naturæ rationalis, et cum ipsa natura rationali ut fundamento illius regulæ. Hæc autem conformitas rationem virtutis constituit in operibus humanis, ac proinde reperitur in omni actu virtutis; differt autem a ratione delectabilis, quæ est in eodem opere, consideratione. Ratio enim delectabilis in eo sita est, quod aptum sit parere delectationem; ratio honesti, in conformitate cum judicio recto. Verum hæc est causa et fundamentum illius in opere virtutis: quia delectatio sequitur ex eo, quod objectum sit conforme. Itaque honestum, cum sit conforme rationi, erit etiam delectabile rationali parti; sicut ea, quæ sensibus sunt consentanea, sunt delectabilia parti sensitivæ: omnis enim delectabilitas nascitur ex conformitate et consensione, vel cum ratione, vel cum sensu, vel cum natura, vel cum aliqua dispositione ingenita aut acquisita naturæ sentientis, aut intelligentis.

2°. Capitur honestum stricte, pro eo in quo peculiariter elucet decor temperantiæ; hic autem decor elucet: *Primo*, in operibus temperantiæ: hæc enim habent peculiarem pulchritudinem, quatenus excludunt ea, quæ hominem maxime dedecorant; ut sunt voluptates brutorum. *Secundo*, in ipso habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiæ inclinat. *Tertio*, in quadam inclinatione speciali, quam quidam habent ad castitatem et alia temperantiæ opera: videntur enim quidam natura casti et sobrii. Si *primo* modo spectetur, est conditio quædam operum temperantiæ. Si *secundo* modo, sic potest dici pars temperantiæ; quia reipsa non videtur distingui ab habitu, sed esse ipsemet habitus temperantiæ inadæquate conceptus; quatenus nimirum inclinat ad honestum sui generis: sicut enim sunt duo officia hujus virtutis, fugere turpia, et sectari honesta; ita etiam possunt duæ ejus partes statui ut ad hæc se extendit. Si *tertio* modo, sic etiam potest dici pars temperantiæ, quia juvat ad sectandum temperantiæ decus; sicut verecundia juvat ad fugiendam ejus turpitudinem. Vide D. Thomam q. 145. art. 4. ubi satis breviter et obscure hanc rem expedit.

123. *Partes subjectivæ*, seu species temperantiæ, sunt *abstinentia, sobrietas, castitas*, et *pudicitia*: quod ex D. Thoma sic ostendi potest. Species enim virtutum, distinctionem accipiunt ex ordine ad diversa objecta vel materias; materia autem temperantiæ sunt delectationes tactus, quarum duo sunt genera: quædam enim pertinent ad alimentum, quod constat cibo et potu; et in his quoad cibum, est *abstinentia*, quoad potum, *sobrietas*. Aliæ delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia est principalis ex ipso actu conjunctionis; et circa hanc versatur *castitas*; aliæ secundariæ, ex osculis, tactibus, amplexibus: circa has est *pudicitia*.

Ex quibus patet, temperantiam, secundum D. Thomam, non sic esse virtutem specialem, quasi sit species specialissima; (cum alias species sub se complectatur) sed quia non est communis, sicut quando significat communem virtutis conditionem; nec ad materiam alterius generis se extendit.

124. *Partes potentiales* temperantiæ sunt virtutes quædam secundariæ, quæ modum illum, quem temperantia servat in frænanda cupiditate circa maximas et principales voluptates, retinent circa materias secundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinate tendentem, et efficiens in aliqua materia moderationem, potest dici pars temperantiæ, seu virtus ei adjuncta. Tribus autem modis potest fieri hæc moderatio: *Primo,* in motibus animi internis. *Secundo,* in motibus externis. *Tertio,* in rebus externis. Motus interni, quibus anima prosequitur aliquid, (præter concupiscentiam, quam moderatur temperantia) sunt tres. *Primus,* est motus voluntatis concitatæ impetu passionis: et hunc refrænat *continentia;* qua fit ut licet pars inferior patiatur magnos impetus concupiscentiæ, superior tamen non vincatur. *Secundus,* est motus spei, tendentis inordinate in excellentiam aliquam: hunc refrænat *humilitas. Tertius,* est motus iræ tendens in vindictam: hunc coercet *mansuetudo,* cui affinis est *clementia.* Externa autem quæ moderatione indigent, sunt duo, motus externi, et cultus externus. Motus externos (sub quibus etiam verba intellige) temperat virtus quædam, quæ *modestia morum* dici potest. Cultum autem externum et omnem apparatum externum regit alia virtus, quam *modestiam cultus* vocare possumus. Itaque partes potentiales temperantiæ sunt *continentia, humilitas, mansuetudo, clementia,* et *modestia* duplex. Interdum tamen *modestia* accipitur generalius, ut contineat etiam humilitatem et studiositatem, ut patet ex D. Thoma q. 143. et 160. art. 2. ubi quatuor ponit species modestiæ.

CAPUT II.

DE SPECIEBUS TEMPERANTIÆ, ABSTINENTIA, SOBRIETATE, CASTITATE, PUDICITIA.

DUBITATIO I.

QUID SIT ABSTINENTIA.

D. Thom. quæst. 146.

125. Abstinentia in materia temperantiæ significat proprie alimentorum subtractionem, quæ major sit, quam ratio temperantiæ per se postulet; non enim qui temperate bis vescitur carnibus per diem, sumpto forte mane jentaculo, dicitur abstinere vel esse abstinens, sed temperans: unde proprie significat majorem quemdam et insigniorem virtutis temperantiæ, circa cibos versantis, actum, et hanc ipsam virtutem, qua parte ad talem actum se extendit: hoc modo passim accipitur a Patribus, qui de abstinentia loquuntur, et 2. Pet. 1. *Ministrate... in scientia abstinentiam.* Tamen D. Thomas hoc loco accipit hoc nomen ut significet integram virtutem temperantiæ circa

cibos; quæ alioquin nomine specifico caret, et solet nomine communi temperantiæ appellari.

Abstinentia igitur hoc modo accepta, est virtus cupiditates et delectationes esculentorum inordinatas refrænans, et in ipso usu debitam moderationem constituens. *Inordinatæ* autem illæ esse possunt, vel quia trahunt ad id quod est illicitum, v. g. ad vescendum cibo vetito, vel loco, aut tempore incongruo; vel ad nimiam quantitatem; vel ad modum indecorum; vel quia nimis sunt vehementes et importunæ, non sinentes hominem aliud quam de cibo et ventre cogitare. Hæc igitur omnia resecat et tollit virtus abstinentiæ; facit autem hoc eo modo, quo ratio et appetitus superior rationi conformis, appetitum inferiorem regere et coercere solet.

Debita moderatio in ipso usu requisita est, quæ valetudini et officiis mentis congruit; unde D. Augustinus L. 10. Confess. c. 31. n. 41. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*; vel certe quæ congruit castigationi corporis et carni subjugandæ spiritui, absque notabili valetudinis læsione: etsi enim delectationes ciborum non sint appetendæ aut usurpandæ, nisi quatenus valetudini corporis et idoneæ dispositioni mentis ad suas functiones obeundas congruit, (nisi forte in casu aliquo particulari, ob causam extrinsecam ratio aliud poscat); tamen hæc mensura non semper est servanda in illis subtrahendis: possunt enim occurrere circumstantiæ et justæ causæ, ob quas expediat abstinere etiam plus quam valetudini congruit, v. g. ut caro castigetur et spiritui subjiciatur, ut pro peccatis satisfiat, etc. etiamsi vires corporis minuantur; modo tamen non graviter brevi tempore valetudo frangatur, ita ut mens reddatur ad suas functiones ineptior: ea enim bona est corporis valetudo, quæ optime menti servit; nam corpus est propter animæ functiones.

Notandum tamen est, quando abstinentia est major, quam ratio temperantiæ per se postulat, non semper illam fieri ex affectu virtutis, quæ sit species temperantiæ; ac proinde nec esse semper actum talis speciei formaliter: si enim fiat tantum affectu placendi Deo, erit formaliter opus charitatis; si ut satisfacias pro peccatis, erit opus pœnitentiæ; si ut carnem subjicias spiritui, erit opus castitatis; hujus enim est frangere libidinem, ac motus carnis inde sequentes, et facere illam rationi parere: si autem quia congruit tibi ad hoc ut mens sit magis idonea ad suas functiones, sic erit proprie actus hujus virtutis. Ex cujuscumque tamen virtutis affectu procedat, semper dicetur actus temperantiæ et abstinentiæ; quia est actus virtutis in materia abstinentiæ.

Porro qui abstinentiæ sunt dediti, his duo vitia potissimum vitanda sunt, *impatientia* et *superbia*; ut eleganter docet D. Gregorius, 3. parte Pastoralis, admonit. 20. *Impatientia* quidem, quia abstinentia exsiccat corpus, humores accendit, et biliosos efficit. *Superbia* vero, quia magni æstimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparens, et speciem eximiæ sanctitatis præ se ferens; vide plura hac de re loco notato, et apud D. Augustinum L. 10. Confess. cap. 30.

DUBITATIO II.

QUID SOBRIETAS, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quæst. 149.

126. Hoc nomen tripliciter accipitur : 1°. Generatim pro virtute temperantiæ : Sap. 8. *Sobrietatem et prudentiam docet,* ubi græce est σωφροσύνην, id est, temperantiam. Simili modo accipitur ad Titum 2. *Sobrie, et juste, et pie vivamus;* græce σωφρόνως. 2°. Magis stricte, pro temperantia cibi et potus; ita vulgo dicuntur *sobrii,* non solum qui parce bibunt, sed etiam qui parum comedunt. 3°. Strictissime et proprie pro moderatione potus valentis inebriare; proprie enim *sobrii* dicuntur (græce νηφάλιοι), qui in potu inebriante ita sibi temperant, ut judicii serenitatem conservent; sicut e contrario *ebrii,* qui debitam mensuram excedunt; ita ut judicium notabiliter offuscetur : sic accipitur crebro in Scripturis; Ecclesiastici 31., ad Tit. 2., 1. Pet. 5. et alibi.

Hoc modo accepta *sobrietas est virtus, quæ affectum et usum potionis inebriare valentis debite moderatur. Affectum,* quia cum sit species temperantiæ, versatur immediate circa passiones. *Usum,* quia in usu externo materiæ perficitur opus virtutis moralis : nimirum quando formam suam, hoc est rationis regulam, non solum affectui interno, sed etiam operi externo imprimit, ut supra sæpius ostensum est. Imo ideo formantur affectus interni ad virtutis normam, ut illorum moderatio in opera externa redundet.

Potus inebriare valentis. Hæc enim est propria materia, etsi remota, hujus virtutis; si non possit inebriare, non pertinebit ad hanc virtutem : neque excessus erit contra *sobrietatem;* sed contra virtutem *abstinentiæ,* ut recte D. Thomas art. 2. ad 1. ut si quis excedat in potu aquæ ob voluptatem, quam percipit vel ex refrigerio, vel ex ejus dulcedine, si sit saccharata.

Debite moderatur. Ut hæc moderatio debito modo fiat, debet congruere serenitati mentis et judicii, ita ut eam nullo modo lædat, aut notabiliter obtenebret; hoc enim proprie est officium hujus virtutis, ea mensura uti potu inebriante, quando eo utendum est, quæ mentis functiones non impediat, vel offendat.

127. *Dices* : Ergo hæc virtus non distinguitur a virtute abstinentiæ, quia etiam hujus officium est, uti moderate cibo et potu, ut congruit valetudini et functionibus mentis.

R. Si nomen abstinentiæ sumatur ut vulgo solet, et sicut a sanctis Patribus passim usurpatur, *sobrietas* est pars abstinentiæ : nemo enim dicitur habere virtutem abstinentiæ, qui est intemperans vini, vel alterius potus inebriantis, quantumvis alioquin sit moderatus in usu cibi et potus imbecillioris.

Si vero hoc nomen strictissime sumatur, ut accipit D. Thomas, sic potest inveniri aliqua distinctio; nam congrua moderatio in usu vini, (sub vini nomine intellige omnem potum vinosum et inebriantem) habet peculiarem difficultatem, quæ non est in moderatione cibi et potus alterius; tum quia

homines passim sunt magis proclives ad excessum in vino, quam in cibo; tum quia excessus in illo est multo facilior; tum denique quia est gravior, et majorem noxiam infert; ut Proverb. 23. dicitur : *Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Hinc fit ut in ejus usu requiratur peculiaris virtus, quæ hæc præstet; quam proprie vocamus *sobrietatem,* a servanda *bria;* quæ vox mensuram vini significat, juxta Donatum, eo quod maxime in usu vini, moderatio seu mensura sit adhibenda. Quæ vero moderationem adhibet in usu cibi et potus alterius, v. g. aquæ, vel lactis, in qua non est tanta difficultas, nec tantum periculi, communi nomine dicitur *abstinentia,*

128. *Petes,* In quibus maxime hæc virtus requiratur?

R. Esse quidem aliquo modo necessariam omnibus, peculiari tamen ratione episcopis, principibus, et senibus; præterea feminis, et adolescentibus, ut recte D. Thomas art. 4.

1ª. *Pars* patet, tum quia omnes debent resistere tentationibus carnis, quas absque hac virtute moraliter impossibile est vivere : *Luxuriosa* enim *res vinum,* ut ait Sapiens, Proverb. 20. nimirum si immoderate sumatur; et Apostolus ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria* : tum quia omnes debent esse vigilantes, et excubare animo adversus insidias diaboli, quod absque hac virtute fieri nequit; unde apostolus Petrus epist. 1. c. 5. *Sobrii estote,* græce νήψατε, *et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*; et 1. ad Thessal. 5. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus* ; græce νήφωμεν· tum denique quia *neque ebriosi... regnum Dei possidebunt,* 1. ad Cor. 6.

2ª. *Pars probatur* : Episcopi enim, principes, et senes præ cæteris ad functiones sibi proprias requirunt mentis serenitatem, quam præstat sobrietas.

Episcopi quidem, sub quibus intelligendi cæteri Ecclesiæ ministri, ut notat D. Thomas, quia ipsorum est vacare orationi, lectioni sacræ, erudiendo populo, et sacramentorum administrationi; quæ omnia mentem puram, serenam, et pervigilem requirunt. Unde Apostolus inter cætera, quæ in episcopis requirit, ponit sobrietatem.

Principes, quia debent populum sibi subditum juste gubernare : ad quod summa vigilantia opus est, tum ut idoneos ministros constituant; tum ut jam constitutis invigilent, ut hi officium præstent, ne privatis potius commodis, quam bono publico studeant; tum denique ut peculiariter curent ne causæ pauperum negligantur, vel pervertantur. Unde Proverb. 31. 4. *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas; et ne forte bibant et obliviscantur judiciorum, et mutent causam filiorum pauperis.* Vide de hoc plura apud Alexandrum ab Alexandro L. 3. c. 11.

Denique senes, quia in his ratio vigere debet ad aliorum eruditionem; nihil enim turpius ebrioso et fatuo sene : unde Apostolus ad Tit. 2. jubet moneri *senes ut sobrii sint.*

3ª. *Pars* patet; adolescentibus enim est necessaria sobrietas, ob fervorem illius ætatis : unde ante annum trigesimum vinum bibere, etiam viris, apud Romanos criminosum erat, ut Alexander ab Alexandro loco citato refert.

Feminis vero ob judicii debilitatem, quod facile usu vini perturbatur ; eo vero perturbato, facile aliquid indecori committunt : unde olim apud Romanos mulieribus vinum bibere non licebat, teste Plinio L. 14. c. 13. et Valerio Max. L. 2. c. 1.

DUBITATIO III.

QUID CASTITAS, ET IN QUIBUS REBUS VERSETUR.

D. Thom. quæst. 151.

129. Castitas proprie significat puritatem quamdam, a voluptatibus et actibus carnalibus, in quibus est peculiaris quædam turpitudo et impuritas, alienam. Generatim vero, vel potius per metaphoram, puritatem animi ab omni amore et delectatione inordinata creaturarum, atque adeo ab omni labe peccati, quæ in amore creaturarum male ordinato consistit ; quo modo dixit Apostolus 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Sic D. Augustinus L. de mendacio, c. 20. n. 41. *Castitas enim est amor ordinatus, non subdens majora minoribus ;* et hanc dicit pudicitiæ corporis anteferendam. Verum nos hic de *castitate* proprie loquimur, quæ circa voluptates carnis versatur. Igitur sicut abstinentia moderatur affectum et usum in esculentis, sobrietas in poculentis; ita *castitas* in venereis, ne plus, alio tempore, loco, modo illis delectemur, vel utamur, quam rectæ rationis præscripto secundum præsentem statum congruit.

Est autem *castitas* alia perfecta, alia imperfecta. *Perfecta* est quæ ab omnibus voluptatibus carnis, tam licitis quam illicitis, perpetuo abstinere proponit : unde etiam affectum nuptiarum excludit. *Imperfecta* est, quæ vel solum ad tempus id proponit, vel solum ab illicitis abstinere, et licitis moderate uti, ut in matrimonio. Hæc autem moderatio consistit in debito loco, tempore, modo, et fine; qui enim cum hisce circumstantiis matrimonio utitur, ab aliis abstinet, castitate conjugali præditus est.

130. *Dices* : Etsi abstinere a voluptatibus illicitis, et in licitis adhibere debitam moderationem, sit per se honestum, ac proinde virtutis objectum ; tamen non videtur per se honestum abstinere licitis et moderatis ; tum quia nemo in statu innocentiæ ab illis abstinuisset, cum pertineant ad speciei humanæ propagationem ; tum quia usus illarum est actus virtutis, ac proinde abstinentia illarum non potest esse virtutis opus ; quia virtus virtuti non est contraria.

R. Si *per se honestum* dicatur id, quod in omni statu, et cum quibusvis circumstantiis honestum est ; sic abstinere ab illis voluptatibus non est per se honestum ; quia initio mundi, genere humano nondum satis propagato, honestum non fuisset : sicut neque jejunia, aliæque afflictiones honestæ fuissent in statu innocentiæ. Si vero per se honestum dicatur, quod in præsenti statu cum circumstantiis nunc passim occurrentibus, absque relatione ad finem extrinsecum, honestum est ; sic abstinere a licitis voluptatibus matrimonii est per se honestum, quia non solum quatenus fit propter Deum est honestum, sed etiam ex propria ratione, quatenus id per se hominem liberat multis rerum secularium curis, et reddit magis idoneum et expedi-

tum ad functiones mentis, facitque similiorem spiritibus angelicis; et hac ratione est objectum virtutis castitatis. Unde castitas perfecta videtur specie distingui a castitate conjugali (quod etiam insinuat D. Thomas q. 152. art. 3.); quia alia ratio honesti et laudabilis reperitur in absoluta abstinentia, alia in moderato usu.

131. Ex dictis facile intelligas quæ sit castitatis materia, et quod officium. Proxima enim materia sunt interni concupiscentiæ motus; hos enim vel comprimit, vel secundum rationis normam componit.

Remotior, sunt actus externi, qui vel sunt prævii conjunctioni, ut aspectus, oscula, tactus, vel sunt ipsa conjunctio. Et quidem ut hæc virtus circa ipsam conjunctionem versatur, affectum ab ea avocando, vel debito modo ea utendo, vocatur *castitas* : ut vero circa actus prævios simili modo se habet, *pudicitia,* ut D. Thomas annotavit; est tamen una eademque virtus circa prævia, et circa principale. Vel certe dicitur *castitas,* quatenus inordinatum affectum et usum venereorum resecat; *pudicitia,* quatenus pudori, qui in usu illorum esse solet, est conformis. De laude castitatis vide D. Augustinum in serm. passim.

DUBITATIO IV.

QUID SIT VIRGINITAS.

D. Thom. quæst. 152.

132. *Virginitas* a virore dicta putatur, quia denotat immunitatem a concupiscentiæ adustione : quæ adustio fit cum homo illius motibus consentit.

Dupliciter hoc nomen accipitur: 1°. Pro carnis integritate, libidinosæ contagionis expertæ : et sic non est virtus, sed quid naturale, cum quo nascimur; quod etiam inviti perdere possumus. 2°. Pro voluntate et proposito illius integritatis et puritatis servandæ, vel perpetuo, vel saltem usque ad tempus conjugii : et hoc modo virtus est; et quidem si usque ad tempus conjugii duntaxat, non est proprie virginitatis virtus (nam simul consistit cum proposito virginitatis et integritatis violandæ), sed status quidam castitatis, ut inquit Cajetan. art.. 1. §. *Ad evidentiam,* ubi ad virginitatem, ut denotat statum castitatis, duo requirit : ex parte quidem corporis, non esse voluntarie pollutum : ex parte animi, propositum ita se servandi, nisi matrimonio jungatur. At virtus *virginitatis* prorsus tale propositum excludit : quia neque in re, neque in affectu cum violatione stare potest. Hanc D. Augustinus L. de sancta Virginitate c. 13. n. 12. sic definit: *Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Itaque hæc virtus in subjecto supponit et connotat *integritatem carnis,* et *immunitatem* a contagio libidinis, et formaliter in eo sita est, quod hanc perpetuo tueri intendat, omnia illi contraria vitando. *Meditationem* vocat, quia est propositum multam curam et meditationem postulans, ut illum thesaurum conservet.

133. *Dices* : Illa integritas et puritas est quid naturale; ergo ejus conservatio non est virtus, sed quiddam per se indifferens. Confirmatur, quia

habere illam non est objectum per se honestum; ergo circa illam per se non versatur aliqua virtus; omnis enim virtus est amor et affectus boni per se honesti.

R. Illam integritatem carnis dupliciter spectari posse: 1°. Ut est a natura, vel ut ejus conservatio non est in nostra potestate: et hoc modo non est objectum hujus virtutis, quia non est laude aut vituperio digna; et hac ratione recte dixit D. Thomas art. 1. integritatem carnis per accidens se habere ad virtutem virginitatis; nam sine hujus virtutis amissione potest amitti.

2°. Ut subest nostræ potestati: et sic est objectum virtutis; quia laudabile est, cum in potestate tua fuerit libidinis contagione inquinari, non esse tamen inquinatum: sicut laudabile est, cum potueris transgredi, non esse transgressum, et servasse innocentiam: nam illud ipsum per se est dignitas quædam et ornamentum naturæ rationalis, per quod et longius recedit a conditione brutorum, et propius accedit ad similitudinem angelorum, ut dictum est de castitate.

Dices: Innocentia, quæ consistit in nunquam peccasse mortifere, est res laudabilis, et magnum ornamentum naturæ; non tamen requirit aliquam peculiarem virtutem, sed sufficiunt illæ virtutes, quæ impediunt peccata, quibus amittitur innocentia; ergo similiter integritas illa non requirit aliquam virtutem, præter eam, quæ impedit actus carnales, quibus illa amittitur, quæ est castitas.

R. Hoc argumento recte probari, virtutem *virginitatis* non distingui a *castitate,* nisi connotato, sed esse ipsam virtutem castitatis in subjecto incorrupto; utriusque enim officium est vitare omnem libidinis contagionem, et subjectum servare immune in posterum a tali labe. Sed virginitas ulterius connotat hoc subjectum nunquam antea fuisse libidine contaminatum: quod non includit ratio castitatis. Itaque *virginitas*, ut est virtus, nihil est aliud quam castitas perfecta, integritati et puritati carnis conjuncta. *Perfectam* voco, quæ consistit in proposito abstinendi perpetuo ab omni voluptate carnali tam licita quam illicita. *Imperfecta* enim est, quæ solum ab illicita, vel ad tempus abstinere proponit.

Nec obstat, quod D. Thomas art. 3. in 0. dicat virginitatem se habere ad castitatem sicut magnificentia ad liberalitatem; quia loquitur de castitate imperfecta, quatenus dicit propositum abstinendi a voluptatibus illicitis, seu *ab inordinatione venereæ voluptatis,* ut ipse inquit: respectu enim hujus virginitas habet quamdam excellentiam; sicut magnificentia ad liberalitatem: quia sicut liberalitas versatur circa sumptus et opera mediocria, magnificentia circa magna; ita castitas illa solum mediocre aliquid præstat, dum illicitas duntaxat voluptates abdicat; virginitas vero magnum quiddam et arduum, etiam concessas perpetuo repudians. Proportio tamen non tenet in omnibus; quia virginitas non respicit suum objectum sub ratione magni et ardui, sicut magnificentia: neque hoc D. Thomas intendit, ut recte Cajetanus art. 3. contra Martinum.

134. Notandum est, etiamsi objectum virginitatis, nempe conservatio integritatis et puritatis carnis, per se honestum sit; tamen quia est valde difficile, et nuda ratio honestatis, quæ illi per se inest, non satis virium habet

ad animos hominum absque majoris boni spe alliciendos, raros vel forte nullos in mundo esse, qui solo intuitu honestatis illius, rem tam difficilem amplectantur. Itaque plura motiva, et consequenter plures virtutum rationes concurrunt ad animum promovendum, v. g. quia Deo gratum; quia ipsi, voto dicatum; quia præbet facultatem melius Deo serviendi; quia liberat a multis inutilibus et superfluis curis. Unde ad diversas virtutes iste integritatis affectus pertinere potest. Et hac ratione D. Thomas indicat virginitatem, ut est virtus, importare propositum integritatis perpetuæ voto firmatum (sub hac enim consideratione passim colitur); quo modo formaliter ad religionem, et ratione solum materiæ ad temperantiam pertinet. Non tamen negat D. Thomas, quin virginitas etiam sit virtus absque voto, ratione propriæ honestatis, et pulchritudinis sui objecti.

DUBITATIO V.

UTRUM VIRGINITAS SIT PRÆSTANTIOR MATRIMONIO.

D. Thom. quæst. 152. *art.* 4.

135. Comparatio fit non inter Sacramentum matrimonii (quod consistit in ipso contractu) et virginitatem, sed inter statum matrimonii et statum virginitatis, ut diversas vivendi formas continent. In statu virginitatis generatim cœlibatum intellige.

Jovinianus etsi fateretur, propter hujus vitæ necessitatem, ne conjugales patiamur molestias, virginitatem esse præferendam; unde nec ipse uxorem habere volebat, ut refert D. Augustinus hæresi 82., tamen apud Deum hos status pares fecit, affirmans non majoris esse meriti cultum virginitatis, quam matrimonii. *Dicit*, inquit Hieronymus L. 1. contra Jovinianum, *virgines, viduas, et maritatas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti.* Eadem docent hæretici nostri temporis, quibus addunt etiam deteriora : 1°. Virginitatem non solum non esse majoris meriti apud Deum; sed esse impiam superstitionem, si cum opinione cultus, id est, veluti obsequium Deo gratum servetur. Quia, inquiunt, omnis cultus a Deo non præceptus est superstitio. 2°. Si servetur ob hujus vitæ commoditatem, vel ob Evangelii prædicationem commodius obeundam, non esse quidem per se malam; stultum tamen esse se ad illam obstringere, aut illam velle servare, nisi quis habeat singulare quoddam donum continentiæ, quod paucissimis datur, et sciat se illud habere. Ita Lutherus in libello, quem inscripsit Epithalamium; et Calvinus L. 4. Institutionum capite 13. §. 17. 18. et 19.

136. Sed fide tenendum est, statum virginitatis conjugio esse præferendum, non solum ratione commoditatis hujus vitæ, sed etiam propter fructum spiritalem et majus meritum apud Deum, atque adeo propter vitam æternam. Probat id fuse D. Hieronymus L. 1. contra Jovinianum, et D. Augustinus L. de bono conjugali, et L. de sancta Virginitate. Nos præcipua duntaxat argumenta adducemus.

Prob. I. Ex Scripturis. Matth. 19. cum discipuli dixissent : *Si ita est causa*

hominis cum uxore, non expedit nubere; Dominus dixit illis : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est : sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus ; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Ex hoc loco tria perspicue colliguntur : 1°. Virginitatem esse conjugio præferendam ; approbat enim Dominus quod dixerant discipuli, Non expedit nubere. Si non expedit nubere, ergo expedit non nubere, ut HIERONYMUS inquit ; melior ergo virginitas nuptiis.

2°. Virginitatem esse præferendam propter regnum cœlorum, id est, vitam æternam, et non tantum propter vitæ hujus commoditatem. Hæretici per *regnum cœlorum* intelligunt prædicationem Evangelii. Sed contra. Quia sic castratio illa, quam Christus commendat, non pertineret ad feminas (his enim non competit Evangelii prædicatio); sed ad solos viros, eosque paucissimos, nimirum verbi divini prædicatores ; quod repugnat ipsi Calvino, qui supra num. 18. et 19. professionem cœlibatus etiam feminis, sed senioribus permittit. Deinde est contra communem sententiam Patrum, qui hic præmium vitæ æternæ intelligunt. HIERONYMUS L. 1. contra Jovinianum, n. 12. exponens hæc verba, *Proponit*, inquit, ἀγονοθέτης *præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamitat : Qui sitit, veniat et bibat.* D. AUGUSTINUS L. de sancta Virginit. cap. 23. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, Veritas dicit, eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint, castrare seipsos propter regnum cœlorum : et contra humana vanitas impia temeritate contendit* (notent hoc hæretici), *eos, qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare, in regno autem cœlorum amplius quidpiam cæteris non habere.* CHRYSOSTOMUS homil. 63. (al. 62. n. 3.) in Matth. *His omnibus ad optandam eligendamque virginitatem inducit. Possibile namque id esse hominibus, hoc fere modo confirmat. Cogita tecum, si aut a natura eunuchus esses, aut injuria hominum sic effectus : quid faceres, cum et hujusmodi voluptate careres, et nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantesque coronas habebis, si ita vives, quemadmodum sine aliquo præmio illi*, etc. D. BASILIUS L. de vera Virginitate, n. 57. de istis spadonibus loquens : *Ipsi semet propter regna cœlorum ad virginitatis præclarum certamen exercent : conjugiumque et simul omne seculum, ejus servandæ causa, contemnunt, regnum cœleste cum sudore et gloriosis laboribus capessunt.* Omitto cæteros ; omnes enim idem docent.

3°. Colligitur virginitatem præponi omnibus, illamque servare, per gratiam Dei esse in nostra potestate : omnes enim ad illam invitat, cum ait : *Qui potest capere, capiat;* sicut omnes invitat ad fidem et doctrinæ suæ considerationem, cum ait : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Ita docent Patres omnes, HIERONYMUS et CHRYSOSTOMUS in verbis allatis, et idem CHRYSOST. homilia illa 63. (al. 62. n. 3. 4.) explicans illa verba : *Qui potest capere, capiat. Ita*, inquit, *magis animat atque incendit, vel quia magnitudinem virtutis ostendit; vel quia inæstimabili misericordia sua noluit rem in necessitatem legis concludere. Et ad hæc, possibile id esse monstrat, ut eligendi cupiditas crescere possit.* Deinde objicit : *Si electionis opus id est, inquies, quo modo dixi : Non omnes capiunt, sed quibus datum est?* Respon-

det : *Ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut sorte datam necessitatem suspiceris; his enim datum est, qui sponte id eligunt; quod ideo dixit, ut ostenderet superiore auxilio nobis opus esse; quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac lucta superiores evadere; solitus quippe est, quando res ardua proponitur, uti hoc modo dicendi.* Similia habet CYPRIANUS L. de habitu Virginum : BASILIUS L. de vera Virginitate, et alii, qui docent generatim omnes ad continentiam invitari.

Dices : Si omnes id possunt capere, quo modo dicit Dominus : *Qui potest capere, capiat?*

R. *Capere* hoc loco est practice intelligere, id est, judicare hoc sibi expediens esse ad salutem, ita ut affectus quoque in id trahatur. Itaque non omnes possunt *capere,* nimirum potentia propinqua et sufficiente : quia non omnes satis sunt instructi ut tantum bonum intelligant, nec divinitus excitati ut illud ament; omnes tamen possunt *capere* potentia remota, quæ in actum reduci valeat, si velint; omnes enim (de Christianis loquor) cum audiunt virginitatis fructus prædicari, possunt petere a Deo ut illuminentur, et illam valeant amplecti. Simili modo, omnes qui audiunt fidei prædicationem, possunt credere, quamvis fides non minus sit donum Dei, quam continentia; cur autem tali modo loquendi utatur, supra explicatum ex CHRYSOSTOMO.

Eadem veritas probari potest ex 1. ad Corinth. 7. ubi multa in hanc sententiam habentur. Apostolus enim quæstionibus Corinthiorum respondens, dicit : 1°. *Bonum est homini mulierem non tangere;* unde refert HIERONYMUS; ergo malum est tangere, id est, minus bonum. Nec obstat quod subdit Apostolus : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Non enim vult dicere ut quisque propter fornicationem ducat uxorem; alioquin ut recte HIERONYMUS ait : *Hac excusatione libidini frena laxasset, ut quotiescumque uxor moritur, toties ducenda sit alia, ne fornicemur : sed suam,* inquit, *habeat, id est, sua utatur, quam habebat antequam crederet,* quod sequentibus verbis fusius explicat : *uxori vir debitum reddat,* etc. 2°. *Volo omnes vos esse sicut meipsum,* id est, opto vos omnes esse cœlibes; præfert ergo cœlibatum conjugio. 3°. *Dico autem non nuptis et viduis; bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Hic rursus cœlibatum præfert. 4°. *De virginibus præceptum Domini non habeo* (nimirum ut maneant in virginitate); *consilium autem do tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Nec obstat quod subdit : *Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem;* quasi virginitatem præferat propter necessitates hujus vitæ : nam per *instantem necessitatem* intelligit necessitatem moriendi quotidie impendentem, et vitæ hujus brevitatem, ut ipsemet paulo post explicat, cum ait : *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint,* etc. ut ergo tempus redimamus, ut breve illud incertumque spatium vitæ, quod nobis superest, saluberrime expendamus, nobis utilissima est virginitas. 5°. *Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem,* etc. 6°. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit.* 7°. *Beatior erit, si sic permanserit* (nimirum libera a viro) *secundum meum consilium : puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.*

Denique probat idipsum Apostolus hac ratione; *Mulier innupta et virgo*

cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quo modo placeat viro, etc. ubi rationem affert cur virginitas matrimonio sit præstantior: nimirum quia illa liberat hominem vinculis seculi et præbet facultatem perfecte serviendi et vacandi Deo, hoc vero seculi vinculis astringit, et istam facultatem eripit.

Idem probatur Apocalypsis 14. *Nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Ili sequuntur Agnum quocumque ierit.* Ubi insinuatur eximium quoddam præmium præparatum virginibus, quod aliis non dabitur; quem locum eleganter tractat Augustinus L. de sancta Virginitate, cap. 27. 28. et 29. et Hieronymus supra.

Prob II. Ex Patribus, quorum testimonia sunt infinita, nec hæretici diffitentur. Vide Augustinum, et Hieronymum locis citatis, Cyprianum de habitu virginum, Ambrosium L. 1. de Virginibus, Basil. de vera Virginitate.

Prob. III. Ratione. 1°. Conjugium per se non est bonum virtutis, sed naturæ, et indifferens, per se nulla laude dignum. Unde Hieronymus: *Non peccat,* inquit, *si ducit uxorem; non tamen bene facit, si duxerit:* intellige *non bene facere* per se loquendo, nempe si nihil aliud quam ipsum matrimonium, ejusque commoda, voluptates et sobolem spectaverit, ut passim homines solent: nam nec amor sobolis et posteritatis per se est virtutis, sed naturæ tantum affectus: unde omnibus communis; et nemo inde præcise laudem meretur. Idem colligitur ex L. 3. hypognost. ubi inter cætera quæ de bono naturæ oriuntur, et adiaphora censentur, numeratur *velle ducere uxorem.* Virginitas vero est bonum honestum, eximiæ virtutis objectum, adeo ut apud omnes gentes semper in admiratione fuerit habitum, quasi humanam conditionem superans, et soli numini dicandum, ut constat de Vestalibus Romanorum, de Bonziis Japonensium et Sinensium, de Monachis Turcorum.

2°. Matrimonium quoad usum et inclinationem convenit homini secundum portionem inferiorem, qua similis est brutis: virginitas autem convenit homini magis secundum portionem superiorem, qua similis est angelis. Etsi enim integritas incorruptionis sit in carne; inclinatio tamen ad illam et affectus non inest carni, sed spiritui; neque est naturalis, sed supernaturalis, et cœlestis, ut pulchre explicat Ambrosius L. 1. de Virginibus. Unde similes facit angelis, juxta illud Domini, Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Et D. Augustinus L. de sancta Virginitate cap. 13. n. 12. *Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia tori fidem invicem servant, quia sacramentum connubii non violant: hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est; et in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis,* etc.

3°. Actus proprius et præcipuus matrimonii habet conjunctam maximam verecundiam: unde etiam requirit secretum; nec quisquam est tam impudens, quin testes omnes, famulos, cognatos, paranymphos, etiam suos liberos, qui sunt ipsius matrimonii fructus, abesse velit, quando illi actui dat ope-

ram; ut docet D. Augustinus L. 14. de Civit. cap. 18. et 20; quod est evidens signum, in hoc opere inesse turpitudinem et dedecus, illudque minus decere hominem, qua homo est: non enim nisi de re turpi et dedecorosa erubescimus. Ratio est, tum quia præterquam quod iste actus convenit homini, qua parte similis est brutis, membra in illo non obediunt rationi: de qua inobedientia, cum sit pœna peccati, inflicta propter inobedientiam mentis erga Deum, erubescit animus; ut docet D. Augustinus dicto L. 14. c. 17. et sequentibus. Quanquam non dubitaverim, etiam in statu naturæ nudæ talem verecundiam fuisse futuram. Turpe enim est animo, carnem suam regere non posse: tunc tamen non fuisset pœna peccati, sed naturæ imperfectio. Deinde quia in actu illo *pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruitur*, ut Augustinus ait. Indecorum autem est menti, ita a carnis voluptate vinci, ut quasi sui compos, suique juris non sit.

4°. Matrimonium implicat hominem voluptatibus carnis, quæ maxime mentem a studio orationis et rebus spiritualibus impediunt; ut enim D. Augustinus L. 14. de Civ. Dei c. 16. docet, illa voluptas hominem intrinsecus et extrinsecus sibi vindicat, totumque commovet, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto: unde animus efficitur carnalis, plenus cogitationibus et affectibus carnalibus. Itaque Apostolus 1. ad Cor. 7. monet abstinere ab usu conjugii, quando orationi vacandum. Et Hieronymus, *Oro te*, inquit, *quale illud bonum est quod orare prohibet? quod corpus Christi accipi non permittit? quandiu impleo mariti officium, non impleo Christiani*, etc.

5°. Implicat sollicitudinibus hujus seculi. *Primo*, ut alter alteri placeat. *Secundo*, ut ipsi cum familia honorate inter suos vivant. *Tertio*, ut proles decenter educent. *Quarto*, ut amplam hæreditatem illis relinquant: quibus in rebus videmus conjuges passim adeo occupari, ut vix dimidiam horam per hebdomadam servitio divino impendere queant. Colligitur ex Apostolo supra. Declarat hoc D. Basilius L. de vera Virginitate n. 23.: *Quæ*, inquit, *mortali connubio conjuncta est, ad suam ipsius curam, viri quoque altera adjecta, geminam in una anima ex conjuncto sibi corpore sollicitudinem necessario sustinet: nec ea unius tantum corporis causa laborat, sed in una anima, et ad suum, et ad viri corpus curandum jugiter intenta dividitur. Ubi vero filios post cubiculi solemnia, et secreta commercia parturire, ac in lucem edere cœperit, per unumquemque nascentem animo scinditur, et præsentibus miseriis, nascituri cura semper adjicitur*, etc.

6°. Affert intolerabile onus vivendi semper cum eodem conjuge, et ei in officio conjugali obsequendi. Nisi enim summa sit morum consensio, diuturna illa cohabitatio parit mutuum fastidium: et multæ incurrunt offensiones, quæ animos divellunt, et veluti antipathiam quamdam ingenerant, ut sæpe mutuum conspectum vix ferre possint: nihilominus matrimonii nexu tanquam compedibus vincti, non possunt se invicem effugere, sed coguntur semper una manere, una vivere, comedere, bibere, dormire, et vel inviti in actu conjugali sibi mutuo obsequi; ut merito dixerit Sapiens, Ecclesiastæ 7. 27. *Inveni amariorem morte mulierem.*

Ex his discriminibus possumus sic ratiocinari. Id est melius et Deo gratius, per quod homo magis avocatur a voluptatibus carnis et curis hujus seculi: sed virginitas est talis; ergo est præstantior et gratior Deo quam conjugium.

Secundo, id est melius et Deo carius, quod maxime præbet facultatem orandi, et Deo serviendi: sed virginitas talem facultatem maxime præbet, et matrimonium eamdem impedit, ut patet ex dictis, et docet expresse Apostolus 1. ad Corinth. 7. ergo, etc. Tertio, id est melius et Deo carius, per quod homo propter Deum abstinet a maximis carnis voluptatibus, et se totum Deo consecrat, quam id per quod se totum rebus seculi et voluptatibus immergit: atqui talis est virginitas; ergo, etc. Denique, id est melius, quod Dominus noster, quod Apostoli, et præcipui Sanctorum complexi sunt: sed hi complexi sunt virginitatem, vel si aliqui eorum juncti erant matrimonio, abstinuerunt ab usu conjugii, ut Hieronymus de Apostolis ait; ergo, etc.

137. *Obj. I.* Genes. 1. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Hic Dominus videtur dare præceptum conjugii, ac proinde vetare virginitatem. Confirmatur ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.*

R. 1°. Præcepto illo Geneseos non imponi obligationem singulis, sed primo et per se ipsi multitudini, seu generi humano; unde non tenentur singuli illud exequi, sed sufficit satis multos esse in genere humano, qui huic officio non desint, quantum nimirum opus est ad generis humani propagationem. Ita D. Thomas art. 4. ad 1. Et sane si hoc argumentum aliquam vim haberet, sequeretur, Christum Dominum, utrumque sanctum Joannem, et præcipuos Sanctorum contra præceptum divinum fecisse.

R. 2°. Illis verbis non tam significari præceptum, quam benedictionem; per quam tribuit eis generandi facultatem et fœcunditatem; quod aperte indicant illa verba: *Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram, et dominamini piscibus maris,* etc. Sunt ergo verba benedicentis, fœcunditatem et dominium tribuentis, non præcipientis. Simili modo paulo ante benedixit piscibus et avibus, dicens: *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram;* vide D. Augustinum L. 14. de Civ. Dei c. 21. Fateor tamen, initio mundi non vi illius præcepti, sed jure naturali ob necessitatem propagandæ naturæ singulos ad matrimonium contrahendum fuisse obstrictos: qua necessitate, propagato jam satis humano genere, cessante, cessavit etiam obligatio illius præcepti; sicut cessante necessitate et inopia pauperis, desinit obligatio præcepti naturalis eleemosynæ. *Desinit,* inquam, non in actu primo; (manet enim semper habitualis obligatio pro tempore, quo posset incidere necessitas), sed in actu secundo; quia hic et nunc non tenemur ad opus. Pari modo non tenemur hic et nunc ad matrimonium, nisi forte posita tali necessitate, qualis erat initio mundi, et statim post diluvium.

Ad locum Apostoli respondeo, illum loqui de junioribus feminis, maxime viduis, quæ se non continebant; ut patet ex illis verbis: *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia*; id est, ne male vivendo et fornicando dent occasionem gentilibus male loquendi de Christianis, et eorum religionem calumniandi; has expedit nubere, quia id melius est, quam sub specie cœlibatus mala vita religionem Christianam infamare.

Obj. II. Id est melius, quod plus boni confert mundo: sed matrimonium plus boni in mundum adducit, quam virginitas: parit enim multas proles, quæ postea piæ institutæ multa ad gloriam Dei acturæ sunt, et Deum perpe-

tuo in beatitudine laudaturæ. Confirmatur, quia totum bonum generis humani est ex matrimonio: sublato enim matrimonii officio periret mundus, et omnia bona opera conciderent.

R. Si hoc argumentum valeret, probaret etiam, opus matrimonii omnibus aliis operibus bonis esse præferendum; quia sine illo cætera omnia concident: prius enim quisque debet nasci, quod fit per usum matrimonii, quam possit aliquid boni operari; unde etiam expedict ducere quam plurimas uxores, ut plurimæ proles suscipi possint, quæ postea salvæ fiant; vide D. Augustinum de sancta Virginitate c. 9. ubi hoc argumentum solvit. Primum igitur negari potest major in sensu ad nostrum propositum accommodato. *Melius* enim hic vocamus, quod est magis salutare, magisque expediens homini ad salutem: quo modo non semper est melius, quod plus boni confert mundo, ut patet in cura pastorali, in administratione regni, aliisque functionibus publicis, per quas etsi multum boni possit fieri in mundo, tamen melius et perfectius est servire Deo in religione. Sic qui pecunia sua emit multos servos ethnicos ut eos faciat Christianos, non audebit pecuniam suam comparare muneri sacræ virginitatis, ut Augustinus ait. Id enim melius, quod hominem magis cum Deo conjungit, eique magis gratum efficit: quale non est matrimonium, sed virginitas. Secundo, negari potest minor: matrimonium enim non plus boni confert mundo, quam virginitas, sed multo minus; matrimonium enim per se solum producit peccatores et filios iræ, virginitas autem producit eosdem in esse Christiani et filii Dei: sanctificatio enim illorum per sacramenta, et pia institutio fit per ministros Ecclesiæ, qui virginitatem seu cœlibatum colunt. Deinde plus boni est vacare Deo, ejusque obsequio totum esse addictum, quod facit virginitas, quam vacare liberorum procreationi; minimum enim bonum divinum majoris est momenti, quam totum bonum creaturarum. Denique Deus, mundo jam satis repleto, non quærit qui filios hominum et peccatores procreent, quorum satis magnus est numerus, sed qui illos convertant et regenerent in filios Dei; ad quod aptissima dispositio est virginitas, non matrimonium: sicut enim matrimonium est institutum ad replendam terram, ita virginitas ad replendum cœlum, ut Hieronymus ait L. 1. contra Jovinianum, et Tertullianus L., de monogamia.

Ad confirmationem. Bonum virtutis est ex matrimonio solum remote, quatenus natura supponitur gratiæ: unde non potest ex hoc colligi ejus perfectio; sicut nec perfectio carnis aut sensuum externorum, ex eo quod sine his concideret mundus, et non possemus mereri. Addo, virginitatem esse præferendam per se, et quamdiu non est periculum, defectu conjugii periturum mundum.

Obj. III. Nihil assumendum in cultum, nisi quod Deus præcepit; juxta illud Deuteronomii 12. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas*: sed Deus virginitatem non præcepit; ergo non potest assumi ad colendum, et gratum obsequium Deo exhibendum, quinimo est superstitio et ἐθελοθρησκεία.

R. Majorem esse non solum falsam, sed etiam fatuam, et omni specie veritatis destitutam; ut alibi ostensum est.

Obj. IV. Nemo potest continere nisi habeat donum continentiæ; Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum illud, sed quibus datum est*; et Sapientiæ 8. Nemo

potest *esse continens, nisi Deus det*; sed hoc donum non omnibus datur; ergo stulte facit, qui continentiæ se addicit, nesciens an hoc donum habeat; stultum enim est se obstringere ad id, quod nescit an possit implere.

R. Si hoc argumentum valeret, nemo etiam posset amplecti fidem Christi, nisi ante sciret se donum fidei et perseverantiæ habere: nec quisquam posset jungi matrimonio, nisi sciret se donum continentiæ conjugalis habere, quæ non minus est donum Dei, quam continentia virginalis juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*

R. Sicut auxilium amici dupliciter haberi potest, nimirum in actu primo, cum amicus est paratus ferre opem, si rogetur; et in actu secundo, cum reipsa juvat: ita donum continentiæ dupliciter haberi potest in actu primo, seu in paratione divina, et in actu secundo. Omnes igitur qui cupiunt continere, habent donum continentiæ in actu primo: Deus enim ex parte sua paratus est illos juvare, ut reipsa continentiam præstent; ac proinde in potestate illorum est habere donum continentiæ in actu secundo, si ex parte sua collaborare, et idonea remedia adhibere voluerint; ut docet D. Chrysostomus supra homilia 63. in Matthæum, Hieronymus, in caput 19. Matthæi, Augustinus L. 6. Confessionum, cap. 11. in fine.

Remedia autem quæ ex parte sua adhibere debent, potissimum sunt tria; *oratio, jejunium,* et *feminarum devitatio:* cum enim tentationes carnis oriantur vel ex suggestione diaboli, vel ex redundantia cibi et potus, vel ex feminarum aspectu et consuetudine; contra primum adhibenda oratio, sub qua comprehendimus etiam Sacramentorum, præsertim sanctissimæ Eucharistiæ, usum: hoc enim est *frumentum electorum, et vinum germinans virgines*, Zachariæ 9. Contra secundum, jejunium. Contra tertium, vitatio aspectus et nimiæ familiaritatis feminarum; quibus ex parte nostra adhibitis, non deerit donum continentiæ in actu secundo, quo facili negotio continentiam præstemus.

CAPUT III.

DE GULA, EBRIETATE, ET LUXURIA.

Hæc vitia virtutibus superiore capite expositis opponuntur; gula abstinentiæ; ebrietas sobrietati; luxuria castitati.

DUBITATIO I.

QUID GULA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quæst. 148.

138. Hoc nomen dupliciter accipitur: 1°. Generalius, ut etiam comprehendat inordinationem, quæ contingit in potu: et hoc modo dividitur a quibusdam in *comessationem* et *ebrietatem,* tanquam in species; quarum

meminit Apostolus ad Romanos 13. *Non in comessationibus et ebrietatibus.* Puto tamen *comessationem* ibi amplius involvere, κῶμος enim (qua voce ibi utitur Apostolus) significat lascivam compotationem cum impuro cantu, aliisque temulentis dictis et factis; ut ex scholiis Photii, Theophylacto, et aliis auctoribus Græcis constat. Hoc apud Latinos vocatur comessatio, non tam a comedendo, quam a κωμάζειν, quod est compotationi lascivæ deditum esse. 2°. Stricte, ut opponitur virtuti *abstinentiæ* stricte acceptæ : et hoc modo sicut abstinentia est virtus, quæ facit nos moderate appetere et uti cibo, et potu non inebriante; ita *gula* est vitium in appetitione et usu delectationis cibi et potus debitum modum, id est, præscriptum rationis excedens.

Hoc autem fieri potest quinque modis, ut pulchre ostendit D. Thomas art. 4. ex D. Gregorio L. 30. Moralium c. 27. (al. 18. n. 60.) qui hoc versiculo continentur, *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.* Nam excessus spectari potest vel circa ipsum cibum, qui huic homini non congruit, vel circa illius sumptionem. Circa cibum, vel ratione substantiæ, vel qualitatis, vel quantitatis.

Ratione *substantiæ* est excessus, cum appetuntur cibi pretiosiores, quam conveniat statui; ut si religiosus, contemptis aliis cibis, nolit comedere nisi perdices, phasianos, ficedulas. Hoc insinuatur per *laute.*

Ratione *qualitatis;* ut cum in condimentis et studio præparandi est excessus : ut si nolit comedere, nisi multo saccharo, vel succis variis sit conditum. Hoc indicat *studiose.*

Ratione *quantitatis;* cum nimium comeditur, id est, plus quam natura requirat : qui modus est frequentissimus.

Circa ipsam *sumptionem* potest esse excessus, vel ratione *modi;* ut si quis voraciter comedat, cibos non mansos devorando, sicut canes, et leones. Hoc significat *ardenter.*

Vel ratione *temporis,* debitum tempus præveniendo; vel etiam sæpius quam deceat comedendo. Quod indicat *præpropere.*

Differunt autem hæ inordinationes specie, secundum D. Thomam; unde etiam diversæ in diversis reperiuntur : alii enim solum peccant in pretiositate ciborum, quia nihil illis sapit, nisi peregrinum et sumptuosum : alii in quantitate : alii in voracitate : alii in crebritate sumendi : alii in pluribus horum : alii in paucioribus. Expressit hos quinque modos D. Gregorius loco cit. his verbis : *Quinque modis nos gulæ vitium tentat : aliquando namque indigentiæ tempora prævenit : aliquando lautiores cibos quærit: aliquando quæ sumenda sunt, accuratius præparari appetit : aliquando in ipsa quantitate sumendi, mensuram refectionis excedit : aliquando in ipso æstu immensi desiderii aliquis peccat.*

139. *Petes,* Utrum his modis omnes gulæ species contineantur; videntur enim esse aliquæ aliæ : nam qui comedit carnes tempore vetito, peccat peccato gulæ; similiter qui comedit ante communionem : et tamen nullo horum modorum peccant. Idem videtur de illo qui loco indebito, v. g. in templo, vel in foro comedit; item qui cibis noxiis utitur; denique qui in carne humana, vel carbonibus, aliisque cibis execrandis delectatur.

R. Illas solas esse gulæ species, quæ constituuntur per circumstantias inducentes diversas inordinationes, oppositas virtuti abstinentiæ. Tales autem

videntur esse solum quinque supradictæ, quia inordinatio, quam inducunt, non repugnat proprie alteri virtuti quam abstinentiæ. Circumstantiæ vero, quæ inducunt inordinationem repugnantem alteri virtuti, non constituunt speciem gulæ, sed alterius vitii, ad quod illa inordinatio per se pertinet; v. g. ex eo quod cibus sit noxius, non constituitur species gulæ; quia nocere naturæ suæ non est contra virtutem abstinentiæ sed contra charitatem sui. Unde in usu talis cibi non est alia inordinatio propria gulæ, quam quod cibus nimis ardenter appetatur, ita ut ex ejus affectu homo velit nocere valetudini. Itaque in casibus propositis non constituitur distincta species gulæ, sed inordinatio gulæ, quæ in illis reperitur, pertinet ad aliquem ex modis prædictis; etsi in quibusdam, alterius speciei malitia sit conjuncta.

Itaque in primo casu est species gulæ, quatenus comeditur *præpropere*; seu quia conveniens tempus utendi tali cibo prævenitur. Cajetanus respondens Martino refert ad primum modum, ubi cibus ratione substantiæ non congruit homini: sed hic revera congruit ratione substantiæ, sed solum ratione temporis non congruit; sicuti cum debitum tempus prævenitur.

In secundo similiter prævenitur tempus conveniens. Vel dicito potius esse peccatum sacrilegii quam gulæ, quia non tam peccat tunc comedendo, quam volendo post cibum communicare.

In tertio casu, cum in loco incongruo, si id fiat affectu gulæ, ut quia non potest differre donec venerit domum, reducitur ad *præpropere*, vel *nimis ardenter*. Circumstantia autem loci illius non constituit speciem propriam gulæ, quia non inducit inordinationem contra abstinentiam, sed contra religionem vel modestiam.

De quarto, cum quis cibo notabiliter noxio utitur, jam dictum est.

In quinto non tam est vitium gulæ humanum, quam feritas belluina, prava consuetudine contracta, vel affectio morbida, aut belluinæ naturæ constitutio. Ex his fere solvas multas minutias, quas contra istos quinque modos objicit Martinus.

Utrum vero istæ inordinationes sint species ultimæ, ut vult Cajetanus; an alias sub se habeant, ut contendit Martinus, parvi est momenti, et nihil facit ad negotium morale.

140. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, quale peccatum sit gula; dicendum est esse peccatum mortiferum, si quis in illa delectatione ultimum finem constituat. Hoc autem fieri potest tripliciter. 1°. Expresse; ut cum quis expresse seu in actu signato illam voluptatem summum esse bonum judicat, sicut olim Epicurei. 2°. Implicite; cum id quidem expresse non judicat, tamen erga illam sic afficitur, ut paratus sit propter illam omnia humana et divina jura violare. Tales sunt multi hoc tempore hæreseos ministri, qui sanam doctrinam et religionem propter ventrem adulterant, cauponantes verbum Dei: de qualibus dicit Apostolus ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est.* 3°. Interpretative; ut cum quis affectu gulæ paratus est non quidem quodvis, sed aliquod peccatum mortiferum admittere. Hic enim, etsi minus perfecte et proprie ponat ultimum finem in voluptate ciborum, quam secundus, qui omnia ad illam refert; tamen aliquo modo id convincitur facere: nam hoc ipso, quod mortifere peccat, Deum propter voluptatem deserit, et

hanc illi suo facto præponit : unde etiam de talibus dici potest, *quorum Deus venter est*. Sed de hoc plura 1. 2. quæst. 1. art. 5.

Porro tertius iste modus in multis casibus locum habet. *Primo*, quando propter gulæ voluptates aliquis furatur, vel iniquos contractus facit. *Secundo*, cum omittit id, ad quod ex præcepto divino tenebatur; ut si non solvat creditoribus ut opipare victitet. *Tertio*, quando violat jejunia Ecclesiæ, vescendo carnibus, vel sæpius comedendo. *Quarto*, quando ex gula gravem noxam infert valetudini, id advertens, vel saltem suspicans eventurum. Si nocumentum non sit grave, erit solum peccatum veniale. *Quinto*, si cum scandalo proximi : unde Apostolus 1. Cor. 8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Sexto*, quando probabiliter timetur aliquod peccatum mortiferum, ex quantitate vel qualitate cibi sumpti committendum ; ut si experientia nosses te inde ad turpia solere concitari et consentire. Si tamen omnino putares te satis firmum ad resistendum, et solius gulæ affectu vescereris, non esset mortiferum. Imo quando quis ex certo genere cibi aut potus putat se nocturnam pollutionem passurum, non peccat mortifere, si non eo fine utatur, nec sit ei periculum consensus in delectationem, ut post Navarrum et alios docet Toletus de septem peccatis mortalibus. c. 60. *Septimo*, si quis vesceretur carnibus humanis.

Numeratur etiam gula inter peccata capitalia, quia ex hoc vitio, tanquam radice, multa alia velut rami pullulant, quæ gulæ filiæ appellantur. Cibus enim et potus, circa quæ gula versatur, duplici ex causa trahunt affectum hominis, et maximi æstimantur. Primo, per se; quatenus sunt media necessaria conservandæ vitæ, quæ homini præ cæteris rebus est cara. Secundo, ratione voluptatis, quæ, quia est quædam felicitatis proprietas, etiam maxime appetitur. Hinc fit, ut horum causa homines plurima et facere et pati soleant; adeo ut totus fere labor humanæ vitæ ad cibum et potum referatur, juxta illud Ecclesiastæ 6. *Omnis labor hominis in ore ejus*.

141. D. Gregorius L. 31. c. 31. (al. 45. n. 88.) quinque gulæ filias recenset; quarum ratio sic accipi potest. Gula consistit in eo, quod immoderato usu cibi et potus superflua delectatio quæratur; ergo ea vitia inter filias gulæ numeranda sunt, quæ ex tali immodico usu nascuntur : porro ex immodico usu cibi et potus et superflua delectatione conjuncta, primum in intellectu nascitur *hebetudo mentis*; idque tum ratione vaporum, quibus cerebrum oppletur; tum quia affectus et imaginatio est tota in ollis et patinis, nec de aliis mentem cogitare sinit. Deinde in appetitu nascitur *inepta lætitia*, et alii motus animi, qui ad hanc referuntur. Cum enim mens hebetata non percipit altiora, et in voluptate illa magnum bonum imaginatur, exultat animus, tanquam partem quamdam felicitatis in cibo et potu adeptus, et exterius per risum et alia signa lætitiæ se effundit. Tertio, in ore parit *stultiloquium* et *scurrilitatem*. *Stultiloquium*, quia ratio cibi et potus suffusa vaporibus, et voluptati intenta, non considerat quid dicat, sed facile quidquid videtur jucundum effutit. *Scurrilitatem*, quia inepta lætitia excitat ad indecora vel turpia agenda vel dicenda, risus movendi causa. Denique in corpore parit *immunditiam*; tum quia ex saturitate nascuntur vitia carnis; tum quia gula sæpe parit vomitus, et alias superfluorum fœdas excretiones. Vide D. Thom. q. 148. art. 6. Nec obstat quod idem a. 5. dicat ista vitia oriri ex gula secundum rationem

finis, cum potius videantur nasci ex ea secundum rationem causæ efficientis : quia etiamsi ista vitia per se non fiant propter gulam tanquam propter finem, ac proinde neque ut media, neque ut electiones mediorum ex ipsa sequantur; tamen eorum acceptatio et permissio, ex affectu gulæ sequitur : nam ex affectu voluptatis gulæ fit, ut quis paratus sit illa vitia in se permittere eaque acceptare, ut recte explicat Cajetanus.

DUBITATIO II.

QUID EBRIETAS, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quæst. 150.

142. *Ebrietas* dupliciter accipitur, ut notat D. Thomas art. 1. 1°. Pro defectu usus rationis, nimio potu inducto, unde dicitur quis *ebrius*; et sic non est peccatum proprie, sed peccati effectus. 2°. Pro ipsa potatione, quæ hunc defectum efficit; sic est peccatum, et definiri potest hoc modo :

Ebrietas est excessus in potando causa voluptatis, usque ad violentam usus rationis privationem; vel sic : est violenta rationis interceptio per nimium potum, causa voluptatis assumptum.

Hæc definitio habet tres partes. Prima, *est excessus in potando* : sicut enim gula consistit in excessu in cibo et potu non inebriante; ita ebrietas in excessu vini, vel cujusvis alterius potus inebriantis. Hinc *ebrietas,* juxta D. Thomam, dicta est quasi *extra briam,* quod debitam vini mensuram excedat. Unde dum quis odore lupuli salictarii, vel suffitu tabaci, vel opio, aliisque narcoticis privatur usu rationis, non est ebrietas; quia hoc non fit excessu potandi.

Secunda, *causa voluptatis* : si enim causa medicinæ, ex præscripto medicorum, non esset ebrietas, etiamsi usque ad interceptam mentem sumeretur, ut recte docet Cajetanus art. 2. ad 3. et in Summa verbo *Ebrietas,* Silvester verbo *Jejunium,* q. 3., Navarrus c. 23. n. 119. ut si in subito pestis terrore, aliis remediis æque commodis non suppetentibus, magnus haustus vini generosi sumatur; vel adversus venenum frigidum (ut opium, solanum, cicutam, hyoscyamum) aut contra cantharides magna vini copia bibenda, ex qua rationis usus sit impediendus, præscribatur; non enim est excessus respectu talis subjecti, et ad talem finem; neque causa delectationis gustus vel tactus, palati, vel œsophagi sumitur : unde non repugnat temperantiæ, quæ circa tales delectationes versatur. Ob eamdem non peccat peccato gulæ, qui judicio medicorum varia edulia inordinate et copiose ingerit, ad vomitionem movendam; quia neque ob delectationem id agitur, neque modus rationis respectu talis subjecti exceditur.

Tertia, *usque ad violentam,* etc. Dupliciter aufertur rationis usus, modo naturali, et violento : *naturali* per somnum, spiritibus animalibus in centrum retractis, et nervis sensoriis, qui in sensuum externorum organa terminantur, vapore quodam frigido occupatis. Hic modus a natura est institutus ad spirituum, et consequenter ad virium instaurationem : nam per quietem nulla fit dissipatio, et copiosa novorum spirituum generatio. *Violente* aufertur, quando tanta vaporum copia cerebrum implet, ut etiam in vigilia ratione uti non possit. Idem interdum accidit vel ex nimio spirituum fervore, ut in phrenitide; vel ex humore maligno, cerebrum per idiopathiam

assidue occupante, ut in melancholia primaria; vel ex vapore noxio, cerebrum per intervalla petente, ut in melancholia hypochondriaca.

143. Quod ad alteram partem attinet, dicendum est talem ebrietatem, si voluntaria sit, esse peccatum mortiferum. Ita D. Thomas art. 2. quem omnes alii sequuntur. Est autem voluntaria, *primo,* directe, quando quis ebrietatem intendit. *Secundo,* indirecte, ut quando quidem expresse non cupit inebriari, sed tantum bibit, quantum potest, non curans an sequatur ebrietas, an non. Item quando advertit se inebriandum, si pergat potare, nihilominus non desistit.

Nunc probatur id esse peccatum mortiferum.

I. Ex Scripturis, Proverb. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis?* ubi breviter attinguntur mala, quæ ebrietas etiam in hac vita infert. Est igitur et ipsa grave malum in moribus. Ibidem, *Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber; et sicut regulus venena diffundet:* nimirum quia sicut illa venena sunt corpori lethifera, ita vinum in fine mortem æternam adferet animæ et corpori. Sequitur, *Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa.* Ubi significatur, ex multo vino sequi fornicationes et adulteria, maledicta et blasphemias, etc. Ecclesiastici 19. *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos,* id est, facient reprehensioni obnoxios. Et cap. 31. *Vinum multum potatum, irritationem, et iram, et ruinas multas facit.* Vide plura ibidem. Isaiæ 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et ad potandum usque ad vesperam;* et infra: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem,* quasi dicat, qui strenue incumbitis compotationibus; *væ* autem in Scripturis passim comminationem damnationis æternæ significat. 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Hic *ebrietatem* connumerat aliis vitiis mortiferis, et pari modo a regno excludere affirmat.

Nec obstat, quod *ebriosus,* non ebrium, sed deditum ebrietati designet, ac proinde requirat consuetudinem; *ebriosus* enim dicitur non qui semel aut bis ebrius est, sed qui ebrietati est deditus: hoc, inquam, non obstat, quia græce est μέθυσος, quod ebrium significat, et idem valet ac μεθύων: unde sicut is, qui alia illa vitia vel semel commiserit, excludetur a regno, nisi pœnitentiam egerit; ita etiam qui vel semel ebrius fuerit. Ad Galat. 5. *ebrietates* ponuntur inter opera carnis, quæ a regno Dei alienum reddunt.

II. Ex Patribus, D. Augustin. serm. 231. de tempore, (al. 294. in app.) sæpius dicit, per ebrietatem *perire animam, hominem Deo fieri inimicum, et reum in die judicii.* Similia habent alii Patres, ut S. Basilius homil. in ebrietatem, D. Ambrosius de Elia et jejunio cap. 14., S. Chrysost. homil. contra luxum et crapulam; et alii. Præterea D. Augustinus sermone illo citato sic ait: *Qui contra coalumnam et amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera a nobis voce audiant; quia quicumque ebriosus pœnitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum*

profecto peribit; quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens, Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Deinde docet quomodo auxilium divinum sit ebrioso implorandum, ut eripiatur de luto fæcis, et cloaca ebrietatis, nimirum dicendo totis animæ viribus cum Propheta : *Eripe me de luto, ut non inhæream*, et; *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.* Et rationem subdens, cur ita illam vocet, addit : *Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit pœnitentia, et emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo, ad castitatis vel sobrietatis lucem redire penitus non permittat.* Idem serm. 232. (al. 295. in app.) *Qui credit ebrietatem esse parvum peccatum; si se non emendaverit, et pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris et homicidis æterna illum pœna cruciabit.* Idque probat ex Apostolo, 1. Corinth. 9., ad Ephes. 5.

Dices : D. Augustin. serm. 41. de Sanctis, (al. 104. in app.) crimina enumerans capitalia, non ponit ebrietatem absolute, sed cum restrictione : *Ebrietas,* inquit, *si assidua sit,* etc. ubi videtur insinuare, si non sit assidua, sed rara, non esse peccatum mortiferum.

R. D. Augustinum solum enumerare ibi aliqua crimina capitalia, de quibus non poterat esse controversia apud populum : nam simili modo ponit iracundiam; *si longo tempore,* inquit, *teneatur iracundia*; et tamen certum est, etiam brevem iracundiam, si plene sit voluntaria, et grave malum imprecetur, esse crimen capitale, seu mortiferum; vel certe, ut D. Thomas art. 2. ait, addit illam restrictionem, ut indicet se loqui de ebrietate plene voluntaria : qui enim raro inebriantur, non videntur id voluntarie, sed præter mentem pati, nimirum ex eo quod ignorent vim potus, vel debitam mensuram, aut non advertant ebrietatis periculum.

III. Ratione 1°. Quia se inebrians privat se violente, non solum usu rationis, sed etiam potestate propinqua utendi; impedimentum et veluti vinculum menti suæ injiciendo, ut etiam vigilans ratione uti nequeat, idque causa voluptatis : unde propter voluptatem se ad brutorum abjicit stoliditatem; hoc autem censetur maximum malum et gravis inordinatio; quia præcipuum bonum hominis, et quo a brutis distinguitur, est posse uti ratione, et sua omnia hac regula dirigere : quod valde ponderat D. Basilius, et alii Patres, ut infra dicemus. Confirmatur, quia si quis alteri hanc potestatem etiam ad aliquot horas eriperet, gravem inferret illi injuriam, et peccaret mortifere; ergo etiam qui sibi ipsi illam adimit.

Dices 1°. Est dispar ratio, quia quisque cedere potest jure suo, et nemo sibi ipsi facit injuriam; sed non potest cedere jure alterius.

R. Etsi quisque possit cedere jure, quod habet ad usum rationis hic et nunc adhibendum; et ita possit se illo usu privare, dormiendo, vel nolendo mentem applicare; tamen non potest cedere jure, quod habet ad potestatem utendi : hujus enim non est dominus; sicut nec integritatis membrorum, aut sensuum. Unde non minus peccat dum sibi hanc potestatem eripit, quam dum alteri id facit : etsi enim non sit proprie injuria, dum sibi hanc potestatem adimit, cum non fiat nolenti; est tamen contra charitatem, et debitum custodiendi sui, et suæ naturalis integritatis.

Hinc patet responsio ad objectionem de somno : etsi enim somnus privet usu rationis, non tamen potestate propinqua utendi; quia relinquit organa

expedita, ut statim secuta vigilia mens possit ratione uti : ebrietas vero ita ligat et obsidet, ut etiam secuta vigilia, ratione uti nequeat. Accedit quod somnus est institutus in bonum naturæ, ut illa quiete vires tum sensitivæ, tum motivæ reficiantur, corpus roboretur, et officiis mentis instrumentum debitum, id est, spiritus animalis reparetur. Unde etiamsi usus rationis in somno tollatur; tamen hoc detrimentum multis commodis compensatur.

Dices 2°. Suffitu peti seu tabaci tollitur violente potestas utendi ratione; similiter odore lupuli, si quis in eo cubet; et tamen in his non est peccatum mortiferum.

R. Illo suffitu non tolli potestatem utendi extra somnum, sicut per ebrietatem; sed solum in somno (qui modus est naturalis) sua facultate refrigerante et constringente inducendo soporem : est enim ex genere narcoticorum, sicut et hyoscyamus; unde etiamsi suffitus ille hauriatur causa voluptatis, quam Indi dicuntur in illo sapore percipere, non erit mortiferum. Odor lupuli turbat quidem caput, non tamen puto plane inebriare; si revera inebriaret, sicut ipse potus, putarem eodem modo vitandum; maxime quando nulla est in eo cubandi necessitas.

Probatur 2°. Ebrietas multa alia gravia mala secum trahit, ob quæ merito grave crimen censeri debeat. *Primo,* facultates exhaurit, Proverb. c. 21. *Qui amat vinum et pinguia non ditabitur*; et cap. 23. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt : quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio.* Hinc sequitur gravis familiæ afflictio, liberorum neglectus, creditorum fraudatio, furta, latrocinia, etc.; ut quotidiana experientia docet.

Secundo, corpus fœdum, imbecillum et morbidum efficit : hinc enim est oculorum lippitudo, narium coryza, oris graveolentia, anima fœtida, membra tremula; hinc capitis destillationes, tusses, fœdique screatus; hinc apoplexia, et paralysis membrorum, articulares morbi. D. Chrysostomus homil. contra crapulam tomo 5. (Edit. vet.) *Oculi, nares, et os, coryza, muco et putredine, et his, quæ intus generantur cœnosis et impuris affectibus sunt plena : et ipsa carnis substantia laxior fit, quam naturæ proportio requirat, et fœtida, ac inutilis, atque ad omne opus bonum inepta.* Confirmat similitudine : *Etenim et terra aquarum abundantiæ oppressa, innatum perdit calorem, perdit et suas vires, neque ad suum opus vel procreationem est idonea; hinc et incurabilibus et difficillimis implicatur morbis, tremoribus, palloribus, podagra, chiragra, et aliis pluribus,* etc. etc. addens, tanta esse illa mala, ut etiamsi nulla esset gehenna, nullumve aliud incommodum, merito propter illa ebrietas sit fugienda. D. Augustinus serm. 231. *Est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, et dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur quod scriptum est : Cui væ, cui tumultus, cui iræ, cui rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? nonne his, qui morantur in vino, et student calicibus epotandis?* Similia habet D. Basilius homil. in ebrietatem, circa medium, et S. Ambrosius de Elia et jejunio cap. 16.

Tertio, reddit hominem ad bonum inutilem, nimirum non solum ad opera pietatis; sed etiam ad studia litterarum, ad politica, ad mechanica; denique ad omnem vitæ usum. Docet hoc pulcherrime D. Augustinus supra : *Quia,* inquit, *corpora nostra terrena sunt; quo modo pluvia nimium grandis*

et diuturna si fuerit, terra infunditur, et in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit : sic et caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Unde infert, quod si velimus ut ager corporis nostri bonos fructus proferat, non plus bibendum quam oportet; *Ne per nimiam,* inquit, *ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa, magis vermes et serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum possit afferre.* Deinde subdit: *Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur : totum enim quod ibi* (in paludibus) *nascitur, nullum fructum habere cognoscitur; nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ; nascuntur ibi ranæ, et diversa genera vermium, quæ magis horrorem possint generare, quam aliquid quod ad victum proficiat exhibere : istæ enim herbæ, vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent, nihil utilitatis habere videntur, in tantum ut annis singulis incendio concrementur. Videte, quia quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.* Eamdem similitudinem attingit D. Chrysostomus loco citato. D. Basilius homil. in ebrietatem : *Periculum, o miser, est, ne pro homine cœnum lutumque fias : sic penitus vino deditus marcescis, ac quotidianam crapulam haud aliter quam vasa putida oles.*

Quarto, facit hominem bestiis similem, et etiam viliorem. D. Augustinus supra : *Considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt; cum enim animalia amplius quam eis opus est, bibere nolint, illi et duplum, et triplum quam eis expedit, potum accipiunt; et unde trium vel quatuor dierum refectionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quam expendere. Et utinam potum tantummodo perderent, et non etiam ipsi perirent!* D. Basilius sup. *Qua in re dic homo miser, a brutis differs? nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ factus dominus et imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes numerari poteris, et illis similis videri.* Hæc sane est præcipua injuria, quam ebrietas per se et proxime dignitati naturæ rationalis, qua parte est imago Dei, infert; ob quam maxime diximus esse peccatum mortiferum. Addit S. Basilius : *Imo et bestiis longe pejores existimaverim eos, qui ab ebrietate superantur; cum illæ coeundi statas habeant leges et horas; hi vero nullius temporis et horæ rationem habentes, nequissimis complexibus et amoribus inter se utuntur.* Idem ostendit ex usu sensuum : *Nec solum eo pejores brutis, quod mente insani, sed etiam quod sensibus longe infra illa deficere videantur. An non umbras sæpenumero tanquam fossas, vel loca prærupta transiliunt? aures terrifico sonitu, tanquam fluctuantis maris refertas habent, terra interdum insurgere et in rectum erigi, montes vero circumagi videntur?* etc. *His somni sunt graves, ac revera morti vicini : vigiliæ vero somnis stupidiores. Insomnium quoddam est vita ipsorum,* etc. D. Chrysostomus homil. 58. (al. 57.) in Matth. *Quanto melior asinus ebrioso est? quanto canis præstantior? omnes certe animantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut comedunt, ultra quam satis, etiamsi mille homines cogerent, nunquam elabuntur; pejores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini;* quod fusius deinde prosequitur.

Quinto, secreta prodit, Proverb. 31. *Nullum secretum est ubi regnat ebrietas.* Hujus rei multæ extant historiæ; hinc Horatius :

Reges dicuntur magnis urgere culullis,

Et torquere mero, quos perspexisse laborant.

D. Ambrosius de Elia et jejunio cap. 17. *Plerique etiam vino utuntur ut equuleo; et quibus tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentant bibendo; ut patriæ statum, salutem civium, defensionis suæ prodant consilia quis inter cyathos texit quod latere cupiebat?*

Sexto, ad mores absurdos et gravia crimina excitat; hos exprimit ex parte D. Basilius supra. D. Hieronymus in c. 1. epist. ad Titum, explicans illud, *Non vinolentum,* ait : *Longum est ire per singula, et insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem jacere convivæ : alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare; qui plus biberit, fortior computatur : accusationis occasio est, adjuratum per Regem, frequentius non bibisse; vomunt ut bibant, bibunt ut vomant; digestio ventris et guttur uno occupantur officio.* Deinde addit : *Hoc nunc dixisse sufficiat, quod secundum Apostolum, in vino luxuria est, et ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Specta ventrem et genitalia; pro qualitate vitiorum, ordo membrorum; nunquam ego ebrium castum putabo.* Nota gravissima verba tanti Doctoris. D. Ambrosius de Elia et jejunio c. 16. *Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ; hæc sensus hominum mutat et formas; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes; si quidem naturali vapore corporis calidi, et præter naturam, vini calore flammati cohibere se non queunt, et in bestiales libidines excitantur :* et cætera, quæ elegantissime persequitur. Similia habes c. 12. et apud D. Chrysostomum homil. 58. (al. 57.) in Matth. sub finem. S. Basilius homil. in ebrietatem : *Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit,* etc.

Septimo, difficillime curatur : ratio est, quia vinum corporis habitum immutat, hepar accendit, fauces exsiccat, et siticulosos reddit; quo fit ut sitis bibendo augeatur, faucibus magis et magis arescentibus. D. Basilius, *Denique hujus mali finis est nullus : ipsum tamquam merum inexplebilem continuo sitim addit; nec necessarium quærit usum, sed ad alium irrefragabiliter potum invitat, cum ardentes ebrios et semper bibendi cupidiores reddit.* D. Ambrosius c. 14. *Merito Deus per Moysen non solum veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparavit, dicens : Furor draconum vinum eorum, et ira aspidum insanabilis, et pulchre addidit, insanabilis : multi enim a reliquo serpentum veneno curantur, nemo ab ebrietate.*

Ubi adverte, locum illum Deuteronom. 32. positum ab Ambrosio juxta editionem 70. Nostra lectio sic habet, *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.*

Quomodo autem his curatio adhiberi possit, docet pulchre D. Augustinus serm. 231. *Qui se de hoc malo desiderat liberare, quo modo sibi intervallo dierum potum addendo, ad ebrietatis tenebras pervenit; ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat; qui si simul totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, ubi nimia siti cœperit exardescere, cum grandi amaritudine clamet et dicat, malle se mori, quam sibi bibendi et inebriandi consuetudinem tollere : nec attendit quod tolerabilius erat illi carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici. Et ideo ut nec ardorem nimium patiatur, et*

de tam gravi malo liberetur, per intervalla dierum, sicut diximus, aliquid de nimietate potus subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat.

Hæc paulo fusius ex Patribus dixerim, propter fœdam hujus ævi apud multas gentes sese inebriandi consuetudinem; plura licet videre apud citatos, maxime Ambrosium et Basilium.

144. *Petes* 1°. Utrum ea, quæ homines in ebrietate committunt, sint peccata, ita ut imputentur ad culpam.

R. Vel ebrietas est voluntaria, seu culpabilis, vel non est voluntaria. Rursus, vel malum inde secuturum poterat prævideri, vel non poterat. Si non est ullo modo voluntaria, ita ut sit prorsus inculpata, quidquid ex ea secutum fuerit, etiam culpa vacat; non minus quam id, quod committitur ab amente. Ratio est, quia nullo modo est liberum: nec enim per se liberum est; nam cum agitur, deest usus rationis: nec etiam in causa; quia supponimus causam non esse voluntariam; talis erat nuditas Noe, ex ebrietate inculpata, consecuta: ignorabat enim vini efficacitatem, ut Patres docent. Ita communiter D. Thomas q. 150. a. 4. Cajetanus ibidem, D. Bonaventura in 2. d. 22. art. 2. q. 3. ad ultimum, et alii.

Si vero ebrietas sit aliquo modo culpabilis, et malum prævideri poterat, (ut si alias erat expertus, in simili dispositione tale quid a se commissum; vel si dubitans non adhibuit sibi custodem, vel aliam cautionem) etiam ipsum ad culpam imputabitur. Et quidem si solum venialiter peccavit se inebriando, malum inde secutum solum erit veniale: si vero mortaliter, mortale. Ratio est, quia illud malum, v. g. homicidium in ebrietate commissum, non est in seipso voluntarium seu liberum, cum ab eo patretur, qui jam usu rationis caret; sicuti quod fit a dormiente: sed solum est voluntarium in causa, quæ est ebrietas; ergo non potest majorem contrahere culpam, quam ipsa causa hic et nunc habeat, atque adeo quam voluntas illa, a qua ebrietas illa dicitur voluntaria; ergo si hæc voluntas solum est venialis, illud malum, etiamsi forte sit homicidium, non imputabitur nisi ad culpam venialem. Confirmatur, quia tota culpa est in illa voluntate; et solum per denominationem extrinsecam tribuitur ebrietati et effectui secuto: nam ebrietas, et opus secutum solum imputatur ad culpam, quatenus ab illa voluntate pendet. Unde evidens est, non posse esse majorem culpam in opere secuto, quam in voluntate illa prævia ebrietati. Unde patet fieri non posse ut ebrietas sit peccatum veniale; et opus ex eo secutum imputetur ut mortiferum.

Fieri tamen potest ut ebrietas sit mortifera, et malum ex ea secutum, etiam alias per se gravissimum, non imputetur ad culpam, vel saltem non nisi ad venialem: *Ad nullam culpam*, si malum nulla ratione prævideri poterat; quod enim nullo modo est cognitum, nullo modo censetur volitum, aut voluntarium, ut si nihil ei occurrit quod excitaret dubitationem vel timorem talis mali eventuri: quod facile accidit ei, qui nihil tale est antea expertus; vel si occurrit, humano modo sufficientem cautionem adhibuit: quo modo incestus Loth videtur fuisse inculpatus, etsi forte ebrietas ejus excusari non possit. Unde D. Augustinus L. 22. contra Faustum c. 44. dicit: *Inebriaverunt eum, et se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus*

est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas. Idem docet S. Chrysostomus homil. 44. in Genesim.

Ad venialem imputabitur, si aliquo modo prævideri poterat, ut si aliqua levis de eo dubitatio incessit animum et per venialem negligentiam major consideratio fuit prætermissa. Ratio est, quia etsi tenebatur ebrietatem sub peccato mortifero vitare, ob intrinsecam ipsius malitiam, ejus periculo satis animadverso; non tamen pari obligatione tenebatur illam vitare ob malum, v. g. homicidii; eo quod non satis ejus periculum adverterit, sed solum leviter; et in eo neglectu non peccaverit nisi venialiter, uti suppono. Confirmatur, quia in homicidio casuali potest esse peccatum veniale, ob defectum considerationis necessariæ ad culpam lethalem : atqui tale homicidium est casuale respectu illius hominis et voluntatis præcedentis; ergo, etc.

Quando autem perfecte quis advertit periculum mali; si hoc malum grave sit, tenetur sub peccato mortali vitare periculum. Unde si hoc etiam per se sit peccatum mortiferum, sicut est ebrietas; in voluntate illa prævia, qua periculum acceptat vel non vitat, erit duplex malitia mortalis; altera quatenus terminatur expresse vel implicite ad ebrietatem; altera ut respicit malum inde secuturum : quarum alteram habet ab ebrietate, ut per se spectatur, alteram ab eadem, ut est causa continens periculum alterius mali.

Utrum autem ebrietas, ut rationis defectum denotat, et mala secuta dicenda sint peccata, potius ad modum loquendi, quam ad rem ipsam pertinet; quia constat totam malitiam moralem et culpam esse in voluntate, quæ ebrietatem antecessit. Si tamen proprie loqui velimus, potius dicenda sunt effectus peccatorum, quam formaliter peccata. Ratio est, quia non dependent a voluntate ut actiones liberæ, sed ut effectus consequentes, qui posita semel causa, non sunt amplius in nostra potestate; posito enim potu largiore vini, eoque in stomachum infuso, non est in nostra potestate ut non sequatur mentis defectus; et posito tali defectu, non sunt in nostra potestate opera quæ inde sequuntur : atqui de ratione peccati est esse liberum et in nostra potestate. Confirmatur, quia aliter actiones externæ peccatorum dependent a voluntate libera, aliter hæc opera; illæ enim ita dependent, ut omni momento sit in nostra potestate eas inchoare, vel non inchoare, et inchoatas abrumpere, vel continuare. Unde ipsæ per se sunt proprie voluntariæ, laudabiles, vel vituperabiles, peccata, vel merita : quia secundum se assidue a voluntate pendent, et conservantur; et consequenter ab ea informantur, et veluti animantur ad unum perfectum opus morale constituendum. Hæc vero non sic, sed remote solum a voluntate libera pendent, nimirum quatenus libere facta est applicatio causæ : qua posita, necessario sunt secutura, nec amplius est in potestate nostra ea inchoare vel differre. Unde per se non sunt peccata, sed solum ut considerantur in libera applicatione causæ inebriantis, in qua dicuntur voluntaria.

Quod ut melius intelligatur, notandi sunt in proposito quatuor actus. *Primus* est, Voluntas illa, qua quis expresse vel implicite vult se inebriare; etiamsi videat periculum ex ebrietate impendere. *Secundus,* Actus potandi. *Tertius* est, Operatio vini, qua tollitur usus rationis. *Quartus* est, Homicidium ex ebrietate commissum. *Primus* est fons totius mali, et in eo residet tota culpa. *Secundus* est actio libera, assidue pendens ex illa voluntate : unde cum illa constituit integrum et completum opus morale. *Tertius* est

effectus secundi, qui posito secundo naturaliter et necessario sequitur. *Quartus* sequitur ex tertio. Itaque cum tertius et quartus per se non pendeant a voluntate libera, sed solum ratione secundi; non sunt etiam per se peccata, sed solum ut continentur in secundo, ut in causa.

Idem dicendum de omissione, quando ex aliqua causa libera sequitur necessario, ita ut non maneat amplius libera : ut cum ex ebrietate omittitur Sacrum, vel lectio precum; vel abjecto sponte Breviario lectio facta est impossibilis. Verum de his fusius agendum. 1. 2. q. 20.

145. *Petes* 2°. Quibus signis cognosci poterit an quis fuerit ebrius?

R. 1°. Quando quis postridie non meminit quid dixerit, egerit; quomodo domum venerit, aut cubitum concesserit, a quo deductus, vel adjutus, alias autem id probe meminisse solet; magnum signum habet hesternæ ebrietatis. Ratio est, quia dum quis ratione utitur, reflectit mentem super suos actus, et ita retinet gestorum memoriam. Unde si non retinuit memoriam, non videtur rationis compos fuisse.

2°. Si commisit quæ nunquam integra mente solet : ut si locutus aut fecit turpia et absurda, cum alias sit castus et prudens : si juravit, blasphemavit, uxorem et familiam turbavit, cum alias sit modestus et benignus : indicia enim hæc sunt rationem et prudentiam fuisse consopitam, et hos insolitos motus, ex vino perturbata imaginatione processisse.

3°. Qui novit discernere inter bonum et malum, licitum et illicitum, vitare mala ac eligere bona, non videtur esse ebrius, etiamsi non possit recta incedere, et omnes domus ei verti videantur : talis enim discretio non potest cum defectu rationis consistere. Pari modo si adhuc solita officia possit utcumque exequi, etsi cum vertigine, et difficultate. Vide Cajetanum verbo *Ebrietas*, et alios Summistas.

DUBITATIO III.

QUID LUXURIA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quæst. 153.

146. *Luxuria* vel luxuries a *luxu* dicitur, et ab Auctoribus æque generatim accipitur : quo modo significat omnem excessum non solum in re venerea; sed etiam in vestitu, epulis, unctionibus, et similibus deliciis. Græci ἀσωτίαν vocant.

Stricte autem, pro excessu in re venerea accipitur : nam luxuriosus dicitur, teste D. Thoma, quasi luxatus et solutus in voluptates : maxime autem animum hominis dissolvunt voluptates venereæ. Hoc modo passim usurpatur a Theologis, et opponitur castitati, et vocatur ab Apostolo ad Galatas 5. ἀσέλγεια, quod intemperantiam libidinis significat.

Porro hoc vitium genere suo est peccatum mortiferum, et præterea vitium capitale. Esse peccatum mortiferum colligitur ex Apostolo ad Galatas 5. ubi *luxuria* ponitur inter *opera carnis*, de quibus ibidem affirmat Apostolus, quod *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Et probatur ratione : Usus rei venereæ ex natura sua est opus necessarium ad naturam propagandam

et perennandam, sicut usus ciborum ad conservandum individuum; nam, ut inquit D. AUGUSTINUS de bono conjugali cap. 6. *Quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis;* ergo hic usus censetur res gravis et magni momenti in rebus humanis; ergo inordinatio in hoc usu, est in re gravi, ac proinde ex genere suo est mortifera. Confirmatur: quo enim bonum est excellentius, quod ex opere provenit, eo majoris momenti censetur illud opus; et majus peccatum et gravior error, qui in opere committitur: atqui propagatio naturæ et conservatio generis est bonum excellentius quam conservatio individui; ergo inordinatio, quæ committitur circa opus illud, est gravior, quam quæ circa cibum et potum. Sed de hoc plura infra, cum de speciebus agetur.

Esse autem luxuriam vitium capitale, docet D. GREGORIUS L. 31. Moral. cap. 31. et ratio est, quia ex hac, tanquam ex fonte, plura alia vitia manant: nam ex affectu delectationis venereæ homo multa alia peccata facit; vel certe sinit se in illa incidere, ut recte hic explicat Cajetanus a. 4. non enim est necesse ut omnes filiæ alicujus vitii capitalis oriantur ex affectu illius, sicut electiones mediorum ex affectu finis, ut objicit Martinus; quia quædam vitia non sunt media ad consequendam v. g. delectationem luxuriæ, vel gulæ, quæ tamen ponuntur illarum filiæ: sed sufficit ut homo ex affectu illius paratus sit alia illa vitia incurrere. Si tamen mentem B. GREGORII spectemus, non est opus filias vitiorum capitalium restringere ad modum nascendi secundum rationem finis; nam quædam multo evidentius nascuntur secundum rationem causæ efficientis, aut dispositivæ; ut cæcitas mentis, et similia, ex luxuria: mentis hebetudo et scurrilitas, etc. ex gula. Sed hæc res est parvi momenti.

147. Numerantur filiæ luxuriæ octo a D. GREGORIO supra, quarum rationem reddit eleganter D. THOMAS art. 5. nimirum *cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi* et *horror futuri.* Ratio horum sic accipi potest: quatuor priora pertinent ad intellectum: quatuor posteriora ad voluntatem. In *intellectu* enim sunt quatuor operationes. *Prima* est, simplex consideratio, v. g. boni spiritalis, per quam homo dicitur bene apprehendere et intelligere quam bonum sit recte vivere, servire Deo, relinquere seculum, et similia. *Secunda* est, bona consultatio de mediis ad hoc exequendum. *Tertia,* examen et judicium de modis et mediis occurrentibus. *Quarta,* imperium, quo ratio dat operam ut mandentur executioni. Hæ quatuor functiones turbantur et impediuntur per luxuriam; tum quia voluptas illa est vehementissima, et consequenter impedit considerationem et attentionem circa spiritalia, utpote totam animam et omnes ejus vires ad se violente rapiens; tum quia est infima, et secundum infimum sensum, et communis cum brutis: unde etiam mentem maxime deprimit, et in brutalem indolem format, perversa phantasia, et affectu hominis. Et quidem ut mentem reddit ineptam ad considerationem rerum spiritalium, earumque dignitatem apprehendendam, generat *cæcitatem mentis:* ut ad consultandum de mediis, *præcipitationem;* immersus enim rebus carnalibus, ineptus redditur ad consultandum non solum de modo recte vivendi, sed etiam de aliis rebus; et ita præcipitanter omnia agit. Ut autem reddit ineptum ad recte judicandum de mediis salutis, eaque expen-

denda, generat *inconsiderationem* : ut vero mollem et debilem ad exequenda bona proposita, ob speciem quamdam difficultatis, *inconstantiam* : etsi enim sæpe aliquid boni proponant, tamen quando animus imperare debet executionem, statim retrocedunt, asperitatis specie territi; ut pulchre D. AUGUSTINUS sui exemplo ostendit L. 8. Confess. c. 5. et 11.

Hinc patet, hoc vitio maxime everti *prudentiam* : nam actus supradicti ad prudentiam pertinent, et totam ejus vim et functionem comprehendunt; quod confirmatur ex Aristotele L. 7. Ethic. c. 11. *Prudens indolentiam persequitur, non voluptatem. Deinde prudentiam impediunt voluptates, eoque magis, quo quisque magis delectatur : qualis est ea, quæ ex rebus venereis percipitur : in hac enim neminem posse quid intelligere.* Hinc patet quam perniciosum sit hoc vitium omnibus, qui prudentia vel sapientia cæteris antecellere debent; ut sunt prælati, principes, gubernatores, judices, consiliarii, doctores, parochi, et similes.

In *voluntate* sunt operationes duæ, intentio finis, et electio mediorum. Intentionem pervertit hoc vitium, voluntatem trahendo ad delectationes carnis, et sic ingenerando *amorem sui* : quod intellige, non tantum quia homo hoc ipso, quod appetit voluptates venereas, inordinate se amat; sed etiam quia ita sensim æstimat carnem suam, ejusque voluptates, ut in eis finem ultimum collocet, omnes suas cogitationes et curas ad eas consequendas referendo. Hinc mox sequitur *odium Dei*, qui voluptates illas graviter prohibet et punit. Electionem pervertit, ingenerando *amorem hujus seculi*, id est, vitæ præsentis, et rerum hanc vitam oblectantium, quo ita istis inhærent, ut hic perpetuo manere exoptent; unde statim nascitur *horror* et *desperatio futuri*. *Horror* quidem, quia norunt se ibi his voluptatibus privandos, et earum loco pœnas gravissimas subituros. Hinc nemo magis horret mortem, quam homines voluptuarii; juxta illud Ecclesiastici 41. *O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis : viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum!*

Desperatio, quia vinculis concupiscentiæ constricti, desperant posse sese eripere, et salutem consequi.

148. Præter has luxuriæ filias, quæ internæ sunt, ponuntur ab ISIDORO quatuor externæ, *turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia.*

Turpiloquia, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, ut Dominus ait Matth. 12.; cor autem hominis luxuriosi (id est, cogitatio et affectus) turpitudine plenum est.

Scurrilia sunt verba aut facta parum honesta, risum moventia : hæc ex eodem nascuntur fonte : sicut enim fœdi homines delectantur verbis turpibus, quibus actus venerei exprimantur; ita etiam aliis, eodem, etsi remotius, pertinentibus, iisque risum movere student.

Nec solum parum honestis, sed etiam *ludicris*, alias indifferentibus quæ ad jocos pertinent, impensius delectantur; unde videmus quosdam libidini addictos ex variis libris colligere turpes, scurriles, et ludicras narrationes et facta, ut ea in promptu habeant, cum in consortio sunt aliorum.

Stultiloquium sequitur ex cæcitate mentis; mens enim libidine cæca,

multa stulta, seu ratione carentia effutit. Vide D. THOMAM art. 5. ad 4. et D. HIERONYMUM in c. 5. ad Ephesios, ubi explicat quid sit stultiloquium, et scurrilitas.

DUBITATIO IV.

QUÆ SINT LUXURIÆ SPECIES.

D. Thom. quæst. 154. *art.* 1.

149. Divus THOMAS ex Gratiano 36. q. 1. c. *Lex illa,* sex species luxuriæ assignat; *fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum* et *vitium contra naturam* ; cujus numeri ratio ut intelligatur, notandum est, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, esse spermatisin, seu seminationem ; in quo dupliciter potest committi inordinatio. *Primo,* quoad substantiam illius actus; ut cum non fit in organo naturali, vel cum persona legitima. *Secundo,* quoad modum, vel alias circumstantias; ut cum inter conjuges in eo tantum peccatur , quod debitus modus in congressu , aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non servetur, etc. Luxuria generatim utramque inordinationem complectitur; sed hic accipitur et assignantur ei species ut dicit inordinationem quoad substantiam actus : hæc enim absolute vocatur luxuria , estque peccatum secundum speciem suam lethale. Inordinatio quoad modum, per se est solum luxuria secundum quid, et peccatum veniale in ratione luxuriæ ; quamvis ratione sacrilegii annexi, vel scandali, vel pravi affectus possit esse mortifera ; ut bene ostendit Cajetanus in art. 1. Hinc solvas plurima, quæ hic objicit Martinus.

Ratio autem harum specierum sic accipi potest : vel enim est inordinatio circa actum principalem , quod ita fiat ut non possit sequi generatio ; et sic est peccatum *contra naturam* : aut quia ita fit ut non possit sequi commoda institutio et promotio prolis usque ad statum perfectum ; et ita est *simplex fornicatio,* quæ est soluti cum soluta : aut quia fit cum persona incongrua ; idque quadrupliciter. *Primo,* quia nimium propinqua; et ita est *incestus. Secundo,* quia alteri juncta ; et sic est *adulterium. Tertio,* quia sub potestate parentis; et ita est *stuprum. Quarto,* quia non consentit; et sic est *raptus.* Simili fere modo D. THOMAS art. 1.

Sacrilegum concubitum refert D. THOMAS ad adulterium ; quia personæ sacræ connubio quodam spiritali Deo sunt conjunctæ.

Inordinatio, quæ in tactibus et osculis impuris sita est et *impudicitia* dici solet, refertur ad illam speciem, ad quam disponit ; ut si fiat cum alterius conjuge, refertur ad adulterium ; si cum consanguinea, ad incestum.

150. *Dices:* Sicuti propinquitas facit ut persona sit incongrua, ita etiam nimia distantia, ut si discrepet religione; majus enim peccatum est habere commercium cum Judæa, quam cum meretrice Christiana ; ergo est statuenda aliqua species ratione discrepantiæ, sicut ratione propinquitatis.

R. Hoc peccatum pertinere ad sacrilegium : quia illa conjunctio est prohibita in honorem Christianismi ab Ecclesia. Simili modo, quando ex aliqua alia causa est inhabilitas seu impedimentum dirimens constitutum

ratione peculiaris inordinationis, quæ reperitur in copula, ad aliquam ex prædictis speciebus reducitur; v. g. si est inhabilitas ratione publicæ honestatis, ad incestum, ob speciem quamdam affinitatis: si ratione cognationis spiritalis, ad incestum, vel ad sacrilegium: si ratione cognationis legalis, quæ ex adoptione, ad incestum: si ratione impotentiæ, ad peccatum contra naturam. Ubi autem inhabilitas illa non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam, v. g. ob crimen, ignorantiam, metum; est simplex fornicatio: ut cum est impedimentum criminis, vel metus, vel erroris personæ, aut conditionis servilis, vel raptus. Circa prædicta,

151. Notandum ex Cajet. art. 1. *adulterium, incestum, raptum, stuprum,* et *sacrilegium* non esse proprie et metaphysice species luxuriæ, sed solum morali et vulgata ratione loquendi, qua minus communia species dicuntur, etiamsi solum per accidens communem aliquam rationem contrahant. Nam deformitas, quam addit circumstantia illa personæ vel loci luxuriam contrahens, non est contra castitatem, sed contra aliam virtutem: in *adulterio, raptu,* et *stupro,* contra justitiam: in *sacrilegio,* contra religionem: in *incestu,* contra pietatem, quæ parentibus et sanguine junctis debitam reverentiam defert. Fieri autem nequit ut circumstantia vel deformitas, quæ est contra aliud genus virtutis, ita contrahat malitiam luxuriæ, ut simul cum ea proprie dictam speciem constituat; una enim species non potest esse in diversis generibus; nec unum genus potest contrahi per differentiam alterius generis: itaque circumstantia propriam luxuriæ speciem constituens debet addere deformitatem, quæ solum sit contra castitatem, qualis est circumstantia vasis indebiti, et personarum debito vinculo non connexarum. Hinc infert Cajetan. hujusmodi actus proprie esse sub duplici genere: adulterium enim ratione injuriæ, quæ fit conjugi, esse speciem injustitiæ: ratione carentiæ vinculi conjugalis inter personas, esse speciem luxuriæ. Idem dicendum in cæteris. Dicuntur tamen species luxuriæ potius quam injustitiæ vel sacrilegii, ob duas causas. Prior est, quam affert D. Thomas, quia luxuria magis est formalis, cum se habeat in illis peccatis per modum finis: injustitia vero et sacrilegium magis se habet materialiter et per accidens; adulterium enim committitur non ut fiat injuria, sed propter voluptatem carnalem: similiter sacrilegium, et aliæ species. Quod si quis adulterium committeret eo fine ut contumeliam inferat marito; vel sacrilegum concubitum, ut injuriam Deo vel rebus sacris, etc.; tunc potius dicerentur species injustitiæ, vel irreligiositatis, quam luxuriæ: quia finis non esset luxuria, sed injuria et violatio rei sacræ; luxuriæ autem peccatum se haberet instar medii. Altera causa est, quia illa peccata committuntur in materia luxuriæ, et per actum ejus, et ita potius dicuntur species luxuriæ, quam injustitiæ, etc.; luxuria enim magis ibi elucet. In raptu tamen res paulo aliter se habet; nam injuria præcedit, et luxuria sequitur.

Ex dictis sequitur, malitiam luxuriæ in prædictis speciebus naturalibus, quæ aliis virtutibus opponuntur, si præcise consideretur qua castitati repugnat, esse ejusdem rationis, et pertinere ad fornicationem, quamvis ex parte affectus humani diversam gravitatem sortiatur, ut ex D. Thoma art. 1. colligitur; nam quo quis plura vel graviora peccata in se admittere paratus est

affectu venereæ voluptatis, eo affectus ille est pejor; nam in illo tanquam in causa continentur; unde infert, illas circumstantias, etsi sint contra alias virtutes, non tamen omnino per accidens se ad luxuriam habere; vide Cajetanum.

DUBITATIO V.

UTRUM FORNICATIO SIT PECCATUM MORTIFERUM.

152. Quidam hæretici docuerunt fornicationem non esse peccatum. Ita Nicolaitæ, et mulier illa, quæ se Propheten dicebat temporibus Apostolorum; de quibus Apocalyp. 2., et Gnostici, qui etiam alias impuritates admittebant; unde dicti Borboritæ; de quibus EPIPHANIUS hæresi 26. et Græci schismatici, teste Guidone in Catalogo. Denique nostri temporis Anabaptistæ, qui non solum fornicationem, sed etiam promiscuum concubitum, spiritu instigante, permittunt et patrant.

Sed fide tenendum est, esse peccatum mortiferum. Probatur 1°. ex Scripturis: 1. ad Corinth. 6. *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles*, etc., *regnum Dei possidebunt*. Ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria*, etc., *quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Ad Ephes. 5. *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei; nemo vos seducat inanibus verbis*, etc.

Idem docent omnes Patres, et Doctores scholastici.

Nec obstat, quod aliqui jurisperiti concubinatum dicant esse *coitum legitimum*: ita Bartolus in L. penult. π. de Concubinis, et quidam alii; quia solum volunt dicere, legibus permitti, et non puniri: ut enim in d. L. penult. dicitur, *quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est*; unde melius dicerent esse lege permissum, quam legitimum; ut notat Con. de sponsalibus, p. 1. c. 4. n. 8.

153. Ut autem *ratione* probetur, Notandum est, sicut Deus instituit id quod erat necessarium ad prolem concipiendam et pariendam, nimirum vim generandi et organa opportuna, ita etiam instituit id, quod erat necessarium ad prolem recte educandam, et promovendam ad perfectum statum hominis; nam finis generationis humanæ est proles perfecta: hoc autem est vinculum insolubile maris et feminæ, posito mutuo consensu, quod matrimonium vocamus: sine enim tali vinculo, humano more fieri non poterat ut proles recte educaretur, cum ad hoc non solum materna, sed etiam paterna cura sit necessaria; unde etiam in aliis animantibus, ubi utriusque parentis cura ad sobolis educationem requiritur (ut in feris quibusdam, et in avium genere) videmus quamdam matrimonii speciem in maris et feminæ societate, nec eas uti vago concubitu. Et sane nisi hunc instinctum et inclinationem accepissent, non fuisset illis in necessariis ad speciem propagandam et conservandam satis prospectum: nam fere semper soboles moreretur, cum mater illi educandæ et fovendæ sola non sufficiat. Simili modo nisi in genere

humano esset illud vinculum, proles raro bene posset educari, et ad statum hominis perfectum adduci; nam cura paterna plerumque abesset, ut experientia docet.

His positis, sic possumus ratiocinari : In fornicatione prætermittitur illa conditio, quam naturæ lex in generatione humana ad ejus finem, qui est bona prolis institutio, obtinendum requirit; ac proinde ipsa repugnat illi fini : atqui hæc inordinatio est gravis et in re gravi; ergo est peccatum mortiferum.

Nec refert quod incommodo prolis educandæ alia ratione possit occurri; ut si cum certa pensione constituatur vir probus, qui curam prolis suscipiat: tum quia in paucioribus id locum habet, nimirum in divitibus; et ita his solis non autem pauperibus licita, vel non mortifera erit fornicatio, et quo quis erit ditior, eo cum pluribus fornicari poterit; quæ sunt absurda : tum quia id non tollit inordinationem quam actus per se habet, quatenus in eo prætermittitur illa conditio personarum quam ipsa natura instituit, et requirit in illo actu ad prolis suscipiendæ perfectionem. Confirmatur, quia sicuti esset gravis inordinatio in natura rerum, si animantes, quæ habent instinctum ut certis utantur conjugiis, inciperent vago modo conjungi; ita etiam censenda est gravis inordinatio, si homines vago concubitu utantur: sicut enim natura humana est sublimior quam brutorum, et ejus conveniens propagatio, institutio et perfectio est maximi momenti; ita etiam vinculum conjugii est sublimius, et magis necessarium ad actum generationis; ac proinde major erit perversio recti ordinis, si ille actus sine eo fiat.

Hinc sequitur, fornicationem jure naturæ non solum esse malam, sed etiam esse grave malum, et consequenter peccatum mortiferum : quia caret convenienti ordine et habitudine, quam natura requirit ad prolis educationem et perfectionem; quæ habitudo est magni momenti, sicut et prolis bona instructio.

Durandus in 4. dist. 33. q. 2. n. 10. fatetur, fornicationem jure naturæ esse quidem malam et inordinatam; non tamen esse malum, quod sit peccatum mortiferum, sed hoc habere a lege positiva Dei. Ratio ipsius est : *Nam fornicatio simplex non meretur mortem æternam secundum legem naturalem; quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat aliquid de morte æterna : et ideo quod fornicatio simplex sit peccatum mortale, hoc procedit ex jure divino pluribus locis expresso.* Ejusdem sententiæ est Martinus a Magistris apud Cajetan. art. 2. licet non ob rationem Durandi; sed quia, quando educationi prolis aliunde prospicitur, non videtur gravis inordinatio. Confirmatur, quia neque est contra dilectionem Dei, neque proximi, neque sui ipsius.

Sed satis ostensum est hanc inordinationem esse gravem, cum sit omissio debiti ordinis, quæ jure et instituto naturæ est necessaria in illo actu ad prolis complementum. Et sane si levis esset jure naturæ, jus divinum superveniens non efficeret gravem, sed relinqueret eam in suo gradu; nam Deus prohibens aliquid jure naturæ illicitum, non facit illud pejus, sed ejus malitiam inculcat, et expressius proponit : non enim ideo malum est quia prohibetur; sed quia malum, ideo prohibetur; ut patet in mendacio, verbo otioso, et similibus, quæ ex genere suo levia sunt.

Ratio autem Durandi nullius est momenti : ex ea enim sequeretur, nec homicidium, nec adulterium, nec sodomiam fore peccata mortifera, nisi

jure divino positivo essent prohibita. Imo seposito jure positivo nullum esse peccatum mortale : quod omnino absurdum est.

Nec est necesse, ut ratione naturali non constet tale peccatum mereri mortem æternam ; sufficit ut illa dictet esse grave peccatum, et Deo graviter displicere ; inde enim ratione naturali est conjicere, graves pœnas, et quæ offensioni tantæ majestatis respondeant, mereri.

Ad confirmationem : Reducitur ad ea peccata, quæ sunt contra charitatem proximi, cum sit contra bonum prolis nascituræ, ut inquit D. Thom. art. 4.

Nec refert, quod illi, qui conveniunt, forte sint steriles, idque sciant : quia actus ex se talis est, ut careat ordine debito, quem natura propter bonum prolis requirit, sive reipsa sit secutura proles sive non.

Dices 1°. Melius est proli sic esse, quam non esse : atqui in potestate parentum erat ut non esset, abstinendo ab illo actu ; ergo non videntur ei nocuisse. Deinde possunt impedire, ne id nocumentum reipsa sequatur ; sicut non magnam infert injuriam, qui accendit domum, sed statim cavet ne comburatur, incendio extincto.

R. Etsi melius sit proli sic esse quam non esse ; tamen si parentes velint dare operam generationi, debent id ita facere, ut opus habeat convenientem ordinem non solum ad prolem suscipiendam, sed etiam ad educandam et instruendam : unde si careat illo ordine, privant quantum est ex vi actus prolem hoc bono ; nam hoc ex tali actu non est natum sequi, sed contrarium.

Nec obstat quod illud nocumentum possit aliquando impediri, quia id per accidens est ; nec impedit quin illi quantum est ex vi operis censeantur proli nocuisse, prætermittendo in eo illam conditionem, quam propter bonum prolis tenebantur adhibere : quando enim aliquid ob certum finem est absolute præceptum, qui illud omittit, facit contra illum finem, etiamsi alia ratione illum procurare nitatur. Alia argumenta objicit Martinus, quæ vide apud Cajetan. art. 3.

Dices 2°. Dominus Oseæ 1. præcipit Prophetæ his verbis : *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac filios fornicationum ;* ergo non est semper illicita.

R. 1°. Inde ut summum sequi, divina dispensatione posse fieri licitam ; ut inquit D. Thomas art. 2. ad 2. 2°. Et melius, ibi solum præcipi ut sumat meretricem, seu mulierem, quæ valde dedita fuerat fornicationi, in uxorem, (id enim Hebraismo illo significatur) et ex ea procreet filios, qui suis nominibus et ordine nascendi repræsentaturi sint filios Israel, (qui erant vere filii fornicationum, per assiduam et multiplicem idololatriam fornicantes a Deo) et ultionem divinam illis impendentem : unde hic non agitur de actu carnali fornicationis permittendo.

154. Porro præter ea, quæ diximus, quatuor hic sunt notanda : *Primo*, Fornicationem in Christianis habere peculiarem deformitatem, ratione Baptismi et Confirmationis, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, et in templum Spiritui sancto consecrata. Unde Apostolus 1. Corinth. 6. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis ? Absit*, etc., et infra : *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo ; et non estis vestri ? Empti enim estis pretio magno ;* ubi tribus argumenti

deterret a fornicatione. Ex quibus colligitur, in hoc actu, dum a Christianis fit, esse peculiarem ingratitudinem, et irreverentiam in Deum; et consequenter speciem quamdam sacrilegii, latius accepto hoc nomine: unde est multo gravius peccatum in illis quam in ethnicis.

Secundo, Fornicationem non esse gravius peccatum, quam cætera, quæ sunt contra Deum vel proximum, ut recte ostendit D. Thomas art. 3. Gravitas enim peccati per se spectatur ex magnitudine boni, cui ipsum opponitur: majus autem est bonum divinum quam humanum; unde peccata, quibus bonum divinum contemnitur, ut ea quæ repugnant directe virtutibus theologicis vel religioni, sunt deteriora secundum suam speciem, quam fornicatio, quæ bono humano repugnat. Rursus inter ea, quæ bonum humanum violant, pejora sunt quæ tendunt in nocumentum vitæ hominis, quam quæ in damnum fortunarum; et quæ contra vitam hominis nati, quam quæ contra vitam nascituri; unde infert D. Thomas: Cum fornicatio ex se tendat ad læsionem vitæ, et quidem certæ prolis, nimirum quæ ex hoc actu nasci potest, est deterior furto, quo solum fortunæ læduntur: minor tamen est homicidio; quia per hoc læditur vita hominis jam nati, per illam nascituri. Hæc tamen comparatio furti et fornicationis non parum habet difficultatis. Primo, quia furtum est contra justitiam, fornicatio solum contra castitatem: atqui peccatum est eo gravius, quo præstantiori virtuti opponitur, ut constat ex 1. 2. q. 72. art. 4. Secundo, per furtum læditur homo jam existens in re actu possessa: per fornicationem nemo proprie læditur; nam proles non est, et nihil ei detrahitur, imo melius est ei sic esse quam non esse... Solum in eo peccatur, quod actus ille careat convenienti ordine ad prolis futuræ educationem, cujus ordinis carentia est contra castitatem, non contra justitiam: quod signum est non esse proprie læsionem. Ob hæc et alia argumenta Martinus apud Cajetanum tenet contrarium: cujus sententia est etiam valde probabilis.

Nec obstat quod fornicatio in Christianis præ se ferat speciem sacrilegii; quia simile quid etiam in reliquis illorum peccatis invenitur, etiamsi spiritalia sint: sicut enim membra nostra sunt membra Christi, et templum Spiritus sancti; ita etiam spiritus noster est unum cum Christo; (*Qui autem adhæret Deo, unus spiritus est,* 1. ad Corinth. 6.) et est templum Spiritus sancti.

Tertio, Etsi fornicatio non sit ex maximis peccatis mortalibus, tamen quadam ratione posse dici maximum; quia hominem maxime detinet, et difficillime superatur; idque propter concupiscentiam homini congenitam, cujus motus sunt maxime importuni. Unde D. Isidorus L. 2. de summo bono (al. L. Sententiarum) cap. 39. n. 21. dicit: *Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquod aliud peccatum.* Et D. Augustinus, de honestate mulierum cap. 2. (al. in app. serm. 293. n. 2.) *Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, et rara victoria;* unde præcipua industria in eo collocanda, ut hoc vitium superetur.

CAPUT III.

DE PARTIBUS TEMPERANTIÆ POTENTIALIBUS, CONTINENTIA, MANSUETUDINE, CLEMENTIA, MODESTIA, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUID SIT CONTINENTIA.

D. Thom. quæst. 155.

155. Nomen *continentia* dupliciter accipitur. 1°. Ut significet virtutem quamdam, qua quis sese ab omni delectatione venerea cohibet; quomodo passim accipitur in Scriptura sacra, et apud sanctos Patres : nec differt a castitate. Et hac ratione tres continentiæ gradus a Doctoribus ponuntur, virginalis, vidualis, et conjugalis. 2°. Ut significet firmitatem animi contra impetus passionum. Hanc Aristoteles L. 7. Ethicorum vocat ἐγκράτειαν, et de ea, sicut et de ejus opposito, fuse toto eo libro disputat. Hoc modo accipitur in hac quæstione : et nihil est aliud quam firmum propositum animi, quo quis se continet in bono rationis contra impulsus concupiscentiæ, quibus ad voluptates tactus, et præsertim venereas, impellitur. Est *propositum,* quia omnis virtus et bona dispositio voluntatis consistit in proposito seu affectu honesti ; in hoc enim sita est hujus potentiæ perfectio : atqui continentia est virtus vel dispositio voluntatis, et in ea sedem suam habet, ut docet D. Thomas art. 3. Debet autem hoc propositum esse *firmum;* quia alioquin facile concupiscentiæ motibus expugnabitur ; sicut in eo qui est incontinens, qui etiam bonum propositum habet, sed infirmum : unde facile suis cupiditatibus cedit.

Isto proposito *se continet voluntas in bono rationis;* quatenus vult inhærere ei quod ratio dictat, nec sinere se impetu concupiscentiæ abripi ad illicita, quorum alterum ex altero sequitur. Ex eo enim quod quis firme alicui rei inhæret, consequens est ut a contrariis non sinat se aliorsum abduci. *Contra impetus concupiscentiæ,* etc. Quia hi motus maxime voluntatem ad bona sensibilia contra rationis præscriptum alliciunt; et propensioni naturali, quæ homini ad conservationem individui et speciei insita est, sunt maxime conformes. Itaque in iis, qui nondum virtutem moralem, qua isti motus comprimantur, adepti sunt, præcipue opus fuit quadam dispositione animi, qua voluntas se in bono contineret, ne ab illis ad illicita abriperetur; quam *continentiam* vocamus.

156. *Dices :* Etiam aliæ passiones magnam vim habent voluntatem a rationis præscripto abducendi, ut cupiditas honorum, opum, vindictæ, et similes ;

ergo in quibus per virtutes morales illæ passiones nondum sunt compressæ, iis etiam opus est *continentia,* quæ illis resistat, et voluntatem a recto discedere non sinat.

R. Hoc argumento recte probari similem quamdam animi dispositionem contra illos affectus ponendam : hæc tamen non vocatur absolute *continentia,* neque ab ea dicitur quis simpliciter *continens,* sed secundum quid, seu cum restrictione; ut continens iræ, continens cupiditatis honorum, opum, etc. Ratio est, quia istæ passiones neque sunt ita consentaneæ naturali propensioni, ut concupiscentiæ delectabilium tactus (unde etiam non sunt tam importunæ et assiduæ); neque hominem ita ad turpia trahunt. Quare in continendo se ab istis non est illa peculiaris laus et difficultas, quæ est in resistendo gulæ, et venereis cupiditatibus.

157. *Petes,* Utrum continentia distinguatur a temperantia, et qua ratione? Videtur enim non distingui, quia versatur circa eadem, circa quæ temperantia, ut docet Aristoteles L. 7. Ethic. cap. 4. et idem officium præstat : nam etiam temperantiæ est, voluntatem in bono honesto continere adversus voluptates.

R. Continentiam absolute dictam non distingui a temperantia, nisi ut imperfectum et inchoatum a perfecto et completo, et sicut dispositio distinguitur ab habitu; ut docet D. Thomas art. 4. in 0. et Cajetanus in art. 3. *Temperantia* enim consistit in firmo proposito continendi se in bono rationis, per quod passiones jam sunt domitæ, et rationi subjectæ; unde includit, saltem in obliquo, habitum illum appetitus inferioris, quo motus hujus appetitus rationi conformantur. *Continentia* vero est propositum simile, sed quod nondum eo pervenit ut passiones domuerit, et rationi subjecerit : unde adhuc pugnat cum hoste; cum temperantia de illo victoriam obtinuerit, et subjecerit servituti. Quare continens similis est illi, qui feras agrestes cicurandas accepit : temperans ei, qui jam cicuravit. Per temperantiam bonum rationis descendit non solum in voluntatem, sed etiam in appetitum inferiorem : per continentiam, in solam voluntatem. Unde patet, continentiam esse inchoatam quamdam temperantiam. Quod maxime locum habet in sententia eorum, qui sedem temperantiæ et fortitudinis faciunt ipsam voluntatem, et has virtutes non pertinere ad appetitum inferiorem, nisi per quamdam extensionem, et veluti ramum sui.

Hæc tamen non sic intelligenda sunt, quasi temperans nullos amplius concupiscentiæ motus patiatur (hoc enim non est hujus mortalitatis), sed quod rarius patiatur, et ordinarie non tam vehementes : est enim intrinsecus multo melius compositus quam continens; tum quia habitus voluntatis est firmior; tum quia præter hunc includit habitum appetitus inferioris, per quem, compressis passionibus, appetitus iste rationi subjicitur. Hinc fit ut ab intrinseco non possint magnæ passiones exurgere. Hæc tamen interdum excitari possunt a causa extrinseca; ut a dæmone, humores et spiritus commovente, et objectum delectabile assidue phantasiæ proponente : quo casu virtus temperantiæ sese exeret, et munus continentiæ præstabit, perfectiori tamen modo quam ipsa.

Quod attinet ad continentiam secundum quid, quæ circa alias passiones versatur, hæc eodem modo se habet ad virtutes illarum passionum mode-

ratrices, sicut se habet continentia simpliciter dicta ad temperantiam. Itaque continentia iræ nihil est aliud quam inchoatio mansuetudinis : continentia cupiditatis honorum vel opum nihil est aliud quam inchoatio magnanimitatis, magnificentiæ, liberalitatis; ut aperte colligitur ex D. Thoma, et Cajetano, art. 2. Eædem enim virtutes, quæ, ubi completæ fuerint, appetitum inferiorem rationi subjectum et passiones compressas tenent, jam primum inchoatæ et quasi in cunabulis constitutæ passionibus nondum edomitis resistunt, et voluntatem in bono rationis adversus illas continent, idque ejusdem honesti amore.

158. Ex dictis intelligi potest, utrum continentia sit dicenda virtus. Si enim virtus dicatur habitus complete potentiam circa aliquam materiam (v. g. circa passiones) perficiens; continentia non tam est virtus, quam virtutis inchoatio et rudimentum. Unde Aristot. L. 4. Ethic. cap. ultimo in fine, dicit *continentiam non esse virtutem, sed quiddam virtutis habere admixtum*. Nimirum quia voluntatem quidem rationi conformat, sed appetitum inferiorem, contra quem pugnat, rationi non subjicit, et ita a perfectione virtutis moralis deficit. Si tamen nomen virtutis accipiatur communius (ut passim solet) pro dispositione animi ad opus rectæ rationi consonum, seu pro principio laudabilium operum, ut inquit D. Thomas, sic continentia est virtus: disponit enim voluntatem ad rationis dictamen sectandum, et passionibus repugnandum, quod est honestum et laude dignum.

Notandum tamen est, *continentiam* posse constitui virtutem quamdam generalem (non essentia et attributione, sed objecto et extensione) qua voluntas bono rationis in genere contra quaslibet passiones inhærere decernit : illud enim objectum habet quamdam communem rationem honesti per se expetendam, ac proinde potest constituere virtutem, atque adeo certam virtutis speciem : affectus enim et propositum voluntatis ex ordine ad tale objectum certam speciem contrahit; et hæc virtus ex eo quod voluntatem in bono honesto contra passionum illecebras et impetus continet, recte continentia dicetur. Quamvis hoc nomen præcipue ei conveniat, quatenus delectationibus tactus resistit. Hoc modo videtur explicari continentiæ ratio a Martino; sed non ex mente Aristotelis, ut recte ostendit Cajetanus art. 2.

Neque hic modus est consentaneus praxi : non enim solent homines ex nudo illo et generali motivo honesti passionibus resistere; sed ob particularem aliquam boni honesti rationem, quæ pro diversitate materiæ se offert.

DUBITATIO II.

QUID SIT INCONTINENTIA, ET QUALE PECCATUM.

D. Thom. quæst. 156.

159. *Incontinentia,* ut opponitur continentiæ supra explicatæ, est, quando passio, præsertim ea quæ versatur circa delectationes tactus, vincit rationem, usu rationis manente. Dico, *rationis usu manente*: dupliciter enim passio rationem vincere potest, 1°. Si adeo sit vehemens, ut judicium

rationis impediat, et consequenter moralem libertatem adimat : sicut fit in iis qui amore fiunt amentes ; quo casu non est proprie incontinentia. Sicut enim bestiæ non dicuntur *incontinentes* : ita nec illi, qui rationis usum amiserunt, quantumvis turpia committant. Confirmatur, quia *incontinens* est, qui non continet se in bono rationis, cum possit et debeat : atqui talis non potest ; ergo, etc. Dicitur enim incontinentia quasi per privationem continentiæ : privatio autem locum non habet nisi ubi et quando habitus adesse deberet. 2°. Si rationis usum non tollat ; et tunc locum habet *incontinentia,* si voluntas passionem sequatur. Ratio est, quia manente rationis usu, semper potest homo passionibus resistere, et in rationis præscripto se continere, quantumvis illæ vehementes fuerint ; ut recte docet D. Thomas q. 156. art. 1. Si potest, ergo debet : si debet continere et non facit, jam est incontinens : deest enim continentia, ubi et quando debebat inesse.

Porro dupliciter passio rationem vincit, manente rationis usu ; ut colligitur ex Aristotele L. 7. Ethicorum cap. 7. et D. Thoma art. 1. *Primo,* si impetu suo rapiat ad se voluntatem, priusquam ratio consultet, aut exactius deliberet ; et hæc vocatur effrænata concupiscentia, et incontinentia. Accidit autem hoc vel ob passionis celeritatem, ut in cholericis ; quia humor iste ob tenuitatem et calorem facilis est moveri et accendi : vel ob illius vehementiam, ut fit in melancholicis, qui ob siccam et terrestrem constitutionem vehementem accenduntur. In hujusmodi igitur voluntas non diu cunctatur, neque sinit negotium ratione expendi, sed statim cedit ; satis tamen in confuso advertens malum esse quod proponitur. *Secundo,* si voluntas tenuiter bono rationis inhæreat : tunc enim etsi passio magnum impetum non habeat, facile tamen voluntatem ad se trahit ; ut fit in mulieribus, et iis quorum constitutio mollior est et feminea : ut sunt phlegmatici, teste D. Thoma art. 1. ad 2. et Aristot. supra.

160. *Petes,* Quomodo passio potest vincere rationem, manente rationis usu, quo res judicatur esse illicita.

R. Rationem non ita vinci quin possit resistere ; et ideo merito illi imputari, quod se vinci sinat, vel potius quod sponte cedat et consentiat. Passio enim solum allicit, blanditur, et suadet per modum propositionis objecti ; facit enim ut objectum appareat valde suave et conveniens homini. Hinc per sympathiam potentiarum intellectus simili modo illud apprehendit, et voluntati proponit. Et quamvis ex altera parte judicet illud esse illicitum, nihilominus quia apprehensio delectabilis est vehementior magisque sensibilis, ac naturalis, et ex ratione illiciti non cernitur præsens periculum, vincit ista apprehensio, et voluntati persuadet ut delectabile hic et nunc honesto præponat, passionique consentiat. In potestate tamen voluntatis erat se continere, et illam delectationem contemnere, tum quia satis per rationem advertit esse illicitam, tum quia minime sibi necessariam.

161. Ex his colligitur. 1°. Incontinentiam esse peccatum ; tum quia turpe est rationem vinci a passione, et voluntatem deserere bonum rationis, ut inhæreat bono delectabili ; tum quia voluntas trahitur ad infimas delectationes, quæ homini cum brutis sunt communes ; unde etiam hoc vitium peculiarem turpitudinem continet ; ut docet D. Thom. art. 2. et Aristoteles

L. 7. Ethic. cap. 8.; est autem mortale vel veniale pro ratione materiæ. 2°. Incontinentiam cæteris paribus esse minus malum quam intemperantiam. *Primo*, quia *intemperans* non peccat ex passione, sed spontanea electione, et propriæ voluntatis malitia : *incontinens* vero ex impulsu passionis, tanquam ab intrinseco contra suam voluntatem incitatus : nam et ante et post passionem voluntati displicet opus, eoque commisso statim pœnitentia ducitur. *Secundo, intemperans* habet intellectum prave dispositum quoad judicium objecti (non enim reputat illud inhonestum, vel certe parvi æstimat, tanquam exiguum malum), et voluntatem prave dispositam habitu vitioso, et appetitum inferiorem similiter : *incontinens* vero judicium habet rectum et voluntatem rectam extra passionem, et appetitus inferior non est adeo corruptus. Nec refert quod incontinens sæpe vincatur; ex actibus autem frequentatis nascatur habitus : quia etsi dum labitur, aliqua prava dispositio voluntati et appetitui inferiori per actus pravos veluti affricetur; hoc tamen paulo post displicentia et dolore commissi abstergitur, ut in habitum solidum non facessat. Denique intemperans multo difficilius emendatur quam incontinens, propter judicii et voluntatis inolitam longa consuetudine perversitatem. 3°. Incontinentiam concupiscentiæ plus habere probri et dedecoris, quam incontinentiam iræ; turpius enim est a voluptatibus quam ab ira superari : idque propter quatuor rationes, quas profert Aristoteles L. 7. Ethic. cap. 6. et D. Thomas art. 4.

Prima est, quia motus iræ habet aliquam speciem et imaginem rationis (offert enim se vindicta menti specie justitiæ); sed in eo deficit, quod modum, qui a ratione præscribitur, non attendat; sicut veloces famuli, qui simul atque dominum aliquid imperantem audiunt, anticipant, et priusquam totum imperium perceperint, ruunt ad executionem. Motus autem concupiscentiæ nullam habet rationis speciem, sed totus est secundum sensum, totus mollis, femineus, carnalis, ad hoc solum tendens ut carni et sensualitati serviatur.

Secunda, quia motus iræ magis sequitur corporis temperamentum, et humoris conditionem, propter choleræ (quæ huic passioni servit) tenuitatem et calorem. Hinc enim fit, ut posita apprehensione injuriæ, humor biliosus statim effervescat, et concitetur ad vindictam : concupiscentiæ vero deservit sanguis et pituita, quorum motus lentior, nec ita accenduntur. Itaque motus iræ magis est venia dignus quam concupiscentiæ, qui non ita ratione corporalis dispositionis concitatur.

Tertia, quia ita quærit manifeste operari, quasi in opere nihil sit dedecoris; concupiscentia vero quærit latebras, veluti conscia suæ turpitudinis.

Quarta, quia concupiscentia quærit voluptatem superfluam; ira vero repellit malum immeritum. Plus autem habet excusationis qui in malo a se depellendo modum rationis excedit, quam qui in voluptate superflua adsciscenda.

Incontinentia tamen iræ plus habet periculi, propter malum proximi, ad quod irrogandum ita prosilit; hinc enim seditiones, bella, cædes, incendia, et tota fere generis humani turbatio; unde ut plurimum incontinentia iræ absolute est gravior.

DUBITATIO III.

DE MANSUETUDINE.

D. Thom. quæst. 157.

162. *Mansuetudo* (quæ græcis πραότης et ἠπιότης dicitur) *est virtus irarum moderatrix*: vel, ut Glossa in cap. 5. Matthæi explicans illud, *Beati mites,* ait: *Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo.* Sicut enim temperantia moderatur cupiditates delectationum gulæ et veneris, appetitum inferiorem ita rationi subjiciens, ut etiam oblatis occasionibus non plus quam par est concupiscat: ita *mansuetudo* moderatur iram, subjiciens rationi appetitum inferiorem, ita ut oblatis irritantibus, in motum iræ non prorumpat, vel saltem justum modum in eo teneat. Proxima igitur materia hujus virtutis est ira, cui modum a ratione præscriptum veluti formam quamdam imponit; nimirum, ut irascamur quando, et cui oportet, quam ob causam, quantum, et quomodo oportet; et cum non ita irascendum, iram omnino comprimamus.

Hæc virtus multis locis commendatur in Scripturis, ut Ecclesiastici 10. *Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.* Psal. 36. *Mansueti autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis*; et Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

DUBITATIO IV.

DE IRA ET IRACUNDIA.

D. Thom. quæst. 158.

163. Mansuetudini, sicut et aliis virtutibus, quæ passiones moderantur, duo vitia opponuntur; *ira* vel potius *iracundia* (quæ actum et habitum vitiosum irascendi designat) per excessum, et *lenitudo* per defectum. Ira per se nec bona est, nec etiam mala, sed quiddam indifferens, quo bene et male uti possumus, sicut et reliquæ passiones. Malam non esse vel ex eo constat, quia naturæ est apprime utilis ad ardua facta, et ad sui conservationem. Sicut enim passio amoris data est homini ad boni prosecutionem; ita passio iræ ad repulsionem malorum et nocentium, ne ea in re natura sit torpida, et languida. Itaque habet eum locum in homine, quem miles in Republica. Unde pulchre Nemesius L. de natura hominis cap. 21. dixit, ὅτι ὁ θυμὸς τὸ δορυφορικόν ἔστι τοῦ λογισμοῦ, *iram esse satellitium rationis.* Nec obstat quod rationem turbet, et sanum consilium ad judicium de rebus impediat; quia non debet excitari nec adhiberi nisi post consilium; nimirum quando veniendum est ad executionem: sicut miles non adhibetur nisi post senatus vel principis decretum; sed jubetur quiescere, donec accersatur ad opus. Deinde ira nihil est aliud quam appetitio vindictæ; atqui vindicta bona est, si debito modo fiat.

164. Erit peccatum, si modum a ratione præscriptum non servet, et tunc dicetur proprie *iracundia,* quam Aristoteles vocat ὀργιλότητα, distinguens eam a simplici ira, quæ ὀργὴ dicitur. Dupliciter autem fieri potest ut ira præscriptum rationis non servet :

1°. Ex parte objecti, si injustam vindictam appetas; ut ob causam non legitimam, vel majorem quam oportet, vel absque publica auctoritate exequendam. Et hoc modo ex genere suo est peccatum mortiferum; quia contra proximi charitatem et justitiam. Potest tamen esse veniale ob imperfectionem actus, quæ spectatur vel ex parte voluntarii, ut cum motus iræ perfectum rationis judicium prævertit; vel ex parte objecti seu materiæ, ut cum quis modicam vindictam appetit; v. g. si parum trahas puerum per capillos, ut inquit D. Thomas : modicum enim instar nihili reputatur. Nec obstat quod ex genere suo dicatur mortifera; quia hoc intelligendum de actu perfecto tam ex parte voluntarii quam ex parte objecti, ut recte explicat Cajetanus; nimirum ut actus sit ex pleno judicio rationis, et objectum sit notabilis quantitatis : hoc enim modo accipiendus est actus, cum ex genere suo dicitur mortalis vel venialis.

2°. Potest præscriptum rationis non servari ex parte ipsius motus; ut si nimium interius ira exardescas, vel exterius eam per signa nimium patefacias. Hoc modo non est quidem ex genere suo mortale, potest tamen esse mortale, vel ratione affectus et præparationis animi, quam inducit; ut si tantum ira accendaris, ut paratus sis aliquid facere, quod sit peccatum mortale : vel ratione scandali; ut interdum accidere potest in prælatis, vel iis qui in infidelibus convertendis occupantur.

165. *Dices* : Omnis ira videtur esse peccatum mortiferum; nam Dominus Matth. 5. generatim dicit : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Quibus verbis significatur, illum mereri condemnationem mortis, nimirum æternæ : nam *reus judicio* Hebræis dicitur, qui dignus est condemnatione, puta mortis : illa enim est præcipua, et absolute dicitur condemnatio, et judicium : unde translata ad tribunal Dei, designat damnationem æternam.

R. Dominum ibi loqui non de omni ira; sed de ea, quæ tendit ad homicidium : complet enim illud præceptum, *Non occides;* addens, non solum externum homicidium esse peccatum mortiferum in judicio divino, sed etiam occultam iram, qua quis proximi mortem optat : ut recte D. Thomas art. 3. ad 2.

De eadem ira intelligendum id, quod sequitur, *Qui dixerit fratri suo raca, qui dixerit fatue,* etc. nimirum ex ira, qua mortem illius desiderat : ut idem D. Thomas art. 5. ad 3.; ponit enim Dominus tres gradus ad homicidium. *Primus* est, ira interna optans mortem proximi. *Secundus,* eadem ira prorumpens in contumeliam, sed leviorem. *Tertius,* eadem erumpens in contumeliam gravem. In quarto est ipsum homicidium, et quodlibet aliud grave nocumentum.

166. Ut autem quale sit peccatum iræ, melius intelligatur, notandum est, illud per se minus esse peccatum, quam odium vel invidiam, ut docet D. Thomas art. 4. *Odium* enim appetit malum proximi, quia malum, et eo duntaxat fine ut ei sit male; illi enim male esse apprehendit tanquam suum

bonum. Hinc fit ut nulla mali mensura satietur; quia quæ per se appetuntur, sine mensura et termino appetuntur; sicut avarus appetit divitias, et voluptuarius delectationes sine termino. *Ira* vero appetit malum alterius sub ratione justæ vindictæ: nimirum, ut qui offendit, sentiat et doleat se male fecisse, et ita fiat compensatio. Unde non appetit malum alterius nisi secundum certam mensuram; nimirum ad æqualitatem injuriæ, ut pœna sit commensa culpæ; cujus signum est, quod si vindicta hanc mensuram excesserit, ira vertatur in misericordiam. Itaque spectat in objecto imaginem quamdam justitiæ, ut justitiam vindicativam imitari videatur. Sicut enim hæc appetit malum proximi sub ratione justæ vindictæ; sic ira sub specie et imagine justæ vindictæ: sed in eo est discrimen, quod justitia illa regatur vera prudentia; ira non vera, sed imagine duntaxat prudentiæ: unde etiam in objecto non spectat veram rationem justæ vindictæ, sicut justitia vindicativa; sed speciem tantum justæ vindictæ. *Invidia* dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obscurare. Unde desiderat illi malum, nempe illius boni privationem, ut suam existimationem et excellentiam illibatam conservet; ac proinde affectu proprii boni movetur. Unde patet, *invidiam*, quæ non appetit alteri malum ut ei sit male, sed ut sibi sit bene, esse minus quidem malum quam *odium*, quod solum appetit ut alteri sit male; majus tamen quam *iram*: nam ira spectat imaginem justitiæ; et omnis irascens justam causam iræ suæ prætendit, qua se excuset. Unde etiam judicio generis humani minus probrosa aut inhonesta quam invidia, quæ nullam justitiæ vel honesti speciem præfert. Ob eamdem causam ira censetur honestior; seu minus dedecorosa quam concupiscentia, ut supra dubit. 2. n. 116. dictum est.

167. *Notandum I.* Etsi ira ex parte objecti formalis sit minus mala vel minus dedecorosa quam odium, invidia, et concupiscentia; tamen ex parte modi, cum quo fit, habet præ reliquis passionibus peculiarem quamdam inordinationem. 1°. Quia maxime rationem perturbat. 2°. Quia maximum in agendo habet impetum. 3°. Quia corpus maxime immutat, adeo ut hominem furiosæ belluæ similem efficiat. Unde Proverb. 27. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; et impetum concitati ferre quis poterit?* Et Gregorius L. 5. Moralium cap. 31. (al. c. 45. n. 78.) *Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit, omnino nesciatur, sicut scriptum est: Ira in sinu stulti requiescit, quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.* Et infra: *Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti: ore quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est?* etc. Ratio est, quia sicut amori, desiderio et gaudio deservit sanguis; odio, timori, tristitiæ melancholia; ita bilis deservit iræ. Hæc enim, motu iræ insurgente, statim effervescit, et concitatur, tanquam in malum præsens factura impetum. Motus enim spirituum et humorum respondent motibus animorum, propter mutuam corporis et animæ consensionem, et illius ad hæc naturalem subordinationem. Rationem igitur perturbat, non solum, ut aliæ passiones, faciendo objectum aliter quam in se sit, apprehendi; sed etiam, quia suo calore spiritus accendit, et commovet:

qui tamen ut functionibus mentis sint idonei, debent esse temperati et tranquilli; deinde quia nimium calefactis humoribus fumi excitantur, qui caput opplent et offuscant. Dat impetum passioni, ratione caloris et incitationis: sicut enim passio bilem concitat, ita vicissim bilis concitata passionem auget per quamdam sympathiam, mediante tamen imaginatione, qua res vehementius apprehendatur; denique corpus immutat, quia calidissima: unde accendit spiritus et sanguinem, et simul cum illis veluti foras contra malum ruitura, exterius, in vultu præsertim et oculis, sese prodit.

Notandum II. Ab Aristotele L. 4. Ethic. c. 5. poni quatuor species seu modos iræ; etsi D. Thomas art. 5. tres solum enumeret, secutus in eo Gregorium Nyssenum, vel potius Nemesium L. de natura hominis cap. 21. et Damascenum L. 2. Fidei orthodoxæ cap. 16.

Prima est eorum, qui simpliciter dicuntur *iracundi,* Aristoteli ὀργίλοι, qui celeriter irascuntur, et quibus non oportet, et quam ob causam non oportet, et vehementius quam oportet, sed paulo post placantur.

Secunda est eorum, qui dicuntur ἀκρόχολοι, id est, *summe iracundi,* qui celerrime, ad omnia, et ob quamvis causam iracundia exardescunt. Hi duo modi fundamentum habent in temperamento bilioso, et in copia humoris biliosi, ejusque fervore, et tenuitate. Hinc enim provenit illa celeritas irascendi ad minimas quaslibet occasiones. Hi, juxta Gregorium L. 5. Moralium capite 32. (al. c. 45. n. 80.) *Accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, et citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favillam frigescunt.*

Tertia est eorum, qui dicuntur πικρόχολοι, quasi dicas, *amarobilarii,* qui postquam excanduerint, propemodum sunt implacabiles; cujus ratio est, quia cum laborent humore melancholico, diu tristitiam ex offensione conceptam retinent; et consequenter retinent iram, quæ tristitiæ quærit medicinam: tollitur autem illa tristitia, vel temporis tractu concocta et evanescens, vel vindicta obtenta: utrumque enim, et tempus et ultio, est tristitiæ illius medicina. De his intelligi potest quod ait Gregorius supra: *Alii lignis gravioribus durioribusque non dispares, accensionem tarde suscipiunt; sed tamen accensi semel, difficilius extinguuntur: et quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem servant.*

Quarta est earum, qui χαλεποί, id est, *sævi et difficiles,* qui nunquam placantur, nisi injuriam ulti sunt: non propter tristitiam, ut isti priores; sed quia imaginationem in ultionem defixam habent. His recte aptaveris illud Gregorii: *Alii, quod nequius est, et citius iracundiæ flammas accipiunt, et tardius deponunt;* quamvis et hoc interdum in prioribus, nimirum πικροχόλοις, locum habeat.

In prima igitur et secunda specie est inordinatio, ratione nimiæ celeritatis, qua fit ut rationis præscriptum non expectetur: quæ celeritas in prima est major quam oportet, sed non summa: in secunda est summa, seu in summo gradu. In tertia et quarta specie est inordinatio ratione diuturnitatis, quæ in tertia quidem provenit ex tristitia, in quarta ex vehementi imaginatione vindictæ.

Nemesius loco citato tres iræ species constituit. *Primam* vocat ὀργὴν et χολὴν, quam *excandescentiam* vocare possumus: estque nihil aliud quam ira, principium et motum habens. Hæc *primam* et *secundam* speciem Aristo-

telis complectitur. *Secundam* vocat μῆνιν, παρὰ τὸ μένειν, quod diu maneat : quæ nihil est aliud quam ira inveterascens, et *simultas* dici potest. Hæc pertinet ad tertiam Aristotelis. Tertiam vocat κότον, ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, quod vindictam repositam habeat : quæ est ira observans occasionem ulciscendi; hæc *inimicitia* vocari potest, et pertinet ad quartam Aristotelis.

Possunt supradicti modi considerari vel ut habent initium, et veluti fundamentum in naturæ dispositione ; et sic sunt passiones, quæ per se moraliter nec bonæ nec malæ sunt : vel ut proveniunt ex dispositione voluntaria, aut aliquo modo a consensu voluntatis pendent ; et sic sunt distincta peccata, habentia inordinationes specie distinctas, ut rectè ostendit Cajetanus, et satis colligitur ex dictis : quod intellige de secundo, tertio, et quarto modo; nam primus et secundus non videntur specie, sed solum secundum magis et minus distincti.

Notandum III. Iram seu iracundiam poni a Doctoribus vitium capitale; quia ordinarie plura alia ex eo nasci consueverunt : idque duplici ratione. *Primo,* ex parte objecti, quod est vindicta, habens speciem justitiæ : ratione cujus homines multa facere consueverunt; nam et appetitui naturali, ut est depulsio mali ; et rationali, ut habet specimen justitiæ, est valde conformis. *Secundo,* ratione illius impetus, quo mentem ad multa inordinate agenda, et ad quidvis audendum vindictæ desiderio præcipitat. Hujus vitii D. Gregorius L. 31. Moralium c. 31. (al. c. 45. n. 88.) recenset has sex filias : *De ira,* inquit, *rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur.* Quarum ratio, juxta D. Thomam, sic accipi potest : Ira potest tripliciter considerari. 1°. Ut est in corde : ibi parit *indignationem* et *tumorem mentis. Indignatio* est, qua is, cui irascimur, contemnitur, et vilipenditur tanquam indignus a quo tale quid patiamur. *Tumor mentis* est quo seipsum irascens extollit, et alteri præfert. Facit enim ita ut is, qui offensus est, se apprehendat ut magnum, et extollat : eum vero qui offendit, ut vilem, et contemnat; sic animalia in ira intumescunt, et se extollunt. 2°. Ut est in ore; et sic parit *clamorem, contumeliam* et *blasphemiam. Clamorem,* faciendo ut vocem extollamus, multa inordinate et confuse jactantes : *contumeliam,* jactando convitia verborum in proximum, *blasphemiam* contra Deum. 3°. Ut procedit ad factum ; et sic parit *rixas,* seu *pugnas,* et quæ ex rixis sequuntur, vulnera, homicidia, etc.

168. Quod ad alterum extremum mansuetudini oppositum attinet, id proprio nomine caret; sed dici potest *lenitudo,* vel *stupor*; vitium non ita frequens. Aristoteles vocat ἀοργησίαν, quasi dicas *inirascentiam,* vel iræ vacuitatem ; nimirum cum quis ita insensibilis est mali et injuriarum, ut non excitetur ad iram, quando etiam secundum rectam rationem oporteret. Est autem id signum stoliditatis, juxta Aristotelem, quia tales non videntur habere sensum mali, aut apprehendere injuriam ; quod intellige, si id a stupore quodam naturæ proveniat : secus, si philosophica consideratione, et exercitio comparatum ; ut in aliquo fortasse e Stoica disciplina, quæ omnem iram vult exclusam, et ἀπάθειαν profitetur.

Hæc tamen iræ vacuitas non est per se vitiosa. Sicut enim irasci non est per se bonum : ita nec iræ motu vacare, aut esse ad irascendum stupidum, est malum. Potest tamen esse vitiosum, quatenus est causa, ut quis defectu

iræ et animositatis, prætermittat aliquod officium justitiæ, vel charitatis, ad quod erat obstrictus : ut monere, corripere, castigare, retundere contumaces, occurrere malis, etc. In quibus etiam Dominus interdum ira usus legitur; ut Marci 3. *Circumspiciens eos cum ira*; et Joannis 2. cum ejecit vendentes e templo. Quando enim ad tale quid obligamur, si per se friget animus, et detrectet tanquam rem arduam, excitanda est ira, quæ addat calorem et audaciam, torpore illo excusso. Ea enim est humana conditio, ut sine hujusmodi stimulo et præsidio, ad ardua exequenda vix excitemur; nam ira est satellitium rationis; sine satellite in Republica mala non impediuntur; nec sine ira ratio in homine contra malum strenue insurgit: unde in ejusmodi eventis non excitare iram, est vitiosum, et contrarium mansuetudini per defectum; mansuetudinis enim est non solum iram comprimere, sed etiam cum opus est, excitare et assumere : quamvis hoc nomen magis compressionem insinuet; illa tamen iræ vacuitas non habet distinctam malitiam a malitia quæ est in omissione officii debiti, cujus est causa : nam solum est mala, quatenus in ea omissio debitæ actionis censetur volita.

DUBITATIO V.

DE CLEMENTIA, ET CRUDELITATE.

D. Thom. quæst. 157. 159.

169. Clementia est virtus mansuetudini affinis; non tamen eadem, juxta D. Thomam. Distinguitur enim objecto formali, et materia proxima. Mansuetudo enim proxime versatur circa iram, clementia circa vindictam externam. Illius officium est iræ imponere moderationem, et cum recta ratione conformitatem : hujus vero diminuere, seu mitigare externam punitionem, quantum justitiæ ratio patitur. Illa pertinet non minus ad subditos et infimos quam ad superiores : hæc propria est virtus superiorum, et maxime principum.

170. *Dices* : Ejusdem virtutis est moderari affectum internum, et opus externum, ad quod ille affectus inclinabat. Eadem enim virtus temperantiæ, quæ concupiscentias voluptatum carnis refrænat, etiam usum externum temperat : et eadem fortitudinis virtus, quæ timorem et audaciam moderatur, etiam fugam et aggressionem dirigit. Similiter liberalitas, quæ divitiarum cupiditatem, etiam externam largitionem moderatur. Idem cernitur in φιλοτιμία, (prout est virtus circa honores mediocres occupata) magnanimitate, et magnificentia ; ergo etiam virtus illa, quæ moderatur iram, nempe mansuetudo, etiam moderabitur externam punitionem, minuendo eam consentanee suo affectui, ac proinde non distinguetur a clementia. Confirmatur, quia ira est cupiditas vindictæ et punitionis : at qui minuit cupiditatem vindictæ, hoc ipso etiam externam vindictam, quæ ex illa cupiditate sequitur, minuit.

Ob hoc argumentum videri posset alicui idem habitus virtutis, qui quatenus temperat iram, dicatur *mansuetudo*; quatenus vero externam punitionem, *clementia*. Quæ sententia confirmari potest; quia uterque, nimirum

mansuetus et clemens, videtur quærere in seipso benignitatem quamdam et suavitatem affectus in proximum, (unde etiam vocantur lenes, et habitus eorum lenitas) et ex eodem affectu operari.

171. Nihilominus placet sententia D. Thomæ. Unde respondeo : Dupliciter fieri posse ut quis incitetur ad majorem vindictam quam conveniat.

1°. Ex impetu iræ. Et hoc modo vindictam minuit mansuetudo, ut recte probat argumentum; imminuta enim vindictæ cupiditate, sequitur imminutio vindictæ : sicuti imminuta concupiscentia delectationum, sequitur moraliter imminutio in ipsarum usu externo.

2°. Ex consideratione suæ potestatis, qua inclinatur ad intemperanter ea utendum : ita enim est humanum ingenium, ut delectetur ostentatione potestatis, et aliorum sub se depressione, et miseria. Hoc modo mitigat punitionem clementia, quæ retinet animum, ne tota potestate in vindicta inferenda utatur.

Unde patet, has virtutes diversas rationes formales spectare. *Mansuetudo* enim vindictam mitigat ne obtemperet iræ, et quia id consentaneum animo iræ dominanti : *clementia* vero, quia id consentaneum et decorum homini, potestate in alium prædito. Decet enim in malis pœnisque inferendis non uti tota potestate, sed aliquid remittere, et infra meritum punire : sicut e contrario in præmiis conferendis honestum est etiam supra merita remunerare : ut benignitas præmio aliquid adjiciat, et supplicio aliquid detrahat. Sic Deus dicitur punire citra condignum, et ultra condignum præmiare. Cum enim pœna sit malum, et præter Dei primævam institutionem, decet eam minui quantum ratio boni patitur. Et e contrario cum præmium sit bonum, et ex primo Dei instituto ac intentione, decet illud augeri quantum justa proportio et bona gubernatio permittit.

172. Ex his facile intelligas quid sit clementia. Seneca L. 2. de Clementia, capite 3. sic definit : *Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi : vel lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis.* Et infra : *Clementia,* inquit, *est moderatio, aliquid ex merita ac debita pœna remittens.*

Quæ definitiones idoneæ sunt, et insinuant, tria ad clementiam, ut in actum externum exire possit, requiri. 1°. Potestatem puniendi; quæ tantum reperitur in superioribus : unde hæc virtus est propria superiorum, et maxime principum, qui pœnas legibus definitas possunt mitigare. 2°. Ut mitior pœna irrogetur, quam jure irrogari posset. Est enim clementia quædam gratia et condonatio, non perfecta, (distinguitur enim a venia) sed ex parte, ita ut justitiæ vindicativæ officium non excludat, sed solum asperitatem nonnihil mitiget. 3°. Ut id proveniat ex animi lenitate; qua fit ut quis proximo benigne afficiatur, ejusque commodis faveat, incommoda abhorreat. Itaque si quis pœnam sonti mitigat inductus pecunia, vel amicitia, vel timore; non erit formale officium clementiæ : quia non ex affectu hujus virtutis, sed ex alio motivo id facit; dicetur tamen actus clementiæ, quia ratione materiæ ad hanc virtutem pertinet.

173. Adverte tamen, quibusdam eventis bono publico magis expedire *severitatem* quam clementiam. Est autem *severitas* inflexilis animi rigor, nihil

de merita vel statuta pœna remittens. Hac utendum, 1°. *In militia* : hic enim omne erratum capitale est, propter publicum periculum; unde exacte disciplina servanda, ut si semel peccatum fuerit, saltem non contingat secundo, ut quidam ait, quod absque rigore fieri non potest. Accedit, quod illa hominum colluvies, nisi severitate et præfractis imperiis regi non possit. Refert in hanc sententiam nonnulla VALERIUS MAXIMUS L. 2. c. 2. et L. 6. c. 3. et Lampridius in Alexandro Severo; sed in primis memorabilis fuit severitas disciplinæ militaris in Aureliano Imperatore, quæ ita militi formidolosa erat, ut post unam castrensem animadversionem nemo sub eo deliquerit amplius. Illius epistola ad Tribunum militum, quem præsidio præfecerat, talis extat : *Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo attingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat : oleum, salem, ligna nemo exigat : sua quilibet sit annona contentus. Hostili præda, non provincialium lacrymis ditescant : arma detersa sint, calceamenta fortia : nova vestis veterem excludat; stipendium habeat in balteo, non in pompa.*

2°. In præfectos et ministros justitiæ, præsertim qui muneribus corrupti justitiam pervertunt, et jus omne venale habent. Hi enim potestate publica, qua, tanquam sacrosancta, castissime uti deberent, abutuntur ad oppressionem innocentium, et privatum compendium. Hujus severitatis præclarum exemplum refert Herodotus in Terpsichore, seu L. 5. et VALERIUS MAXIMUS L. 6. c. 3. attingit : *Otanem*, inquit Herodotus, *Darius rex oræ maritimæ præfecerat. Hujus patrem Sisamnem unum e regiis judicibus, quod injuste ob pecuniam judicasset, rex Cambyses, qui ante Darium fuit, interemit, interemptoque detractum corium in lora concidit, quibus tribunal, in quo ille sedens judicarat, intendit, ibidemque filium ejus Otanem sedere judicem jussit, atque in memoria habere, in quo tribunali judicaret.*

3°. Cum populi ingenium est malignum et refractarium, ita ut in officio aliter contineri nequeat. Ob hanc causam tota lex vetus, cujus ipse Deus erat auctor, et qua populum judaicum regi volebat, erat severa, et acres pœnas infligebat, ut pro adulterio, pro violatione sabbati, pro esu panis fermentati tempore paschatis, etc., pœnam mortis : quia populus iste duræ cervicis erat, ut Scriptura loquitur. Item quando crimen ex pura malitia commissum : tunc enim clementiam non meretur. Denique severitate utendum, quando id magis judicatur expediens vel ad emendationem delinquentis, vel certe ad publicam disciplinam sanciendam; hic enim est finis punitionis, ac proinde mensura vindictæ hinc capienda; finis enim est mensura eorum, quæ sunt ad finem : alioquin decet ut animus ex se propensior sit ad clementiam, eamque adhibeat, quando bonum publicum, vel correctio delinquentis aliud non postulat.

174. *Clementiæ* opponuntur duo extrema, *crudelitas*, per excessum, et *nimia lenitas*, per defectum. *Crudelitas* nihil est aliud quam atrocitas animi in exigendis pœnis. Sicut enim clementia minuit pœnam quantum ratio permittit; ita crudelitas illam supra justum modum exaggerat : idque ex animi quadam asperitate, malo alterius minime compatientis.

Supponit hoc vitium in opere suo potestatem puniendi sive legitimam, sive usurpatam; nam in eo consistit quod in usu istius potestatis modus

excedatur, dum pœna major infligitur quam culpa meretur. Secundo, supponit etiam causam, nimirum injuriam quæ vindicetur, aut delictum quod puniatur. Unde Seneca L. 2. de Clementia c. 4. *Illos,* inquit, *crudeles vocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt, non quidem in homines innocentes, sed super humanum ac probabilem modum sævisse.*

Crudelitas enim est excessus in pœnis exigendis; pœna autem delictum vel speciem delicti supponit: ita crudelitas proprie respicit ad aliquam culpam, et prætendit speciem quamdam justitiæ.

175. *Dices:* Quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen videntur, tanquam qui ignotos homines et obvios non in compendium, sed occidendi causa occidunt, nec interficere contenti, sæviunt, ut Busiris ille, et Procrustes, et piratæ, qui captos verberant, et in ignem vivos imponunt : ita Seneca objicit.

Respondeo cum eodem Seneca, tales non tam esse *crudeles* quam *feros,* et vitium eorum *feritatem,* cui voluptati est sævitia. Sicut enim immanes belluæ dilaniant homines, et ea re delectantur, nullam justitiæ aut rationis speciem attendentes, sed solam voluptatem pastus : ita qui non vindictæ causa (quæ aliquam justitiæ imaginem præfert) cruciatus inferunt, sed quia tormentis et sanguine humano delectantur, merito dicuntur *feri,* et sævi, utpote belluis quam hominibus affectu et truculentia morum similiores; tales se præstant quidam hæretici in catholicos, præsertim sacerdotes, inusitatis suppliciis eos afficientes, non ut puniant aut vindicent aliquam injuriam (quæ enim injuria est, antiquam religionem toto orbe diffusam, et tot seculis florentem colere?), sed ut animum tormentis et sanguine eorum expleant. Latronum sævitia, qui propter compendium homines torquent et occidunt, magis ad feritatem, quam ad crudelitatem referenda est : quia non vindictæ aut punitionis causa id faciunt, sed sui commodi, sicuti immanes feræ, quæ ob pastum occidunt.

176. Alterum extremum clementiæ oppositum est *nimia lenitas.* Hæc inconsulte pœnam mitigat, vel omnino remittit, etiam cum bonum delinquentis et exemplum aliorum aliud requirit : vitium non minus Reipublicæ perniciosum quam crudelitas. Inde enim criminosi, et turbatores pacis publicæ invalescunt; vulgo tamen *clementia* vocatur, cum potius crudelitas sit in Rempublicam quam clementia in privatos. Provenit hoc vitium ex nimia alieni mali compassione; cum fortuna et calamitas quam patitur, non causa spectatur : hanc Seneca vocat *misericordiam,* nomine non satis in eum sensum, præterquam apud Stoicos, usitato. Potest etiam provenire ex naturæ quadam lentitudine et stupore, culpæ magnitudinem non percipiente, de quo supra dubit. 4.; denique ex amore alicujus commodi vel timore incommodi, ut cum judex muneribus corruptus, vel metu officii amittendi impulsus sontibus parcit, quamvis hic non tam sit vitium nimiæ lenitatis, quam avaritiæ vel ambitionis.

DUBITATIO VI.

QUID MODESTIA ET QUÆ EJUS SPECIES.

D. Thom. quæst. 160.

177. Modestus vocari solet, qui intra modum et limites sui status, ingenii, et fortunæ se continet, suo modulo contentus. Unde *modestia* est virtus qua quis hanc mediocritatem in se amat et præstat, motus suos internos et externos, et omnem rerum suarum apparatum, intra mensuram sibi congruam coercens. Hinc patet, modestiam esse affinem et annexam temperantiæ. Sicut enim temperantia moderationem adhibet in iis in quibus difficillimum est adhibere, nimirum in delectationibus tactus : ita modestia in aliis quibusdam modum ponit, ubi id minus quidem est difficile, tamen ad recte præstandum opus est virtute. D. Thomas hujus virtutis quatuor statuit species : *humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum, et modestiam externi apparatus.* Moderatis enim delectationibus carnis per *temperantiam*, et impetu iræ per *mansuetudinem*, quatuor supererant, quæ potissimum moderatione quadam, et intra certos limites restrictione egere videbantur; inter quæ primum est, motus animi ad excelsa, ad quem coercendum est *humilitas.* Secundum, nimium desiderium cognitionis, præsertim curiosæ : hoc refrænat *studiositas.* Tertium, motus et gestus externi corporis : hos componit *modestia morum.* Quartum, externus cultus et apparatus in vestibus, conviviis, supellectili : hunc moderatur alia quædam modestiæ species, quæ *modestia cultus* dici potest.

DUBITATIO VII.

QUID SIT HUMILITAS, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quæst. 161.

178. Humilitas ab humo dicitur, quia per illam ad ima, et veluti ad humum usque deprimimur. Dupliciter autem id fieri potest. 1°. Si contra voluntatem ab alio depressus sit; et hoc modo humilitas est pœna : sicque dictum est, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* 2°. Si quis sua sponte ex consideratione suorum defectuum se deprimat; et hoc modo est virtus; quæ variis modis definiri potest. D. Thom. art. 1. ad 1. *Humilitas,* inquit, *est virtus, qua quis defectum suum considerans, se in infimis secundum modum suum continet.* Idem ad 2. *Est laudabilis sui ad ima dejectio.* Joannes Rusbrochius L. de præcipuis virt. c. 1. *Humilitas est animi demissio, id est, interna quædam et profunda cordis et animi coram celsissima Dei majestate inclinatio et submissio.* Aptissime D. Bernardus L. de gradibus humilitatis, in principio : *Humilitas est virtus, qua quis verissima sui cognitione sibiipsi vilescit.*

Ex quibus patet, humilitatem supponere cognitionem sui, id est, suæ imperfectionis, suique defectus. Hæc *sui cognitio* comparatur, dum quis se coram Deo et Angelis constituens, considerat qualis sit tum animo, tum cor-

pore : quam ignorans, quam ad malum pronus, ad bonum lentus et infirmus, quam rebus infimis addictus, quam levis et instabilis : quantis peccatis obnoxius, quantis miseriis subjectus, quam in Deum ingratus : præterea se ex se nihil boni habere, nihil posse, nihil esse : sua omnia assidue a divina bonitate pendere, sicut imago in speculo pendet ab objecto, sicut pondus suspensum in aere a manu tenentis ; sicut lumen a sole, et sicut umbra a corpore : denique sine assiduo Dei influxu se in nihilum ruere.

Dixi, coram Deo hanc considerationem faciendam ; *quia ad illud lumen veritatis constitutus homo, seipsum et sine dissimulatione inspicit, et sine palpatione dijudicat,* ut inquit D. Bernardus serm. 42. in Cantica. n. 6. Sicut, ut quis nævos omnes sui corporis perspectos habeat, seipsum soli exponit, ut in ejus lumine omnia detegantur.

179. Hac cognitione posita in intellectu, sequuntur in voluntate multi affectus et motus, qui sunt humilitatis actus et functiones. 1°. Vilipensio et contemptus sui, per quem se, quoad ea quæ ex seipso habet, nihil æstimet.

2°. Reputat se omnibus Dei donis indignum, et ad omnia ineptum : idque sine falsitate, ut docet D. Thomas art. 6. ad 1. talis enim revera est secundum ea, quæ ex seipso habet.

3°. Hinc sequitur, ut veritatis amore impulsus, non cupiat ab aliis magni æstimari, honorari, vel laudari ; quia videt id sibi non congruere, sed ei a quo omne bonum accepit. Unde cum Apostolo dicit : *Regi seculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria.* Non enim imago vel pictura laudem meretur, sed pictor : nec olla, sed plastes.

4°. Quantum in ipso est, desiderat etiam vilis haberi, et ab aliis contemni. Talem enim cupit se ab aliis judicari et æstimari, qualem se veritatis sententia, et in oculis Dei novit esse. Unde D. Bernardus serm. 16. in Cantica n. 10. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari : gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit.* Dixi, *quantum in ipso est ;* quia non semper expedit ut alii nostros defectus noverint, aut nihili nos æstiment ; propter ædificationem, et fructum aliorum : ut D. Bernardus serm. 42. n. 6. in Cantica notat.

5°. Cum videt se magni fieri vel honorari, dolet, nec illum honorem in animo sibi attrahit, imo nec admittit, nisi forte ratione officii aut doni, quod habet ; et ita illum in Deum, saltem implicite, refert.

6°. Conferendo se aliis, censet se omnibus viliorem et deteriorem : considerat enim se juxta ea, quæ ex seipso habet ; alios vero secundum ea, quæ ipsi ex Deo, et sic illos sibi præponit ; ut bene D. Thomas art. 3. declarat. Hoc enim est ingenium humilitatis, in se intueri sua mala, in aliis, eorum bona. Sicut e contrario superbiæ indoles est, intendere in sua bona, et in aliorum mala. Quisque autem secundum sua est deterior quam sunt alii secundum ea quæ sunt Dei ; ut bene docet Anselmus L. de Similitudinibus cap. 109. et D. Thomas art. 6. ad 1. et Cajetanus ibidem contra Martinum.

7°. Subjicit se Deo veluti infimum mancipium, vel potius, sicut testa figulo, et opus suo factori, ut de se disponat pro suo beneplacito in omnibus, præsertim quæ ad hanc vitam pertinent ; verbi gratia, quod ad paupertatem vel divitias, sanitatem vel morbum, infamiam vel gloriam, mortem vel vitam

attinet. Unde 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.*

8°. Subjicit se hominibus propter Deum; sinens se ab illis tanquam instrumentis Dei gubernari. Unde 1. Petri 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti,* etc.

9°. Denique in externis rebus et functionibus, quantum in se est, amplectitur semper id quod est abjectius et minus honoratum, v. g. locum inferiorem in consessibus, latus sinistrum in congressibus, socios simpliciores, officia vulgo minus honorata, vestes, supellectilem, etc. In usu tamen externo debet habere rationem decoris et officii, quod gerit, ut ante dictum est. Hæ sunt actiones humilitatis, et hoc fere ordine ad ipsam virtutem comparantur, ab eaque procedunt.

180. *Dices* 1°. Humilitatis est cohibere affectum, ne feratur ad excelsa supra conditionem et proportionem hominis: atqui idem præstat magnanimitas; ergo non videtur distingui a magnanimitate.

Ob hoc argumentum Martinus ponit humilitatem virtutem reipsa non discrepantem a magnanimitate; sed fallitur, ut recte ostendit Cajetanus. Primo, quia virtutes ex principalibus functionibus suis distinguendæ sunt: atqui principalis functio *magnanimitatis* est, non coercere affectum, sed impellere ad ardua et magna, quibus homo est dignus; secundario autem retrahit ab his, quæ dignitatem ipsius superant. *Humilitatis* autem primarium munus est non impellere, sed retrahere animum inordinate ad excelsa tendentem, et intra suam mensuram coercere, ut iis, quæ hominis vilitati congruunt, acquiescat. Itaque hæ virtutes contrario modo procedunt; magnanimitas impellendo ad ardua, quæ sua difficultate animum absterrent, et desperationem injiciunt: humilitas retrahendo a magnis, quæ splendore et excellentia sua animum alliciunt. Itaque ad quod magnanimitas affectum impellit, ab eo humilitas retrahit, licet sub diversa ratione. Deinde etiamsi magnanimitas secundario a quibusdam animum retrahat, a quibus retrahit etiam humilitas, sub alia tamen ratione formali id facit. Illa enim retrahit animum a quibusdam excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ad illa ex parte donorum Dei (non enim vult magnanimus majora quam ipsi ratione donorum, quibus præditus est, congruant): hæc vero retrahit animum ab omnibus excelsis, quatenus superant proportionem, quam habet homo ex parte sui. Ratio itaque coercendi et retrahendi animi est diversa, nimirum excessus objecti respectu ejus, quod homo habet a Deo: et excessus objecti respectu ejus, quod homo habet ex seipso. Hunc respicit humilitas, illum magnanimitas. Vide Cajetanum art. 1. ad 2.

Dices 2°. Si humilitas coercet affectum ne feratur ad aliquid, quod est supra proportionem et mensuram hominis, quam ex seipso habet; ergo non permittet hominem quidquam magni agere, conari vel appetere: quia omne bonum superat hanc proportionem, ac proinde impediet præcipuam functionem magnanimitatis.

R. Non posse hominem quidquam appetere, vel conari, tanquam ipse per ea quæ præcise ex se habet, eo sit dignus, aut illud possit efficere: potest tamen, quatenus per id quod accepit a Deo, sufficientem ad illud proportionem habet. Hinc fit ut is, qui ex se est humillimus, ex dono Dei sit summe

magnanimus. Etsi enim ex se nihil possit, nulloque bono aut honore dignus sit; tamen ex dono et auxilio Dei plurima potest (juxta illud Apostoli : *Omnia possum in eo, qui me confortat*) et maximis bonis, honoribusque dignus est, et se dignum judicat. Declarat hoc Gregorius L. 6. in 1. Regum cap. 3. explicans illa verba cap. 16. *Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves. Merito,* inquit, *parvulus iste dicitur oves pascere; quia electus quisque humilis est, et sterilis non est, qui quotidie magna agit, sed de se magna non sentit. Merito ergo non solum parvulus, sed pastor asseritur; quia qui vere humiles sunt, foris se dejiciunt, sed per internam societatem in summis et æternis pascuis immorantur; nam scriptum est : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quæ autem gratia, nisi ut summa videant et cognoscant, cognoscant et diligant, atque ad ipsa delecta quasi fortes et pingues currant.* Idem cernitur in omnibus beatis; sunt enim et ex se humillimi, et ex donis Dei summe magnanimi. Imo nulli sunt magis magnanimi quam illi qui vere sunt humiles. Cum enim non suis viribus, sed Dei tantum auxilio, cui se penitus subjecere, nitantur, ejusque omnipotentiam et bonitatem assidue cogitent; nihil est quod hac ratione illis impossibile aut valde arduum appareat; ac proinde etiam quidvis aggredi, cum honor Dei postulat, non dubitant. Exemplo nobis sunt maximi quique Sanctorum, et in primis Apostoli, qui stupenda, Deo confisi, sunt aggressi, et perfecerunt. Itaque humilitas non reddit segnem, aut timidum, aut pusillanimem, sed ad veram animi magnitudinem disponit; mundi magnanimitas, quia suis viribus nititur, superbia potius est, quam magnanimitas.

181. Ex dictis colligi potest 1°. Fundamentum humilitatis esse notitiam sui, quæ, ut sit perfecta, postulat etiam cognitionem Dei : unde fit ut conjunctissimæ sint humilitas et charitas; sicut cognitio sui et cognitio Dei non possunt a se invicem separari : humilitas enim sequitur cognitionem sui, charitas cognitionem Dei. Itaque recte dictum a D. Augustino : *Noverim te, noverim me; ut amem te, et contemnam me.*

2°. Hanc virtutem esse non in intellectu, sed in voluntate. Inclinat enim voluntatem ut se intra mensuram sui suppositi contineat, nec ad aliquid per motum spei vel desiderii supra illam feratur.

3°. Objectum hujus virtutis esse id, quod congruit nostræ vilitati; hoc enim est quod per humilitatem et interius appetitur, et exterius agitur.

Dices : Hoc non esse appetibile; esse enim vile vel probrosum, non est bonum neque laudabile, ac proinde non potest esse objectum virtutis; quod debet esse honestum et honore dignum. Hæc res non videtur satis a Doctoribus explicata.

Respondeo, id quod vile est, non esse quidem per se expetendum, aut honestum; posse tamen sub alia consideratione, honesti rationem inducre. *Primo,* si spectetur ut est congruens nostræ conditioni : honestum enim est amplecti sibi congruentia. In hac tamen congruentia non consistit totum bonum et honestum humilitatis : non enim per se est magnæ laudis vilem vilia amplecti, quod hæc ipsi congruant. Itaque adhuc ulterior ratio formalis requiritur, respectu cujus prior illa se habeat instar fundamenti quasi materialiter. *Secundo* igitur, id quod vile est, seu amplecti vilia, potest honesti rationem inducre, ut est professio quædam seu testificatio nostri nihili, qua

profitemur nos ex nobis nihil boni habere, nihil posse, nihil esse; et consequenter omne bonum nostrum esse ex Deo, ad ipsum veluti auctorem omnia referenda, in ipsum omnem laudem et honorem, qui nobis tribuitur, refundendum. Hoc ipso enim quod nostram vilitatem profitemur, tacite etiam significamus omne bonum nostrum Deo assignandum. Sub hac igitur ratione vilia et probrosa sunt objectum humilitatis, quatenus nimirum per illa nostram sortem, et tacite divinam in nos benignitatem testamur : quod sane honestum est, et valde laudabile ; tum quia est professio veritatis, maxime in vita necessariæ, juxta illud, *Nosce teipsum* : tum quia id redundat in honorem Dei, ut dictum est.

4°. Hinc patet, humilitatem sic recte definiri : *Humilitas est virtus inclinans nos ad nostram vilitatem signis vel factis profitendam. Signis* sive internis, sive externis; ut locutione spiritali, vel corporali submissione corporis, prostratione humi, genuflexione, etc. *Factis,* ut humilibus obsequiis, humili loco, humili sodalitio, etc.

Nec obstat, quod humilitas non solum inclinet in hanc professionem, ut procedit ab ipsius supposito, sed etiam amet illam ut procedit ab alio, et aversetur quod illi est contrarium (humilis enim non solum se ipse vilipendit, et variis modis suam vilitatem testatur; sed etiam gaudet et amat contemni ab aliis, et laudari dolet); hoc, inquam, non obstat : quia virtus bonum sui objecti amat non solum in suo supposito, sed etiam in quovis alio, et ubicumque illud invenerit, quamvis primario in illud inclinet, ut a proprio subjecto procedit.

Juxta hanc definitionem facile est omnes supradictos actus humilitati assignare, et ostendere quomodo ab ea procedant; in omnibus enim illis est professio suæ vilitatis, vel certe inclinatio et amor in illam, juxta modum nunc explicatum.

5°. Colligitur humilitatem esse virtutem valde excellentem. *Primo,* quia inclinat ad subjiciendum nos Deo in omnibus, et nostris Superioribus tanquam Dei instrumentis. Cum enim inclinet generatim ad omnia, quibus nostram vilitatem testamur, maxime inclinat in hanc subjectionem, per quam universalius nostrum gradum profitemur. Hoc modo intelligendus est D. Thomas articulo 5. cum excellentiam humilitatis in eo constituit, *quod ordinationi justitiæ legalis faciat hominem bene subjectum in universali quantum ad omnia; cum quælibet alia virtus moralis id faciat solum quantum ad aliquam materiam specialem. Secundo,* quia, ut dictum est, eo ipso, quod profitemur nostram vilitatem, et nihil boni nos habere ex nobis, implicite testamur omne bonum nostrum esse a Deo; et ita Deum honoramus.

Itaque humilitas inclinat ad quosdam actus, qui tacitam continent religionem, cum implicite Deum honorent, etsi non ex formali affectu religionis procedant : sicut enim actus religionis primario et formaliter continent professionem divinæ excellentiæ, secundario vero et quasi materialiter professionem nostræ vilitatis, et, ut ita dixerim, infirmitatis; ita e contrario præcipuus actus humilitatis (qui est vilipensio sui et veluti annihilatio coram divina majestate) continet formaliter et primario professionem nostræ vilitatis; secundario vero et ex consequenti, professionem divinæ excellentiæ. *Tertio,* denique signum excellentiæ virtutis hujus est, quod Philosophi eam non agnoverint. Non enim intellexerunt, nisi forte per-

pauci, quo modo homo nihil ex se boni, sed solum defectum et malum habeat; et quo modo omne bonum ex liberali Dei munere dependeat.

182. Adverte tamen, hanc virtutem non esse præstantiorem theologicis; quia hæ proxime nos Deo conjungunt : neque religione quia; præstantius est Deum colere, eique honorem et reverentiam exhibere, quam suam abjectionem profiteri, et cohibere se ab inordinato affectu excellentiæ. Ob eamdem causam non est præstantior obedientia; quia hæc bene ordinat affectum ad totam legem, illum legi conformans : neque justitia legali; quia vel hæc non distinguitur ab obedientia; vel si distinguitur, respicit bonum commune, et ad omnia, quæ ad bonum commune pertinent recte nos ordinat. Humilitas vero non conformat nos formaliter legi, neque intendit bonum commune; sed facit hominem bene subjectum Superiori, et ordinationi tum legis tum justitiæ legalis, ut D. Thomas a. 5. in θ. judicat. Est tamen præstantior fortitudine et temperantia, ut docet Cajetan. art. 5. sub finem, ex sententia D. Thomæ; quia in illa majus bonum rationis cernitur; reddit enim humilitas hominem subditum et patulum bono rationis, non in hac vel illa materia, sed universe : quod est præstantius quam recte se habere circa pericula mortis vel voluptates tactus. Ob eamdem rationem videtur etiam præstantior justitia particulari, etsi Cajetanus dissentiat. Notandum tamen, has virtutes non posse exacte inter se comparari, cum habeant proprias excellentias diversorum generum, quibus se mutuo excedunt, et excedunturr; unde quæ una ratione videtur præstantior, altera est inferior.

DUBITATIO VIII.

QUID SIT SUPERBIA, ET QUOMODO AB ALIIS VITIIS DISTINGUATUR, ITEM DE NIMIA SUI ABJECTIONE.

D. Thom. quæst. 162.

183. Humilitati opponuntur duo extrema vitia; *superbia,* per excessum; et nimia *sui abjectio*, per defectum.

Superbia dicitur a *super,* et *eo;* quod supra suam mensuram eat, juxta illud Psalm. 130. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Definitur a D. Augustino L. 14. de Civit. cap. 13. n. 1. *Quid est,* inquit, *superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* et a Prospero sententia 292. (al. 294.) *Superbia est amor excellentiæ propriæ,* nempe inordinatus.

Perversam celsitudinem vocat, non quæ in seipsa, sed quæ respectu appetentis perversa sit; eo quod ipsi non congruat. Unde cum dicitur, *perversæ celsitudinis appetitus,* idem valet ac si diceretur, *appetitus perverse excellendi;* superbus enim appetit excellere, sed perverso modo, id est qui sit contra rectam rationem; unde et ipse appetitus perversus est. Si enim objectum est pravum, etiam appetitio ejus prava est.

Sed difficultas est quo modo excellentia hic accipiatur, absolute an relate; id est, utrum superbia sit appetitus excellendi absolute, an solum præcellendi aliis. Martinus, ut refert Cajetanus, putat superbum solum appetere præcel-

lere aliis, unde definit superbiam *amorem excellentiæ despectivæ,* id est, quo ita amat excellere, ut alios præ se contemnat. Sed verius est, superbiam ad hoc non esse restringendam, ut recte ostendit Cajetanus. Potest enim quis esse superbus, etsi nemini explicite se præferat. Superbia enim est æquare se majoribus, et non solum illis se præferre; quamvis implicite in actu superbiæ semper aliqua contineatur prælatio. Effert enim se supra se, ac consequenter supra alios ejusdem sortis; unde fit ut quotiescumque se cum æqualibus confert, se illis etiam expresse præferat : sed de implicita illa prælatione hic non est quæstio ; explicita vero non habet locum nisi in quibusdam actibus. Itaque objectum superbiæ adæquatum, est *excellentia in genere,* ut extendit se ad excellentiam absolutam et relativam, ab utraque tamen per se abstrahens; sicut objectum Metaphysicæ est ens communiter se habens ad absolutum et relativum, ut inquit Cajetanus.

Dices : Etiam quædam alia vitia spectant excellentiam tanquam objectum. *Præsumptio,* in functionibus; inclinat enim ad functiones, quæ proprias vires superant : *ambitio,* in dignitatibus et honoribus, tendens ad dignitates proportionem subjecti excedentes : denique *cenodoxia* in fama et gloria. Virtus quoque *magnanimitatis* in iisdem rebus magnitudinem et excellentiam spectat; inclinat enim ad excellentes functiones, ad excellentes dignitates et honores, ad excellentem famam et gloriam, ut patet ex dictis supra de Fortit. cap. 2. dubit. 3. Quomodo ergo ab his distinguitur superbia; cum hæc quoque excellentiam spectent et pro objecto habeant?

R. Superbiam ab istis vitiis distingui, quod ipsius objectum sit in genere excellentia personæ : istorum vero, excellentia non personæ, sed functionis, vel dignitatis, vel famæ, applicata nimirum ratione excellentiæ et magnitudinis ad certam materiam. Quod ut melius intelligatur,

184. Notandum est, personam posse tripliciter ad virtutes et vitia comparari; *primo,* ut subjectum; *secundo,* ut objectum; *tertio,* ut mensuram objecti, sive ut terminum commensurationis illius, quæ in objecto spectatur. Primus modus est communis omnibus virtutibus et vitiis. Persona enim seu suppositum se habet ad omnia tanquam subjectum; cum ipsa nihil sint aliud quam bona vel mala dispositio suppositi ad suum opus. Tertius modus est communis respectu omnium virtutum et vitiorum, in quibus medium constituitur in objecto ex ordine ad proprium suppositum; ut in temperantia, quæ inclinat ad cibum et potum secundum eam mensuram, quæ congruit supposito; et in magnanimitate, quæ inclinat ad magnas virtutum functiones, tamen juxta mensuram propriæ personæ : præsumptio vero inclinat ad magnas functiones, sed supra personæ mensuram; intemperantia ad cibum et potum, sed supposito non commensum. Secundus modus est proprius superbiæ et humilitatis, hæc enim respiciunt suum suppositum per modum objecti : superbia enim intendit illius exaltationem, humilitas depressionem. Unde in definitione superbiæ signate dicitur *excellentiæ propriæ,* id est, quæ primo et per se circa personam consideretur. Confirmatur, quia per superbiam ipsa persona sese inflat et extollit; et si quid in operibus externis magni vel splendidi faciat, huc refert, nimirum ut ipsa magni fiat. Itaque generatim excellentia personæ est objectum super-

biæ : præsumptionis vero objectum est excellentia operis : ambitionis excellentia in dignitate : et inanis gloriæ in famæ opinione.

Adverte tamen, hæc vitia non ita distingui a superbia, quin ipsius sint fructus, qui ex ipsa nascantur, eamque supponant. Nam ex inordinato appetitu excellentiæ personæ fit ut quis aggrediatur opera præsumptuosa, et ad magnas dignitates, honoresque supra suam proportionem adspiret. Ideo enim hæc appetuntur ut ipsum suppositum excellens videatur ; itaque ex affectu superbiæ procedunt, et ad illius finem ordinantur : et sic ad superbiam pertinent, saltem tanquam actus imperati, ex natura rei illi maxime conjuncti. Magnanimitas manifesté a superbia distinguitur ; tum quia non appetit principaliter magnitudinem personæ, sed operis ; tum quia magnitudinem illam non appetit, nisi secundum præscriptum rectæ rationis, et commensionem ad proprium subjectum ; quorum utrumque contrario modo se habet in superbia.

185. Porro ut natura et functiones superbiæ melius intelligantur, notandum est, quod sicut humilitas supponit considerationem suæ imperfectionis, et ex ea oritur ; ita superbia considerationem suæ perfectionis (sub qua intellige quidquid ullo modo ad excellentiam facit), et ex hac consideratione nascitur. Dum enim quis suam perfectionem considerat, dissimulatis imperfectionibus, et non advertit se illam a Deo habere, videtur sibi multo excellentior quam revera sit : sicut et merces præstantiores videntur emptoribus, quando vitia non considerant. Nam purum bonum multo est excellentius quam imperfectionibus permixtum. Hinc nascitur amor istius excellentiæ apprehensæ, quo illa placet homini, et homo propter illam sibi plus quam oportet : ex his vero æstimatio sui, qua pluris se facit quam oportet. Atque hic est primus superbiæ actus in animo completus. Sicut enim primus actus humilitatis est vilipensio sui ; ita primus superbiæ est magnipensio sui, qua quis seipsum æstimat supra id quod est : qui actus non consistit in solo judicio vel apprehensione, sed etiam in affectu, quo erga se tanquam quid magnum afficitur, et talem quodammodo se facit, qualem apprehendit. Unde superbus dicitur seipsum inflare, tumefacere, exaltare : quia quantum in se est, affectu et apprehensione, ut affectui servit, majorem se facit et celsiorem quam reipsa sit. Dixi esse *primum actum completum,* quia affectio illa voluntatis, quæ præcedit hanc æstimationem, non est actus completus, a quo quis dicitur superbire et se elevare ; sed est inclinatio interna ad actum completum ; sicut inclinatio religionis ad cultum Dei non est actus completus religionis, sed ipse actus colendi ; est igitur hic ordo actuum animi. *Primo,* est consideratio perfectionum conjuncta cum defectu considerationis imperfectionum, et dependentiæ a Deo. *Secundo,* apprehensio majoris excellentiæ quam insit. *Tertio,* amor illius, seu simplex complacentia. *Quarto,* æstimatio sui ex illa apprehensione et amore orta. Amor enim accedens illi apprehensioni, facit excellentiam majorem videri et pluris æstimari.

Hæc igitur æstimatio sui est primus actus superbiæ completus, et fundamentum cæterorum qui superbiæ tribuuntur. 2°. Hinc sequitur, ut æstimet se dignum et idoneum rebus magnis, suamque mensuram excedentibus. 3°. Ut inordinate appetat dignitates, et alia quæ ad excellentiam pertinent, tanquam sibi congruentia. 4°. Ut ab aliis quoque velit magni fieri, honorari,

et laudari. 5°. Si videat id se non obtinere, indignatur, irascitur, dolet. 6°. Conferendo se aliis, censet se meliorem, doctiorem, potentiorem, etc.; unde et alios contemnit, et quæ ab aliis fiunt parvipendit. Ad suos enim defectus clausos habet oculos, et ad suas perfectiones apertos : contrario vero modo gerit se in iis, quæ sunt proximi. Hinc fit ut sua pluris æstimet, et præferat rebus proximorum, et seipsum personæ proximi. 7°. Recusat se subjicere Superioribus, quasi id ipso sit indignum; persuadens sibi, se illis esse prudentiorem, et melius seipsum gubernaturum. 8°. Recusat etiam se Deo subjicere, apprehendens illud tanquam sit contra suam dignitatem, etc.; volens suo arbitratu vivere, quasi Deo opus non habeat. Hi actus hujus vitii, et hoc fere ordine ab illo procedunt.

186. Ex dictis colligitur, hoc vitium esse speciale : habet enim speciale objectum per quod a cæteris distinguitur, ut ostensum est; et speciales functiones, quas modo recensuimus : quadam tamen ratione potest dici vitium generale, nimirum potestate causandi; quatenus ex superbia quodvis peccatum nasci potest. Id autem fieri potest dupliciter, ut explicat D. Thomas art. 2. *Primo,* directe, ut si quis peccet eo fine ut videatur excellens et neminem curare, neminem timere; tunc enim directe ex affectu superbiæ illud peccatum imperatur. *Secundo,* indirecte, et quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, quatenus semel per superbiam divina lege, qua a peccando prohibebatur, abjecta, veluti remoto fræno, facilis est homo in quodvis peccatum ruere, juxta illud Jeremiæ 2. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti, non serviam* : priore modo peccatum est ex contemptu; hoc vero ex affectu voluptatis, commodi, honoris, etc. Iis adde quadam ratione posse dici generale essentia et attributione; quia omne peccatum tacitam quamdam superbiam continet ipso opere : magna enim est præsumptio audere Deum offendere, et veluti contra se lacessere, non timere fulmen maledictionis, non curare præsentem majestatem. Simili modo omne peccatum est quidam Dei contemptus interpretativus.

187. Alterum vitium humilitati oppositum est *inordinata sui abjectio.* Humilitas enim etsi inclinet ad sui abjectionem, non tamen quovis modo, sed prudenter; nimirum, cum iis circumstantiis, quibus debet : debet enim ita fieri ut non redundet in injuriam status, vel officii quod geris, vel talenti quo præditus es, aut in eorum incommodum, quibus prodesse potes vel debes. Si ergo aliqua talis circumstantia desit, erit vitium humilitati oppositum per defectum; quatenus nimis parum tuam dignitatem et excellentiam curas : ut si Sacerdos subjiciat se judicio seculari : si Superior flexis genibus petat veniam ab inferiore : si Episcopus præponat sibi Sacerdotem vel Diaconum, etc.

Dices : Talis abjectio sui videtur opponi humilitati per excessum : nimium enim se humiliat.

R. Humilitatem dupliciter posse considerari. *Primo,* quatenus refrænat appetitum excellentiæ; et hoc modo *superbia* ei opponitur per excessum, nimia vero *abjectio* per defectum. Sicut enim superbia nimium appetit ea, quæ ad excellentiam pertinent; ita nimia sui abjectio nimis parum. Humi-

litas vero inter hæc extrema medium rationis tenet. *Secundo*, quatenus inclinat ad ea, quibus suam vilitatem profitetur : hoc modo nimia sui abjectio opponitur humilitati per excessum, superbia vero per defectum ; quamvis deformitas superbiæ magis consistat in nimio excellentiæ appetitu, quam in humilitatis defectu.

Nec obstat quod nimia sui abjectio videatur pertinere ad pusillanimitatem, quæ opponitur non proprie humilitati, sed magnanimitati : quia si fiat ex nimio affectu ad se dimittendum, opponitur humilitati : si vero ex nimia honoris, tanquam rei nimis magnæ, fuga ; opponitur magnanimitati, et pertinet ad pusillanimitatem : quale autem hoc sit peccatum, patet ex dictis de Fortit. capite 2. dubit. 3. æstimandum enim est ex injuria quæ fit statui, et incommodo quod sequitur, etc.

DUBITATIO IX.

DE SPECIEBUS SUPERBIÆ, ET QUALE PECCATUM SIT SUPERBIA.

D. Thom. art. 4. et seqq. quæst. 162.

188. D. Gregorius L. 23. Moralium capite 7. quatuor species superbiæ constituit. *Quatuor*, inquit, *sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur, cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant : aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant : aut certe cum jactant se habere quod non habent : aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere quod habent.* Ratio harum specierum est. Superbia consistit in eo quod homo se æstimet excellentiorem quam revera sit : hoc autem fieri potest tripliciter. 1°. Si putet se esse causam sui boni : magni enim refert ad excellentiam, si sua industria vel meritis bonum illud sit consecutus. 2°. Si putet se habere bonum, quod non habet. 3°. Si putet se habere tam excellenti gradu, ut id, quod est in cæteris, quasi nihili reputet respectu boni sui. Et quidem si putet se causam sui boni ; vel censet se causam illius physicam (v. g. se industria, ingenio et labore suo id comparasse, cum aliunde acceperit), et sic erit prima species ; vel causam meritoriam, et sic erit secunda species. Si putet se habere bonum, quod non habet, vel in eo sitam excellentiam, quæ non est, et inde se extollat, erit tertia species. Denique si putet se illud habere tam excellenti gradu, respectu aliorum, ut illorum bona non videantur ipsi cum suo posse conferri, erit quarta species.

Ubi adverte, non esse necessarium ad istas species, ut quis apud animum suum serio judicet se bona a se habere, aut suis meritis absque Dei gratia obtinuisse (sic enim deberet esse hæreticus) : sed satis est ut apprehendat illa tanquam sua et a se dependentia, absque formali judicio, et simul non consideret quo modo illa acceperit ; tunc enim poterit se ita gerere, et in animo se extollere, ac si sola sua industria haberet : ut patet in paupere, qui alienis opibus affatim fruens, non aliter se effert, quam si essent suæ, vel sua industria partæ ; quia non meminit, vel certe non advertit esse beneficium alterius ; quamvis expresse id non neget, nec contrarium judicet.

189. *Dices* : Si indignus affectet Doctoratum vel Episcopatum propter dignitatem, committit peccatum superbiæ, et tamen in nulla dictarum specierum ; similiter si tanti Doctoratum jam obtentum faciat, ut malit peccare mortifere quam illum gradum perdere.

R. Priorem modum pertinere ad tertiam speciem. Dum enim adspirat ad gradum, quo est indignus, intumescit de bono, quod non habet : quia effert et gerit se tanquam idoneum, cum sit ineptus. De altero modo respondet Cajetan. cum non comprehendi speciebus enumeratis; eo quod in illo non sit inordinatio ex parte objecti, sed solum ex parte appetentis : species autem istæ sunt assignatæ ex parte objecti. Posset tamen referri ad tertiam speciem : quia qui tanti facit gradum, tribuit illi excellentiam, quam revera non habet. Sicuti cum dives sese effert propter divitias, et parem facit aliis sapientia vel sanctitate conspicuis, tribuit sibi per divitias sua æstimatione quod non habet in veritate.

190. Notandum est, supradictas species singulas posse quatuor modis exerceri. 1°. Si æstimes bonum tuum juxta aliquam istarum specierum in animo tuo, et ibi te extollas, verbi gratia, te illud industria tua parasse, vel ex meritis habere, vel illud majus esse quam sit, vel cæteris te per hoc longe præstare. 2°. Si velis ut ita etiam æstimetur in animo alterius. 3°. Si coneris illud ipsum opere declarare : ut si ita te opere externo geras, ita loquaris, ac si illud bonum tali modo, tali gradu ac perfectione haberes. 4°. Si advertens te tali modo non habere, optes saltem ita habere ut inde te possis extollere et gloriari : item si desideres id aliis esse persuasum ; vide aliqua in hanc sententiam apud Toletum L. de septem peccatis mortalib. cap. 4.

191. Quod ad alteram partem dubitationis attinet, quale peccatum sit superbia, D. Thomas art. 5. docet ex genere suo esse peccatum mortiferum ; et art. 6. docet esse gravissimum peccatorum. Sed hoc intelligendum est de superbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem et subjectionem excludit ; ut cum quis tantum sese effert, ut nolit etiam Deo et legi divinæ esse subjectus, qualis est in diabolo, et in hominibus quibusdam pessimis. Hæc sola est superbia completa : quia quamdiu homo vult manere Deo subjectus, adhuc habet aliquid humilitatis, ac proinde superbia ejus est adhuc imperfecta.

Dicitur gravissimum peccatorum, non quod inter omnes peccatorum species sit gravissimum, cum odium Dei sit gravius : sed quia ad genus gravissimorum pertinet, nempe eorum in quibus aversio a Deo est directe volita. Itaque dicitur gravissimum respectu eorum in quibus aversio solum censetur volita interpretative ; ut sunt quæ ex ignorantia, infirmitate, vel alicujus boni temporalis amore committuntur, ut recte D. Thomas art. 6. docet. Quod autem aversio directe sit volita in superbia, patet ; quia nolle subjici Deo, est directe avertere voluntatem ab ejus subjectione, et consequenter ab ejus obedientia et regimine, ac nolle illum habere superiorem ac rectorem. Provenit autem hæc aversio ex amore perversæ excellentiæ, quam affectat per hoc, quod est esse plane liberum et sui juris : cui libertati repugnat omnis subjectio ; itaque recusat subjectionem, quatenus hæc repugnat excellentiæ libertatis, quam quærit. Potest etiam ista aversio provenire ex ira in Deum,

vel odio; sicut ex iisdem causis potest quis recusare subjectionem alicujus Principis terreni.

Si vero loquamur de superbia incompleta, hæc non semper est peccatum mortale, nisi quatenus nobis est causa alicujus peccati mortalis; verbi gratia, violandi alicujus alterius præcepti divini, vel subtrahendi se ab obedientia Ecclesiæ aut alterius Superioris, vel in integrum, vel ex parte; quoad aliquod præceptum obligans sub mortali : vel si fiat cum notabili injuria aut contemptu proximi. Extra hos casus superbia solum est peccatum veniale : ut docet Navarr. cap. 23. n. 6., Toletus de peccatis mortal. cap. 4., Cajetan. verbo *Superbia,* et passim alii; nam in genere pluris se facere quam oporteat, per se non est gravis inordinatio. Est tamen hoc peccatum valde periculosum, quia facile parit contemptum aliorum, et inobedientiam erga Superiores, redditque hominem ineptum ad bonam instructionem capessendam, et ad functiones aliarum virtutum, quæ absque humilitate vix fiunt.

192. Notandum est 1°. Superbiam esse primum mundi peccatum: Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, et adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem.* Et Tobiæ 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio :* nam primum peccatum fuit Luciferi, qui peccavit superbia, divinam similitudinem perverse appetendo. Colligitur Isaiæ 14. et Ezechielis 28.; a peccato autem Luciferi reliqua manarunt tum in alios angelos, qui etiam primo superbia creduntur peccasse; tum in genus humanum, cujus etiam primum peccatum superbia fuit, ut communiter Theologi tradunt.

Nec obstat quod 1. ad Tim. 6. *cupiditas omnium malorum radix* dicatur : non enim vult Apostolus cupiditatem opum, de qua ibi loquitur, esse primum peccatum generis humani; sed ex hac cupiditate omne genus peccati committi posse, et pleraque in genere humano reipsa committi.

Notandum 2°. Superbiam a D. Gregorio L. 31. Moralium cap. 31. (al. 45. n. 87.) non annumerari aliis vitiis capitalibus, sed poni reginam et matrem omnium vitiorum, propter universalem ejus influentiam, quam habet in omnia vitia; et quia interpretative in omni vitio includitur, ut superiori dubitatione ostensum est. Unde Gregorius loco citato, *Tentantia,* inquit, *vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur.* Et infra : *Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit.* Rursum infra : *Radix cuncti mali superbia; primæ autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur.* A quibusdam tamen, ut a Cassiano L. 5. cap. 1. numeratur inter vitia capitalia, eaque octo statuuntur : sed modus Gregorii est magis receptus.

DUBITATIO X.

DE STUDIOSITATE ET CURIOSITATE.

D. Thom. quæst. 166. 167.

193. *Studiositas* est virtus, secundum D. Thomam, quæ affectum et studium cognoscendi juxta rectæ rationis normam temperat. Proxima hujus materia non est ipsa per se cognitio (hæc enim non est libera, nec eget ulla moderatione ut in se sit qualis esse debet); sed studium cognoscendi: hoc enim est actus liber, elicitus vel imperatus a voluntate, et rationis moderatione indigens ut sit actus virtutis. Nam *studium* cognoscendi nihil est aliud quam vehemens animi applicatio ad aliquid cognoscendum; quæ applicatio fit per voluntatem; hujus enim est reliquas potentias, quarum liberum est exercitium, ad suas functiones applicare, iisque ad suum finem uti. In ista autem applicatione duo actus continentur; affectus sciendi, et conatus. Affectus est in voluntate, et vocatur usus activus : nam per ipsum velle, potentiæ active applicantur. Conatus est in ipsis potentiis cognitivis, et dicitur usus passivus vel formalis; quo ipsæ potentiæ intrinsece et formaliter applicantur ad suum opus. Nihil enim est aliud quam ipse actus cognitionis, vel certe productio ejus, ut voluntati subest : ut colligitur ex 1. 2. quæst. 16. art. 1. Itaque studium hoc loco continet et usum activum, quo voluntas active potentias cognitivas ad suas functiones applicat; nimirum oculos ad legendum, aures ad audiendum, phantasiam ad imaginandum et apprehendendum, intellectum ad considerandum et judicandum : et usum passivum, nimirum actus istarum potentiarum vel actuum productiones, ut usui activo subsunt, ab eoque dependent, et moraliter informantur; hi enim proprie studium dicuntur.

194. Officium igitur hujus virtutis est 1°. Moderari appetitum sciendi, ut quis non velit plura aut altiora scire, quam ipsius conditioni et capacitati conveniat; nec pluris faciat scientiam, quam oportet, præponendo illam virtuti, aut rebus ad salutem necessariis; sed ut illam æstimet et amet in suo gradu. 2°. Moderari ipsum studium, et conatum animi in acquirenda scientia, vel ea utenda, rectæ rationis regulam illi imponendo; nimirum ut studeamus ea diligentia qua oportet, et eo fine quo oportet, et illis rebus quibus oportet, illis adminiculis, illis etiam locis et temporibus quibus oportet. 3°. Non solum refrænare affectum et moderari studium; sed etiam interdum utrumque impellere et incitare : nempe quando quis ob laborem conjunctum, studium sibi necessarium vel congruum refugit, vel in eo languide se gerit, vel si congrua adminicula non adhibeat. Et quia hoc plerisque accidit (plures enim in rebus necessariis vel utilibus addiscendis deficiunt quam excedunt), ideo hæc virtus potius ab impellendo quam a refrænando dicitur.

Ex his colligitur, hanc virtutem, qua parte refrænat affectum ne nimium scientiarum studium feratur, annexam esse temperantiæ; cujus munus est moderari affectum ne nimium in voluptates corporis se effundat : magna

enim est voluptas cognitionis ; unde et *omnes homines naturaliter scire desiderant,* Aristotele teste : itaque oportuit hunc affectum aliqua virtute temperari et veluti cohiberi, ne modum excedat ; qua vero contra laborem impellit, posse reduci ad fortitudinem. Opus enim est aliquo animi robore ad difficultates studiorum superandas : quod robur non debet alteri virtuti assignari quam huic; quia ordinatus sciendi affectus ad illud sufficit.

Studiositati duo vitia opponuntur, *curiositas* et *negligentia* ; illa per excessum, hæc per defectum.

195. *Curiosus* generatim dicitur, qui majorem curam circa rem aliquam inutilem cognoscendam, vel efficiendam, vel comparandam adhibet, quam ratio postulet; sic dicimus aliquem curiosum in vestibus, in suppellectili, in sermone, in rebus peregrinis conquirendis, in arte sua, et similibus. Itaque *curiositas* generatim denotat superfluam diligentiam circa res inutiles, vel qualitatem earum minime necessariam. Proprie vero locum habet in studio et amore cognitionis nihil ad nos pertinentis : nimirum cum quis superfluam diligentiam adhibet, ut aliquid sciat, quod nihil ad ipsum scire attinet, vel quod captum ipsius superat, idque affectu solius cognitionis; tales enim proprie curiosi dicuntur : ut sunt qui res alienas scire cupiunt et investigant, tantum ut illas sciant. Quod si non affectu cognitionis, sed operationis scire conentur ; verbi gratia, ut aliis noceant, vel sibi consulant, non erit proprie curiositas, nec illi dicentur curiosi. Unde patet, non omnem inordinatum affectum sciendi, nec omnem excessum in studiis esse curiositatem ; sed illum, qui tendit in ipsam scientiam propter se, maxime in eam, quæ est homini inutilis.

Et quia omnis fere nostra cognitio parvi est momenti, si in sola speculatione maneat, nec ad usum vitæ, vel ad recte vivendum, Deumque cognoscendum adhibeatur ; ideo curiosi etiam dicuntur, qui cognitionem aliquam philosophicam, vel etiam theologicam quærunt, ut in sola sterili speculatione sistant ; unde D. Augustinus L. de vera Religione c. 29. ait : *Non frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est ; sed gradus ad immortalia et semper permanentia faciendus.* Ubi aperte D. Augustinus talem cognitionem curiosam vocat.

Dices : Talis cognitio, v. g. Physica vel Mathesis, est virtus intellectus ; ergo per se appeti potest ; ergo illam per se appetere, et in illa sistere non est curiositas.

R. Non esse curiositatem, saltem vitiosam, illam per se appetere, modo æstimetur in suo gradu, seu non pluris quam oportet : secus vero si ita appetatur et quæratur quasi in ea magna quædam felicitatis portio consistat ; sicut fit a vanis hominibus et philosophis ethnicis. Item si sic quæratur ut Dei vel rerum ad salutem pertinentium cognitio vel cura negligatur. Hoc igitur modo in illa sistere curiositatis est.

Addo, etiamsi æstimetur in suo gradu, nec ita quæratur ut necessaria ad

salutem prætermittantur, tamen appetitum et studium sciendi propter nudum scire non esse laude dignum, ac proinde neque opus virtutis : sed pertinere ad quamdam curiositatem, si non malam, at certe adiaphoram. Nec refert quod scientiæ dicantur virtutes; quia non sunt virtutes simpliciter quæ hominem reddant probum, sicut justitia, temperantia, fortitudo : sed secundum quid; quia perficiunt intellectum ad suas operationes, et in ordine ad proprium objectum : alioquin inter bona naturalia et adiaphora censendæ sunt, sicut vivere, sentire, intelligere, propter quæ nemo laude, vel vituperio dignus est, etsi hæc per se sint expetenda. Unde patet, curiositatem esse, si quis majorem partem cogitationum et curarum suarum in hac tanta vitæ brevitate et incertitudine, in illas expendere velit, nisi ad meliorem usum referantur : quia revera tanta temporis et industriæ jactura non sunt per se dignæ, et hæc videtur mens D. Augustini.

Neque solum in cognitione intellectus, sed etiam in notitia sensuum curiositas locum habet; nimirum, cum quis appetit videre, audire, olfacere, gustare, tangere, sciendi, judicandi, vel discernendi causa, ea, quorum notitia ad ipsum nihil attinet.

Dico *sciendi* vel *judicandi causa,* quia si non causa notitiæ, sed voluptatis, quæ ex ipsa re percipitur, vel actionis, videre vel alio sensu apprehendere quid velis; non erit proprie curiositas; sed poterit esse alterius generis peccatum, vel etiam quid adiaphorum : ut si musicam audire velis, non ut judices de vocibus, symphonia vel alia re simili, sed ut voluptatem auribus captes. Simile est in aliis sensibus, etiam in tactu; aliud enim est tangere causa noscendi, ut discernas inter calidum et frigidum, humidum et siccum, durum et molle, elatum et depressum, aliasque qualitates tactiles et figuras; aliud voluptatis causa. Itaque sensuum usus pertinet ad curiositatem, quatenus ordinatur ad nudam notitiam, et discretionem sensibilium; nec per illum quæritur voluptas illa, quam ipsa res per se affert; cujus signum est, quod ex curiositate non minus ea quæ offendunt, quam quæ delectant, sentire velimus. Unde facile est distinguere utrum aspectus vel contactus ad libidinem, an ad curiositatem attineat.

196. *Petes,* Quale peccatum sit curiositas.

R. Per se solum esse veniale : quia non est magna inordinatio quod homo appetat scire quæ ad se non pertinent, aut superfluam in hujusmodi rebus operam ponat, modo necessaria non negligat. Ratione tamen circumstantiarum potest esse mortale.

1°. Ratione prohibitionis; ut si tale quid legere, audire, spectare sit prohibitum : ut si quis legat libros vetitos : si spectet duella, vel ludos spectari vetitos : si velit audire vel cognoscere quæ dicuntur in confessione, absque consensu pœnitentis : si religiosus exeat monasterio ut audiat jus civile, vel medicinam : similiter si sacerdos vel beneficiarius habens dignitatem, vel personatum, easdem disciplinas publice audiat; et sunt hi tres ipso facto excommunicati, si per duos menses continuent; ut patet ex cap. *Non magnopere.* 3. et cap. *Super specula.* 10. *Ne Clerici vel Monachi negot. secul.* et cap. 1. eodem, in Sexto. Non tamen peccant si isti privatim ob bonum finem hujusmodi disciplinis vacent. Crediderim quoque aspectum duelli, vel alterius spectaculi prohibiti non esse mortale peccatum, si quis casu aliquo ex

occulto spectet, ac proinde talem non esse excommunicatum per Concilium Tridentin. Sess. 25. cap. 19. ubi spectatores duellorum excommunicantur : quia talis inter spectatores non censetur; nam spectatores vocari non solent, nisi qui in publico se exhibent, et sua præsentia spectaculum cohonestant : et alias pœnæ sunt restringendæ.

2°. Ratione materiæ, idque tripliciter : vel enim materia est per se illicita; ut si contineat occultum pactum cum dæmone, ut sunt omnia magica, et pleraque astrologica, chiromantica, hydromantica, et similia ad prædictiones futurorum, vel patefactionem occultorum pertinentia : hæc enim propriissime dicuntur *curiosa* : quia omnino supervacanea, plena superfluis curis, et vanis imaginationibus, de quibus Actor. 19. *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* Vel materia est periculosa, utpote inductiva in peccatum : hoc modo lectio curiosa de rebus amatoriis potest esse peccatum mortiferum, ob probabile periculum consensus : similiter visus et contactus curiosus. Vel est intellectui improportionata; ut sunt mysteria fidei, quæ si quis ingenio suo scrutari velit, et de illis judicium ferre, erit mortifera curiositas : qualis est in hæreticis, qui nihil volunt credere, nisi prius a se examinatum deprehenderint suis phantasiis conforme. Hanc curiositatem vitare monemur Ecclesiastici 3. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris :* nempe animo illa perfecte capiendi, aut de illis judicandi, aut nimio studio aut conatu; *sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Et infra : *Multos quoque supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum,* id est, multi decepti sunt, et vani effecti, cum putarent se capere quæ non intelligebant. Græca hic paulo aliter habent, sed sensus eodem redit. Huc etiam pertinet illud Proverb. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*; et illud Apostoli ad Romanos cap. 12. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.*

3°. Ratione mediorum; ut si quis illicitis mediis notitiam aliquam parare velit : verbi gratia, arte notoria, vel magisterio dæmonis. Item si non possis scire nisi alterum ad malum inducas; ut si velis scire arcanum alteri commissum, vel quod ipse patefacere non potest, præsertim si juramento prohibeatur. Si, ut spectes mira, alterum inducas ut magia utatur, vel desideres, vel consentias ut utatur. Secus si tibi non placeat ipsum ista facere, nec possis impedire.

4°. Ratione pravi finis; ut si intentione decipiendi, vel alicui notabiliter nocendi aliquid scire velis. Quamvis proprie tunc non sit curiositas, nisi materialiter; quia non affectu sciendi quæritur notitia, sed operandi.

5°. Ratione incommodi connexi; ut si ita alicui studio minus utili incumberet, ut ea quæ necessaria sunt ad salutem discere vel exequi prætermitteret; vel si cum scandalo aliorum studium aliquod tractaret.

6°. Quandocumque appetitus sciendi est illi causa committendi alicujus peccati mortiferi; quacumque ratione id fiat, est peccatum mortiferum.

197. Alterum extremum est *negligentia* studiorum; quæ nihil est aliud quam voluntaria omissio discendi illius, quod discere vel scire tenetur : ut si quis negligat discere articulos fidei, et alia ad salutem necessaria : si

Medicus, Advocatus, Parochus, Episcopus, negligant ea discere, quæ suum cujusque officium attingunt: si studiosus negligat sua studia.

Est autem hæc negligentia per se, quatenus procedit ex tædio laboris, et defectu amoris ad cognitionem sibi congruentem, peccatum veniale; sæpe tamen potest esse mortale ratione materiæ, nimirum si sub peccato mortali ad eam discendam, jure divino vel humano erat obstrictus. Quod si solum sub veniali tenebatur, erit veniale.

DUBITATIO XI.

DE MODESTIA IN MOTIBUS EXTERNIS.

D. Thom. quæst. 168.

198. Modestia, a modo scientiæ quid deceret hominem appellata est, teste D. Ambrosio L. 1. Offic. cap. 18. n. 78. vel a modo nostris motibus imponendo. Græci vocant εὐταξίαν; a Stoicis apud Ciceronem L. 1. Offic. sic definitur : *Modestia est scientia earum rerum, quæ aguntur aut dicuntur loco suo collocandarum.* Dicunt esse *scientiam,* quia virtutes omnes scientias esse putant, eo quod prudentia est omnium bonarum actionum regula. Melius sic definietur : *Modestia est virtus, externos motus et gestus corporis ex præscripto rectæ rationis temperans;* vel sic : *est virtus decorum in externis motibus et gestibus servans.*

199. Materia ergo hujus virtutis est motus corporis et gestus exterior sensibus obvius; ut incessus, statio, sessio, motus capitis, contractio et explanatio vultus, membrorum jactatio, vox, risus, aspectus. Unde Cicero L. 1. Offic. *Ex oculorum obtutu, superciliorum aut contractione aut remissione, ex mœstitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex cæteris similibus facile judicabimus quid apte eorum fiat, quid ab officio naturaque discrepet.*

Ratio est, quia motus externi membrorum sunt liberi; ac proinde subsunt rationis ordinationi. Id autem quod subest rationis ordinationi, cum recte et prave ordinari possit, est materia virtutis et vitii.

Forma vero quam huic materiæ modestia imprimit, est congruentia ad personam spectatam tum absolute, tum in ordine ad eos, cum quibus, vel coram quibus agitur; et ad locum, tempus, et negotia, de quibus agitur.

Primum enim debent hi motus et gestus ita fieri, ut congruant personæ, cujus sunt. Decorum enim est, quod congruit naturæ rationali in eo, cui inest : seu quod secundum rectam rationem congruit ei, cui decorum dicitur. Unde Ambrosius L. 1. cap. 19. *Hoc est,* inquit, *pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personæ reddere.* Debet etiam congruenter fieri ad alios; quia pro diversitate personarum, quibuscum agitur, diverso quoque modo tota conversatio, et ratio agendi est moderanda. Similiter pro diversitate temporis et loci. Unde Stoici modestiam in eo constituebant, ut omnia suis temporibus et locis agantur et dicantur : quod Cicero explicans; *Tanta,* inquit, *vis est et temporis et loci, ut si quis cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur, non reprehendatur : at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur, inscientia temporis.*

200. Officium igitur hujus virtutis est ista omnia sic moderari, ut congruant personæ, tum in se consideratæ, tum ut habet ordinem et respectum ad circumstantes, ad locum, tempus, et negotium præsens.

Et quidem quod ad gressum, qualis esse debeat in viro gravi, docet luculente Ambrosius L. 1. Offic. cap. 18. n. 75. ubi inter cætera ait : *Est etiam gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen si studium desit, atque affectatio : sed motus sit purus ac simplex (nihil enim fucatum placet), motum natura informet. Si quid sane in natura vitii est, industria emendet, ut ars desit, non desit correctio.* Quod postremum in cæteris externis formandis tanquam regula est adhibendum.

De voce cap. 19. n. 84. sic ait : *Vox ipsa non remissa, non fracta, nihil femineum sonans, qualem multi gravitatis specie simulare consueverunt; sed formam quamdam et regulam, ac succum virilem reservans.* Et infra : *Ut molliculum et infractum, aut vocis sonum, aut gestum corporis non probo; ita neque agrestem aut rusticum : naturam imitemur; ejus effigies, formula disciplinæ, forma honestatis est.*

Oratio qualis esse debeat, sive in colloquiis, sive in tractatu seu concione, docet cap. 22. n. 99. his verbis : *In utroque servandum ne sit aliqua perturbatio; sed tanquam mitis et placidus, benevolentiæ plenus et gratiæ, sine ulla sermo ducatur contumelia : absit pertinax in familiari sermone contentio.* Et infra : *Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione.* Et infra, qualis esse debeat oratio concionatoris : *Oratio* sit *pura, simplex, dilucida, atque manifesta, plena gravitatis et ponderis : non affectata elegantia, sed non intermissa gratia.* Vide plura apud eumdem ad hujus virtutis officium pertinentia.

201. Ex quibus constat quanti hæc virtus sit momenti, utpote necessaria ad bonum nomen, ad proximi ædificationem, et ad amicitiam, vitamque communem. Nam ut idem Ambrosius cap. 18. n. 71. ait : *Habitus mentis in corporis statu cernitur : hinc homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut jactantior, aut turbidior : aut contra gravior, et constantior, et purior, et maturior æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus.* Idem insinuat illud Ecclesiastici 19. *Ex visu cognoscitur vir; et ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Denique in hac totum fere externum decorum, et pulchritudo vitæ consistit.

Notandum tamen, hanc externam moderationem ex diversarum virtutum affectu præstari posse, eaque ratione ad diversas pertinere virtutes. Si enim externam modestiam præstes, ut talem te foris exhibeas, qualem te intus esse putas, pertinebit ad virtutem veritatis : sicuti hypocrisis est aliud foris simulare, aliud animo gerere. Si id facias ut te aliis commodum, et suavem in conversatione exhibeas, erit officium amicitiæ, seu affabilitatis; si ut reverentiam rebus sacris habeas, erit officium religionis. Ratione tamen materiæ semper dicetur modestia : ad quam etiam formaliter pertinebit, si fiat affectu congruentiæ, quam habet ad ipsam personam, cui inest, cum circumstantiis occurrentibus spectatam.

202. Contra hanc virtutem peccatur per excessum et defectum. Per excessum, cum plus agitur, quam præscriptum rationis habeat. *Primo,* si externi

motus vel gestus communem modum excedant; hoc vocatur vulgo *petulantia* vel *insolentia. Secundo,* si alienum modum tibi non congruentem assumas; ut si religiosus utatur moribus aulicis : quo pertinet mollities quædam in voce, gressu, gestibus, quam D. Ambrosius sæpe reprehendit. *Tertio,* si ficto animo modum aliquem assumas; quod est hypocrisis. Cæterum in his non est peccatum mortale, nisi ratione pravi finis, vel scandali, vel alterius gravis nocumenti.

Per defectum peccatur contra hanc virtutem, morum ruditate et rusticitate : hæc per se non est peccatum nisi veniale ; per accidens tamen mortale esse potest : v. g. ob scandalum vel offensionem, cum alii putant se tali ratione contemni.

DUBITATIO XII.

DE EUTRAPELIA.

D. Thom. quæst. 168. *art.* 2. 3. 4.

203. Omnes motus gestusque externi vel serio fiunt, vel ludi jocive causa. *Serio* fieri dicuntur, cum non ad ludum vel jocum. *Ludus* proprie in factis, *jocus* in verbis est. Generatim tamen *ludi* nomine etiam *jocum* intelligimus : nam verbis quoque ludere dicimur, et ludere hominem, et in hominem.

Si serio agantur, eorum moderatio ad virtutem, quæ communi nomine dicitur modestia, pertinet. Si ludi causa, moderatio quidem ad modestiam pertinet ; tamen ut sit distinctio inter hanc modestiam, quæ est in ludicris, et illam, quæ in seriis, hæc proprio nomine vocari solet εὐτραπελία, et qui ea præditi, εὐτράπελοι, quasi εὔτροποι (ut Aristoteles L. 4. Ethic. cap. 8. ait), id est, flexibili ac versatili ingenio : quia dicta et facta quædam, dextre ad recreationem animi convertere norunt. Est igitur eutrapelia species modestiæ. Unde definiri potest, ut sit *modestia in ludicris ;* vel hoc modo : *eutrapelia est virtus quæ ludis et jocis rationis modum imponit ;* vel sic : *quæ in ludicris decorum servat.* Aliter hoc nomine utitur Apostolus ad Ephes. 5. nimirum pro scurrilitate ; facilis enim in jocis ad scurrilitatem lapsus.

204. Itaque materia hujus virtutis sunt *actiones ludicræ,* sive in factis, sive in dictis sitæ : sunt enim istæ actiones liberæ, ut constat, et per se non illicitæ, sed indifferentes, ac proinde capaces ordinis recti vel pravi, a ratione imponendi, in quo ratio virtutis et vitii consistit. Quod autem etiam viris gravibus tales actiones interdum illicitæ non sint, patet : quia sicut corpus fatigatur corporali labore, propter consumptionem spirituum, et membrorum exsiccationem; ita anima rebus seriis intenta fatigatur labore spiritali : cogitando enim attente, consumuntur spiritus animales, quibus ipsa utitur ad functiones, non quidem ipsius per se intellectus, sed phantasiæ, a quibus omnis functio intellectus dependet. Ipsum quoque cerebrum incalescit et exsiccatur: unde sicut corpus eget quiete ad refectionem spirituum, et virium instaurationem; ita etiam anima sua quiete opus habet : quies autem animæ propria est ludus et jocus, quia in his non laborat, cum magnam attentionem non requirant, et voluptate quadam sensus internos afficiant : et interea dum animus ita recreatur, natura novos

spiritus suppeditat, et organa ad temperiem priorem reducit. Hinc Cicero L. 1. Officior. *Ludo,* inquit, *et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno, et quiete, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus.* Unde sequitur, eos, qui gravibus studiis, et rebus spiritualibus multum intendunt, hoc solatio subinde uti posse; quod etiam docet Cassianus Collat. 24. seu ultima cap. 20. idque confirmat cap. 21. exemplo et responso B. Joannis Evangelistæ qui similitudine arcus assidue intenti et nunquam laxati hanc rem declarabat. Idem insinuat D. Augustinus L. 2. de Musica, in fine, cum ait : *Volo tandem tibi parcas : sapientem enim interdum remittere aciem, rebus agendi intentam, decet.* Constat igitur materiam istam licitam esse.

Forma quam hæc virtus ludo inserit, est *congruentia* ad personam ludentem, tum in se spectatam, nimirum ut ejus dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, et ad locum, tempus ac negotium præsens. Facit enim ut ludus sit congruens personæ cum istis circumstantiis spectatæ : sicut modestia reliquos motus et gestus convenienter personæ disponit.

205. Porro tria hic sunt maxime cavenda. 1°. Ut absit omnis injuria, obscœnitas, et illiberalitas. Unde Cicero supra : *Ut pueris non omnem licentiam ludendi damus, sed eam, quæ ab honestatis actionibus non sit aliena : sic in ipso joco aliquid probi ingenii lumen eluceat.* Deinde explicans quales joci vitandi, addit : *Duplex omnino est jocandi genus : alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum : alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Illiberale* vocat, quod homine ingenuo est indignum; quale aurigarum, nautarum, et similium, ex hominum fæce, qui sordibus et nugis delectantur. *Petulans,* quod habet contumeliam. *Flagitiosum,* quod blasphemiam, vel aliud grave crimen implicat. *Obscœnum,* quod impuritatem.

2°. Ne nimium in ludicra simus profusi. Unde Ambrosius L. 1. Offic. cap. 20. n. 85. *Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* Et Cicero : *Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum; sed ingenuum et facetum esse debet.*

3°. Ne ista adhibeantur in rebus sacris, verbi gratia, in concionibus; neque per sacra exerceantur; quod, juxta D. Thomam, insinuat Ambrosius L. 1. Offic. cap. 23. n. 102. cum ait : *Nam licet interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiastica abhorrent regula.* Et sane grave peccatum est, in sacris concionibus, jocos adhibere : est enim contra reverentiam et attentionem verbo divino debitam; nam in joco est remissio attentionis, et reverentiæ, in eoque assumitur quædam libertas, et tanquam si cum æqualibus de nullo serio negotio ageretur. Est etiam contra fructum et ædificationem : quia vis verbi divini in animis auditorum velut retunditur, et impressio mentibus eorum facta evanescit. Denique concionator existimationem suam amittit, et vanitatis a populo damnatur. Similiter grave peccatum est, verbis sacris ad jocos et facetias uti; unde Concilium Trident. Sess. 4. in fine *mandat et præcipit, ne de cætero quisquam ullis sacræ Scripturæ locis utatur ad scurrilia, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos,* et jubet eos puniri per Episcopos; sæpe tamen ex levitate materiæ, vel ratione inconsiderationis, hujusmodi joci sunt peccata venialia.

206. Porro sicut in ludis et jocis potest esse moderatio : ita excessus et defectus. Excessus est, cum quis amplius in istis sibi indulget quam ratio recta permittit. Defectus, cum minus. Dupliciter autem potest esse excessus, ut docet D. Thomas art. 3.

1°. Ex ipsa specie actionum, quæ ad ludum assumuntur, nec tamen ad hoc sunt idoneæ : idque vel quia per se sunt peccata (ut cum ludi jocive causa quis utitur verbis vel factis obscœnis, vel proximo noxiis) ; vel quia sunt sacra, et majorem reverentiam postulant. Quod si verba illa vel facta per se sint peccata mortifera, excessus erit lethalis; quia non ideo propriam malitiam amittunt, quod ad ludum et recreationem ordinentur. Si autem illa per se tantum sint venialia, erit excessus venialis : quia ordinatio ad ludum superveniens, non addit culpam lethalem. Unde simplex turpiloquium ex joco profectum non est peccatum mortale, ut recte Cajet. art. 3. Secus, si animo trahendi ad libidinem. Si verba sint sacra, et absit scurrilitas, contumelia, infamatio, jocus plerumque est venialis; nisi forte esset magnus excessus, ita ut gravis videatur irreverentia.

2°. Potest esse excessus ex circumstantiis, scilicet personæ, loci, temporis, finis, qualitatis ludi, et modi ludendi. *Primo,* ratione circumstantiæ personæ; ut si propter dignitatem dedeceat personam sic ludere : sic aleæ ludus vetatur Clericis ob dignitatem personæ. Non tamen est peccatum mortiferum, si absque scandalo, recreationis causa interdum fiat; quia usus permittit : neque etiam si ob pecuniam ; modo scandalum absit, et de ea libere possint disponere. Secus tamen si aleæ sint dediti; de quo vide Navarrum in Enchiridio cap. 20. n. 3. Ob eamdem causam illicitus est illis larvarum usus, quamvis non videatur peccatum mortale, si scandalum et pravus finis absit, ut indicat Cajetanus in Summa v. *Larvarum usus. Secundo,* ratione loci, ut si fiat in loco sacro; non tamen erit peccatum mortiferum, nisi vel ratione scandali, vel quia divina officia impediuntur, vel quia speciatim prohibitum est talem ludum ibi fieri; sicuti vetitum est de ludis theatralibus, ut patet capite *Cum decorem.* 12. de vita et honest. Cleric. *Tertio,* ratione temporis ; ut si quis bonam diei festi partem ludis absumat. Hoc tamen non erit mortiferum, si Sacrum, et si quod aliud officium divinum præceptum sit, non omittat : ut docet Navar. cap. 20. num. 3. et Cajetanus art. 3. Ludus enim, etsi operosus sit et laboriosus, ut ludus pilæ, prælii umbratilis, et similes, tamen non est opus servile, aut alias speciatim ob cultum festi prohibitum. *Quarto,* ratione finis; ut si quis ludat animo ad malum pertrahendi. Si finis principalis sit lucrum, erit peccatum, juxta Cajetanum art. 3, Silvest. v. *Ludus.* q. 4. et alios quosdam ; quorum ratio est, quia cum ludus natura sua ad recreationem et animi quietem referatur, abusio est illum ordinare ad lucrum; unde etiam hujusmodi lucrum volunt esse sordidum et illiberale, utpote acquisitum per id, quod natura alio destinavit. Fatentur tamen non esse peccatum mortiferum. Contrarium tamen est verius; nam ludus etiam includit vel supponit contractum, estque illius executio. Itaque possunt eo sic uti, qui rerum suarum liberam habent administrationem : quare nullum per se est peccatum, illo ad lucrum uti ; plerumque tamen quando quis ad talem finem utitur, est aliquod peccatum, ratione immodicæ cupiditatis, ex qua ordinarie tunc procedit. *Quinto,* ratione qualitatis materiæ prohibitæ ad ludum usurpari. Sic olim ludus alearum (quo nomine omnes

fortuitum eventum habentes continentur) prohibitus erat ob varia incommoda, quæ inde sequebantur; illa tamen lex jampridem contrario usu est abrogata. Tales enim ludi maxime rationem ludi habent; quia animum attentione non fatigant, et incerto eventu excitant ac recreant. Qui autem multa attentione opus habent, ut est ludus latrunculorum, pessimi sunt ad finem ludi, ut Cajetanus ait; ad vitandum tamen otium optimi. Unde hujusmodi nunquam vetiti; quia vitatio otii maxime necessaria. *Sexto,* ratione modi; ut si quis utatur fraude contra leges ludendi.

Defectu quoque in his peccari potest. *Primo,* quando quis eget hac animi remissione, et eam præ austeritate animi non vult admittere. *Secundo,* quando aliis sua austeritate molestum se exhibet, honestos eorum ludos et jocos non admittens: hoc tamen vitium minus est peccatum quam excessus: sicuti minus malum est nimis aspernari voluptates, quam nimis easdem sectari. Tales vocat Aristoteles L. 4. Ethic. cap. 8. σκληροὺς καὶ ἀγρίους, duros et agrestes: et qui jocis excedunt, βωμολόχους, scurriles.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI QUARTI

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS IN GENERE.

CAPUT I. — DE ENTE, ACTU ET HABITU SUPERNATURALI.

Pag.

ARTIC. I. — *Quid sit ens supernaturale?* 3

I. — Ens supernaturale, philosophice spectatum, est quod excedit omnes vires substantiæ limitatæ cujuscumque, hinc simpliciter indebitum naturæ . 4

II. — Supernaturale, theologice spectatum, est ens naturæ simpliciter indebitum, quod ex intrinseca sua perfectione pertinet ad unionem cum Deo quidditative sumpto 5

QUÆRES : *An possibilis sit substantia supernaturalis?* 9

Repugnat creatura rationalis, cui ex intrinsecis naturæ principiis connaturaliter debita sit gratia sanctificans, lumen gloriæ et visio beatifica. 9

ARTIC. II. — *An et unde actus salutares entitative sint supernaturales?* . . 11

I. — Sunt entitative et quoad substantiam supernaturales 11

II. — Supernaturalitatem suam participant a principio effectivo supernaturali. 12

QUÆRES : *An actus etiam universaliter et necessario desumant suam supernaturalitatem ab objecto?* 14

I. — Objectum materiale potest esse idem respectu actus tam supernaturalis quam naturalis, nec ab objecto materiali desumitur supernaturalitas . 14

II. — Formale sub quo extrinsecum, seu cognitio proponens objectum tum materiale tum formale quod, aliud est respectu actus supernaturalis, quam respectu naturalis 15

III. — Idem potest esse objectum formale quod actus supernaturalis et naturalis; adeoque non distinguitur actus supernaturalis a naturali per respectum ad objectum formale quod : nec actus desumit universaliter et necessario suam supernaturalitatem ab objecto formali quod. . . . 15

ARTIC. III. — *Quid et quotuplex sit habitus supernaturalis?* 19

I. — Habitus seu virtus supernaturalis est virtus per se infusa, dans simpliciter posse, et elevans potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales. 20

Pag.

II. — Communiter dividitur in Theologicam et Moralem; accuratius tamen in Theologicam et non Theologicam. 20

Quæres : *An facilitas relicta post frequentatos actus supernaturales virtutum supernaturalium, sit supernaturalis vel naturalis?* . . 20

I. — Habitus ejusmodi nec est habitus prior supernaturalis factus intensior : nec habitus novus supernaturalis et per accidens infusus 21

II. — Est naturalis ; quin tamen cum quibusdam debeat dici generatus ab actibus naturalibus, qui semper cum actibus supernaturalibus simul eliciantur 22

CAPUT II. — DE VIRTUTIBUS SUPERNATURALIBUS THEOLOGICIS.

ARTIC. I. — *Quid sit virtus Theologica?* 23

Est habitus virtutis per se infusus, immediate attingens Deum, tanquam objectum formale quod saltem inadæquatum. 23

Quæres : *An de ratione virtutis Theologicæ sit, Deo adhærere super omnia?* 27

Est, ut adhæreat appretiative Deo super omnia repugnantia illi prædicato divino, quod est objectum formale quod actus theologici. . . . 28

ARTIC. II. — *Quæ et quot sint virtutes Theologicæ?* 29

Fides, Spes, et Charitas sunt virtutes Theologicæ, inter se realiter distinctæ : nonnisi tres 29

Quæres : *Quæ sit fidei proprie huc pertinentis notio?* 32

Fides ad justificationem et salutem requisita debet esse assensus intellectualis, libere elicitus et veritati revelatæ præstitus propter auctoritatem Dei revelantis 33

ARTIC. III. — *An dentur et existant virtutes Theologicæ?* 34

Certius est, quam ut sine temeritate negari possit. 34

Quæres I. *An virtutes Theologicæ infundantur simul in justificatione?* 38

Fides ac spes nunquam infunduntur extra justificationem et seorsim a gratia sanctificante et charitate 39

Quæres II. *An et per quid augeantur virtutes Theologicæ?* 41

I. — Eas augeri et intendi certum est ex fide. 41

II. — Augentur illis actibus, quibus augetur gratia sanctificans. 42

Quæres III. *In quibusnam subjectis non maneant virtutes Theologicæ?*

I. — Charitas amittitur per quodvis peccatum mortale : fides vero et spes non per quodcumque, sed per mortale directe contrarium 42

II. — In beatis remanet charitas ; cessat autem fides ac spes. 43

III. — In animabus purgantibus manent virtutes Theologicæ omnes : in damnatis autem nulla 44

DISPUTATIO II.

DE OBJECTO FIDEI.

CAPUT I. DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN GENERE.

Pag.

ARTIC. I. — *Quodnam in genere sit objectum materiale fidei?* 45

I. — Omnis ac sola veritas a Deo revelata; sive ea sit divina seu de Deo, ejus perfectionibus, aut decretis liberis, sive creata 45

II. — Fidei ad justificationem et salutem requisitæ objectum est quodcumque a Deo revelatum, etiam ad fidem historicam et miraculorum pertinens . 45

III. — Non specialis erga particularem hominem misericordia divina condonans illi peccata. 46

ARTIC II. — *An veritas formaliter implicite revelata, sit objectum materiale fidei?* 50

I. — Veritas formaliter contenta in aliqua propositione explicite revelata, est quoad se objectum materiale fidei et credibile 51

II. — Ad hoc requiritur, ut certitudine excludente prudentem formidinem certum sit, eam veritatem in explicite revelato formaliter contineri; nec sufficit, hoc tantum esse probabile 52

ARTIC. III. — *Veritas virtualiter solum ac mediate revelata non est objectum materiale fidei.* 61

CAPUT II. — DE OBJECTO MATERIALI FIDEI IN SPECIE.

ARTIC. I. — *An objectum materiale fidei convenienter tradatur in symbolis fidei?* 68

I. — Triplex symbolum: Apostolicum, Patrum, Athanasianum 68

II. — In memoratis tribus symbolis convenienter traditur 68

QUÆRES I. *An Apostoli condiderint symbolum, quod dicitur Apostolicum?* 69

Ipsi Apostoli condiderunt 69

QUÆRES II. *An S. Athanasius auctor sit symboli, quod incipit:* Quicumque vult salvus esse etc 73

Omnino probabiliter teneri potest, symbolum memoratum a S. Athanasio fuisse conditum. 73

ARTIC. II. — *An Articuli fidei Catholicæ sint evidenter credibiles?* . . . 76

I. — Sunt evidenter credibiles assensu firmissimo tanquam a Deo revelati, evidentia propria et simpliciter tali, seu excludente omnem formidinem etiam imprudentem. 78

II. — Etiam comparative considerati ad alias sectas sunt simili ratione evidenter credibiles 79

ARTIC. III. — *An Articuli fidei Catholicæ sint etiam evidenter veri?* . . 84

I. — Communiter loquendo non sunt evidenter veri seu evidentes in attestante, evidentia proprie tali excludente formidinem etiam imprudentem 84

Pag.

ARTIC. IV. — *An Articuli fidei Catholicæ sint evidenter credendi?* . . . 90

I. — Evidenter credendi sunt assensu firmissimo seu explicito seu implicito . 91
II. — Distinctio Articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, ex sensu indifferentistarum facta, nullatenus est admittenda 91
III. — Ad salutem non sufficit, ut quis credat Articulos fundamentales, si interim aliorum satis propositorum unum non credat, sed neget vel discredat 91

QUÆRES : *An Articuli fidei successu temporis creverint?* 95

I. — Principales nunquam creverunt 96
II. — Minus principales ab Adamo usque ad Christum et Apostolos inclusive creverunt simpliciter. 97
III. — Articuli fidei a tempore Christi et Apostolorum non creverunt simpliciter, sed tantum secundum quid 98

ARTIC. V. — *Quinam Articuli sint necessario credendi necessitate medii?* 101

I. — Articuli de Deo ut existente, et ut remuneratore explicite credendi . . 101
II. — Articulus necessario credendus de Deo ut remuneratore, intelligitur de remuneratore supernaturali 102

QUÆRES I. *An etiam Articuli de Christo et SS. Trinitate necessario necessitate medii sint explicite credendi?* 105

I. — Videtur certum, fidem explicitam Christi quoad divinitatem, humanitatem et modum redemptionis, non fuisse medium necessarium in Veteri Testamento 106
II — Probabilius videtur, in Veteri Testamento nequidem necessariam fuisse necessitate medii fidem explicitam in Christum ut Mediatorem inter Deum et homines 107
III. — Æque probabile saltem est, nec in Novo Testamento fidem explicitam de Christo esse medium necessarium ad justificationem, aut consecutionem salutis 109

QUÆRES. II. *Quænam necessario credenda sint necessitate præcepti?* . 116

I. — Quoad speculabilia quilibet adultus ex gravi obligatione præcepti tenetur explicite nosse et credere omnes Articulos symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam 116
II. — Quoad operabilia adultus quilibet similiter tenetur scire 1°. præcepta Decalogi : 2° præcepta Ecclesiæ, saltem illa quæ quemvis concernunt : 3°. Sacramenta, saltem ea, quoad substantiam, quæ quis suscipere debet, qualia pro omnibus sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia : 4°. his adjungitur communiter notitia formandæ crucis, et orationis Dominicæ 117

CAPUT III. — DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

ARTIC. I. — *Quodnam sit objectum formale fidei divinæ?* 117

I. — Auctoritas Dei est constitutive seu in recto objectum formale fidei divinæ 118
II. — Auctoritas Dei in loquendo est objectum formale fidei divinæ 120

QUÆRES I. *Per quænam prædicata formaliter constituatur Auctoritas Dei in loquendo?* 123

Pag.
I. — Formaliter constituitur per sapientiam 123
II. — Idem præstat etiam veracitas. 124

Quæres II. *An Auctoritas Dei, in sapientia et veracitate consistens, sufficiat pro quacumque locutione divina et fide Theologica?* . . . 124

I. — Universim sufficiens est motivum fidei Theologicæ cujuscumque. . . . 124
II. — Speciatim etiam sufficit tanquam motivum fidei Theologicæ circa revelationes decretorias 124

Artic. II. — *An et qualis locutio præter Auctoritatem Dei sit objectum formale fidei?* 125

I. — Locutio seu revelatio divina constitutive pertinet ad motivum fidei, et est ejusdem objectum formale partiale 126
II. — Locutio constitutive pertinens ad objectum formale divinæ fidei complectitur tam activam, quam passivam locutionem 130

Quæres: *An Revelatio privata pertineat ad objectum formale fidei Theologicæ?* 131

I. — Ad assensum fidei divinæ sufficit revelatio privata, sufficienter proposita, de quacumque materia. 131
II. — Ad credendum fide Theologica non requiritur revelatio privata, seu singulis hominibus immediate a Deo facta 134

Artic. III. — *An Auctoritas et locutio divina etiam credatur in actu fidei de Mysterio revelato?* 136

I. — In actu fidei de Mysterio revelato non affirmatur auctoritas et locutio divina ut lumine naturali nota; nec sufficit eam sic affirmari. . . . 136
II. — Exercite credi potest et debet 138

Artic. IV. — *In quid ultimo resolvatur actus fidei?* 139

I. — Fides creditive sumpta ultimo resolvitur in divinam auctoritatem et locutionem, exercite revelatam et per ipsum fidei actum creditam . . 140
II. — Affective sumpta ultimo resolvitur in illam honestatem objectivam, propter quam voluntas imperat assensum fidei 140
III. — Dispositive sumpta ultimo resolvitur in signa credibilitatis 140

Quæres: *Quidnam Ecclesiæ auctoritati in resolutione fidei sit concedendum?* 141

I. — Fides proprie ac creditive sumpta non resolvitur ultimato in auctoritatem Ecclesiæ 141
II. — Directive sumpta potest resolvi in auctoritatem Ecclesiæ, non tamen ultimato 141
III. — Resolutio fidei in auctoritatem Ecclesiæ, spectata præcise assensus fidei natura secundum se, non est absolute necessaria 142

DISPUTATIO III.

DE ACTU FIDEI.

CAPUT I. — DE ACTIBUS FIDEM PRÆCEDENTIBUS.

Pag.

ARTIC. I. — *Quæ et quales cognitiones prævie ad fidei actum requirantur?* 143

I. — Requiritur et sufficit, ut judicium speculativum actui fidei infusæ prævium sit moraliter certum 143

II. — Prærequiritur etiam judicium practicum moraliter saltem certum : quin et hoc absolute loquendo sufficere potest. 144

ARTIC. II. — *Qualis debeat esse certitudo judiciorum actum fidei præcedentium?* 145

I. — Sufficit pro rudioribus respectiva 147

II. — Ut sufficiat, non requiritur discerniculum experimentale 150

ARTIC. III. — *An prævie ad actum fidei requiratur pia affectio?* 152

Ad omnem actum fidei supernaturalis et infusæ requiritur pia affectio, seu voluntatis imperium immediatum, positivum et directum . . . 152

ARTIC. IV. — *An actus, fidem præcedentes, sint entitative supernaturales?* 154

I. — Pia affectio seu voluntas credendi est entitative et quoad substantiam supernaturalis 154

II. — Judicium credibilitatis practicum, seu dictamen credenditatis est quoad substantiam supernaturale 157

CAPUT II. — DE NATURA ACTUS FIDEI.

ARTIC. I. — *An actus fidei necessario sit verus?* 159

I. — Deus falsum nunquam revelavit, nec absolute revelare potest : adeoque actus fidei est necessario verus ex parte objecti materialis 159

II. — Actus fidei Theologicæ supernaturalis necessario requirit revelationem divinam actu existentem ; adeoque est necessario verus etiam ex parte objecti formalis. 161

ARTIC. II. — *An actus fidei supernaturalis sit certus?* 170

I. — Est certus certitudine infallibilitatis ac indubitabilitatis 170

II. — Actus fidei supernaturalis aliquo vero sensu est utraque certitudine certior cognitionibus naturalibus certis. 171

QUÆRES: *In quonam stet excessus certitudinis fidei supra alias cognitiones naturales certas?* 174

I. — Excessus ille supra cognitiones moraliter vel physice certas est formalis, et stat in eo, quod actus fidei sit metaphysice infallibilis 174

II. — Supra cognitiones metaphysice certas est tantum radicalis, stans in eo, quod actus fidei ex sua intrinseca perfectione et ex pluribus principiis sit infallibilis. 174

III. — Assensus fidei quoad certitudinem adhæsivam excedit excessu appretiationis intellectualis omnes assensus naturales, dependentes a voluntate, si non sint ne quidem putatitie assensus fidei divinæ 175

Pag.

IV. — Quoad certitudinem adhæsivam non excedit assensus naturales metaphysice certos seu evidentes, et a voluntate independentes; quin excessus appretiationis in fide supra hos assensus et impossibilis est, nec ad certitudinem fidei necessarius aut utilis. 176

ARTIC. III. — *An et quomodo actus fidei supernaturalis sit obscurus?* . . 176

Ex natura sua et positive est obscurus. 177

QUÆRES I. *An obscuritas actus fidei compatiatur evidentiam perfectam in attestante?* 180

Non compatitur; seu actus fidei Theologicæ supernaturalis ex natura sua sic est obscurus, ut nequeat esse ex evidentia objecti sui formalis, vel niti revelatione et auctoritate divina, et utriusque connexione cum veritate objecti evidenter cognitis. 180

QUÆRES II. *An obscuritas fidei compatiatur evidentiam rei attestatæ?* 182

I. — Possunt in eodem intellectu circa eamdem veritatem, v. g. circa unius Dei existentiam, simul stare actus fidei supernaturalis et scientiæ evidentis sive infusæ sive naturaliter acquisitæ 182

II. — Etiam idem realiter actus potest esse fides Theologica supernaturalis et scientia evidens, sive infusa sive naturaliter acquisita 183

CAPUT III. — DE QUIBUSDAM AFFECTIONIBUS ACTUS FIDEI.

ARTIC. I. — *Qualis fides necessaria sit necessitate medii ad justificationem et salutem?* 184

I. — Fides ad salutem necessaria debet stricte sumi, nec sufficit fides late accepta. 184

II. — Eadem fides debet esse formalis et actus reipsa elicitus, ita ut non sufficiat ejusmodi actus solum in voto. 185

ARTIC. II. — *Quomodo opponatur fides infidelitati?* 191

I. — Discredens culpabiliter unum fidei articulum non potest simul credere alium fide divina perfecta et simpliciter tali 192

II. — Potest tamen simul credere alium assensu fidei objective divinæ imperfecto, probabiliter etiam supernaturali 193

QUÆRES : *Quis sensus sit censurarum Theologicarum?* 197

DISPUTATIO IV.

DE SPE.

CAPUT I. — DE NATURA ET OBJECTO SPEI.

ARTIC. I. — *Quænam sit natura et notio spei Theologicæ?* 199

I. — Actus spei Theologicæ est desiderium efficax et fiduciale boni ardui ut a Deo obtinendi. 200

II. — Habitus spei Theologicæ est virtus per se infusa disponens et elevans potentiam ad actus spei supernaturales. 200

Pag.
ARTIC. — II. *Quodnam sit materiale objectum spei?* 201
I. — Primarium ut quod spei Theologicæ est non tantum beatitudo objectiva, sed et formalis. 201
II. — Secundarium sunt bona supernaturalia omnia beatitudini subordinata; imo et bona naturalia ac temporalia, quantum hæc ad consequendam beatitudinem conducunt. 202
III. — Utrumque objectum etiam determinate sperandum est 202

ARTIC. III. — *Quodnam sit objectum formale spei Theologicæ?* 206
I. — Prout hæc dicit formalitatem desiderii, est bonitas Dei respectiva. . . 207
II. — Prout hæc dicit formalitatem erectionis animi, est virtus Dei auxiliatrix. 207
III. — Prout dicit fiduciam, est fidelitas Dei in promissis, vel omnipotentia ac misericordia Dei per promissionem obligata. 207

CAPUT II. — DE PROPRIETATIBUS ET AFFECTIONIBUS SPEI.

ARTIC. I. — *An actus spei Theologicæ sit summe certus?* 213
I. — Quantum ex parte Dei est summe certus seu infrustrabilis, et summe firmus seu excludens omnem timorem 213
II. — Quantum ex parte nostra, et prout involvit absolutam exspectationem beatitudinis, seclusa speciali revelatione divina, nec est summe certus vel participative infrustrabilis, nec summe firmus vel excludens timorem. 214

ARTIC. II. — *An actus spei Theologicæ sit honestus et licitus?* 218
I. — Licitum est operari opus bonum intuitu mercedis æternæ 218
II. — Desiderium beatitudinis, seu amor concupiscentiæ, quo Deum ut summum nostri bonum prosequimur, est honestus et licitus 219

QUÆRES: *An timor servilis sit honestus ac licitus?* 223
Timor simpliciter servilis est honestus et licitus 224

ARTIC. III. — *Non datur in hac vita perfectionis status, in quo actus spei Theologicæ non sit necessarius, aut locum non habeat?* 230

DISPUTATIO V.

DE CHARITATE.

CAPUT I. — DE NATURA ET OBJECTO CHARITATIS.

ARTIC. I. — *Quænam sit notio et natura charitatis Theologicæ?* 237
I. — Charitas actualis est amor, quo Deum propter se, et cætera propter Deum diligimus. 238
II. — Actualis perfecta non est amor simplicis benevolentiæ, sed amicitiæ . . 238
III. — Habitualis est virtus per se infusa, disponens et elevans voluntatem ad actus charitatis proxime descriptos eliciendos. 238

ARTIC. II. — *Quodnam sit objectum materiale charitatis Theologicæ?* . . 240
I. — Deus et proximus: ille quidem primarium; iste vero secundarium . . 240
II. — Nomine proximi hic intelligitur omnis creatura rationalis re aut spe beata 240

Pag.

III. — Homo quilibet etiam relate ad se ipsum pertinet ad objectum secundarium charitatis. 241

ARTIC. III. — *Quodnam sit objectum formale charitatis Theologicæ?* . . 242
I. — Bonitas Dei absoluta 242
II. — Etiam bonitas absoluta singillatim sumpta, seu quælibet perfectio divina seorsim accepta, est sufficiens objectum formale charitatis theologicæ. 242

CAPUT II. — DE NECESSITATE CHARITATIS.

ARTIC. I. — *An omnis actus humanus, ne peccatum sit, debeat esse ex charitate elicitus?* 245

I. — Amor Dei, ex quo necessario ortum volunt Novatores omnem actum humanum, ne peccaminosus sit, secundum Jansenium videtur quidem intelligi charitas proprie dicta, non tamen perfecta; secundum Baium perfecta sed non habitualis; secundum Quesnellum autem perfecta simul et habitualis vel dominans et plene justificans 246
II. — Ne actus humanus sit peccaminosus, non requiritur, ut prodeat ex charitate proprie dicta quamvis imperfecta, multo autem minus ex perfecta sive actuali sive habituali 248

ARTIC. II. — *An omnis actus humanus, ne sit malus, debeat saltem esse a charitate imperatus?* 253

I. — Non requiritur, ut a charitate imperetur. 255
II. — Auctores Catholici, imperium charitatis ad quemlibet actum deliberatum a peccato immunem postulantes, non satis a Novatoribus se distinguere videntur. 257

ARTIC. III. — *An actus humanus, ut sit meritorius, debeat esse vel elicitus vel imperatus a charitate?* 267

I. — Ut actus supernaturalis hominis justi sit condigne meritorius præmii substantialis gloriæ, non requiritur, ut sit a charitate elicitus. . . . 267
II. — Neque requiritur, ut ejusmodi actus sit a charitate imperatus, seu actuali aut virtuali relatione ad Deum propter se dilectum directus 268

APPENDIX

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

PROOEMIUM. — Brevis explicatio et divisio virtutum. 277

LIBER PRIMUS.

DE PRUDENTIA.

CAPUT I. — DE PRUDENTIA IN SE SPECTATA.

DUBITATIO I. — Quid sit prudentia 281
— II. — Quomodo prudentia ab aliis virtutibus distinguatur . . . 285
— III. — Quænam sint functiones prudentiæ 286
— IV. — Utrum prudentia pendeat a virtutibus moralibus, et quomodo. 290

Pag.

CAPUT II. — DE PARTIBUS PRUDENTIÆ ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I. — Quæ sint partes subjectæ prudentiæ, id est, in quas species dividatur 292
— II. — Quænam sint partes integrantes prudentiæ 294
— III. — Quæ sint partes potentiales prudentiæ. 295
— IV. — Quot et quibus modis peccetur contra prudentiam 297

LIBER SECUNDUS.

DE FORTITUDINE.

CAPUT I. — DE FORTITUDINE SECUNDUM SE ET EJUS FUNCTIONIBUS.

DUBITATIO I — Quid fortitudo, et quæ illius officia 305
— II. — Utrum martyrium sit opus fortitudinis. 308
— III. — Quænam ad martyrium requirantur. 312
— IV. — Quænam dispositio in peccatore sit necessaria, ut martyrium ei prosit ad salutem 319
— V. — Quam vim habeat martyrium, et quando conferat suum effectum. 325
— VI. — Quæ vitia opponantur fortitudini, et quale in his peccatum . 328

CAPUT II. — DE VIRTUTIBUS FORTITUDINI CONNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I. — Quæ sint partes fortitudinis 330
— II. — Quid sit magnanimitas, et qui ejus actus 332
— III. — Quæ vitia magnanimitati adversentur 335
— IV. — Quid magnificentia, et quod vitium ei adversetur 339
— V. — Quid patientia et longanimitas, et de illius gradibus . . . 341
— VI. — De perseverantia et constantia, vitiisque oppositis 344

LIBER TERTIUS.

DE TEMPERANTIA.

CAPUT I. — DE TEMPERANTIA EJUSQUE PARTIBUS IN GENERE.

DUBITATIO I. — Quid sit temperantia, et quod ejus officium 347
— II. — Quæ sit regula temperantiæ statuenda 350
— III. — Quæ vitia temperantiæ in genere adversentur 351
— IV. — Quæ sint partes temperantiæ 352

CAPUT II. — DE SPECIEBUS TEMPERANTIÆ, ABSTINENTIA, SOBRIETATE, CASTITATE, PUDICITIA.

DUBITATIO I. — Quid sit abstinentia 354
— II. — Quid sobrietas, et quod ejus officium 356
— III. — Quid castitas, et in quibus rebus versetur 358
— IV. — Quid sit virginitas. 359
— V. — Utrum virginitas sit præstantior matrimonio. 361

CAPUT III. — DE GULA, EBRIETATE ET LUXURIA.

Pag.
DUBITATIO I. — Quid gula, et quale peccatum 368
— II. — Quid ebrietas, et quale peccatum. 372
— III. — Quid luxuria, et quale peccatum 380
— IV. — Quæ sint luxuriæ species 383
— V. — Utrum fornicatio sit peccatum mortiferum. 385

CAPUT IV. — DE PARTIBUS TEMPERANTIÆ POTENTIALIBUS, CONTINENTIA, MANSUETUDINE, CLEMENTIA, MODESTIA, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I. — Quid sit continentia 389
— II. — Quid sit incontinentia, et quale peccatum 391
— III. — De mansuetudine 394
— IV. — De ira et iracundia 394
— V. — De clementia, et crudelitate 399
— VI. — Quid modestia, et quæ ejus species 403
— VII. — Quid sit humilitas, et quod ejus officium 403
— VIII. — Quid sit superbia, et quomodo ab aliis vitiis distinguatur. Item de nimia sui abjectione 408
— IX. — De speciebus superbiæ, et quale peccatum sit superbia. . 412
— X. — De studiositate et curiositate 415
— XI. — De modestia in motibus externis 419
— XII. — De eutrapelia 421

GTU Library
3 2400 00779 3601

DATE DUE